

FERDINANDI
QVIRINI
 DE SALAZAR
 CONCHENSIS
 SOCIETATE IESV
 THEOLOGI,

ET IN COLLEGIO COMPLVTENSI
Sacrarum Literarum Interpretis.

EXPOSITIO IN PROVERBIA SALOMONIS.
 TOMI SECVNDI PARS ALTERA.

Cum triplici Indic. rerum & verborum, sacra Scriptura, & pro Concionat.



PARISIIS,
 Apud **DIONISIVM BECHET,**
 viâ Jacobæâ, sub Scuto Solari.

M. DC. XXXVII.
 CVM PRIVILEGIO REGIS.

FERRINDANDI

OVIRINI

DE SALAZAR

CONCHENSIS

E SOCIETATE

THEOLOG

ET IN COLEGIO COMPLECTUR

Sancti Augustini

EXPOSITIO IN PROVERBIA SALOMONIS

TOMI SECVNDI PARS ALTERA

Composita auctore et editoris, Jaco Salazar de



PARTIS

APUD FRONIS M. RIVERO

PHILADELPHIAE

M. DC. XLVIIII

CVM PRIVILEGIO REGIS



CAPVT XXIII.

SALOMONIS.

QVANDO sederis vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ opposita sunt ante faciem tuam. 2. Et statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam. 3. Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij. 4. Noli laborare vt dñeris: sed prudentia tuæ pone modum. 5. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquila, & volabunt in cælum. 6. Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius. 7. Quoniam in similitudinem arioli & coniectoris, aestimat quod ignorat. Comede & bibe, dicet tibi: & mens eius non est tecum. 8. Cibos, quos comederas, tu omes: & perdes pulchros sermones tuos. 9. In auribus insipientium ne loquaris: quia despicient doctrinam eloquij tui. 10. Ne attingas paruulorum terminos: & agrum pupillorum ne introëas. 11. Propinquus enim illorum fortis est: & ipse iudicabit contra te causam illorum. 12. Ingrediatut ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba scientiæ. 13. Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. 14. Tu virga percuties eum: & animam eius de inferno liberalis. 15. Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum. 16. Et exultabunt renes mei, cum locuta fuerint rectum labia tua. 17. Non amuletur cor tuum peccatores: sed in timore Domini esto tota die. 18. Quia habebis spem in nouissimo, & præstolatio tua non auferetur. 19. Audi fili mi, & esto sapiens: & dirige in via animum tuum. 20. Noli esse in conuiujs potatorum, nec in comessionibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt. 21. Quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio. 22. Audi patrem tuum, qui genuit te: & ne contempnas cum senuerit mater tua. 23. Veritatem eme, & noli vendere sapientiã, & doctrinam, & intelligentiam. 24. Exultat gaudio pater iusti: qui sapientiã genuit, letabitur in eo. 25. Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet quæ genuit te. 26. Præbe fili mi cor tuum mihi: & oculi tui vias meas custodiant. 27. Fovea enim profunda est meretrix, & puteus angustus, aliena. 28. Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit, interficit. 29. Cui vā? cuius patri vā? cui rixā? cui fouea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? 30. Nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? 31. Ne intearis vinum quando flauescit, cum splenderit in vitro color eius: ingreditur blande. 32. Sed in nouissimo morbebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. 33. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa. 34. Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator, amisso clauo. 35. Et dices: Verberauerunt me, sed non dolui: traxerunt me, & ego non sensi: quando euigilabo, & rursus vina reperiam?

CAPVT XXIII.

SALOMONIS.

I. *Quando sederis vt comedas cum Principe, diligenter attende qua apposita sunt ante faciem tuam.*

I I. *Et statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam.*



VANDO sederis, &c.

Heb. Considerando considerabis qua ad facies tuas. Chald. Quando sederis, vt comedas cum Principibus, in quibusdam Vulgatis codicibus olim erat. Quando sederis vt comedas panem, LXX. Si sederis cenare ad mensam potentis, sapienter intellige qua apponuntur tibi August. att. n. lens intellige.

Hæc priora verba perspicua sunt. Quando sederis vt comedas cum Principe. i. cum princeps aliquis vir te ad splendidam, lautamque mensam inuitauerit, hoc age, Diligenter attende qua apposita sunt ante faciem tuam. Hęc attentio debet esse diligens, & sapiens, nam LXX. habent. Sapienter intellige, diligentia in acuratâ obseruatione singulorum ciborum spectetur, ita vt nihil imprudentem, & aliud agentem abeat; sapientia verò in eo versatur, vt per dissimulationem quandam hoc fiat, ne nimia cõuiuæ curiositas inuitantem offendat; sic nonnulli; sed tamen hæc leuiora sunt. Ego enim attentionem ideò suaderi existimo à Salomone, quia cum ex vini, atque epularum nimia ingurgitatione mentis acies ad attendendum non parum hebes reddi soleat; tùm maximè mentem aduocandam, & omnes animi sensus acuendos esse dicit, nequid non obseruatum & animaduersum decedat. Id sibi vult lectio originalis, Considerando considera. Quasi dicat, tunc tibi attentius consideranda omnia sunt, cum inconsiderationis periculum imminer.

Quæ apposita sunt ante faciem tuam. Interpretes vulgo per ea, quæ ante faciem apposita dicuntur, cibos intelligunt, qui conuiuiis exhibentur in mensa. Fauet his translatio LXX. de quâ statim dicemus. Iansenius non de ferculis solum in mensa exhibitis, sed etiam de his, quæ inter cenandum incidunt, quæstionibus, hæc verba capienda esse dicit, ita vt sensus sit. Attende qua apposita sunt ante faciem tuam, vel vt habent Primitiua, qua ad facies tuas. i. quæ à te inter epulas quæsitæ, vel tibi obiecta fuerint. Cum Iansenio concinit Ca-

B ietanus. Intelligendo, inquit, intellige qua in facie tua (sic ipse legit) & non restringitur relatiuum, quæ, ad epulas, sed comprehendit actiones, & interrogationes, &c. Ego verò in eandem sententiam facile inducor. Imò tantum abest vt de solâ ciborum obseruatione hæc verba captanda esse existimem, vt credam potius de solis quæstionibus aut quæsitis, quæ inter epulas obijci solent, accipi debere, vt statim dicam, sed quò spectat omnis hæc tam diligens animi attentio, & intentio. Subdit.

Statue cultrum in gutture tuo. Hebr. non dissonant, pro cultro subest, שכין Sachin, ex שרש Such, quod est vepribus, aut sentibus agrum sa pire (liceat sic dicere) vepticare. Hinc nata lectio Rabi Leui. Statue setes, aut spinas in gutture tuo. Aliqui etiam de numero multitudinis extulerunt. Pone cultros in gutture tuo, si tamè habes in potestate animam tuam, Hebr. Si dominus anima tua. Caiet. Si herus. Hebræi, si coniux anima tua. Subest enim hîc vox illa, Baghal, quæ dominum, herum, & maritum sonat: aliquando etiam potest pro particulâ illâ si, subiici, quia, nec non, etiam, vt aliqui non sine vsu obseruarunt. De dispunctione huius clausulæ non vulgaris pugna inter expositores. Omnes antiqui interpretes illa verba, si tamè habes potestatem, &c. cum superiori versu cõsuenda putant, & ex nouis etiam non pauci: atque adeò post illa punctum figunt. Aliqui verò præmittunt punctum, & cum sequentibus neclunt. Correctior verò textus vt hæc dissidia componeret, nullibi punctum, sed vtrobique comma indidit, vt libertatem scilicet interpretibus daret. Primitiua Hebraica punctum postponunt, & inde nouum versum ordiuntur: Ne sederis, &c. His adhæreo, atque adeò omnes interpretationes sic pagam, vt verba illa, si tamen habes in potestate, &c. cum illis cohæreant, statue gladium, &c. lxx. verò integrum locum sic extulerunt. Iniice manum tuâ sciens, quod oportet te alia preparare. Hæc autem verba respondent illi priori hemystichio, Pone cultrum in gutture tuo. illud autem posterius, Si dominus es anima tua, ad sequentem versum adiecerunt hoc sensu. Si tamen insatiabilis es. De quo infra. Aquila & Theodot. Et pones macheram in gula tua, concinunt quippe cum nostris.

In hunc locum valdè dissimiles expositiones noui & antiqui interpretes coniecerunt. Ex his autem plerique sobrietatem suaderi putant. Sed nõ vnus illorũ sensus. Aben-herza sic ait, Statue cultrũ in gutture tuo, si tamè habes in potestate, &c. i. si ita opus fuerit, cultrum potius gutturi immergere oportet, quàm per crapulam & ebrietatem à mente excidere; & quidem haud inepta sententia est: nam per gladium gutturi adactum corpus interit, at per ebrietatem animus ipse velut percusso iugulo cadit, imò etiam totus homo

mortuo cadaveri ad similes redditur. Hilarius in Psal. 121. *Quid, inquit, infelicius ebrietatis dominatu sensui rationem admere, non loqui, non meminisse monstrare, & mortem quandam naturæ incolumi imperare?*

Secunda interpretatio sic habet, Si genio ac gula indulgere volueris, perinde esse puta, ac si gladium in iugulum moueas, aut deuores. Hæc expositio parum abt à superiori: id tantum inter vtramque diffidii est, quod ipsius autores & patroni, illis verbis, *si tamen habes in potestate animam tuam*, eum sensum subesse existimant. *Sigula indulgere voles*. Sic extulit locum istum Vatablius, qui, ni fallor, per vocem illam *בגב* Baghal, quæ hæc subiicitur, non dominum, sed maritum, aut coniugem intellexit, ac per animam, libidinem accepit, quasi diceret. *Si coniux es anima tuæ*, id est, si libidini tanquam uxori copulatus & addictus fueris. Inde etiam fluxit (ni fallor) translatio lxx. quæ posteriorem istam clausulam ad sequentem verbum accommodans, sic eandem extulit. *Si insatiabilis es, &c.* Itaq; sensus loci, iuxta hanc expositionem, sic compleri debet; si ad magnificam, & splendidam cœnam inuitatus, gula ac voluptati tuæ uxoriã quadam illecebra obtemperes, perinde facis, ac si gladium in gula excipias. Audi Chrysol. Homil. 71. in Matthæum, qui vbi gulam cum hydra composuit, sic demum infert. *Nulli enses, nulle hasta, nihil aliud eiusmodi aduersus ea capita temulentia poterit obsistere. Sed Gigantes ipsi ac fortes viri, qui mille praeclara gesserunt facinora, absq; vinculis vino, & somno ligati, sine vulnere tamquam confossi iacent. Imò verò peius etiam quam confossi, nam illi quidem & si progredi non possunt, aliquo tamen tempore vident fortasse, atque intelligunt: hi verò etiam mente capti omni sensu carent.* Itaq; sic licet dicere, vinum generosum, & suaues epulæ dum fauces deliniunt, easdem velut occulto vulnere perfodiunt, atque ad eum qui illa gutture excipit, gladium & cultrum excipit.

Tertia expositio est Caietani, cui hæere videtur Baynus, qui cum legerit, *Pone cultros in gutture tuo*, sic locum edisserit, *pone*, id est positos, vel intentos gutturi tuo existima: Quasi dicat: cum ab aliquo Principe conuiuio exceptus fueris, omnia quæ inter epulas inciderint, seu actiones, seu verba summa attentione adnota, & obserua, & innumerabiles gladios gutturi tuo imminentes cogita, id est, perinde age, ac si guttur gladiis vndique circumseptum haberes. Illa autem verba *si tamen es herus, aut dominus anime tuæ*, sic cum superioribus contextit: suppositus, aut obiectus istiusmodi gladiis, non es herus seu dominus vitæ tuæ: tota enim pendet, & in discrimine versatur. Itaque secundum hanc expositionem Salomonis mens est: Regum familiaritati minimè fidendum esse. Quinimò tunc cum maxime eorum fauor adspirat, ad eum ut id quod summa gratiæ argumentum esse consuevit, mensæ suæ aliquem consortem faciat, tunc sanè, si sanus homo est, cogitare debet non vnum tantum, sed innumerabiles gladios gutturi suo impendere, nã ita euenire solet, vt inuidia & liuor multorum gladios in illum exacuât. Quid certius? Non illepidum huiusce rei symbolum sese offert illud Dionisij facinus, qui epulantis parasiti mores pertæsus illi quidem ex prætenui equi seta pendentem in caput gladium imposuit. Hæc autem interpretatio inter alias duas facile princeps est.

Quarta verò, quæ pluribus probatur, sic habet. *Pone gladium in gutture tuo, &c.* id est, si forte

Principis conuiuio exceptus es, aduoca mentem, & ad ea, quæ tibi obiecta, aut proposita fuerint, cautè responsum afferto, & ne quod verbum imprudenter excidat, *statue gladium in gutture tuo* ad illud videlicet muniendum, & obstruendum, id est, verbis tuis exitum præcludere vel, *statue cultrum in gutture tuo*, ne aut vini multum percolet, aut elscarum plurimum traiciat. *Si tamen habes in potestate animam tuam*, id est, si tui ipsius compos esse potes: nam vini, & epularum nimia ingurgitatio loquendi intemperantiam afferre solet, & in vino, vt aiunt, *veritas est*, quod prouerbium experientia adiuuenit, ex quâ constat, eos, qui vino incalescent nihil secreti, aut arcani cohibere posse. Augustinus enim, vel quisquis ille est, qui sermonem scripsit de sobrietate, & castitate. *Quisquis (ait) immoderatus conuiuioque mediis amissis modestia frangit, insana fuerit ebrietate prostratus, aures respicit nutantes, quos integros videre nequit, ac sermone longo superflua verba emittit, & vana dicta componit, male clamans, & bene sibi sonans: & dum nihil omnino consequitur sanum, nullo alio cogente, præter vinum, commissa secreta in medium profert.* Huc spectat illud Horat. in Arte poëtica.

Reges dicuntur multis urgere culullis.

Et torquere mero, quem perspexisse laborant

An sit amicitia dignus.

Atque eò fortasse spectauit Salomon, cum dixit, in mensa Principis temperanter edendum ac bibendum esse, quia videlicet hi ad explorandam suorum fidem vinum adhibere solent, vt quidquid in animo latet, vino cogente velut extorqueant. Apposita sunt ad hanc rem verba Eratosthenis apud Stobæum. *Vbi vinum hominem subierit, quem conturbat vt Lybicæ Aquilo, vel Auster, itaq; prodit latentia in mentis recessu, animumque vniuersum concutit, id est, quemadmodum mare Libycum tunc cum Aquilo, vel Auster vndas impulit, algas, & sordes ab imo euertit, & in superficiem trahit: sic etiam vinum quoties mentem concutit, animi profundissima arcana foras eructat.* Adde etiam illud Theoghidis apud eundem Stobæum: *Quisquis bibendo modum superauerit, is non amplius suæ linguae compos est, neque mentis verbis effatur vlla, &c. & infra. Vm mihi facit vinum, animique non sum amplius compos mei.* Sed præstantissima sunt Plinij verba lib. 14. c. vlt. *Tunc, inquit, (cum scilicet à vino caput maduerit) animi secreta profert, alij testamenta sua nuncupant, alij mortifera loquuntur, redituraeque per iugulum voces non continent, quam multis ita interemptis, vulgoque veritas iam attributa vino est.* Optimè omnium Diuus Ambrosius, *Plerique etiam vino vtuntur, vt equuleo, & quibus tormenta non eliciunt vocem proditiõnis, eos tentant bibendo, vt patria statum, salutem ciuium, defensionis suæ prodant consilia: virtus enim plerumque vincit dolorem, fidem autem potus excludit. Cognoui plerumque fiduculis exulceratos nomen suum negasse. Quis inter cyathos texit, quod latere cupiebat?* Ex quibus verbis alia huic expositioni facies affingi potest. *Statue cultrum in gutture tuo, &c.* id est, Conuiuio exceptus magnifico, & regali, cogita districtum gladium in guttur tuum intendi, vt quidquid incautè dixeris illud præsentem morte luas, atque ea demum ratione tibi temperabis, tuique ipsius semper compos eris.

Sed quamuis hæc satis accommodatè dicta sint, tamen (ni fallor) alia est Salomonis mens in

hoc loco; quam uti calleas, memoriâ repetere oportet ea, quæ diximus supra in Isagoge huius cōment. de antiquorum consuetudine ænigmata, problemata, gryphosque inter epulas iactandi. Lege ibi plura de hoc usu, (piget enim ibi adscripta rescribere.) Sed illud imprimis in memoriâ veniat quod ex Platō. in conuiuio & amoris, & Plutarcho in septem Sapientum symposio, alijsq; conuiuiorum scriptoribus ibi animaduertimus: eos scilicet, qui inter epulas, aut sub epulis aliquid aptè & concinnè à se dictum volebant, vinum valde temperanter haurire solitos: ea propter ab eiusmodi conuiuio mutua propinationes exulare solebant, ne quis alium ad bibendū laceffitum ad ebrietatem fortè compelleret. Addo etiam non insolens fuisse, ut si quis temerè vini tantum hauisset, ut caput hebes, mensque ad disceptandum prompta non esset, vomitum aliquando medicamento loco sibi ipse moueret, de quibus omnibus inibi latè disseruimus: Illud tantum his, quæ ibi latè scripsi adscribendum puto, hanc conuiuiarum inter se de problematibus inuicem percontandis disceptationem, pugna nominibus notari. Dicitur enim passim apud auctores conflictus, pugna, concertatio, prælium, ut fusè etiam docuimus in cap. 2. Cant. v. 5. His prælibatis ad Salomonis mentem eruendam veniamus.

9 *Quando sederis ut comedas cum Principe.* Obserua interim verbum illud *sederis*: nãsi antiquitatū monumenta euoluas, inuenies profectò veteres cōiuiua celebrantes in lectulis aut toris discumbere solitos: nil certius: Sed tamen constat aliquando etiã veteres non discumbere, sed cōsiderare solitos in cœnis, tunc scilicet cū frugalis, ac sobria erat mensa, & cū militares epulæ agebatur (ut statim dicam.) Atq; eam ob causam Homer. Heroas in conuiuio non discumbentes, sed assidētes inducit, ut notat Athenæus lib. 1. vibi sic scribit. *Sedebant in cœnis apud Homerum Heroës, non accumbebant. Qui mos, ut inquit Bieris, etiam interdum seruabatur apud Alexandrum Regem: is enim aliquãdo quadringentos Duces in sellis aureis sedentes conuiuio excepit.* Rationè verò statim atexam. Seruius etiam in lib. 7. *Æneid.* sic habet. *Maiore, inquit, nostri sedētes aliquando epulabantur* (scilicet temperantiæ gratia) *quem morem habuerunt à Laconibus, & Creensibus, &c.* Ego verò ita reor in his cōiuiuis in quibus sapientes conuenerāt, ut de aliqua re seriò disceptarēt, & problemata, aut gryphos discuterent, conuiuas non accumbere, sed sedere consueuisse: atque ea demum causa afferri potest, ob quam Alexand. quadringentis Ducibus sellas dedit, quia in eo conuiuio multa ad bellum spectantia inter ipsos agitanda erant. Puto enim illud fuisse epulum militare, ex his, quos Imperatores ante prælium ducibus exhibere solebant, ut & illos sibi obstringerent, & belli inferendi rationem omnem cum eisdem cōferrent. Sedebant autem conuiuæ cū serium aliquid inter epulas miscendum erat, ut mens esset vegetior & promptior; nam vinum accumbentium capita lōgè facilius tentat, quàm sederium. Eapropter Xenophon in suo conuiuio sedentes inducit conuiuas: & Plutarch. etiam in symposio septem Sapientum, seillas tradit, non toros, aut lectulos; quã in re mihi defecisse videtur Platō, qui in suo conuiuio discumbentes producit Socratem, Aristoxenum, & alios. Quorsum hæc? ut constet aptè admodum hęc additum à Salomone. *Quando sederis, ut comedas cum Prin-*

A *cipe*: Nam sermo est de conuiuio illo, in quo veteri moti problematibus & gryphis conuiuatum ingenia torquere, ac periclitari oportebat, ea propter sedere dicitur, non autem discumbere. Subiecta verba id comprobant.

Diligenter attende qua appositã sunt ante faciem tuam. Vel, ut habent Origin. *intelligens intellige,* vel, *considerado considera qua ad faciem tuam.* Sētio enim cum Caietano, & Ianzenio, qui hæc verba nō de his exhibitis ferculis, sed de obiectis quæstionibus accipienda esse docent. Id enim suadent illa, *intelligendo intellige,* quæ summã intelligendi vim notant: frustra autem tantus animi, mentisque conatus in solam ferculorum cognitionem à Salomone posceretur. Ixx. *Sapienter intellige,* eandem mentis vim postulantes. Itaque sensus est, totū mentis conatum atque vim exere, ut gryphos atque problemata tibi inter epulas obiecta calleas. Quid plura? *Statue gladium in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam.* Hæc verba, iuxta præmissam sententiam, nō vno modo accipi possunt: nam primò ita explicare licet. Tunc cū ad hunc modum problematibus iaciendis inter conuiuas confligitur, aut pugnatur (nam, ut supra obseruauim, omnia pugnandi verba huic concertationi aptari solent) si tui compos es, si videlicet mens tibi libera & constans fuerit, vini que iniurias non sensisti, linguam ad respondendum exacue, & elima, ut excindas ænigmatū ac problematū tibi propositorum nodos; hoc enim est *gladium in gutture statuere,* verba scilicet, vel linguam gladii in morem acueris: nam lingua, verbaque, gladii nomen in sacra pagina passim ferunt.

Vel aliter. *Statue gladium in gutture tuo,* id est, cū ab aliquo fortasse problemat. & gryphis percontandis petitus fueris tu contrã linguam distringe, & aliis atq; aliis quærendis illū perurge, ne dicam confode. Itaq; Salomon dū ait, *intelligens intellige, qua ad facies tuas,* suadet cōiuiæ, ut ad percallenda ea, quæ ab illo percontata fuerint summa mentis contentione vtatur: cū verò addit, & *statue cultram in gutture tuo,* eidem hanc legē indicit, ut ad alia vicissim percontanda, aduersarioque vicem reddendam linguam exacuat. *Si tamen, inquit, habes in potestate animam tuam.* Illud si tamen, quemadmodum aliàs in hoc libro & in scriptura passim, sublata cōditione absolutè promendum est, ita ut sensus sit: hæc præstiturus emitte, ut in potestate habeas animam tuam, id est, ut tui semper compos sis, mēsque à vino & epulis non hebescat. Quamuis possit etiam conditio ni locus dari hoc modo, *Si tamē habes, &c.* id scilicet præstabis facilius, si tui semper compos fueris, atque adeò vini intemperantiam vitaueris. Rursus potest etiam ad hanc expositionem transferri Caietani meditatio supra data. *Statue cultrum, aut, cultros in gutture tuo,* id est, cogita guttur tuum districtis gladiis vndiq; peti, nimirum difficultium quæstionum interrogationibus ad respondendum stimulari. Et sanè cū obiecta, quæstitaque problemata, accommodata responsa exigant, haud ineptè dicemus illos, qui percontantur, ictus suos, ac vulnera in guttur ac fauces dirigere. Denique possunt etiam ad temperantiam verba ista flecti hoc modo. Quidquid tibi inter epulas obiectum fuerit, summa mentis contentione libra & examina, & ut id facilius assequi possis, statue cultram in gutture tuo: illud scilicet muni, atque obstrue, ne vini atque cibi immoderata, ingurgitatione mens obtundatur.

Uben.

Seru.

& in gryphis dissoluendis, atque edisserendis ineptiat. *Si tamen habes in potestate animam tuam:* Quasi dicat, id facito, nisi usque adeo tui ipsius impos es, ut concupiscentiar, ac libidini tuæ temperare non possis. Hæc de Vulgata lectione.

Quod si hæc interpretatio minus arridet, subest alia, quæ mihi non minus idonea videtur. Recurrit memoria ad ea, quæ diximus supra cap. 9. vers. 1. de militaribus conuiuiis, & nuper etiam in hoc versu. Nam ex his constat Imperatores cum prælium committere opus erat, Duces ac Tribun. militum ad magnum aliquod epulum euocare solitos, ut hoc officio eorum fidem sibi obligarent. Addunt aliqui eos inter epulas de fidelitate adiurari. Militarium conuiuiorum exempla ex sacra scriptura petita dedi locis citatis. Puta ergo Salomon. ad Ducem aliquem ex his, qui ad militare conuiuium accersantur, verba intendere ad hunc modum, *Cum sederis ad mensam potentis* (*Potentem* vocat Imperatorem supremum belli ius habentem, & verbum *sederis* ad militares epulas spectat, in quibus sedere, non autem discumbere solenne fuit (ut nuper dicebam.) Cum, inquam, ô Dux, ac miles fortissimè, ad mensam Imperatoris assidere licuerit, *statue cultrum in gutture tuo*: id est, fidem tuam hoc officio ita teneri, & obstringi puta, ut iugulum tuum districtis aduersariorum gladiis offerre, & ad certam mortem ire non dubites, *si tamen habes in potestate animam tuam*. Illud si tamen, pro negatione additum est (ut paulo ante dixi) quia ex quo fidem Imperatori dedisti, non es amplius Dominus vitæ tuæ: cui expositioni plurimum tribuo.

Translatio Ixx. alium sensum afferre videtur, conabor tamen vtriusque dissidia paci reddere *Iniice manum tuam, sciens quod oportet te talia præparare*. Nihil sanè difficilius quàm hæc verba ad Hebraicos origines reuocare. Sunt qui putant illa, *iniice manum tuam*, ad amussim respondere illis, *statue cultrum in gutture tuo*: Quasi dicat, tibi ipsi manus afferto, vel tuum ipsius iugulum petito. Sed non placet; nam in Græc. *embdite*, id est, mitte manum, aut conice; quod de mittendis in fercula manibus accipi debere reor. Quapropter ut hæc cohereant inter se nihil aliud occurrit, quàm Ixx. per guttur faucesque imperium accepisse, sicut aliàs passim per os in scriptura imperandi potestas captari solet, ut alibi obseruauimus ita ut illud, *pone cultrum in fauce tua*, perinde sit ac si dicat, iam inde iube gladium aptari, & exaui ad animalia & altitia occidenda, ut similem cœnam offerre possis ei, qui te primus lautè, opiparèque excepit. Sed quamuis omnes interpretes in hanc expositionem conspirent, & verba accipiant, ut sonant, de relatione conuiuij, ac gratiæ, tamen qui hanc translationem ad eam sententiam vocare vellet, quam nuper dedi de problematibus, gryphisque inter epulas percontandis, ac diluendis, non ineptè diceret, Ixx. omisissis verbis sensum eruisse, atque adeo verba eorum sic enucleanda esse. *si sederis ut comedas ad mensam potentis, sapienter intellige quæ apponuntur tibi*. Nota illa verba, *sapienter intellige* quæ melius, aptiusque de difficili aliqua quaestione, aut grypho, quàm de ferculorum obseruatione attenda accipi debere ipsa illorum vis suadet; *apposita*, Græc. *προσθησθαι*. i. proposita, quod verbum licet de apparandis, apponendisque belariis accipi queat, tamen propositionem etiam quæst. exempli, aut thes. cuiuslibet significare solet. Actorum 17. Apocalyp. 4. & passim alibi; Itaque sensus est, ad ea que

tibi ab aliis inter cœnandum obiecta fuerint, siue problemata sint, siue parabolæ percallenda, mentis nervos contende: *Et iniice manum tuam, sciens quod talia te oportet præparare*. i. bellariis ferculisque sobriè ac frugaliter sic fruere, illud sciens, opus tibi esse ut similes etiam parabolas, gryphosque ad percontandum expedias. Itaque illis verbis, *iniice manum tuam sciens*, &c. sobrietatem & temperantiam suadet Salomon. Nam perinde est ac si dicat, sic manum in fercula mittito, tanquam is, quem similes parabolas comparare oportet ad perurgenda eorum ingenia, qui tuum prius fortasse torserint; quod nisi sobrius fuerit potus, ac temperans victus, fieri nequaquam poterit. Ergo ut Salomonis in hoc loco mentem penitus exhauriam, existimo illum id homini præcipere, ut in lautissimis, splendidissimisque conuiuiis sic parè bibat, edatque, ut & obiecta sibi ænigmata diluere, & alia vicissim ipse retorquere possit; id enim summam quandam temperantiam exposcit. Potest etiam hæc translatio ad posteriorem interpretationem referri de militari conuiuij, hoc sensu, cum ad mensam Imperatoris accitus fueris, *Sapienter intellige quæ apposita sunt tibi*. i. proposita. Quasi dicat, serio meditare, quæ tibi ab Imperatore demandata & significata fuerint, & *iniice manum tuam, sciens quod talia te oportet præparare*. Hoc est, ad ea perficienda manum adice, quia ne fidei datæ reus sis, talia continuo exequi debes, qualia ibi promissisti, etiam si vitam mille discriminibus obiicias.

Caterum quamuis hæc expositio ante alias mihi probetur, tamen alias, atque alias, quas Patres in hunc locum coniecerunt, suspicio, magnique facio. Prima est Ambrosij, qui lib. 1. de Officiis cap. 31. sic habet. *Non dare cuiquam vix licet, non reddere verò non licet; ideo pulchrè Salomon ait, si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige ea, quæ apposita sunt tibi, & mitte manum tuam sciens, &c. Quem nos imitari cupientes sententiam scripsimus, Conferre gratiam bonum est, at qui referre nescit durissimus. Humanitatis exempla ipsa nobis terra suggerit, spontaneos fructus ministrat; quod enim seueris, multiplicatum quoque reddit, quod acceperit.* Hæret Ambrosio Cassianus collat. 2. cap. 1. qui putat, Salomonem his verbis, ad referendam gratiam in vniuersum adhortari. Optima sanè interpretatio. At inquires, si hæc expositio accommodata esset, non potentis, aut Principis mensam signatè adieciisset? nam gratiæ relatio priuatis etiam exhiberi debet. Non inficior, sed tamen nescio qua ratione beneficia à Principibus in nos profecta maiores gratitudinis significationes flagitant, tum quia beneficia ipsa digniora esse solent, tum etiam quia Principes in ingratos grauius indignari contulerunt. Sed cum audis, *talia te oportet præparare*, non Principem vicissim conuiuij excipiendum esse puta, sed talia, vel obseptam ab eo gratiam aliquo modo exæquent aut compensent.

Diuus Gregorius Magnus accommodatitè magis quàm literaliter supra locum istum sic lussit, expositionis in lib. Reg. l. 4. *Armum, inquit, manducare est quod exterius de forti actione præcipitur, per propositum in mente recondere. Quasi enim armum ante se ponere, & manducare electo cuiuslibet suadebat, qui dicebat, si sederis ad mensam potentis, sapienter attende quæ apposita sunt tibi, quia similia oportet te præparare.* (Sic ille extulit hunc locum, sequutus translationem Septuag.) *In mensa qui-*

pe potentis, virtutem armi designauit, & dum dixit, A
 Sapienter attende que apponuntur tibi, armum ante
 te eum, cui dixit, ponere decuit: sed manducare eum
 debere insinuauit, quia dixit: Similia oportet te prae-
 parare: similia enim prae parando manducamus,
 quia dum sortia qua audimus, proponimus agere,
 velut comedentes in ventre cordis reponimus cibos vi-
 ta. Hactenus ille, qui similia prae parare his quae
 accepit, hoc esse dicit, vt qui armum, verbi gratia,
 comedit, armum etiam, hoc est, robur in se exprimat,
 ita vt profectus animi his respondeat, quibus
 aliquis refectus est. Quod ad Eucharistiae sum-
 ptionem, de qua locum istum acceperunt Patres
 infra citandi, apte admodum accommodari potest
 hoc sensu. Talia te oportet prae parare, quia talia
 sumpisti: si. n. qui armum sumpsit, armi robur
 in se ipso exprimere debet, iuxta Gregorium, ergo
 qui totum Christum in Eucharistia percipit, to-
 tum identidem Christum in se ipso adumbrare, &
 moribus suis referre debet, vt scilicet cibus, ani-
 mi que profectus inter se congruant: sed de hoc
 postea.

15 Hæc autem Gregorij accommodatitia expo-
 sitio aliam mihi offert, quæ à littera non longè
 abit. Succedat igitur memoriæ id quod olim apud
 veteres vsuuenit in conuiujs, vt scilicet ipsimet
 cibi, quibus conuiua in mensis lautissimis hone-
 stabantur, myrtici essent, aliquidque portende-
 rent. Samuel vtique in conuiuio armum quidem
 destinauit Saül .i. Regum 9. vbi sic Samuel ad
 Saül. Ecce comede, quia de industria seruatum est
 tibi. Quid autem armus iste sibi vellet obuium

apud authores. Philo Iudæus in Ioseph, asserit ab
 isto Patriarcha pectusculum animantis honorarij
 loco donatum Benjamin, nimirum vt illum sibi
 in pectore & amoribus esse significaret: & sa-
 cerdotibus etiam ex victimis pectusculum cede-
 bat, Leuit. 7. At cuius rei symbolum esset hoc pec-
 tusculum vulgare est. Apud externos etiam hoc
 valdè solenne fuit: Athenæus libro 1. Sunt, in-
 quit, in conuiujs sui præstantissimis viris honores,
 Aiaci honoris causa longa terga bouum afferuntur,
 similiter & Regibus ysdem terga bouum, quæ ipsi du-
 dum apposuerunt, & rursus. Aiaccem igitur post certam-
 en cum Hectore susceptum bouum tergoribus Aga-
 memnon honorario scilicet præmio donat. Quin &
 Menelaus dum filiorum suorum nuptias celebrat,
 Telemacho bouum terga iussit apponi. Hæc autem
 dona, seu honoraria, Regibus, ac fortibus viris ac-
 commodabantur, non quidem ob delicias, (quid
 enim delicia in bubula?) sed ob roboris, ac vir-
 tutis significationem. De Vlyse etiam sic scribit
 Athenæus. Vlyses de tergo, quod appositum sibi fue-
 rat rescissam partem Demodoco dat. Nimirum, vt in-
 nueret illum ad ferendos labores socium sibi affu-
 turum. Ex hoc veteri more natæ quædam paræ-
 miæ: hæc scilicet. Cor ne edito. Linguam seorsim in-
 cidendam. Fabam & salem, & alia eius generis lege
 Paræmiasten. Ad Salomonem veniamus. Si
 sederis, inquit, cœnare ad mensam potentis, sapienter
 intellige qua apposita sunt tibi. Et scilicet, quæ tibi
 à Principe honorarij loco donantur, attentè ex-
 plora, & quid significant expende & adnota, nam
 talia te oportet prae parare, id est, ita deinceps te
 oportet agere, vt honorarij à Principe accepti si-
 gnificationem in te ipso exprimas: nam si armum
 aut terga, verbi causa, misit, onerum sustinendo-
 rum tibi legem indixit: si linguam conditam, eius-
 dem moderationem præscripsit; si pectusculum,
 amicitia pacta insinuauit, & sic de alijs. (Redeo
 ad Eucharistiam.) Si totum Christi Corpus in

philo Iud.

Athen.

hoc ineffabili Sacramento honorarij loco accipi-
 sti, totum Christum in te ipso adumbrare teneris.
 Hæc igitur verba de Eucharistia exponunt
 Chrysostomus, & August. Eorum verba libet hæc
 adscribere. Chrysostomus Homil. in Psalm. 116.
 sic scribit. De mensa illa inebriati sunt, de qua di-
 ctum est, Accedens ad mensam potentis considera
 ea, quæ apponuntur tibi, sciens quod talia te oporteat
 prae parare. Quid est, talia te oportet prae parare, nisi
 Corpus & Sanguinem quod accipis? Nam & illi
 Apostoli de ipso calice inebriati erant, de quibus di-
 cebatur, Hi ebrii sunt musto, cum esset hora diei 3. sed
 quam præclarus est iste calix? videre quanta est cla-
 ritas ex passionibus Apostolorum & Martyrum,
 &c. quibus verbis Corpus suum & Sanguinem in
 relationem gratiæ Domino prae parare nihil aliud
 esse dicit, quam vitam pro ipso profundere. Lu-
 culentiùs Diuus Augustinus tract. 84. in Ioan. Vt
 quemadmodum Christus pro nobis animam suam
 posuit, sic & nos debeamus pro fratribus animas po-
 nere. Nimirum hoc est quod legitur in prouerbis Sa-
 lomonis, si sederis cœnare ad mensam potentis, con-
 siderans intellige qua apponuntur tibi, & sic mitte
 manum tuam, sciens quod te talia oportet prae para-
 re. Nam qua mensa est potentis nisi vnde sumitur
 Corpus & Sanguis eius, qui animam suam posuit
 pro nobis? Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter
 accedere? Et quid est considerare & intelligere qua
 apponuntur tibi, nisi digne tantam gratiam cogitare?
 Et quid est sic mittere manum, vt scias quia talia,
 &c. nisi quod iam dixi, quia sicut pro nobis Christus
 animam suam posuit, sic & nos debemus animam
 pro fratribus ponere? Hoc beati martyres ardenti di-
 lectione fecerunt, quorum si non inaniter memoriam
 celebramus, atque in conuiuio, quo ipsi saturati sunt,
 ad mensam domini accedimus, vt quemadmodum
 ipsi & nos talia prae pararemus. Subditque Augusti-
 nus propterea in martyrum solemnitatibus inter
 Eucharistiæ mysteria eorundem martyrum com-
 memoracionem ab Ecclesia misceri, vt ipsi nobis
 à Deo eam fortitudinem exorent, qua ipsi talia
 accipientes, talia Domino prae pararunt. Idem
 etiam Augustinus tract. 47. in eundem Ioan. sic
 rursus scribit. Debitores nos fecit; qui primus se ex-
 hibuit, ideo quodam loco scriptum est. si sederis cœna-
 re ad mensam &c. mensa potentis qua sit nostis, vbi
 est Corpus & Sanguis Christi: qui accedit ad talem
 mensam prae parare talia; & quid est prae parare talia?
 Quomodo ipse pro nobis animam suam posuit, sic &
 nos debemus pro fratribus animas ponere.

16 Chrysost.

August.

Cum igitur Patres locum istum de vsu sacerri-
 mæ Synaxeos acceperint, & nostri etiam Eccle-
 siastes passim eundem in eo sensu vsurpent, libet
 quidem ex transcurso superiores expositiones ad
 hæc mysteria leuiter asciscere. Igitur iuxta pri-
 mam expositionem supra datam sic ait. Quando
 sederis vt comedas cum principe, diligenter attende
 qua apposita sunt ante faciem tuam. Illud impri-
 mis difficile, quomodo quis in Eucharistiæ vsu
 cum Principe comedere dicendus sit. Nam co-
 medere cum aliquo est quidem ita apud ipsum
 epulari, vt ipse etiam qui inuitauit ex eadem men-
 sa epuletur: certe is qui apud Christum ex altari
 Carne & Sanguine ipsius dignè vescitur, cum
 Christo comedit, Christo nimirum comedente
 ipse etiam comedit, nam Corpus, & Sanguinem
 Christi ipse deuorat & Christo vicissim se ipsum
 comedendum offert. Diuus Thomas in opusculo
 de Sacramento altar. c. 20. cum premisset quos-
 dam sic Christum manducare vt ipsi vicissim non
 manducentur à Christo, eos scilicet, qui indigne

D. Thom.

accipiunt, de dignis sic demum attextit. Tercio circa hunc modum consideranda est ratio remanducationis dignè manducantium, de qua remanducatione dicitur, quod tales manducant & manducantur: & huius ratio est, quia dum Corpus Domini dignè à fidelibus manducatur, non ipsum, ut aly cibi, in manducantem conuertitur, sed è conuerso illud verè manducans in illud spiritualiter mutatur. Nam manducantem te Dominus sui corporis membrum facit, &c. Quod triplici deinde similitudine confirmat, Et quidem ob eam causam, ut docuit Bernard. etiam cum ab vno tantum Synaxis sumitur conuiuui nomen fert, quia duo simul, homo scilicet ac Christus, se ipsis alterutrum vescuntur.

Cum sederis, inquit, ut comedas cum Principe, cibi exhibiti dignitatem, & magnitudinem attentius considera, & statue cultrum in gutture tuo, id est, potius gladium gutture tuo excipe, quam ut indignè ad illud sumendum accedas: nam gladius gutturi immersus corpori necem, at cibus iste sacer indignè perceptus animæ mortem præsentissimam affert. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, &c. Vel aliter iuxta secundam expositionem supra traditam. Statue cultrum in gutture tuo, id est, si ita indignè percepisti, puta gladium faucibus tuis adactum, id est, interisti, occubisti, aut etiam cogita gladium te deuorasse, præsentissimam mortem animo allaturum tuo. Quid certius? Potest etiam aliter de his, qui indignè communicant locus iste edisseri. Statue gladium in gutture tuo, id est, statutum puta; sic enim locum istum à plerisque exponi supra decreuimus. Igitur de indignè communicante sic Paulus 1. ad Corinth. II. Itaque quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini. At quid sibi vult reum Corporis, & Sanguinis Domini esse? Non equidem aliud, iuxta Ambrosium, nisi ipsummet Christum occidere, & neci rursus dare, cui plures alij interpretes adherent. Ergo iuxta hæc Salomon, cum indignè, inquit, Eucharistiam sumpseris, cogita gladium in gutture ac faucibus tuis te gerere, quo Christum ipsum illac permeantem traicis, ac configis. Rursus locus etiam fieri potest expositioni Cardinalis Caiet. supra adscriptæ, Statue culeros in gutture tuo (sic ipse legit), id est, non vnum, sed plures in gutture tuum gladios distinctos cogita, cum nimirum ad mysteria illa sumenda accesseris, ea vtique reuerentia accedere debes, quasi te vndique distincti gladij multi in fauces intenti circumstant. Præclara isthæc est rerum configuratio, & compositio ad reuerentiam, & timorem notandum, quem fideles ad sacram mensam afferre oportet. Et quidem ita contemplatus est Chrysostomus, qui Corpus Christi in Eucharistia existens magno Angelorum satellitio cinctum esse dicit, qui erga dignè sumentes administratorij Spiritus sunt, erga indignos verò vindices, & ultores, gladios in guttura ipsorum assidue vibrantes. Ad quem sensum licet vocare illa verba Psalmi 33. Immittere Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Gustate, & videte quam suavis est Dominus, quæ de Eucharistia passim accipi solent. Hebr. castra metabitur Angelus Domini, id est, castra sua disponet, & Angelorum magnam manum instruet, ut ex his, qui ad sumendum Corpus, & Sanguinem Christi venerint, defendant quidem dignos, & vlciscantur indignos. Ideò subdit. Tmeto Dominum omnes sancti eius, quia nihil deest timentibus eum, lege Augustinum

A in hunc locum.

Quid plura? iuxta quintam interpretationem, quæ locum istum exponit de oris, ac linguæ moderatione, sic licet commentari. Statue cultrum in gutture tuo, id est, tu quisquis es, cui licuit Christi compotorem esse, & Corporis Sanguinisque eius mysteria sumere, guttur tuum veluti adacto gladio obstrue, ne quid deinceps temerè dicas: dedecet enim ut ex ore illo, ac faucibus, quas Christi Corpus aluit, & sanguis perluit, iam inde improba verba effluant: si enim Iob. capite 27. aiebat, Finit Dominus, &c. quia donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendaciam. Quia nimirum, maximam Deo iniuriam irrogari putabat, ut os illud quod ex ipsius Dei beneficio aërem, spiritumque trahebat, aliquod mendacium etiam leuissimum contra illum profaret. Potiori ergo iure existimandum os illud, quod Corpus, & Sanguinem Christi traicit, ad similem labiorum & linguæ custodiam obstringi. Tanto certè maior est obligatio hinc nata, quanto Corpus & Sanguis Christi aëre isto dignior, ac sanctior: quanto etiam vita illa, quam nobis mysteria sacra propinant eam superat, quæ aëre isto, ac vento continetur.

Ad hæc sexta illa expositio, quæ ad temperantiam pertinet, hoc sensu (Statue gladium in gutture tuo, i. guttur immerfo gladio confige ne cibi aut potus modum excedat) potest etiam de Eucharistia vsu sic intelligi, ut quemadmodum ea lex cuique præscribitur, ut non plus cibi sumat, quam id quod calore suo decoquere, nec plus vini hauriat quam id quod integro capite percolare potest, (huius autem legis seueritas significatur illis verbis, Statue gladium in gutture tuo, i. fauces tuas gladio confode;) ita etiam de mysteriorum vsu fidelibus præscribendum est, ut non frequentius ex sacro illo pane victitent, quam deuotionis & charitatis ardor, & capitis, hoc est, mentis cognitione diuinorum instructæ vis patiantur, id verò ea seueritate demandatur, ut gladio, hoc est discretionem spirituali, gutturis auiditatem, si qua est, castigent, & coercant.

Rursus illa etiam septima interpretatio, quam cæteris prætulimus de sermonibus inter cœnandum serendis, eo sensu, Statue cultrum in gutture tuo, id est, linguam & verba tanquam gladium exacue, aptissimè ad sacratissima Eucharistia mysteria conuertitur, si dicamus Salomonem sacerdotem, ac presbyteros affari, quasi dicat. Tu quisquis es, ô sacerdos Dei conuiuia, considera attentè quæ apposta sunt tibi, scilicet consecrationis germanam materiam, panem videlicet ac vinum, & statim linguam distringe, verba exacue & elimina. Quorsum hæc? ut Christum inmoles: nam ut præclare obseruauit Theologia Scholastica decus Gabriel Vasquez, qui de Eucharistia incruento sacrificio omnium optimè speculatus est, verba consecrationis ad instar obtinent gladij, aut cultri, qui Sanguinem Christi à Corpore quodammodo dirimit, videlicet significatione sua: nam ex vi verborum (ut aiunt) Sanguis quidem sub speciebus vini, & Corpus sub speciebus panis veluti discreta significantur. Ad extremum vltimam illam Vulgatæ lectionis interpretationem quæ à militari conuiuio petita est, Eucharistia adaptare procliuè est, ita ut Salomon suadeat dignè illam sumentibus, ut sicut duces ab imperatore suo militari epulo excepti, ne fidelitati, quam Christo debent, aliquo modo desint, quibuslibet

18

3. Cor. II.

Psalm. 33.

19

20

21

periculis, ac discriminibus vitæ salutisque caput ac guttur offerant.

Denique de translatione LXX. quam Patres in specie de hoc mysteriorum usu acceperunt, quorum verba supra dedi, ultra ea quæ supra diximus, aliquid præterea subscribere libet. *Si sederis cauere ad mensam potentis, sapienter intellige quæ apposta sunt tibi.* i. sacra illa mysteria, & latentem sub his Christi Carnem & Sanguinem mente concipe, quasi dicat, ultra ea, quæ oculi obeunt, gustus percipit, manus tangit, & reliqui sensus experiantur, mente progredi opus est, id sibi vult illud *sapienter intellige*. i. de hoc cibo non sensus, sed mens tua decernat: subdit.

22

Iniice manum tuam sciens, quod talia te oporteat præparare. Quid est, *iniice manum tuam*? id est, illam in hæc epulas mitte. Manu quidem prius capiendus est cibus iste, ac deinde ore libandus. Docuit hoc exemplo suo Christus Dominus, qui *Accipiens panem in sanctis ac venerabiles manus suas, & manibus quidem in suum ipsius, ac discipulorum suorum ora transtulit.* Quod ad mysticam significationem sic traduxit Augustinus, Prius quidem in sanctas manus accipit panem, innuens manus, hoc est, opera emundanda & sanctificanda esse antequam facer ille cibus ore sumatur: ita vt in manibus, id est, in sanctis operibus per morum imitationem prius sit Christus, deinde verò è manibus ad os transeat. Vnde Augustinus in Psalm. 33. illius titulum de Christi præsentia in Sacramento exponens, & illa verba expendens, *quando immutauit vultum suum coram*

Reg. 21.

Achis, Historiam ex lib. 1. Regum cap. 21. libat, vbi sic habetur secundum translationem LXX.

Affectabat, & tympanizabat ad ostia ciuitatis, & ferebatur in manibus suis, & prociidebat ad ostia porte: & deinde inter alia huius Sacramenti mysteria id numerauit, quod Christus seipsum in manibus portauerit, sic enim ait.

August.

Quomodo ferebatur in manibus suis? quia cum commendaret ipsum Corpus suum, & sanguinem, accepit illa in manus suas: quod norunt fideles, & ipse se portabat quodammodo cum diceret, Hoc est corpus meum. in prima autem concione sic ait. *Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum ait, Hoc est Corpus meum.* Ferebat enim illud Corpus in manibus suis, ipsa est humilitas Domini nostri Iesu Christi, ipsa multum commendatur hominibus ad ipsam nos adhortatur fratres, vt viuamus, id est humilitatem eius imitemur. Nimirum, vt quemadmodum ille semetipsum in manibus suis, sic etiam nos in nostris per operum imitationem eundem geramus: hæc est enim Augustini sententia in eo loco. Ergo iuxta hæc Salomon, *iniice* (inquit) *manum tuam*, id est, sacras illas epulas, & sanctum calicem manu sume, & inde ad nos transfero.

23

Sciens quod talia te oportet præparare. Quænam isthæc talia, aut similia, quæ hominem præparare oportet? supra ex diuo Thoma diximus, hominem Sacramenta Corporis & Sanguinis Christi dignè percipientem, *manducare*, quidem, & vicissim, *remanducari* (hæc enim germana illius verba, quia scilicet ipse Christum manducans, à Christo ipse vicissim manditur.) Ergo ait Salomon, hanc tibi legem conuiuæ indictam putent, vt qui ab altero laudè exceptus, pari splendore apparatus conuiuium exhibens, gratiam reddat: Ergo quicumque ille est, cui Christus tam splendidam, lautamque sui Corporis & Sanguinis mensam instruxit, consideret, quod talia ipsum præparare oportet, vox illa

A *talia*, similitudinem, non æqualitatem sonat, vt constet eam in rem homini præcipuè entendendam esse, vti similem ad modum se condiat & temperet, quo Christus in Eucharistiæ Sacramento semetipsum temperauit, atque condiuit, quo eidem Christo gratum aut ipsius epulum præbeat. Augustinus ergo & Chrysol. quorum verba supra dedi, hanc similitudinem in eo ponunt, quod quæ admodum Christus pro fratribus vitam profudit, ita vicissim homo pro Christo, aut etiam pro fratribus emori velit, id quidem martyribus proprium est, de quibus Augustinus. *Hoc inquit, beati Martyres fecerunt, talia enim Domino exhibuerunt, quæ talia ipsi de Domini mensa perceperunt.* Sed tamen ad alios etiam, quibus pro Christo mortem appetere non datur, simili sensu hæc verba transferri possunt, non tantum ita vt de animi præparatione ad mortem Christo exantlandam accipiantur, nimirum vt talia præparare dicantur non reipsâ, sed animi præparatione, proposito, & conatu (vt accepisse videtur Augustinus loco citato.) Etenim animi præparatio: & propositum Martyrij, Martyrijque meritum habet, teste Chrysolomus Homilia in Psalm. 95. *Martyrium* (inquit) *fratres, non euentum tantum estimatur, sed anima etiam proposito, non cum martyr decollatur, tunc fit martyr, sed ex quo propositum ostendit proficendi, martyr est, etiam si non patitur quæ martyres solent.* Sed aliâ etiam valdè ad simili ratione. Christus enim ita se ipsum in hoc sacramento condiuit, vt in ipso sacrificium quoddam incuruentum absoluerit; nam vt supra dixi, verba ipsa consecrationis ex vi suæ significationis gladii in morem à corpore sanguinem fecerunt: hic enim sub speciebus vini, illud verò sub panis accidentibus ex vi (vt aiunt) verborum succedit. Ergo pari modo Christum imitatus qui huius mensæ particeps fuit, non cruentum, sed incuruentum quoddam martyrium in semetipso adumbrare debet.

August.

24

Chrysol.

II. VO. I.

Sunt autem huius generis non pauca martyria, ex quibus tria enumerat Bernardus in sententiis. *Martyrium sine sanguine triplex est, parcitas in uerbis, quam habuit David & Iob; largitas in paupertate, quam exercuit Tobias, & uindicta; castitas in iuuentute, quæ usus est Ioseph in Aegypto.* Adde etiam Chrysolomum, qui nobile martyrij genus patientiæ, ac tolerantia tribuit. Nam Homil. in Ps. 127. sic habet. *Fer ergo forti, ac generoso animo quæ accidunt, hoc enim est tibi martyrium; non enim eum qui sacrificari iubetur, non sacrificare, sed potius dilaniari & excarnificari, quàm hoc facere solum facit martyrem, sed etiam dum dolor impellit ad blasphemandum, toleranter ferre laborem, & nihil turpe, & inhonestum dicere, facit martyrem.* Rursus probitatis, & honestatis diurnam exercitationem martyrio non carere decernit idem Chrysol. Homil. in Psal. 95. *Excitatio* (inquit) *peccatis quoddam est sine sanguine martyrium, hoc est testimonium euidentis ac professum, & quomodo? Audi & considera. In omni tribunali, quid aliud martyri proponitur, quam vt abneget Deum? at dum aduersus hanc propositionem decernat manifestam arripit coronam martyrii. Super hos verò sanctos qui sine sanguine passi sunt, est utique pro iudice ac tribunali ipsa conscientia, in quo iustitiam tueri, & à Deo nunquam deficere martyres facit.* Hæc ille, cuius extrema verba de industria perstrinxi. Adde etiam Augustinum, qui aliud martyrij incuruenti genus agnouit. Nam Serm. 46. de sanctis sic scribit. *Non martyrium sola effusio sanguinis consummat, nec sola dat palmam exustio illa flammarum: peruenitur*

24 Bernard.

Chrysol.

August.

non solum occasu, sed etiam contempu carnis ad coronam, Absque iniuria sanctorum in persecutionibus defunctorum dicere liceat, carnem afflixisse, libidinem superasse, auaritia restitisse, de mundo triumphasse, pars magna martyri est. Et de Tempore ser. 250. sic rursus scribit. Nemo dicat, fratres charissimi, quod temporibus nostris martyrum certamina esse non possunt; habet enim & pax nostra martyres suos, nam sicut frequenter suggestimus, iracundiam mitigare, libidinem fugere, iustitiam custodire, auaritiam contemnere, superbiam humiliare, pars magna martyri est. Hinc est ut huius martyrii incruenti occasiones obuia valde sint, lege Chrysof. Hom. 3. in priorem ad Thessalon. ab illis verbis. *Præsens quoque tempus habet coronas, & ex pluribus hæc accipe de morborum tolerantia. In morbum incidisti, & multi ad sunt qui cogunt, alij quidem incantationibus, alij amuletis, alij vero quibusdam alijs superstitionibus sedare malum. Tu vero propter Dei metum forti animo tulisti, & maluisti quiduis pati, quam sustinere, ut aliquid ageres impium. Hoc tibi affert coronam martyrii nec dubita. Quomodo, aut quæ ratione? Sicut ille fert dolores tormentorum, ita tu quoque fers dolores morbi: at sunt illi vehementiores, sed isti longiores, sapere autem sunt etiam vehementiores. Quid enim cum febris ardens, nempe Causon te intus vexat, & urit, & aliorum suadentium exentis incantationem, an non es redimitus coronam martyrii? Hactenus ille, ubi plura etiam subinfert alia martyriorum genera. Legendus ibi, nec non etiam in 2. ad Corinth. Homil. 50. ab illis verbis, *Martyrii tempus nunc non adest? imò nunquam illud abest, &c.* Cum igitur tot, tamque obuia incruenti martyrii genera sint, quibus se homo in dies macerare & immolare potest, haud difficile erit ei, qui in magnifico Christi conuiuio incruenti sacrificii particeps factus est, talia ipsi præparare, se nimirum ipsum Christo sine sanguine vicissim immolatum libare.*

Et quidem ad hunc sensum allici potest Vulgata lectio, *statue cultrum in gutture tuo* .i. ubi sacris illis mysteriis partus fueris, statim gladium gutturi tuo infige, te ipsum aliquam ratione macerata, & sacrificata, ut vicem compotatori tuo reddas: vel, ut alij restitunt, *statue cultros in gutture tuo*. Quasi dicat, cum non vnum martyrii genus sit, sed plura, & diuersa, hoc Christo domino compotatori tuo te debere existima, ut si fieri possit omnia experire, atque aded non vnum, sed plures in iugulum tuum cultros exacuas. Denique quia supra modum describens, quo Christus in hoc diuinissimo Sacramento immolatur, dixi verba consecrationis ad instar gladii obtinere, qui sanguinem (in quo animam contineri putamus) corpusque significationis sue vi ab inuicem dirimit, accipe aliud huic valde ad simile sacrificij genus, quo licet Christo Domino talia præparare. Audi Paulum. *Viuus est, (inquit) sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem anime & spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Ergo qui hunc Dei sermonem in se ipso excipit, & omnia, quæ ille aut præcipit, aut suadet, exequi contendit, incruentum Christi sacrificium in se perfectissime adumbrat, nam illi sermo iste viuus & efficax pro gladio est, qui ad viscera vsque penetrans animam à corpore separat, nimirum carnalia ab spiritualibus secernit, hominem scilicet à carnalibus reuocat, & ad spiritualia traducit, quod incruentæ cuiusdam hostiæ præcipuum genus est.

Sunt etiam alia, quæ homini imitari licet circa modum, quo se ipsum Christus in Eucharistiâ præparauit, ac condidit. Nam primò in Eucharistiâ se ipsum Christus vini, ac panis speciebus contexit. Huc transtulit Diuus Thomas in opusculo de Sacramento Altar. c. 8. illa verba Isaia. *Verè tu Deus abscondiscus*, ubi alia lectio habet, *verè tu Deus absconsonum*, quia non vnâ rem tantum in Eucharistiâ abscondit (ait Diuus Thomas) sed plures, scilicet personam, opus, & modum. Celauit quippe personam, quam ab humanis aspectibus eripit, opus etiam texit, quia Christi ad lynaxim adductio nullo exteriori argumento innotescit, ac demum modum occultauit, quo in ipso Sacramento post adductionem existit. Quid inde? subinfert Thomas. *in his discimus, in nobis quoque tria virtuosè abscondi, nostram personam, opera nostra bona, & bonorum operum intentionem.* Ergo sic se homo condidat, ut Deo pergratum sui ipsius epulum præbeat. Heu quantum ab hoc temperamento abhorrent, qui vanâ inducti gloriâ sapius communio, quique ad communionem frequentissimos hominum conuentus captant, & commentitiam quandam animi deuotionem externis gestibus ubique simulant.

Secundò, obseruandus est modus, quo Christus sub vini ac panis accidentibus transit, scilicet per conuersionem; nam substantia panis, ac vini, in Christi Domini Corpus, & Sanguinem, seruat tantummodò accidentibus, migrat, aded ut licet vinum, panisque ad speciem appareat; non tamen panis, aut vinum, sed Corpus ac Sanguis Christi sit. Ergo qui semetipsum sic temperare studet ut Christo suauem sui cœnam instruat, conuersionem hanc æmulari debet. Idem Diuus Thomas in eodem opus. cap. 32. modum præscribit his verbis. *Cum irrationalis creatura, scilicet panis, per verbum Dei conuertatur in Corpus Christi, quanta erit peccatoris duritia, vel iusti frigiditas, qui multis verbis, ac Spiritus sancti operationibus ad conuersionem non perducitur, ad conuersionem, inquam, ex peccatore in iustum, aut ex iusto fortasse in iustiorum. At, inquit, duas istas conuersiones ab illa panis, & vini, in Corpus, & Sanguinem Christi conuersione plurimum abhorre; occurrit Hilarius, qui vtramque conuersionem aded consimilem existimauit, ut ex peccatoris conuersione ad sacramentalem transubstantiationem innuendam exemplum ducere haud dubitauerit. Ex Hilario autem verba transcripsit, & in quandam ad conuersum Epistolam coniecit Eugenius Pontifex, quæ sic habent. *Vt id quidem non tibi nouum, non impossibile esse debeat, quod in Christi substantiam terrena substantia conuertatur, te ipsum interroga, qui præteritâ vilitate depositâ subito nouam indutus es bonitatem, in exteriori nihil additum, & totum est in interiori mutatum.* Quid illustrius? sic ergo respondenda Christo tanti conuiuij gratia, ut homo conuersionem illam in seipso exprimat, qua Christus in eo Sacramento vsus est, aded ut quemadmodum post conuersionem Eucharistiæ, & si ad speciem panis appareat, non iam panis, sed Christi Corpus existit: ita etiam homo quilibet post conuersionem, & mutationem morum, & si ad externam etiam speciem homo esse, & humanam vitam agere videatur, tamen penitus Christus sit, & Christi vitam degat, ita ut possit illa Pauli verba vsurpare Galat. 2. *Viuo ego, iam non ego, sed uiuit in me Christus.* Quasi dicat, uiuo quidem ego ad speciem, sed tamen penitus non ego ipse in me, sed Christus agit ac uiuit; Atque hoc sibi volunt*

Chrysof.

25

Heb. 4.

D. Thom.

26

Hilarius.

illa verba Christi apud Ioan. cap. 6. *Et qui manducauit me, & ipse uiuit propter me.*

27
Hugo.

Denique ad hunc sensum vocari potest translatio Vulgata iuxta interpretationem Hugonis qui sic ait. *statue cultrum in gutture tuo, ut iuguletur scilicet uetus homo in te, ac nouus, hoc est Christus, uiuat.* Quod per confessionem peccatorum, quam ante communionem præmittere oportet, fieri docet Hugo, huic enim conuersio peccatoris tribui debet. Neque uero existimandum est hanc hominis conuersionem in Christum, quam fideles sacra libantes æmulari debent, internam profus esse, atque in animo dumtaxat perfici, nam corpori etiam propria quædam conuersio respondet, per quam dignè communicantium corpora in Corpus Christi migrare, & in vnâ carnem misceri dicuntur; de quâ corporali unitate Chrysostomus, Cyrillus, Nyssenus, & alij Patres multa contulerunt, atque aded hinc supersedendum duxi. Bene Ergo Salomon, *statue, inquit, cultrum in gutture tuo, ut scilicet tuum ipsius corpus hoc vulnere cadat.* & Christi deinceps Corpus induas, sicque præceptum illud ad amissim expleas, *sciens quod talia te oportet preparare.* Nam quemadmodum in conuersione Sacramentali substantia panis interit, & loco illius Christi Domini Corpus subit: ita etiam in hac tua corporali conuersione corpus tuum demortuum (ut ita dicam) ætterna, ac pro illo Christi Corpus felici admodum vicissitudine subrogari.

28

Tertio, animaduertere licet eâ ratione semetipsum Christum in hoc Sacramento temperasse, ut totus in tota hostia sit, & totus in qualibet illius parte; id sibi uult Prosa cum ait. *Fracto demum Sacramento ne uacilles, sed memento tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.* Et rursus. *A sumente non confectus, non confractus, non diuisus, integer accipitur.* Itaque non ided Christus Dominus se ipsum in hoc Sacramento occulit, ut hominem aliqua sui parte fraudaret, quin imò ea se ratione contexit, ut non posset non totus, integerque ab homine deuorari. Hoc igitur beneficio obstrictus Bonauentura sic addit. *Dominus indiuisum, & integrum Corpus suum obculit mihi, male ergo diuidor, & uel minima mei parte illam defraudo.* Ergo quicumque uolet Christo compatori suo huius gratiæ vicem reddere, & talia illi preparare, qualia ab ipso accipit, sic seipsum etiam temperare debet, ut nihil illum in partes dissecet, aut in frustra diuidat, nihil, inquam, uetet quominus indiuisum & integrum sese Christo restituat, ne uidelicet in illum quadrare possint illa Pauli uerba 1. ad Corinth. 7. *Qui cum uxore est, sollicitus est qua sunt mundi, quo modo placeat uxori, & diuisus est.* Sed dices fortasse ob eam rationem ab istius mensæ nimia frequentia esse arcendos coniugatos, quia hi integri, & indiuisi esse non possunt, aut certe docendum esse, qua tandem arte hoc fiat ut coniugati Christi indiuisiorem imitentur. Audiendus est Gregorius Nazianzenus, qui postquam matris suæ Nonnæ mirabile erga Eucharistiam studium, & obsequium exposuit his uerbis. *Hoc illi quoque ad laudem magnum sit, quod uenerande mensæ nunquam terga obuertit, neque in diuinum panimentum expuerit, &c.* Postquam etiam dixit illam frequentius cælesti pane uti solitam, sic statim addit. *Rem enim suam domesticam industria sua ita auxit, quasi pietatem colere nesciret, Deo autem, ac diuinis rebus ita se addixit, tanquam a rerum domesticarum procuratore plurimum abesset, nec ab alterutro horum impedita est, quominus alte-*

Bonauent.

1. Cor. 7.

rum impletet tota in domesticis, & tota in diuinis. Ecce quomodo Nonna tota in toto, & tota in qualibet officij sui parte erat, atque aded nihil ipsius animum partiri, aut in frustra secare poterat. Et quidem ided tota in diuinis fuisse dicitur etiam si magnam curæ partem in domesticis poneret, quia domestica etiam propter Deum administrabat, cui se pergratum facere credebat, si eam officij sui partem sedulo expleret, ac rursus in domesticis tota erat, etiamsi præcipuam suæ sollicitudinis partem diuinis impenderet; quia tunc etiam quando agebat cum Deo, de suæ domus ac familiæ gubernatione cum eodem conferebat, & ad illam bene gerendam gratiam, & auxilia exorabat. Cum igitur tanta esset in Nonnæ animo integritas, & indiuisio, hinc sanè fiebat, ut quotidie sacro illo conuiuio dignè admodum perfrui posset, ut potè quæ talia Christo Domino præparabat, qualia ab ipso quotidie acciperet. Nam quemadmodum illa totum in toto, & totum in qualibet panis particula existentem Christum sumebat, sic vicissim se ipsam totam in toto, & totam in qualibet officij sui parte existentem Christo offerebat. Hæc (ni fallor) eximia est animi præparatio, quam hi, quorum arbitrio panis cælestis distributio credita est, in primis obseruare debent in his, quibus frequentioris usus copiam indulgent, an scilicet curæ, ac sollicitudines rerum externarum eorum animum distrahant, an potius inter omnes rerum externarum curas animus integer, & indiuisus persistat, nam Christus qui se homini totum, & insectum exhibet, totum etiam, & indiuisum hominem exposcit.

Sed tamen, ut modos omnes percurramus, quibus Christus in hoc Sacramento seipsum temperauit, quarto loco obseruat Diuus Thomas Christum Dominum prout est in Eucharistia, nullius externi agentis uim, aut iniuriam sentire posse. Vnde Cyprianus in ferm. de Cæna Domini, *Distributus* (inquit) *nō dimembratur, incorporatur, non iniuriatur, cum infirmis habitans non infirmatur, nec pauperum ministerio indignatur, &c.* Arduum sanè ac difficile est hoc Christi temperamentum æmulari, sed tamen gratiæ acceptæ relatio id exposcit, *Sciens quod talia te oportet preparare.* Diuus Thomas in eo opusculo impassibilitatis æmulandæ modum tradit his uerbis. *Christus in Eucharistia à nullo externo agente pari potest, non ab igne, non ab aqua, non a gladio, &c. tu ergo cum non possis esse impassibilis, esto saltem cum quadam impassibilitate, patiens i. sic patere, ut quodammodo impassibilis esse uideare.* Sed quænam est hæc laborum, & iniuriarum patientia impassibilitatis æmula? non alia quidem nisi illa, quæ sanctos viros inter laborum, & ærumnarum molestias alacres, ac latos reddit. Hinc Cyprianus in præfato sermone in hoc Sacramento afferens, ob quam Christum in hoc Sacramento suæ passionis memoriam in dies reficit, sic addit, *Ut semper passio sit in memoria, nec terreant crucifixi heredes mortis supplicia: inebriati enim non habentes sensum huius mundi cruci hæremus, sanguinem sugimus, & intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam.* Proinde illa uerba, non habentes sensum huius mundi cruci hæremus, insensibilem hanc laborum tolerantiam innuere uidentur, de qua nobis sermo est: Quasi dicat, his pasti Sacramentis perinde crucem, hoc est, labores, & dolores lato animo amplectimur, ac si prorsus insensibiles, & impassibiles essemus.

Quinto, denique circa modum, quo Christus Dominus semetipsum hominibus in hoc Sacramento

29

D. Thom.

Cyprian.

30

mento conduiuit, obseruandum est, id, quod docet A
 Sanctus Thomas 3. parte quaest. 26. art. 6. Chri-
 stum, prout in hoc Sacramento per diffinitiuam
 praesentiam adest, nullum externorum sensuum
 usum habere, quia nec oculi, prout ibi sunt, videt,
 nec aures audiunt, nec nares odorem captant, nec
 reliqui sensus sua munera exercent. Consideret
 ergo ille, qui Christo gratiam hanc repedere optat,
 quod tibi illum oportet preparare, atque adeo sen-
 sus omnes suos ita seruare, & obstruere, vt, si fieri
 potest, nec oculi aspiciant, nec aures inaudiunt, nec
 sensus reliqui proprias operationes exequantur.
 Et quidem si huius diuissimi Sacramenti formam,
 & naturam attentius consideres, facile agnosces
 illum ad omnes sensus fallendos esse inuentum; B
 nam oculi verbi causa, panis colorem adspiciunt,
 gustus panis saporem percipit, nares odorem etiam
 panis captant, manus item panem tangere sibi vi-
 dentur, sed tamen omnes illos deludi fides suadet,
 quae non panem, sed Christi Corpus sub specie-
 bus panis subesse affirmat. Quorsum haec nimirum
 vt constet hoc Sacramentum ad coercendos, cas-
 tigosque sensus fuisse excogitatum, atque
 adeo his quibus illo perfui licet, nihil antiquius
 esse debere, quam vt sensus suos propriis obie-
 ctis assidue fraudent, eosque seuerè admodum ob-
 seruent. Hinc sanctus Doctor in praedicto opus-
 culo expendit daemones astum, qui cum Euam in
 peccati consensum impellere vellet, sensus illius
 exacuit, ita enim habet textus sacer, *Vidit ergo
 mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, &
 pulchrum oculis, & aspectui delectabile, & tulit de
 fructu illius, & comedit.* Contra vero Christus
 Dominus cum homines ad Eucharistiam inuitat,
 non acuit, sed hebetat, atque obtundit omnes sen-
 sus, illosque fallit ac deludit, vt doceat inordina-
 tum eorum usum mortem homini adducere, at-
 que eorundem seria castigatione vitam, & salu-
 tem contineri.

Interim etiam in hoc Sacramento omnem ser-
 uandorum sensuum rationem tradidisse videtur
 Christus Dominus, partim quidem in suis, partim
 in nostris; nam in suis, quos in hoc Sacramento
 sic coereuit, vt propriis muneribus nequaquam
 fungerentur, docet etiam nostros similem admo-
 dum coercendos, & suis etiam functionibus de-
 fraudandos esse; in nostris autem, quos, externis
 panis ac vini accidentibus fefellit, docet pari quo-
 que ratione a nobis fallendos, & eludendos esse,
 ita nimirum, vt quemadmodum tunc cum oculi
 panem adspiciunt, fides illos erroris insinuat, &
 cum gustus panis saporem percipit, illum etiam
 aberrare fides decernit, & non panem, sed aliquid
 aliud esse renunciat, & sic de aliis: eandem etiam
 nos cohibendorum sensuum rationem ineamus,
 sic scilicet vt cum oculi, verbi causa, formae pul-
 chritudinem intuentur, animisque amorem inspi-
 rant, accedat utique mens, & ratio, atque eorum
 errorem coarguat, docens, eam non esse veram, sed
 apparentem elegantiam, & delitescentem sub ex-
 terna illa specie deformitatem detegat. Rursus
 cum gustus delicatus epulas, & ciborum cupedias
 impense appetit, succedat etiam ratio, illumque
 erroris appellet, suadens ex delicatis cibis non ve-
 ram, sed leuem falsamque oculis in dolorem, &
 angorem commutandam voluptatem captari, &
 idem de reliquis sensibus iudicium esto.

III. *Ne desideres de cibis eius, in quo est pa-
 nis mendacij.*

NE desideres, &c. Lis est inter expositores non
 leuis, quam in superiori versu transegi, an
 versus iste initium capiat ab illis verbis, *Si tamen
 habes in potestate animam tuam.* Et quidem inibi
 dixi eorum sententiam praefendam esse, qui haec
 verba cum superiori oratione connectunt, quia
 ita suadet. Originalis textus eo modo quo nunc
 disunctus est. Caterum quia Septuaginta inter-
 pretes in oppositam sententiam pendunt, mihi
 etiam probabilis videtur, atque adeo vtrunque
 textus conformandi rationem explanare decreui,
 Ergo Septuaginta sic habent. *Si autem insatiabilis
 es, noli concupiscere escas eius, haec enim obtinent vi-
 tam falsam.* Alij codices habent, *haec enim adha-
 rent vitæ mendacij.* Aquil. & Theodot. *ipse enim est
 panis mendaciorum.* Chald. *ne desideres obsonia, quae
 sunt cibaria mendacij, &c.*

Rursus alia succedit lis, an versus iste cum su-
 periori consuendus sit, ita vt sententiam illius co-
 pleat an nouam aliam ab illa omnino discretam
 cohibeat. Communis ferè interpretum consensus
 verba iste ad superiorem versum euocat. Non
 tamen desunt qui secernant, atque adeo iuxta
 vtramque acceptionem locum explanabo.

Ergo qui verum istum inchoant ab illis ver-
 bis, *Si tamen habes in potestate animam tuam, ne de-
 sideres cibos eius, &c.* cumque cum superiori con-
 suendum putant, non vnum ex illo sensum eli-
 ciunt, si enim in superiori Salomon ad tempe-
 rantiam adhortatur, sic aiunt. Quicumque regalis
 mensae particeps sit, in qua ferè delicatissima
 epulae apponuntur, seuera quadam temperantia
 opus habet, ne ciborum suauitate illectus modum
 excedat. Haec sententia peruenit vsque ad illa
 verba, *statue cibus in gusture tu,* deinde addit,
*Si tamen habes in potestate animam tuam, ne de-
 sideres, &c.* i. In gulam, & concupiscentiam tuam
 potestatem habes, atque illas per temperantiam
 cohibere vales, ne concupiscas Principis lautas
 epulas, *in quo est panis mendacij.* Isidorus Clarius
 panem mendacij appellari dicit: delicatiores om-
 nes cibos, qui plerumque tenuissimi sunt, atque
 adeo edentem non alunt; nam sicut verus cibus
 aptè dicitur, qui edentem nutrit ac roborat, ita
 etiam cibus mendax rectè appellantur cupediae,
 & leuissima quaeque cibaria, quae vescentem pra-
 sua tenuitate non reficiunt. Caietanus, & Iansenius
 panem mendacij, aut mendacem dictum pu-
 tat illum cibum, qui cum valde delicatus sit, ac
 varius, facile admodum eum qui istiusmodi men-
 sis accumbit, deludit; & ad intemperantiam per-
 tiahit: ita enim ferè accidit in magnificis, ac
 splendidis conuiuiis, vt propter ciborum lautiti-
 am, & varietatem, intemperantia temperatissi-
 mis ac modestissimis etiam hominibus subrepat.
 Rodolphus lautissimos cibos à Principe exhibi-
 tos panem mendacij dictos existimat, non solum
 quia hominem fallendo ad intemperantiam ad-
 ducunt, sed etiam quia postquam illum intempe-
 rantiae, & ebrietati tradiderunt illis fallentibus ar-
 cana, & secreta omnia reuelat, ac seipsum non
 nunquam aduersariis prodit. Quid enim falla-
 cius excogitari potest? Ad extremum Caietanus
 panem mendacij dictum existimat cibum ad fal-
 lendum comparatum, nam saepius Principes eos

quos perdere volunt, falsa illa gratia honestare solent. Succedat memoriæ Amanus ille, Esther 5. qui accersitus ad regias epulas, inde ad patibulum translatus est. Itaque panis mendax dicitur conuiuium à Principe priuato exhibitum, quia cum gratiæ, & fauoris indicatio sit, sæpe admodum per significationem istam conuiuiam fallit, & in exitium illius instruitur. Quid delicatius mensa Regia? quid atrocius tormento? & tamen Horatius dicit Reges hac mensa pro tormento uti solitos ad extorquenda suorum sensa, & amicitiam explorandam. verba supra dedi.

34

Secundò, iuxta eandem loci constructionem, si priora illa verba, *quando federis, ut comedas cum Principe, &c.* non ad solam temperantiam suadendam scripta sint, sed eò spectent ut doceant, Principum gratiæ, quam tunc maximè produnt, cum aliquem mensæ suæ participem asciunt, haud fidentium, quinimò prudenti homini cogitandum esse, ex quo ad eam gratiam ascitus est, omnium gladios in iugulum illius conuersos, ut supra exposuimus: procliuus admodum sententia & ad hunc modum, *si tamen habes in potestate animam tuam*, i. si ambitioni, & immoderatae honorum appetentiæ imperare vales. Vel aliter, anima pro vita sit, quasi dicat; Si tuæ vitæ Dominus esse vis, neque illam tam manifestis discriminibus exponere, *ne desideres cibos eius, in quo est panis mendacij*, i. ne honoris, & gloriæ auidus mensam illius impensè concupiscas, nam lautissimæ illius epulæ mendaces sunt, fallaces, insidiosæ, quia nimirum fallaciis ac insidiis inuidorum, atque improborum hominum exponuntur.

35

Tertiò, secundum eandem verborum conformationem, si superior versus de ea temperantia, & sobrietate intelligatur, quæ ad percontanda, aut diluenda obiecta inter cœnandum problematica necessaria est, quam interpretationem supra reliquis anteposui; locus iste sic cum illo conferendus est. *Si tamen habes in potestate animam tuam*, id est, si quidem, ut opus est, ad eiusmodi problematica disceptanda tui ipsius compos esse vis, neque per ebrietatem ad insaniam compelli, *ne desideres cibos eius in quo est panis mendacij*, id est, ne velis apud illum cibos sumere, qui panem mendacem tibi apponit, id est, epulas temulentiam adducentes. Quod quidem ita accipiendum est: Postquam dixit, in mensis Principum summa temperantia esse vtendum, ut quis problematica inter epulas aliis obicere, & obiecta sibi diluere integrâ mente possit; addit, ei, qui sibi temperare velit, ita ut inter epulas aptos sermones miscere possit, abhorrendum omnino à lautissimis Principum mensis; hæc enim ad Philosophandum idonea non sunt, quia in illis exhibetur panis mendacij, id est, cibi, & epulæ delicatiores, quæ suauitate, & varietate sua gulam stimulant, & ad intemperantiam veluti fallendo alliciunt, atque adeò ad grauiores disputationes mentem hebetant: vel si hæc non placuerit interpretatio, illa expositio, quam supra reliquis anteponendam diximus, facta tectaque sit.

36

Quartò, dico mihi imprimis arridere eorum mentem, qui prima illa verba, *Si tamen habes in potestate animam tuam*, superiori versus adscribentes, sequentem inde auspiciantur, *Ne desideres cibos eius*, &c. non modò versus nouum, sed nouam etiam, & cum superiori minimè coherentem sententiam comminiscuntur ad hunc modum, *Ne desideres cibos eius*, &c. Carpit Salomon nimirum diuitiarum iniuste partatum appetentiam,

A id est, ne concupiscas, aut aspices ad nimiram illam diuitiarum, & deliciarum affluentiam, qua gaudet ille, *in quo est panis mendacij*. Supra cap. 20. ver. 23. per panem mendacii diuitias iniuste partas accipiendas esse euicimus ex communi interpretum consensione, ad illa verba, *suavis est homini panis mendacij, & postea implebitur os eius calculo*. Cum igitur eadem sint verba eundem sensum hîc reddere debent. Itaque ait, ne desideres opulentiam, & lautam mensam eius cuius fortunæ ex iniuste quæritis excreuerunt. i. noli ex his ditescere, & affluere, nam eiusmodi opes fallaces sunt, & mendaces, atque adeò possidentem ocyus deserunt, & ad alios migrant. Congruit autem secundum hanc expositionem versus iste cum duobus sequentibus, *noli laborare ut dixeris*, &c. & infra. *Ne erigas oculos tuos ad opes*, &c. Quapropter mihi hæc interpretatio ante alias probatur.

37

Succedat translatio Septuaginta, quæ sic habet. *Si autem insatiabilis es, noli concupiscere escas eius; hæc enim obtinent vitam falsam*. Pro illis verbis, *si tamen habes in potestate animam tuam*, vel iuxta Origines, *si Dominus, aut coniux es anima tua*, Septuaginta restitunt, *si insatiabilis es*. Rationem alteram supra dedi versu 2. nunc rursus alia occurrit. Supra ca. 1. versu 17. pro illis verbis, *ante oculos pennasorum*, habes, *ante oculos omnis domini ala*, id est, alati, ac magna pernicitate volantis, & cap. 3. *Noli prohibere benefacere eum qui potest*. Hebræa, *Dominum Domi*, id est, liberalem, & beneficium, & id genus alia passim legere licet in scriptura; Ergo hoc sensu etiam acceperunt Septuaginta, *Dominum anima*, id est, insatiabilem; anima enim desiderium, & appetentiam sæpè sapius significat in scriptura. Psalm. 26. *Ne tradas me in animas tribulantium me*, id est, ne me desiderij eorum committas, ut pro arbitrio suo in me decernant, & cap. 40. *In animam inimicorum eius*. Eodem sensu Psalm. 63. *sicut in te anima mea*, id est, animi mei appetentia, & passum alibi. Itaque quemadmodum Dominus domi liberalem, & Dominus ala, volandi celeritate præstantem sonar; ita etiam, *Dominus anima*, aut desiderij, imperisè desiderantem, atque adeò insatiabilem adsignificare potest. Hinc nata translatio Septuaginta. Sensus autem eius translationis est,

Si autem insatiabilis es, noli concupiscere escas eius, id est, quantumuis insatiabilis sis, ita ut vix tibi temperare possis, noli tamen epulas, & conuiuium Principum affectare. *Hæc enim obtinent vitam falsam*, id est, vitam fallere solent, & cum illis sapius mors deuoratur. Dicitur fortasse propter veneni suspicionem: Nam mensas Principum veneno adspargere, & inficere non insolitum est; imò potius quia in eorum epulis semper veneni aliqua suspicio suberat, ideo explorari prius, & prægustari semper sunt solitæ; proptereaque in mensis Principum olim *αεγύου*, i. prægustatores adhiberi consueuerunt;

Psalm. 26.

Psalm. 63.

E lege Fuluium de Triclinio Romano. Et quidem ad hunc sensum trahi potest lectio Vulgata. *In quo est panis mendacij*, ita ut, mendacij panem eas escas appellet Salomon, quæ dissimulato veneno delicias mentiuntur, quemadmodum olim *cœna dubia*, dicebatur illa, quæ suspitione veneni non omnino carebat. Eundem sensum reddit illa alia translatio, *Hæc enim adhærent vita falsa*, i. Regum epulæ semper insidiosæ sunt, ipsique vitæ imposturâ facere aptæ natæque. Rursus potest *vita* accipi pro victu, & alimento, quod ad vitam ser-

uandam sumitur, effectus videlicet pro sua causa; A iuxta quam acceptione translatio Septuag. superiores omnes interpretationes capit. Pergo ad alia.

IV. *Noli laborare ut dixeris, sed prudentia tua pone modum.*

Noli laborare, &c. Hebr. *Ne labores ad ditescendum, & ab intelligentia tua cessa.* Sic habet Caietanus, & Vatablus etiam sic restituit. *Et ab hac prudentia tua cessa.* Chald. *Ne accedas ad diuitem, sed intelligentia tua recede ab eo.* Septuag. *Ne extendas te, cum sis pauper, ad diuitem, tua autem consideratione abstine.* Complut. & Reg. *Ne contendas, cum sis pauper, cum diuite.* Aquil. *noli laborare ut ditescas ab intelligentia tua.* Theod. verò addit, *ab intelligentia tua cessa.*

Loci istius scopus satis perspicuus est; mens enim Salomonis non alia quam ab immoderato parandarum opum studio hominem dehortari. Sed tamen sensus aliter, atque aliter conformari potest; imprimis enim Originalis lectio aliam, atque aliam sententiam reddit. *Ne labores ad ditescendum, & ab intelligentia vel prudentia tua cessa.* id est, ne nimio studio, & conatu in opes cumulandas incumbas, & licet maxima industria polleas ad easdem parandas, cessa tamen, & industriam hanc prohibe paucis contentus, eò enim laudabilior tua frugalitas erit, quò facilius per tuam industriam ad amplissimas diuitias peruenire posses. Hunc sensum etiam reddit translatio Vulgata, *Et prudentia tua pone modum,* id est, industriam illam, qua præditus es ad augendas diuitias, inhiibe, & coërce. Nam eum, qui industria caret, ad opes parandas non eniti vix laude dignum fuerit: at illum, qui industria, atque prudentia sua plurimum potest, ad diuitias augendas non conari, omnem laudem exuperat; similis enim est illi, qui diuitias ex despicientia reliquit; nam non habere diuitias cum possis, relinquere est. Aliter etiam translationem illam interpretatur Caietanus, *Ne scilicet ad diuitias augendas immoderato studio incumbas, & ab intelligentia tua cessa,* id est, non modo laborem ad illas parandas adhibere non debes, sed ne mentem quidem ad easdem cogitandas, vel exoptandas; id sibi vult illud, *ab intelligentia tua cessa,* id est, non modo non adlabora, sed ne cogita quidem; labor enim molestus est, cogitatio verò desiderium acuit, hoc verò grauissimam paupertatem reddit. Huc etiam accedit translatio Vulgata non inuita, *sed prudentia tua pone modum,* id est, non laborem tantum prohibe, sed etiam prudentiam, hoc est consilium, cogitationem, & solertiam mentis in his haud distineri permittas, nam si stultum est hominem ad diuitias querendas manus admouere, longè stolidius erit mentem adiuere.

Sed licet translatio Vulgata præscriptas duas expositiones recipere possit, alia tamen magis germana occurrit ad hunc modum. *Noli laborare ut dixeris,* id est, necessariis contentus, noli ulterius ad cumulandas, amplificandasque diuitias laborem impendere, *sed prudentia tunc pone modum,* id est, industriæ tuæ terminum hunc præscribe, videlicet, necessariæ ad victum rei acquisitionem. Nam cum sapiens Salomon in hoc libro auditorem ad conquirendas labore, atque industria sua opes exacuat, nunc quidem huic labori, atque industriæ metas præfigit: illud autem, *pone modum,* aptissime dictum est, significat enim fines, ac terminos istiusmodi industriæ esse mode-

ratas, & sufficientes copias, non affluentis nimis, & infanas fortunas.

Sed ut alias percurramus translationes, Aquilæ lectio peculiarem sententiam reddit. *Noli, inquit, laborare ut ditescas ab intelligentia tua,* id est, per solam intelligentiam, ut quidam volunt. Quasi dicat, noli quidem immoderato studio eniti, ut diuitias, & fortunas tuas exaggeres, nam quamuis eas in immensum augeas, non equidem re ipsa, sed sola tua consideratione, aut estimatione apud te ipsum diues eris, non solum quia externæ fortunæ fallaces sunt, sed quia cum ipsis pariter augetur desiderium, atque adeò censu crescente paupertas etiam excrescit. Alij rursus in præmissam lectionem hanc explicationem contulerunt. *Noli laborare ut dixeris ab intelligentia tua, ab* scilicet, pro sine, id est, intelligentia, sine industria, quod duplicem sensum reddere potest. Aut enim suadet, ne quis contendat, aut speret sine industria sua per solam fortunam, aut sortem diuitem se euasurum, (hoc enim perrarum est;) vel præcipit ne quis industriæ suæ parcens, aliena diripiat, ut ex iniuste partis diues fiat. Hæc autem extrema interpretatio optimè cohæret cū sequenti versu, sed cum abhorreat à Vulgata lectione, non admodum curanda est. Potest tamen iuxta illam aliter etiam translatio nostra versari ad hunc modum. *Noli laborare ut dixeris.* Noli scilicet hoc in vniuersum affectare, ut per fas, aut nefas fortunas tuas adaugeas, *sed prudentia tua pone modum,* illa vox, *prudentia,* non quidem in dandi, sed in gignendi casu accipienda est, quasi dicat, ditescendi studio, & conatui pone modum. i. c. censi ac facultatibus tuis; fines aut terminos præscribe prudentiæ seu industriæ tuæ, id est, ad eas tantummodò copias adspira, quas tuâ prudentiâ, & solertiâ parare possis. Hanc expositionem commendat ipsius cum sequenti versu cohærentia, atque adeò illam reliquis libenter præfero.

Septuaginta verò sic habent. *Ne extendas te, cum sis pauper, ad diuitem, sed consideratione tua abstine.* i. si pauper es, ac per tenuem censum numeras, ne velis te ipsum erigere, & diuiti æquale præbere. Potest autem de pauperis fastu, aut etiam de sumptibus accipi. Si enim de fastu intelligatur, sensus erit, Si pauper es, spiritus comprime, neque diuiti supporem frustra te exhibere velis; *sed consideratione tua abstine,* atque illi, necessitate ductus, cede, & primas deserto, Deus enim pauperem superbum odio habet. In Græcis est, *παρρησιῶν*, ex verbo *παρρησιῶμαι*, quod, Budæo teste, est; *cum alio simul extendi,* & alterius magnitudinem assequi, atque adeò sensus est; Ne te supra conditionem tuam extendens, aut producens, ad diuitis magnitudinem peruenire velis, nam ex nimia contentione fatisces. Si autem de sumptibus sermo sit, sensus quidem sic conformari debet, *ne extendas te, cum sis pauper, ad diuitem,* id est, quando quidem pauper es, atque adeo tenuissimas opes reditusque recensentes, noli tantundem expendere, quantum alius aliquis opulentissimus vir, quinimò, *consideratione tua abstine,* pro. *consideratione,* in Græcis est, *εὐνοία*, quæ aliquando in rationum subductionibus locum habet, quasi dicat, bona ac bonorum tuorum reditus supputa, & infanis sumptibus parcens tantundem expende, quantum fortunarum fors patitur.

Et quidem *παρρησιῶμαι*, hîc emphasis habet, Est enim ad verbum, *ne coextendas te, cū sis pauper,* nam quemadmodum si quis perbreuem homi-

nem contentis neruis alteri vastæ magnitudinis viro exæquare velit, eum acerbissime cruciari, aut discerpi necesse est, cuius nerui, & membra laxantur: non aliter etiam de illo cogitandum, qui cum pauper sit, ad ditissimi cuiuspiam hominis conditionem, ac sumptus adspirat. Diuitias enim cum neruis contulit Marcus Tullius, cuius verba alibi dedi. Quapropter quemadmodum in ea membrorum contentione, & extensione neruos deficere, & distrahi necesse est, ita etiam per immoderatos sumptus viri inopis non amplam sortem perire, & exhauriri oportet. Sed audi miselli istius pauperis cruciatus, qui diuitibus exæquare contendit. Chrysostomus in homilia illa, Quod nemo læditur nisi à se ipso, sic scribit, *Pauperes dum cupiunt diuitibus exæquare insana- bilem rabiem patiuntur, insaniunt, furunt, nam idem morbus diuersos singulū generat languores.* Ad hanc etiam expositionem allicienda est Chald. paraphrasis, quæ sic habet. *Ne accedas ad diuitem, sed intelligentia tua recede ab eo,* ne scilicet ad diuitis magnitudinem, & gloriam accedere, i. attingere, aut peruenire velis, sed cognita conditione, ac facultate tua, *recede ab eo,* i. infra illum te ipsum cohibe, ac contine. Denique eadem etiam sententia est Complutensis, ac Regiæ lectionis, *ne contendas pauper existens cum diuite,* i. ne te cum ipso componas, aut vter maior futurus sit decertes, ne inquam per contentionem ad ipsius magnitudinem assurgere velis, &c.

V. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi Aquile, & volabunt in calum.*

43 **N**E erigas, &c. Hebræa. *Ne volare facias oculos tuos in illud, & non ipsum, quia faciendo facies sibi alas sicut Aquila, & volabit in calum.* Sic locus iste ad verbum efferendus est. Pagninus. *Nunquid illustrabis oculos tuos ut diuitias accipias, & non erunt?* Vatablus. *Nunquid intendes oculos tuos in quod mox non erit, &c.* Chaldæus. *Si alligaueris oculos tuos in eum, non comparebit tibi* (videlicet in diuitem, de quo in superiori versu dixerat, *ne accedas ad diuitem, &c.*) ac subdit. *Quoniam faciens sibi faciet alas sicut Aquila, quæ volat in calum.* Cum Chaldæo concinunt Septuaginta, *Si intenderis oculos in eum, nusquam apparebit, parata sunt enim ale tanquam Aquila, & reuertis in domum presidis sui.* Aquil. Symmachus, & Theodorus, *& volauit in calum.*

44 Antequam huius loci sententiam discutiam, prius definire oportet de quibusnam opibus hîc sermo sit, *ad opes*, inquit, *quas habere non potes.* & quidem Primitiua, vt iam præmissi, ad verbum sic restituenda sunt, *in illud, & non ipsum.* Ergo Caietanus, & Vatablus diuitiarum inconstantiam in vniuersum notari existimant, ita vt sensus sit; *in illud & non ipsum,* id est, in diuitias quæ modò sunt, & mox elabuntur. Et quidem huic expositioni aptari potest lectio Vulgata, hoc modo, *ad opes, quas habere non potes,* id est, quas diuitius contineri, ac possidere non licet: ea enim habere propriè dicimur, quæ sub nostra potestate cum permanentia quadam sunt, quæ autem ocyus fugiunt, non ita. Iansenius, & Rodolphus ea verba, *in illud, & non ipsum,* de diuitiarum fuga ita accipiunt, vt signifi-

A ficient non à possessore migrare, sed ne in potestatem quidem eius venire, atque adeò nostram lectionem sic edisserunt, *ad opes, quas habere non potes,* id est, quas assequi aut capessere non est integrum. Denique alij, mea quidem sententia, longè meliùs de opibus iniuste partis interpretantur, de his enim, quæ iure obtineri non valent, aptè dicimus haberi non posse: Quapropter per verba, *in illud, & non ipsum,* iuxta hanc acceptionem sic edisserenda sunt, ac si dicat, in rem, & non rem, seu in opes, & non opes, ea enim quæ per iniuriam parta sunt, etsi haberi, & possideri videantur, verius tamen non habentur aut possidentur, quia aliena sunt, & ad alios pertinent.

B Itaque tres horum verborum acceptiones sunt, aut enim significant diuitiarum inconstantiam, quæ apud neminem diuitius permanent, aut fugacem earundem naturam, ob quam difficilè assequi se sinunt, aut denique opes denotant iniuste partas; iuxta quas acceptiones aliæ atque aliæ istius loci interpretationes occurrunt.

C Prima quidem ad diuitiarum inconstantiam pertinet hoc modo, *ne erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes,* in Primitiuis est, קוּרְחָה ex radice, *Thaghaph*, quæ significat, volare, & illustrare: hinc nata lectionū diuersitas supra adscripta. Emphasim habet translatio illa vulgò trita, *Ne volare facias oculos tuos, &c.* oculi hîc concupiscentiam, & immoderatam appetitionem sonant, cui aptissimè volatus tribuitur; est enim concupiscentiæ motus, impetusque ad opes velocissimus. Ergo Caietanus sic ait; *Ne oculos,* hoc est, concupiscentiam tuam ea contentione, ac velocitate post diuitias moueas, qua aues ad prædam volant, post diuitias, inquam, illas, quæ modo habentur, & mox abeunt; nam cum eas obtinueris, *Assument sibi pennas quasi Aquila, & volabunt in calum.* Hæc verba per comparisonem sic edisserit Caietanus. Sicut enim Aquila calipeta cum se infernè deposuit obtutibus nostris patet, mox verò ubi in altum reuolat, oculorum aciem fugit, adeò vt dicere possis videri ipsam, & non ipsam, quia necdum perspicuè apparuit, cum statim euanescit. Sic etiam de opum instabilitate, & temeritate decernendum est, ipsas quidem esse, & non esse, quia cum apud aliquem sunt, nequaquam diu permanent, sed ocyus diffugiunt, & ab oculis se subripiunt. Accipe verba Chrysostomi in Ge-

D nesim Homil. i. ad illa verba Amos 6. *Tanquam stantia arbitrati sunt, & non tanquam fugientia, quæ sic expendit. Et hæc quidem quasi stantia arbitrati sunt, & remanentia, & non quasi fugientia, & auolantia, & ne ad momentum quidem apparentia. Talia enim sunt omnia humana, & carnalia, nondum rectè aduenerunt, & auolarunt: tale quiddam est vniuersa huius vitæ prosperitas, nihil firmum habens, nihil subsistens, nihil fixum, &c.* Et Hom. in illud, *Assitit Regina à dextris tuis. Cur* (inquit) *diuitias tot captas obsequijs, quæ hodie penes te sunt, euolaturæ crastino ad alium? cur tantoperè demereri studeas diuitias, quæ detineri non possunt?* De sublimi Aquilarum volatu frustra hîc multa; legendus Albertus, aut etiam Conradus in Aquila, ex quibus Albertus asserit, eam sæpiùs adeò sublimem ferri, vt non hominum modò, sed aliarum etiam auium altè volantium aciem fugiat.

45 Addit verò illam propterea tam cellsum volatum attollere, vt, & prædam vndique circumspiciat, & ab aliarum auium sibi aduersarum emulatione tuta sit, nullique in prædam

cedere possit ; propterea enim omnium Regina dicitur, quia nulli acquiescit ; & nullam sibi superuolare permittit. Rursus ergo ad trutinam redeat illa lectio Primitiua, *Ne volare facias oculos tuos*, id est, concupiscentiam tuam ad opes inconstantes, & instabiles. *Hæc enim facient sibi alas quasi Aquila, & volabunt in cælum*, atque adeo quantumuis oculi sublimes volent, nunquam certè superuolabunt, aut etiam attingent, sed infra illas erunt ; nam Aquila aues reliquas volatus celsitudine longè superat. Quantumuis etiam oculi audaces ad deprædandum sint, ex illis quidem diuitiis altius euolantibus prædam sibi facere non poterunt, quia Aquila etiam nullis alitibus in prædam cedunt.

47 Rodolph. & Ian. de summa difficultate parandarum opum, & de ipsarum fugaci natura exponunt locum istum, similitudinem autem conformant ad hunc modum. *Ne erigas (vel volare facias) oculos tuos ad opes, quas habere non potes*. i. quas assequi nequaquam poteris, quia *facient sibi penas Aquila*, &c. q. d. Quemadmodum fieri non potest vt Aquilam altissimè volantem oculi post illam emissi assequantur, ac deprehensam ad terram detrahant, (hæc enim sua velocitate in altissimas aëris regiones subuecta ipsorum etiam oculorum aciem fugit.) Ita etiam impossibile est, vt quis solo habendi desiderio (id enim per oculos notatur) nisi industriam etiam & laborem adiecerit, diuitias sua natura fugaces capeat. Itaque iuxta hanc expositionem suadet Salomon habendi concupiscentiam cohibere, & industriam acere, illamque cum hac metiri & componere, ita, vt tantundem quis diuitiarum exoptet, quantum industria sua nancisci potest: nam sola concupiscentia industriæ expers opes attingere non potest: quemadmodum nec oculi Aquilam fugientem assequi. Concinit autem hæc interpretatio cum extrema expositione superioris sententiæ, *sed prudentia tua pone modum*. i. terminos industriæ & sollicitudinis tuæ tibi ipsi præfige, ita vt non plura exoptes quàm solertia tua consequi potes. Pende autem emphasim huius sententiæ, Aquila reliquarum auium facilè princeps, & regina est, atque adeo ad opes significandas translata non quascumque modicas; aut angustas fortunas, sed amplas, & ingentes notat. Ergo Salomon ait, cum oculos, hoc est desideria animi tui, ad opes capefendas miseris, nequaquam illos ad ingentes, insanasque fortunas captandas conice: hæc enim tanquam Aquilæ sublimes volant: atque adeo illas nulla hominum industria consequi potest: sed ad modicas potiùs, & sufficientes opes oculos, & animum adice, has enim qualiscumque solertia facilè deprehendit.

48 Huc spectat illa translatio. *Ne volare facias oculos tuos ad opes, quas habere non potes*: scilicet ingentes & per magnas, quas nulla industria assequi licet. Interim autem suadet, vt ad eas, quas quis habere, & consequi potest vota emittat sua. Et quidem confert hic etiam Salomon oculos cum alite aliqua rapaci, & ad prædam edocta, dum ait. *Ne volare facias*. Rursus etiam monet, vt aucupis prudentis solertiam imitemur, qui non vnâ ad omnes, sed diuersas aues ad diuersas prædas soluit, videlicet accipitrem ad columbas, falconem ad perdices, hircalcum ad grandiores ac fortiores aues: vires nimirum vnus cuiusque obseruat, hisque prædam admetitur, & accommodat ad Aquilam verò nullam auem prudens auceps emittit, quia nouit illam cæteras vncungues ac rapaces

A volucres robore suo facilè superare; atque adeo ipsam nulli, reliquas verò ipsi in prædam cedere solitas. Non aliter prudens homo oculos suos a vota & desideria tanquam aues ad aucupium edoctas, ad eas fortunarum prædas agendas adicere debet, quæ viribus suis, hoc est industriæ & solertiæ æquales sint: si enim Aquilam, hoc est, amplissimas fortunas & industriam illius superantes captare molitur: fiet vtique è conuerso, vt ipsarum illa præda sit. Videmus plures qui cum ad diuitias industriæ suæ impares conarentur, earum etiam, quas prius solertia sua parauerunt, iacturam fecerunt, quia minores copiarum maioribus in prædam concesserant.

B Rursus iuxta hanc diuitiarum secundam acceptionem licet aliter sensum & comparisonem construere. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas habere non potes*. Diuitum ingenium satis omnibus perspectum est: quò plura obtinent, eò plura votis suis prosequuntur, atque adeo nunquam ad eas copias peruenire possunt, quas in votis habent: nam vnus sortis acquisitio, desiderium, & concupiscentiam denuò inflammat. Ergo Salomon vt hanc diuitum insatiabilem appetentiam coerceret, sic ait. *Ne erigas, seu, ne volare facias oculos tuos ad opes, quas habere non potes*. i. ne desiderium habendi, tanquam auem, solutis vinculis emittas: ea enim est huius desiderij natura, vt nullos sibi fines statuatur, sed quibusdam partis, semper ad maiora adspiret, atque adeo maiorem sibi assiduo paupertatem, & indigentiam cumulet. Quapropter diuitiæ & copiæ cum hoc habendi desiderio collatæ similes sunt Aquilæ cælipetæ, quæ, vt supra ex Alberto Magno adscripsi, tam sublimem volatum attollit, vt volucres alias sibi superuolare nunquam permittat: semper superior, nunquam inferior. Id sibi vult illud, *facient sibi alas quasi Aquila, & volabunt in cælum*: quia quantumuis illud habendi desiderium altissimum volatum attollere contendat, vt diuitias sibi subiiciat: semper quidem illæ, Aquilæ in more, sublimius volant, & desideria omnia infra se relinquunt, ita vt nunquam illarum auiditatem exsaturent, sed potiùs habendi famem accendant.

D Obseruat autem Rodolphus, & eius indiuiduus comes Ianfenius, illa verba, & *volabunt in cælum*, posse vtique ad diuitias, & ad Aquilas referri. Si ergo, inquit, ad diuitias spectent, *volare in cælum*, perinde erit atque ad Deum ipsum sese recipere, vt ipse eas pro libito hominibus distribuat: quasi dicat, Diuitiis illis, quas semel Deus homini impendit, nequaquam fidendum est: fallaces enim sunt, & sæpe è manibus nostris elapsæ ad ipsius Dei manus reuolant, vt illas Deus ex animi sententia aliis, & aliis rursus erogat. Vel aliter, diuitias Deus pro sua in homines beneficentia & liberalitate distribuit: atque adeo si quis industria sua fretus ad illas contendat, fugaci sua natura in cælum euolant, vt sciamus illas à Deo impetrandas, & exorandas esse. Cæterum illa verba, & *volabunt in cælum*, ad Aquilas spectare mihi exploratum est: cælum enim ibi superiores aëris plagas notat: in eo autem comparisonis energia posita est, quod Aquila volatum in supremas aëris plagas inferat, ad quas reliquæ volucres pennatarum remigiis leuari non possunt, vt ex dictis constat.

E Sed licet præmissæ interpretationes mihi accommodatæ satis visæ sint, tamen (ni fallor) alia est germana Salomonis sententia. Quapropter per eas diuitias, quas homo habere non potest, opes

intelligo iniuste partas, quæ præ cæteris infidae sunt, & fugaces, quas habere, inquam, non potes, hoc est licitè obtinere: his enim perquam familiare est Salomoni alas tribuere in hoc libro. Succedant memoria ea quæ supra diximus cap. 1. vers. 17. ad illa verba, frustra iacitur rete ante oculos pennatorum, & cap. 12. vers. 27. ad illa, Non inueniet fraudulentus lucrum suum. Hebr. Non aduret auctupium suum. Vtrobique etiam iniustus lucris alas dat, ut è possidentium manibus ocyus elabatur. Huius igitur loci sententia haud dissimilis est. Ne erigas oculos tuos ad pes, quas habere non potes, id est, ne scilicet copias contra ius quæstas concupiscere velis: nam cum eas iam tenueris, Facient sibi pennas quasi Aquilæ, & volabunt in cælum. Accommodatissima similitudo est ad significandam nimiam celeritatem, qua istiusmodi fortunæ contra fas congestæ dilabuntur: cum autem dicit, & volabunt in cælum, recuperandi signat difficultatem, quasi dicat: nulla industria iterum reuocari poterunt. Aiunt Aquilas nullis popismis cieriari, & ad mansuetudinem traduci, atque ad se semel euolantes nunquam iterum in manus sese referunt. Ita etiam diuitiæ contra fas quæsitæ, nunquam ciores fiunt, ut apud iniustos possessores diutius permaneant, semel autem abeuntes iterum recipi non possunt.

52
Plin. Expendamus illud, Facient sibi pennas quasi Aquilæ. Hoc certè Aquilinis pennis proprium est, autore Plinio lib. 10. cap. 3. quod aliarum auium pennis immixtæ, eas quidem exterunt ac deuorant: lege Aldobrandum, & Conradum in Aquila. Ergo his Aquilinis pennis bona iniuste quæsitæ, mea quidem sententia, persimilia sunt: nam quemadmodum pennæ istæ illarum voluerunt plumas corruimpunt: ita etiam facultates illæ malè partæ non solum ipsæ malè pereunt, sed etiam alia bona iuste acquisita exhauriunt, & consumunt. Audi Chrysostomum hoc ipsum exemplo fermenti suadentem Homil. 15. in 1. ad Corinth. Auaritia, inquit, est fermentum vetus, & ubicunque ceciderit, & in quamcunque domum fuerit ingressa, si vel pauca lucreris ex iniustitia, hæc totas fermentant, & corruimpunt facultates. Auaritia enim nihil est magis putridum, etiam si cella penuria imposueris clauem, si ostium, si ueltem, frustra facis omnia: respote qui auaritiam ipsam pessimum latronem incluseris, qui potest omnia exportare. Ita que mens Chrysostomi est, exiguam quandam sortem furto aut iniuria ablatam, amplissimis fortunis immixtam, ad eas omnes inficiendas, & corruimpendas satis esse: iuxta illud, Modicum fermentum totam massam corruimpit. Ita etiam ego dixerim, sicut vna Aquilæ pluma multas aliarum auium pennas exedit, ac deuorat (Albertus apud Conradum. Vn, inquit, penna Aquilæ coniuncta multis pennis aueris, consumit eas: id quod expertus sum in pennis alarum, & forte similiter sese habet in cæteris.) ita etiam paucissimæ pecuniæ iniuria quæsitæ magnam earundem vim iniuste partam extenuare, & consumere confueuerunt. Potest etiam ad hanc sententiam Aquilæ in sublimia volantis similitudo alluci: nam Aquila, teste eodem Magno Alberto, tunc altius volatum attollit cum capta iam præda ad superiores plagas remeat. Tunc enim (inquit) cum prædam vnguibus tenet, ultra nubes progredi solet, ut iucundius illa fruatur, & ab aliorum volucrum infestatione tutus sit. Ergo cum ait Salomon, Facient sibi pennas quasi Aquilæ, & volabunt in cælum, ne putes illas omni præda vacuas discedere, sed prædæ loco

Chrysof.

1. Cor. 5.

Conrad.

Albert.

A etiam ipsas bene partas fortunas secum auferre, & ad sublimia transmittere, omni spe recuperandi destitutos relinquentes possessores suos.

53
Sed Chaldaicam paraphrasim libere tradamus. Si alligaueris oculos tuos in eum (hoc est in diuitem) non comparebit tibi, quoniam faciens sibi faciet sibi alas sicut Aquila, qua volat in cælum. Sensus est perspicuus: suadet Salomon spem aut fiduciam ditionibus ac potentioribus nequaquam reponendam esse. Itaque ait, Si alligaueris oculos tuos in eum. Oculi hîc spem adsignificant, quemadmodum sæpe alibi in scriptura. Psalm. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam, &c. & rursus, Leuasti oculos meos in montes, unde ueniet auxilium mihi, & alibi, Sicut oculi ancille in manibus dominae suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, & passim aliàs. Ait ergo Salomon, si ad angustias redactus in ditissimo ac potentissimo homine spem, ac fiduciam tuam locaueris, tunc cum maximè illius opera & auxilio indigeris, non comparebit tibi. i. longissimè aberit à te, Quoniam faciens sibi faciet alas sicut Aquila, qua volat in cælum. Quemadmodum aquila in sublimes aëris plagas euecta omnia infra se habet, ac despicit, & ob nimiam celsitudinem & distantiam, aciem intuentium fugit. Ita etiam diues ille ac superbus Princeps elatione animi ac fastu excelsa petens, reliquos omnes præ se contemnit, & tanto interuallo sese ab humilibus demissisque hominibus separat, ut ne oculi quidem ad ipsum acumine suo peruenire possint. Videtur. 2. Chald. locum istum cum superioribus contexuisse, in quibus docet Salomon quot quantisque discriminibus obnoxia sit Principum gratia.

Eodem sensu donanda est translatio lxx. si intenderis, inquit, oculos in eum, nusquam apparebit, paratæ enim sunt ei alæ, & reuertitur in domum præsidis sui. De ditiori, ac potentiori sermo est, & quidem verba priora à Paraphrasæ non abeunt: posteriora autem quæ tantisper dissidere videntur, sic edisserenda sunt: & reuertitur in domum præsidis sui. Quali dicat, si forte diues iste ac potens aliquando ad infimum, & humilem hominem sese deposuit, ut illi opem & auxilium ferret, nequaquam illi fidere oportet, quia habet paratas expeditasque alas, per quas, Aquilæ in morem, ad superiora reuolat, & miserum quemque infra se longissimè relinquit: id sibi vult illud, reuertitur in domum præsidis sui. i. in domum ubi ipse præsidet atque imperat: præsidis, inquam. i. præfidentia. lxx.

55
Vel certè vtriusque translationis altius est sensus, qui mihi accommodatior videtur. Præmittere autem oportet velocem vitæ cursum ad mortem per celerem Aquilæ volatum in scripturis notari. Iob. 9. Dies mei, &c. & infra. Pertransierunt sicut naues poma portantes, & sicut Aquila volans ad escam. Cui ad simile est illud Sap. 5. Transierunt omnia illa, &c. & infra, Tanquam avis, que transuolat in aëre, cuius non est vestigium inuenire itineris illius: & in hoc li. infra c. 30. v. 18. Tria sunt difficilia mihi, &c. viam Aquilæ in celo: lege ibi multa in hanc sententiam. Ergo sententia istius loci sic habet. Ne diuiti, aut principi homini nimirum adhaerescas, spem tuam in illum iaciens, si n. intenderis oculos in eum, ut ab illo pendeas, nusquam apparebit. i. morte sublatus ocyus disperebit, paratæ enim sunt ei alæ, sicut Aquila, & reuertitur in domum præsidis sui. nomine præsidis Deum intelligit, qui Principibus imperat vniuersis: q. d. ad mortem contendens, ut Deo dominatori omnium sistatur, suique apud illum relationem reddat, Aquilæ velocissimæ vola-

Psalm.

54

Iob. 9.

Sap. 5.

Prou. 30.

tum præcelerem imitabitur. Itaque propterea fi- A
duciam in Principibus nequaquam collocandam
esse dicit, quia sapius illis præcoci morte sublatis
spes omnis frustra fit. Appositè autem dicit illum
Aquilæ in morem ad mortem euolantem spes
hominum eludere: nam Aquilæ volatus, vt auctor
est Theophil. apud Conrad. cum se deposuit, bre-
uissimo admodum temporis intervallo in tellure
consistit, sed ocyus ad superiora transuolat: ita
etiam Principum in hoc mundo vita, ac mora
perbreuis est, citiusque, aquilarum ad instar, in
mortem reuolant, iuxta illud, *Omnis potentatus vi-
ta breuis*. Eccl. 10. atque adeo fiducia etiam in
illis reposita ocyus cum ipsis interit. Habet etiam
emphasim iuxta hunc sensum Paraphrasis Chal. B
Ne alligaueris oculos tuos in eum (per oculos spem
intellige) *quoniam faciens sibi faciet pennas vt A-
quila*, &c. Quasi dicat, si enim tuam illi adalliga-
ueris spem & fiduciam, illo abeunte & auolante
cum ipso pariter auolabit, & abibit: nam leues
istiusmodi spes facile admodum post se mouebit.

Eccl. 10

VI. *Ne comedas cum homine inuido, & ne
desideres cibos eius: quoniam in similitudi-
nem arioli, & coniectoris æstimat quod
ignorat.*

VII. *Comede & bibe, dicit tibi: & mens
eius non est tecum.*

NE comedas cum homine inuido, &c. Hebr. ad
verbum sic habent. *Ne comedas panem mali
oculi: & ne concupiscas cibos sapidos eius, quoniam
sicut æstimat in anima sua, sic hoc*. Pagnin. addit.
*sic hoc erit: vt prorsus concinere videatur cum
Vulgato interprete. Caiet. verò sic extulit. Quia
sicut amaritudo in anima eius, sic ipse*. Vatabl. *Nam
intra in animo suo metitur, idque faciens dicit tibi,*
&c. Chald. *quoniam sicut porta erigitur, sic eleuatur
in anima sua*. lxx. *Ne exnes cum viro inuido, neque
concupiscas illius escas, quemadmodum enim si quis
deglutiat pilum, sic comedit & bibit*. Symmach. *si-
cut coniectans in animo suo, sic comedit, & bibit*. Hæc
translationum diuersitatem peperit vox *שגח* *Sag-
har*, quæ significat *coniectari & æstimare*. Rursus
eadem vox accepta in thoar, per solam vnus pun-
cti mutationem, significat *mensuram & portam*.
Volunt autem Hebræi eo nomine significari mē-
suram maximam, ex qua reliquæ minores æstima-
rentur, & in quam cæteræ ingrederentur, quem-
admodum apud nos, *el arroba, ala fanega*: hæc n.
reliquas minores mensuras: illa verò reliqua mi-
nora pondera includit: & eodem etiam modo eo
nomine maximam & amplissimam ædium por-
tam notari volunt. Translatio autem lxx. aliunde
fluxit nam eadem vox *שגח* *Saghar*, cum puncto in
dextro cornu, *pilum*, aut *capillum*, sonat. Addo
etiam nonnullos, prioris illius vocis *Saghar*, cum
puncto in sinistro latere, vim expendentis, existi-
masse germanam illius significationem esse *spe-
ctrum* aliquod *visu horrendum* apparere, atque
adeo locum istum sic conuertunt. *Quoniam sicut
spectrum apparuit: vnde verò hauserit illam trans-
lationem Caietanus, Quia sicut amaritudo in ani-
mo tuo, sic & ipse*, non satis assequor.

Vt huius loci germanum sensum aucupari li-
ceat, constituere initio oportet quid per inuidum,
aut mali oculi virum propriè significatur. Plures
sunt, qui existimant inuidum capiendum hîc vt
sonat, pro illo, qui de felicitate & fortuna alterius

dolet, atque hîc virum mali oculi appellari ducta
similitudine ab his, qui ex oculis suis virus iaculā-
tur & pueros formosos fascino: his enim inuidos
ad similes esse alibi docuimus. Sicut enim turpia
seu deformia spectantes innocui sunt, at cum for-
mosa & pulcra intuentur, virus ex oculis spirant:
Ita etiam inuidi, cum fortè aliorum infelicitatem
& infortunia viderint, nihil damni afferunt: at
cum in fortuna & felicitate alicuius oculos defi-
xerunt, nihil his virulentius, & lathalius est.

Reliqui autem (in his Iansenius, Caietan. & 58
Rodolphus) per virum mali oculi, parcum, & illi-
beralem hominem notari volunt: quemadmodum
& contra in superiori cap. ver. 9. vbi Primitiua ha-
bent, *Vir boni oculi benedicetur*, &c. nolter quidem
restituit, *Qui pronus est ad misericordiam benedicetur*,
&c. ita per *virum mali oculi*, immisericordem,
auarum, & sordidum accipiendum existimant hi
authores. Ego malim in hoc loco, *mali oculi virum*
appellari, qui de rebus malè iudicat, is scilicet qui
ea, quæ audit aut videt, in malam partem vertit,
vulgò, *que echa las cosas à mala parte*, hoc enim
sentu habes in Euangelio. Matth. 20. *An oculus
tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Vbi oculum
nequam appellat pater familias eum, qui ea, quæ
ipse iuste gesserat, in malum rapere & iniuria tri-
buere ausus fuerat.

Ergo iuxta præscriptas oculi mali, aut etiam in- 59
uidi, acceptiones (puto enim inuidum, in hoc lo-
co, non minus latè patere quàm malum oculum,
atque omnes supradictas significationes fortiri)
alias & alias interpretationes excogitare licet.
Præmittam alienas translationes, vt in Vulgat am-
lectionem tandem incidam. Caietanus vtique per
virum mali oculi, parcum accipit, eamque, quam
ipse ex originibus deprompsit, translatiōem sic
exponit, *Ne comedas panem mali oculi*. Non de
mensa tantum, sed in vniuersum de commercio,
& familiaritate intelligendus hîc Salomon, ait
Caietanus, quasi dicat; Ne cum viro parco in eas
conuictum; aut vsum, *Quia sicut amaritudo in
anima eius: sic ipse, i. sicut amaritudo occultatur in
ipsius animo, ita etiam ipse occultat se tibi*. Verba
sunt Caietani, quorum sensum assequi non ad-
modum facile: nisi fortè dicat, eum quidem, cum
aliquid necessitate coactus dat, interius & in ani-
mo amarum esse, eum amaritudine & merore dis-
simulato iucunditatem, & alacritatem exterius
mentiatur. Sed tamen hæc omnia parum concin-
na, & tam ab Originibus, quàm Vulgata lectiōne
aliena sunt.

Chaldaus sic conuertit. *Ne comedas cum viro,
qui habet malum oculum, neque desideres pulmenta
eius*. Quid in causa? *quia sicut porta erigitur, sic ele-
uatur in anima sua*: difficilis etiam huius para-
phrasis sententia. Si ergo Chaldaus per virum
mali oculi, parcum intelligit, similitudo quidem
petita videtur à præmagnis ædium portis, quæ
semper occurrentibus patent. Apud nostrates
vulgò dicitur de homine, qui omnes benignè
recipit, & nullum arcet, *tiene las entranas abiertas
de par en par par a recebir atodos*, scilicet tanquam
portam aliquam per amplam, & bipatentem. Ad
quam etiam portarum similitudinem adlusit Ioã- 104n. 3.
nes contrario sensu cum ait in i. Can. cap. 3. *Qui
habuerit substantiam huius mundi, & viderit fra-
trem suum necessitatem habere, & clausit viscera
sua ab eo*, &c. sensus ergo sic conformandus est.
Quia sicut porta erigitur, sic eleuatur, in anima sua,
i. quia vir iste sordidus, & auarus, exterius quidem
viscera ostentat portæ in modum bipatentis

56

57

ampla & aperta, i. erga amicos & conuiuas beneuolum & gratū se præbet, sed tamen animus longè abest: *Comede & bibe dicet tibi, & mens eius nõ est tecum.* Quod si per *virum mali oculi*, eum intelligit Chald. qui res in malū auertit, captiosum videlicet ac dolosum artificem, portæ similitudo aliter aptè cadit. nā vox illa *שׁוֹרֵשׁ* Saghar, vt supra animaduerti, non quālibet portam significat, sed amplam & excelsum, atque adeò fere ad maximas vrbium portas notandas asciscitur. Imò poti⁹ existimo ea voce propriūssimè illas vrbium portas, aut fores notari, quas vulgo appellant *Lenadizas*, quę nimirum leuantur, & demittuntur, & ad concludendos hostes idoneæ sunt. Ita docet ex neotericis Hebraizātibus non nemo, & suam coniecturam comprobatur testimonio P salm. 23. *Attollite portas principes vestras, & eleuamini porte æternales, &c.* & Isaia 60. pro illis verbis, *& aperietur porta tue*, in originibus est, *& attollentur porte tue*, quibus addere etiam licet hunc locum. *Quia sicut porta erigitur, sic eleuatur in anima sua*, ita vt erigitur, aut eleuatur, perinde sit atque aperitur, aut recluditur. Iam ergo intelligis quò tendam. Suadet Salomon ne quis cum viro malicioso, aut captioso, commercium ineat, vt dolos illius vitare possit; nam similis est portæ alicui ex his quæ leuari ac dimitti solent, quæ primò quidem patet, & occurrentes sibi benignè excipit; deinde verò eosdem subitò includit ac tenet. Et quidem cum in loco isto de æigmatibus ac gryphis, qui inter epulas iactari solebant, sermo sit, vt postea dicemus, non ineptè quadrat hæc leuatæ portæ similitudo in eum, qui eo animo in conuiuuii æigmata & gryphos rogat, vt auditores captiosè teneat, & includat, ne euadere possint.

61 Succedat Vatabli translatio. *Nam intus in animo suo mentitur, idq; faciens dicit: Comede, & bibe, &c.* Iansenius huius lectionis sententiā auaro accommodauit ad hūc modum, Vir auarus ac sordidus, eius, quem cōuiuio exceperit, singulos haustus, & admorsus numerat, vulgò dicimus, *quæta los tragos y los bocados*, atque adeò cum dicit, *comede & bibe*, nihil minus desiderat, imò potius illū impræsum abire vellet. Aliter etiam locus iste ad interpretationē problematum aut gryphorū, iuxta præmissam lectionē, adaptari potest. *Quia sicut mensura in anima eius, sic se res habet.* (sic ad verbum restituendus est) quem paraphrasticè extulit Vatablus. quia verò sensus cū Vulgata lectione omnino cōcinit, eius declarationē de industria differo.

62 Difficiliores explicatus habet translatio. lxx. *Quemadmodum enim si quis degluriat pilum, sic comedit, & bibit.* Videntur hæc verba ad parcitatem spectare hominis, *Vidimus* (inquit Erasimus) *aliquē lactis pilo exhibitō strangulatum:* & quidem pilus inter obsonia deuoratus, & faucib⁹ fortasse adhærescens satis magnam molestiam, imò & periculum generat. Sensus ergo huius loci sic habet: Sordid⁹ ille, ac præparcus homo singulis admorsibus perinde strangulatur, ac si pilum cū illis absorbuisset, vulgò diceremus, *à cada vocado se araganta*, nec plura sumere vellet: quia nimirum conuiuuij sumptus molestissimè fert. Cæterum si hæc verba cum his consuuantur, quæ statim attingunt lxx. alium sensum reddunt, de quo postea.

63 Sed ad lectionem Vulgatā nobis gradus sit, quæ non vnā interpretationē capit. Aliqui nomine *inuidi*, eum intelligūt, qui de aliena felicitàte mæret, atque adeò locum istum sic edisserunt. *Ne comedas cū homine inuido.* i. cum eo qui inuidet vitæ ac felicitàti tuæ nequaquam cibum sumas, quia

A *in similitudinem arioli & coniectoris estimat quod ignorat.* Mores hominis, iuidi describit, qui eorū, quos videt prospera vt fortuna, cogitationes apud se diuinans, se ab iisdem prorsus despici, & pro nihilo haberi putat. Propterea, inquit, vrendum est maximè ne liuore accensus cibos veneno inficiat, & vitæ ipsorum moliat in insidiis. Tunc verò locum habebit id quod sequitur, *Comede, & bibe dicet tibi, sed mens eius non est tecum.* Cæterum hæc expositio, quam Vatabli. probatam fuisse constat, non minimam vim verbis ipsis affert: atque adeò audienda non est.

64 Longè melius Iansenius, qui per *inuidum*, aut *mali oculi virum*, auarum intelligit, atque locū sic expendit. Ad auari ac sordidi hominis mensā nequaquam accumbas, nec epulas illi⁹ affectes, quia *in similitudinem arioli & coniectoris estimat quod ignorat*, i. quemadmodum arioli sapius ea prædicunt quæ non sunt, ita etiā auarus alios ex ingenio suo fingit, & ex se alios metitur, vel potius ex sua, illorum mentem diuinat: sed quonā modo? Ipse (inquit Iansenius) etsi exterius beneuolentiam simulat, nequaquā in conuiuas suos beneuolus est, imò potius eos detestatur, quia putat rem suam illorum intemperantia consumi. Hinc est vt similem ad modum de compotorib⁹ suis sentiat, eos scilicet quamuis externis significationibus beneuolentiam mentiantur: sibi tamen infensos esse. Propterea subdit. *Comede & bibe dicet tibi, sed mens eius non est tecum.* Cohærentia horum verborū est luculenta. Ad hanc sententiā allici potest locus Eccles. vbi de auaro sermo est. *Oculus malus ad mala, & non satiabitur pane, sed indigens, & in tristitia erit super mensā suam.* Et quidem si de auaritia sermo sit, appositè ad hanc Ecclesiast. sententiā potest locus iste melius replicari, ad hūc modum, *Nam in similitudinem arioli, &c.* i. tam pusillo & abiecto animo est, vt vnus conuiuuij sumptibus suarum fortunarum iacturā prælagiat, & paupertatē sibi in posterum indicet. Cæterum licet hæc Iansenii interpretatio lenius fluat, mihi tamen nunquam probari potuit: quapropter duas alias, & optionem dabo.

65 Vtrāque autem postulat vt per *inuidū & mali oculi hominē*, eum accipiamus qui de rebus perperam sentit, vulgò dicimus, *hombre de danada intención, que echa las cosas à mala parte.* Prior ergo interpretatio sic habet, *Ne comedas cū homine inuido*, i. cū homine mala & noxia meditante. *Nam in similitudine arioli estimat quod ignorat*, i. cum sapius res malam in partem capiat, quemadmodum ipse de cōuiuuij suis malè sentit, ita etiā mēte præfaga eos vicissim de se, de conuiuio, ac de cuncto epularum apparatu perperam cogitare existimat, & suas res nulli probari putat, quæ admodum ipsi alienæ non placēt. Inde autem fit, vt licet sapius malignum animum dissimulans dicat, *comede & bibe*, tamen eius animus longè abest.

66 Posterior expositio, quæ mihi germana magis videtur, id postulat, vt in memoriam vocemus ea, quæ sæpe aliàs inculcauimus de æigmatibus, ac gryphis obscuris, quæ inter epulas ad torquenda, & exploranda cōuiuuarum ingenia iactari olim cōfueuerūt: ex quo genere est illud problema quod Samson Iudic. 14. in nuptiali cōuiuio obiecit, de quo sic habet sacer textus. *Proponā vobis problema, quod si solueritis mihi intra septē dies conuiuuij dabo vobis triginta syndones, &c.* (erat autem problema aut gryphus) *de comedere exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo:* lege multa in hanc sententiā supra in Iafgoge huius Comm. & c. 9. vers. 1.

Psal. 23.
Isaia. 60.

Eccles. 14.

65

Iudic. 14.

vbi docui vniuersas huius libri sententias, ex ea-
rum genere esse quæ in cõuiuuiis discuti consueue-
runt, nec non ipsas in splendidissimo quodã epu-
lo à Salomone iactatas fingi. Sensus ergo loci alio-
qui difficilis ex his liquet, *Ne comederis cum homi-
ne inuido.* i. cū homine malitioso, resque in malum
auertente, numquã in conuiuuium venias, & *ne de-
sideres cibos eius.* Causam verò subinfert, *quia in
similitudinem arioli & coniectoris aestimat quod ig-
norat.* i. si difficile aliquod problema, ænigma,
aut gryphū inter epulas obieceris (quæ est illius
malitia & veteratoria calliditas) eius sensum, arioli
in morem, se diuinare significabit, & licet illud
non assequatur, tamen illum se penitus calluisse
simulabit, atque ad eò contemnet; ac pro nihilo
habebit: inde autem accidet quod statim atexit,
Cibos, quos comederas, euomes, ex fastidio. s. respues,
ac malles impransus manere, hanc. n. vim habet
verbum *euomes*, vt statim dicam, & *perdes pul-
cros sermones tuos.* &c.

67

Possunt etiam ad hunc sensum nonnullæ ex su-
perioribus lectionib⁹ transferri, scilicet illa, *Quia
sicut porta erigitur, sic eleuatur in anima sua,* cuius
sententiam supra dedi: nec non illa, *Quia sicut mē-
sura in anima eius, sic se res habet.* i. malitiosus ille
conuiuia auditis ænigmatibus aut gryphis iudicat
id prorsus esse, quod ipse concepit, nec aliam illis
significationem subesse posse, nisi eam quæ ipsi in
mentem venit. Putat. n. mētem suam esse *Saghar.*
i. maximam mensuram, quæ reliquas omnes mi-
nōres in se cohibeat & includat, nimirum omniū
mentes cognoscēdi vi, & amplitudine sibi inferio-
res esse; Imò, quemadmodum magnæ mensuræ
ex minoribus, ita etiam suam ex omnium menti-
bus coaluisse credit: de vi illius vocis *Saghar* su-
pra dixi. Subnectit Sapiens.

VII. *Comede, & bibe, dicet tibi, & mens
eius non est tecum.*

IX. *Cibos, quos comederas, euomes, & per-
des pulcros sermones tuos.*

68

Comede & bibe, &c. Circa hunc priorem ver-
sum nulla est translationum discordia, si ta-
men excipias lectionem lxx. quæ partem illius ad
superiorem reuocarunt, partem verò cum se-
quenti contexuere.

Cibos, quos comederas &c. Heb. *Buccellā quam co-
medisti, euomes eam, & corrūpes verba tua incūda:*
Pagn. & alij ad imperandi tempus referunt, hoc
modo. *Cibos, quos comederas, euome,* &c. Chal. *Pa-
nem quē comedisti, euomes.* lxx. *Neque ad te intro-
ducas eum, & comedas buccellā cum eo: euomet. n. sil-
lam, & contaminabit sermones tuos bonos*

Quandoquidem hæc verba cum superioribus
connexa sunt, vt contextus ipsē satis prodit, iuxta
diuersas superioris sententiæ interpretaciones di-
uerso mundo exponenda veniūt, & quidem de il-
lis, *Comede, & bibe, & mens eius non est tecum,* ni-
hil aliud interpretes, præter quàm ea accipienda
esse vt sonant, siue de inuido, siue de auaro, siue de
malitioso rerum interprete. Omnes. n. isti bene-
uolentiam, gratiamque externis significationibus
inuenientes animum maleuolum dissimulant: sub-
dit Salomon.

*Cibos, quos comederas, euomes, & perdes pulcros
sermones tuos.* Aliqui ex his, qui nunquam non ad
Hebr. interpretaciones se recipiunt, putant hæc
verba per imperandi tēpus efferri debere ho-

do, *Cibos, quos comedisti, euome,* &c. Ex his verò il-
li, qui superiora verba ad illum pertinere dicunt,
qui alienæ felicitatis inuidus amulator cibos of-
fert, in quibus aliqua veneni aut toxici suspicio
subesse potest, sic locum istum edisserendum pu-
tant, *Cibos, quos deuorasti,* venenum aut toxicum
suspiciatus actutum per vomitū redde, ne tibi for-
te mortem afferant. Addit, & *perdes pulcros sermo-
nes tuos.* i. libenter eorum iacturam sustine: nam si
quid dixeris vel ad gratiam referendā, vel ad con-
uiuui laudem spectans, ille maleuolus, aut inuidus
homo, quasi non ex animo dictū, ipse quidem ex
animo repudiat: atq; ad eò totum hoc perditum
puta, & perditionem hanc boni consule. Non pla-
cet hæc expositio.

B

Caietani etiam minimè probatur commenta-
rius, qui verba hæc ad sensum metaphoricū trās-
ferens satis difficilem expositionem excogitauit,
Nam cū ex Primitiuis locum istum sic restitue-
rit, *Comedisti panem tuum, uomes illū, & destrues
verba tua dulcia:* ad pronomē illud *tuum,* offen-
dens, putat his verbis non haberi sermonē de cõ-
uiuio, sed per duas metaphoras innui maligni ho-
minis ingenium, qui omnia bona in malū conuer-
tit. *Bonum* (inquit) *est homini panem suum comede-
re, ingratum & molestum eundem euomere: incun-
dum etiam pulcra verba, aut sermones eleganter di-
ctare: at si quis eadem, quæ prius serio dixerat cõfu-
tare, & refellere cogitur, non modo iniucundum, sed
etiam indecorum putat.* Quasi dicat, tanta est inui-
di illius hominis malignitas, vt perinde ac si quis
hominem, qui cibos suos iucundè sumpserat, ad
vomitum cōpellat, vel cū qui pulchros sermo-
nes seruit, ad eos indecorè refellendos, & palino-
diam recantandam cogat: sic ipse omnia, aut facta
aut dicta proximorum in molestiam, aut dedecus
eorundem tandem abire faciat. Hæc ille satis ob-
scurè, quibus loco non admodum difficili non lu-
cem, sed tenebras aspersit.

69
Caiet.

C

Luculentius Vatablus, qui Salomonem eò spe-
ctasse dicit, vt doceat ab inuido illò, aut fordido
hominē epulas ad eò sordidas, immundas, aut etiā
inconditas fore exhibendas, vt nauſcā & vomitū
conuiuui ciant. Ideò. n. subdit. *Cibos, quos comede-
ras, euomes,* cibos, inquā, inconditos, aut sordidos
ex nauſea, atque tædio reiciēs, & *perdes pulcros
sermones tuos,* id est, si quid etiam probè dixeris
inter cænandum, id certè perdes. Quonam mo-
do? Quia quemadmodum tu ex tædio ciborum e-
pulas tibi appositas nauſcabundus tandem euo-
mes, ita etiam inuidus ille, qui te inuitauit (liceat
sic dicere) ad ea omnia, quæ pulcrè dixeris, nau-
ſeabit, & per summam inuidenciam omniū se
tædere significabit. Hæc etiam expositio non le-
niter fluit.

70
Vatabl.

D

Meliùs Rodol. qui hæc per quandam hyper-
bolem pronunciata fuisse dicit, hoc sensu. *Cibos,
quos comederas, euomes,* &c. i. cū ex conuiuio in-
uidi illius hominis discesseris, comestos cibos ex
displicencia videlicet quadā euomere velles: & si
quid etiam inter epulas in gratiam illius, qui te in-
uitauit, dixisti, id certè iam tunc indietum malles.
Itaq; illa duo verba *euomes, perdes,* aut *destrues,*
sic accipienda sunt, quasi euomere, perdere, aut
destruere velles. Non admodum displicet Rodol.
cui comitem, vt assolet, se præbet Iansenius.

Rodolph.

E

Cæterum quia Salomon, vt ex his, quæ in su-
periori versu diximus, constat, de problematibus
ac gryphis inter epulas veteri more iactandis atq;
edisserendis, iam tunc præmiserat illud. *In simili-
tudinem arioli, & coniectoris aestimat quod ignorat:*

i. si quod ænigma aut gryphus obscurus inter epulas inciderit, illum quidem inuidus homo coniectari se, ac percallere dicit, etiamsi eum minimè assequatur: iam nunc attextit quid inde eueniat. *Cibos, quos comederas, euomes, & perdes pulchros sermones tuos.* Duo quidem ex hoc conuiuio inuidi hominis molesta satis incommoda euentura prædicit, aliud certè vt ex tædio sumptos cibos per vomitum reddat, id est, reddidisse se cupiat: vel potius non accepisse (vt paulò ante dicebam:) alterum verò vt problemata, & ænigmata sua inter epulas coniecta, & dictata, prorsus deperdat, ac, si fieri posset, indicta vellet.

71

Vel aliter, *cibos, quos comederas, euomes.* Succedat memoriæ id quod in Isagoge huius commentarij adnotauimus, scilicet apud veteres in vsu fuisse, vt quoties sub epulis difficile aliquod de more problema agitandum foret, si quis ob cibi, aut meri intemperantiam, sensus ad differendum minus acres experiretur, seorsum factus vomitum moueret, vt eâ ratione sensus ad differendum compararet. Lege quæ ibi adscriptum: atque illis etiam vltèrius annuera locum Eccl. cap. 31. vbi hoc ipsum præcipere videtur Iesus Syrach. *Si coactus fueris in edendo multum, surge è medio, euome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.* Potest ergo locus iste, iuxta eum morem, facili quadam sententiâ donari. Vt autem hic aptius cadat, præmittere aliquid oportet: nimirum per virum *mali oculi*, seu *inuidum*, vt supra notauimus, non auarum & parcum, sed veteratorem, mala & nociua spòte meditantem & conantem accipi. Quapropter, huius malitia & astus non in eo ponitur, vt conuiuium illiberale ac fordidum exhibeat, sed potius in eo vt plurima fercula & vini etiam plurimum intulerit, conuiuas suos cibi ac vini intemperantia ad crapulam adducere volens, vt scilicet ex crapula mente emoti nihil serium inter epulas, aut sub epulis dicere queant: imò potius cunctis deridendos sese offerant. Hoc verò satis declarant illa verba, *Comede & bibe dicit tibi*, quæ hominis sunt ad bibendum & comedendum stimulantis, non contra parentis rei suæ. Ad sententiam veniamus, *Comede, & bibe dicit tibi.* i. seridò admodum suadebit, vt cibi atque vini plurimum sumas, vel propinaste ad bibendum laceffet, bellariaque submitte, ad comedendum vrgebit, iuxta propinationis leges: id autem non ex gratia aut beneuolentia faciet (nam *mens eius non est tecum*) sed vt tibi per vini atque ciborum intemperantiam mentem, & sensum eripiat, ac, si fieri potest, deridendum cunctis propinet. Duo autem ex hoc conuiuio incommoda referes. *Cibos, quos comederas, euomes, & perdes pulchros sermones tuos.* i. ob intemperantiam vomere necessum erit, & ob crapulam sermones pulchros, hoc est, problemata, & gryphos, quos alioqui sanus, & tui compos inter epulas fereres, prorsus amittes, aut si fortè aliquid eiusmodi dixeris, id certè illepidè, & insulsè dices, atque adeò illud perdes.

Vel aliter iuxta supra dicta, cum eiusmodi homine inuido conuescens id obtinebis vt ad crapulam adductus, si quid sub epulis seridò disceptandum fuerit, ad mentem comparandam, & sensus acuendos adesos cibos & vinum exhaustum vomere necessum sit: & si quid postea sanus post vomitum dixeris, illo per inuidiam summam id perperam interpretante, omnino perdes: iuxta illud. *In similitudinem arioli & coniectoris*, &c. atque adeò ex hoc conuiuio voluptatis nihil, dedecoris autem & molestiæ plurimum referes. Hanc esse

A huius loci germanam sententiam reor.

De translatione verò lxx. aliud iudicium est, vt in superiori versu animaduerti: illi enim non tam suadent, ne quis ad conuiuium inuidi hominis vocatus ire renuat, quàm ne quis inuidum ad suas epulas accersat, atque adeo subiiciunt. *Neque ad te introducas eum, vt comedas buccellam cum eo, euomet enim illam, & contaminabit sermones tuos:* sensus autem ex dictis liquet. i. Ne inuidum illum hominem conuiuio excipias, neque illi cœnam expedias, *euomet enim illam.* i. cibos appositos per nauseam & tædium sibi displicere significabit: neque modò ciborum tædio se teneri monstrabit, sed etiam sermonum, aut problematum, quos inter cœnandum serueris, quæ nauseabundus etiam repudiabit: hanc vim habet illud, *contaminabit sermones tuos*, id est, erga illos sordidissimè nauseabit, & fastidiet.

72

I X. *In auribus insipientum ne loquaris, quia despicient doctrinam tuam.*

I N auribus, &c. Hebr. *Quia despicient intellectum eloquiorum tuorum*, lxx. *In auribus imprudentis noli quidquam dicere, ne fortè irrideat sapientes sermones tuos.* D. Cypr. ad Demet. in 3. testimonio, *ne quando audierit irrideat sensatos sermones tuos.*

73

Cyprian.

Huius loci perspicua sententia est. Omnes interpretes sonum literæ sequuntur, putantque in vniuersum à Salomone hoc præcipi, ne quis elegantes & acutos sermones auribus insipientium instillet: hi. n. quoties eorum sensum non assequuntur, ne ipsorum insipientia deprehendatur ad deridenda ea, quæ audierint, se conuertunt. Tamen posset quisquam vltèrius dicere hæc verba cum superioribus consuenda, & hoc Salomonis præceptum etiam ad contiuia spectare, ita vt quemadmodum suasis in superioribus sententiis, ne quis suos gryphos, aut problemata, quibus cœnæ condiri conuenerunt, ad virum inuidum intenderet, ne eos perderet: ita etiam nunc doceat, ne eos in confesso insipientum iactet, ne si illorum sensum non percalluerint, per despicientiam, & contemptum probrosè respuant. Hanc vim habere videntur verba lxx. *Ne forte irrideant sapientes sermones tuos.* Non plura in hunc locum.

X. *Ne attingas paruulorum terminos, & agrum pupillorum ne introcas.*

X I. *Propinquus enim illorum fortis est, & ipse iudicabit contra te causam illorum.*

N E attingas, &c. Hebr. *Ne moueas loco terminum saculi*, &c. Caiet. *Ne adiungas ad terminum sempiternum.* lxx. *Ne transponas terminos aternos; & in possessionem orphanorum ne ingrediaris.* Chald. *Ne mutes terminum, qui à saculo est.*

74

De terminis à loco suo non mouendis, & quanta olim huius rei religio apud Hebræos esset, & apud gentes, sat multa diximus supra cap. 2. vers. 28. ad illa verba. *Ne transgrediaris terminos antiquos*, &c. Inter hanc verò, atque illam sententiam id tantum discriminis versatur quod illa absolutè cauet, ne termini, aut limites agrorum in vniuersum è locis suis transferantur: hæc autem spe-

cialiter agit de agris pupillorum, qui eum iniuriarum vindicem non habeant, facilius eorum res violari, ac lædi consueverunt. Itaque ait Salomon, *Ne attingas paruulorum terminos*. Noster interpretis verba omisit, sensum retinuit, & vti rem ferio commendaret, non dixit, *Ne transferas*, aut *ne loco suo moueas*, sed, *Ne attingas*, quasi dicat. Est sua in terminis agrorum religio, vtpote qui antiquissima patrum autoritate, & diuino etiam iure defixi sunt, atque adeo ne attingere quidem eos licet: Vel aliter, cum aliorum agrorum limites a suo loco mouere nefas sit, paruulorum, ac pupillorum terminos, non transferre solum, sed attingere etiam religio est. Et quidem apte dicit iuxta origines, *Ne moueas terminum saculi*, cum agit de terminis pupillorum; nam aliorum agrorum terminos ipsorum Dominorum autoritas, & tutela ab iniuria vindicat: at in pupillorum agris limites sola antiquitas defendit. Et quidem ipsius antiquitatis tutela apte illis adhibetur à Salomone; quasi dicat, Si quis teneram ætatem, & pupilli annos non veritus, illius terminos violare præsumit; at saltem illorum terminorum antiquitatem, & senectam vereatur, atque adeo ne attingat quidem. *Et agrum pupillorum ne introeas*, id est, agrum tui fines prætergressus nequaquam in illius agrum pedem immittas. Potest etiam hoc referri ad seruitutes agrorum, ex quibus alia est, ius eundi per fundum vicini, atque illius solum, cum voluerit, terendi, aut aquam per illum regendi, leg. 1. ff. de seruitute. Hoc autem ius consuetudine comparari consuevit, ex eodem iure. Ergo Salomon ad istiusmodi seruitutem fortasse adludens ait, *Et agrum pupillorum ne introeas*, id est, ne quando ipse pupillus ob teneram ætatem prohibere, ac vetare non potest, in agrum ipsius introeundo, atque illum terendo, huic seruituti obnoxium facias; id enim valde iniustum est. De terminorum immobilitate lege plura, quæ in eum locum contulimus. attextit Salomon.

Propinquus enim illorum fortis est, &c. Hebr. *Redemptor enim illorum fortis: ipse litigabit litem eorum tecum*. Chald. *Quia Redemptor eorum fortis est, & iudicabit causam eorum contra te*. lxx. *Qui enim redimit eos Dominus, validus est, & iudicabit iudicium eorum tecum*. Aquila, & Theodot. *Vindex eorum fortis*, &c. Subest hic in primitiuis vox *גֹּאֵל*, *Goel*, quæ redemptorem, aut vindicem adsignificat; noster autem interpretis non semel etiam alias *propinquus* vertit, sed præsertim in libro Ruthi, vbi passim eam vocem vsurpat ca. 3. & 4. nescio an alibi: & siquidem alicubi, hic certè accommodatissima est translatio isthæc, vt statim videbimus.

Sensus ergo est luculentus. Persuasum certè est hominibus pupillos defensore ac vindice carere, qui eorum iniurias exquirat: non ita, inquit Salomon, sed Deus ipse illorum patrociniū sibi sumit, vt eorum res factasque ab aggressoribus iniustus præstet. *Redemptor enim illorum fortis est ipse*. Sic passim interpretis, id est, ne propterea quis pupillos violare audeat, quia infirmi sunt: nam Deus, qui illos tutandos suscepit, fortissimus est. Sed cur *redemptor* dicitur? est etiam huius vocis in iure vsus, nam *redemptor litis*, aut causæ is dicitur, qui pretio aliquo, aut mercede pacta, litis periculum in se recipit, eiusque periculum præstat: Vlpian. leg. 6. & 7. §. 6. ff. Mandat. & leg. etiam 5. Codi. de procuratoribus, & leg. 22. cod. Mandat. & leg. 9. §. 1. ff. de Officio Proconsul. Iam ergo intelliges quàm aptè Salomon Deum pupillorum *redemptorem* fore affir-

met, qui videlicet *litem eorum litiget*. i. redemptoris in morem vniuersum illius periculum in se suscipiat, & eiusdem cautionem præstet: qui scilicet perinde causam eorum agat, ac si sua ipsius interesset, & ipsius bonis fraus fieret.

Noster interpretis pari energia *propinquus* reddidit, nomine autem propinquo intelligo tutorem aut curatorem: nam secundum legem pupillis tutor, aut curator ex propinquis præfici debebat. Itaque ait, *Propinquus enim illorum fortis est*, id est, pupillus ille omni auxilio destitutus vulgò existimatur: at falsa est isthæc existimatio: Deus enim illius *propinquus*, id est, tutor, & curator est, ad quem spectat non solum ipsius personam, sed bona etiam, & actiones tueri: ideo subdit. *Et iudicabis contra te causam illorum*, in Primitiuis est, *Et litigabis litem eorum tecum*, id est, eorum causam, & partes veluti curator, aut tutor transiget; Vel (si placet) sic Vulgatam lectionem edidit, *Propinquus enim illorum est fortis, & iudicabis contra te causam illorum*, id est, tutor simul ac iudex est, atque adeo litem definiet contra te. Vtrumque verum, nec etiam alienum à iure; nam, vt ait Hotomanus, pupillorum tutela propriissimè residet in iudicibus ac magistratibus publicis; & eorum quasi *protutores existunt*, priuati vero illi, quibus hæc cura quacunque ratione demandatur, argumento sit, quod his nihil in pupillorum bonis vniquam licet, nisi ex magistratum præscripto. Si ergo alios iudices propriissime pupillorum protutores esse constat, id ipsum de supremo iudice Deo diffiteri, aut inficiari nefas est: Imò potius, quia Deus pupillorum præcipuus curator, ac iudex existit, propterea humani magistratus, quemadmodum in omnibus aliis causis, Dei vicarij sunt, ita etiam in hac cura ipsius seu *protutoris* esse oportet, vt pupillis vbique deferant, & causas eorum defendant.

XII. *Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba scientiæ.*

Ingrediatur, &c. Ingredi fac ad eruditionem cor tuum, & aures tuas ad eloquia scientiæ. Vatablus. *Accommoda ad eruditionem cor tuum, &c. lxx. Da in disciplinam cor tuum, aures autem tuas adhibe sermonibus sensus.* Aquila, Symmach. & Theod. *Scientiæ.*

Sententia huius loci est illustri, *Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures*, &c. Imò potius è contra euenire videtur: nam doctrina in mentem influit, & verba in aures penetrant. Non ita, inquit Salomon, sed vice versa cor tuum ad doctrinam moueatur, & illius arcana, & penetralia studiosè adeat, atque aures tuæ ad verba prudentiæ captanda sponte veniant. Quorsum hæc? vt significet sapientiæ parandæ studium tantum esse oportere, vt non modò quis incidentes de sapientia cogitationes animo excipere, aut etiam incidentia verba auribus captare, sed ita vt mens assiduo ad discendum conetur, & aures ad audiendum intendantur. Emphasim habet lectio Originalis, *Ingredi fac ad eruditionem cor tuum*, id est, ipsum ad ingrediendum stimula. Difficiles semper, ac molesti sunt primi ad omnem disciplinam aditus, sed ad virtutem, & honestatem imprimis ardui atque graues. Audi Senecam. *Quemadmodum virtutes retentæ exire non possunt, facili quæ earundem tutela est, ita initium ad illas ingrediendâ*

Ambros.

arduum (rationem attextit) quia hoc primum imbecille mentis, atq; agre est, formidare in experta. lib. 2. in Epist. 51. Diuus Ambrosius ad eundem virtutis difficultatem in alio ponit. Cum renunciat, inquit, improbitati statim asciscitur virtus. Egressus enim malitie, virtutis operatur ingressum, eodēque studio, quo crimen excluditur, innocentia topulatur. Habentur isthæc verba 31. quæst. 1. Can. Cum renunciat. Itaque Ambrosius hanc difficultatem tam in ingressu ad virtutē, quàm in exitu à vitijs sitam esse dicit, vbi enim quis è vitijs pedē extulit, nullo negotio ad virtutē penetrat, atque ad eò tota introcundi difficultas ad limen vsque virtutis pertinet. Ait ergo Salomon, *ingredi fac ad doctrinam cor tuum*, i. cum omnis virtutis difficultas, & molestia in ingressu sit, animum tuum tamdiu perurge, ac stimula, quoad virtutis limen superet.

78

At, inquit, inexperientia, & insolentia virtutis animum exteret (vt ex Seneca nuper obseruauimus.) Aiunt equorū generositatē tunc cum pulli sunt, ac nec dum fessorem exceperunt, ex eo probari, quod primi, & impauidi in expertam viam ad eant, atq; fluuium etiam, aut pontem nunquam emensum aggrediantur: Sic Maro.

Virgil.

*Primus adire viam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere ponto.*

Ergo Salomon sic ad adolescentem (quem instituit in hoc libro:) si tuam, ait, nobis indolem, & generosos animos probari velis, *ingredi fac ad doctrinam cor tuum*, ne te eiusdem virtutis insolentia deterreat, sed generosi ad instar equi in ignotam, atque in expertam virtutis viam, fluuium, aut pontem pedem inferre ne detrectes; (hæc enim omnia nomina virtuti accommodare non est arduum.) Rursus dicis, non tam ab insolentia virtutis, quàm à vitiorum solemnī exercitio te retardari, quominus virtutem audacter adeas (ex mente Ambrosij.) Hoc quidem ad seniores spectat, qui terendis planissimis vitiorum semitis assueti ab his difficilē ad virtutum cliuos reuocantur; igitur ad illos etiam Salomon, *ingredi fac ad doctrinam cor tuum*. Ad hanc difficultatem etiam superandam transtulit Chrysostomus Homil. 20. ad Pop. exemplum equorum, quos experientia ipsa constat, cum per decliue in foueam descenderūt, velocius abiectum cliuum superare solitos; nam impetus ille, quo ad ima perlati sunt, eosdem ad sublimia leuius impellit. Nil certius: *Quosdam* (inquit Chrysostomus) *continet medius inter virtutem, & vitium hiatus; sed nulla est eiusmodi excusatio, nā ex vitio procliuis fuga, ac descēso est, & si quis inde ad virtutem cliuus attollitur, ipso descēdendi impetu faciliē vincitur.* Hæc Chrysostomus. Vbi planē ad præmissam similitudinem spectauit, quā erigendi sunt illi, qui vitijs olim mancipati ad bonam frugem redire parant, quos sic eum Salomone affari libet. *ingredi fac ad doctrinam*, i. ad virtutem, *cor tuum*, nimirum ex vitio ad honestatem, quia ex vitio procliuis fuga est, quapropter licet arduus sit ad virtutum limina ascensus, impetus ille aut impulsus qui ex fuga per decliua capitur, hominem ad virtutis sublimia rapit; nam vt vitium eiusque damna olim sibi cognita fugiat, ocyus se trāsfert ad honestatem homo prudens.

79

Suadet præterea Salomon, vt aures ad sapientia eloquia, & præcepta ingredi compellantur, & aures tuas ad verba scientia, supple. *ingredi fac*. Fugiant etiam nonnunquam aures ipsæ disciplinam honestatis, sunt enim quædam in auribus ad virtutem aut vitium semina, nam quosdam vir-

tutis sonus deterret, alios verò allicit. Ergo Salomon ait, ad virtutis præcepta audienda compelle aures tuas, nec tantum ea, quæ in limine sunt virtutis documenta accipere velis, sed *ingredi fac* aures tuas. i. eas ad internam, & maximè reconditam honestatis doctrinam hauriendam impelle. Sic enim doctrina in mores influet.

XIII. *Noli subtrahere à puero disciplinam, si enim percusseris eum virga, non morietur.*

XIV. *Tu virga percuties eum, & animam eius ab inferno liberabis.*

B

NOli subtrahere à puero, &c Hebr. *Noli prohibere à puero correptionem*, reliqua concinunt. lxx. *Ne desiteris paruulum emendare.*

80

Huius loci luculenta interpretatiō est, ad cuius sententiam germanam aucupandam nihil præterea opus est, quàm verborum sonum auscultare, & extrema illa verba discutere. *Si enim percusseris eum virga, non morietur.* Quæ duplicem ad sensum allici possunt. Aut enim id sibi volunt: si ex hoc instituto, vt nimirum mores ipsius ad virtutem informes, illum seuerè coercueris, hac ratione illum à morte vèdicabis. Vel aliter, ne propterea illi indulgeas, virgæ parcens quia tener est, veritus ne fortasse supplicij acerbitas præcocem mortem ipsi afferat; nam ad prouidentiam Dei hoc spectat, vt etiam verberibus acriter ictus diutius valeat. Vtraque sententia vera est. Itaque ait Salomon, *Noli subtrahere à puero disciplinam*, i. correptionem noli intermittere, *si enim percusseris virga, non morietur*, i. illum morti eripies, quod tam de morte corporis, quàm de animi interitu accipi potest. Quemadmodum enim indulgentia vtrūque obitum animi, & corporis liberis adducere solet, ita etiā correptio, & vexatio ab utroque interitu vendicat. Succedat memoriæ illud Psal. 127. *Filii tui sicut nouella oliuarū in circuitu mensæ tuæ.* Vbi liberi cum olearū surculis, aut nouis plantationibus conferuntur, & ni fallor, ea similitudine diuturnā valetudinem, & longam vitam filiorum pollicentur Psaltes; nam constat oleā inter arbores diutissime viuere, vt autor est Plinius, & alij naturalis historiæ scriptores.

D

Ceterum contra hanc oliuæ diuturnitatem, & perennitatem aliquid natura ipsa molita est: nam vt tradunt rei agraria periti, in his Autor historiæ plantarum in olea. Glychyrrisa, si oliuæ adhærescat, & circa stipitem eius radices agat, non longo interuallo ipsam interire cogit. Est autē Glychyrriza arbutum humile radices dulces in tellurem altè demittens, quam vulgus appellat *regalia*, quæ ad nimiam parentum erga liberos indulgentiam notandam appositissima est: nam si hæc indulgentia, Glychyrrizæ in modum, ob parentū molliciem filijs agnata sit, illos, olearum in morem, alioqui diutissimam vitam producturos, ocyus emori cogit. Aptè igitur Salomon, si illum *virga percusseris non morietur*, nam quem indulgentia neci maturius tradit, eundem seueritas, & correptio neci eripit. Et quidem ad diuinam prouidentiam hoc spectat, vt liberi, erga quos patres seueri sunt, disciplina gratia, diutius uiuant, quàm hi quorum, vt vita seruetur, mores negligi consueuerunt. Hinc Ambrosius, Alcyonis exemplo parentes eiusmodi plus æquo liberis indulgentes eleganter pungit. Et quidem primò naturam Alcyonis

81

Alcyonis sic describit Est, inquit, ea avis marina, qua in littoribus fetus suos edere solet, ita ut in arenis sua deponat medio fere hiemis: nam id temporis fouendis habet deputatam partibus, quando maxime insurgit mare, & littoribus vehementior fluctus illiditur, quo magis repentina placiditatis solemnitate huius avis eluceat gratia. Nam ubi undosum fuerit mare, positus onis subito mitescit, & omnes cadunt ventorum procellae, flatuque aurarum qui escunt, & placidum ventis stat mare, donec oua foueat Alcyon. (Et paucis interiectis sic attexit.) Acne uies quod ouorum videatur habere contemptum, continuo ubi deposuerit oua nidificat, & suos partu corpore fouet, nec saluti propria alluione littoris pertimescit: sed securam de Dei gratia ventis se committit, ac fluctibus. Parum est hoc, adiungit eisdem alios ad nutriendum dies, nec interpellari tot diebus infidi maris tranquillitatem veretur; tentatque meritum suum natura iam solemnitate fundatum & teneros fetus non latibulis aliquibus abscondit, aut tectis, nec includit cavernis, sed nudo, & rigenti committit solo: nec defendit a frigore sed diuino fouet (quo magis caetera ipsa despiciit) eo tutiores fore existimat. Quod inde subnectit Ambrosius documentum optimi in xhui saeculae petitum moribus. Quis, inquit, nostrum paruulos suos non vestimentis tegit, tectisque abscondit? quis non claudit eos septis cubiculorum? quis non ita diligenter fenestras obstruit ne qua possit aura vel leuiter penetrare? quis non eisdem nimium indulget? quis eorum delictis non conuincet? quis demum multis alijs rationibus eorum vitam seruare non satagit? Sed merito quos tam sollicitè induimus, fouemus, abscondimus, seruamus; exuimus diuina clementia inuolucro. Alcyon uero quos nudos proicit diuino uestit indutu. Itaque mens Ambrosij haec est, nimiam patrum erga liberos indulgentiam ad eorum vitam seruandam minime idoneam esse, quia haec illos merito diuinae prouidentiae priuata tutela, cum contra seueritas correptio, disciplinae gratia eisdem exhibita diuinae prouidentiae patrociniū illis conciliat, quod solum ipsos incolumes praestare potest. Quemadmodum ergo Alcyon iater fluctuum flagella diuina prouidentia seruante, pullos suos absque discrimine aliquo educat: ita etiam ab ipsa edocti parentes, omnino credant, non posse liberos melius ac tutius educari quam inter verbera, & flagella, Quapropter optime Salomon, si percusseris eum uirga non morietur.

82.

Aliqui pro uirga, malleum restitunt, hoc modo. Si percusseris eum malleo, sed ni, fallor, mendum apertissimum est. Fortasse autem quispiam olim legit si percusseris eum malleo, &c. Eo enim nomine arborum surculos, lentasque ad flagellandum virgas appellare consueuimus, quos aliquando etiam arborum flagella dicimus. Hinc nata loci corruptio, si percusseris eum malleo; Tamen si haec translatio non displicet, non inepte ad filiorum bonam educationem transferri potest. Audi Anselmum de similit. c. 178. Vidistis, inquit, aliquando artificem ex lamina auri, vel argenti, solis malleorum percussionebus imaginem speciosam formasse? non puto. Imo potius, ut aptam formam ex lamina former: nunc eam suo instrumento leuiter premit ac percussit, & postmodum planat, deinde leuamine leuius lauat, & informat. Sic, & vos si pueros vestros capitis optimis moribus ornatos esse, necesse est ut cum depressionibus verberum impendatis eis paterna pietatis, & mansuetudinis leuamen atque subsidium. Haec ille, quibus modum praescribit, qui in castigandis corripiendisque liberis seruandus est, ut

Tom. 2.

Anselm.

A scilicet cum uerborum ictibus coniungatur etiam benignior ac placidior conuersatio. Subdit Salomon.

Tu uirga percutes eum, & animam eius ab inferno liberabis. Hebr. חַוּוּן מִסְּוֹלֹת. Miscol. ab inferno, à fouea, à sepulchro. (has enim omnes significationes capit uox Primitiua.) Caiet. habet, & animam eius à fouea facies euadere, lxx. Animam autem eius à morte erues.

83.

Ergo Caietanus sic exponit. Et animam eius à fouea facies euadere, id est, filium tuum plerisque casibus ac ruinis eripies, in quas incidere solent uiri iniqui, quorum uita parentum negligens educatio à tenetis non compressit. Alii rursus, quibus placet Caietani translatio, per foueam antrum, vel specum intelligunt obscurum. & lucis expertis, quasi dicat Animam eius à fouea facies euadere, id est, ex obscuro scilicet ignorationis antro, ad scientiae & cognitionis lumen transferes. Haec enim est uerberum explorata uis pueros ad cognitionis, rationisque lucem ocyus adducendi. Quod peritum ab Aquilis exemplum luculenter edocet: Aquilae enim (auctor est D. Maxim.) ut pullos suos è rupibus serobe, aut specu, ubi nidum construere solent, in lucem & apertum aërem alioqui detrectantes euolare cogant, eos alarum uerbere flagellant, & rostro etiam ad sanguinem usque percellunt. Non alia debet esse parentum in liberis educandis industria, hi enim in praecellam doctrinae lucem, & apertum sapientiae aërem, ex foecordiae atque ignorationis nido, aut specu fere non nisi uerberati, & flagellati euadere solent.

Caiet.

Maximus

Communis tamen interpretatio nomine inferni, baratrum intelligit, aut etiam sepulchrum, ita ut sensus sit, Si illum assidue uirga tundere non destiteris, probos & honestos mores hoc auxilio suscipiet, atque adeo gehennam, & baratrum declinabit, quò sua ipsorum scelera, & male facta homines impios tandem aliquando compellunt. Quod hac demum ratione intelligi debet, ne refrigeret sententia. Cum hominum mores, ac uita semper pendeat, & caeli baratrique ad usque obitum anceps fors sit: tamen nescio qua ratione pueros illos, quos parentes à teneris uerberibus tudent, & per seueritatem correptionis ad morum honestatem traducunt, quasi extra aleam ponunt, ita ut iam inde ex tunc eos à gehennae ignibus liberos praestent. Nam mores boni à teneris suscepti nunquam deseruntur. Emphasis habet iuxta hanc interpretationem translatio Chaldaica, quae sic ad uerbum efferenda est. Animam enim ab inferno liberasti. Quasi dicat, iam tunc gehennae ignibus eripuisti, & ueluti ad beatitudinem destinasti.

84.

Vel (quod fatius, & cum textu cohaerentius reor) per infernum sepulchrum accipiendum est, ita ut sensus sit, ab inferno, id est, sepulchro, à morte nimirum praecoci eum liberabis. Consentiente lxx. qui sic habent, animam eius à morte erues. Huc spectat id quod matres affatus non ignobilis nostri temporis Ecclesiastes commentus est. Duplex, inquit, homini mater ab initio, ea scilicet quae ipsi genuit, nec non alia quae mater etiam hominum uulgo dicitur, haec est tellus, quae cum homini quondam initium dederit, eius matris in omnes sibi uendicat. Inter has ergo duas matres quaedam coram Deo causa uersatur, utra filium hunc, i. hominem sibi auferre debeat: sapius igitur ex incuria matrum erga liberos hoc accidit, ut Deus terra litem & causam adiudicet, ratus scilicet melius inter mortuos apud terram tumulo inclusum puerum futurum, quam inter uiuos apud matrem educationem illius omnino negligentem. Optime ergo Salomon ait, tu uirga percutes eum,

85.

c

& anima eius ab inferno, id est, à sepulchro, liberabis, quia seuera educatione id perficies, vt filius melius apud te sit, quam in tumultu defossus apud communem parentem tellurem.

XV. *Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum.*

XVI. *Et exultabunt renes mei, cum locuta fuerint rectum labia tua.*

86.

Fili mi, si sapiens, &c. Hebr. *Fili mi, si sapiens fuerit cor tuum, letabitur, & cor meum, etiam ego. lxx. Et si sapiens fueris, cor tuum letificabis, & cor meum.*

Et exultabunt renes mei, &c. Hebr. Cum locuta fuerint labia tua rectitudines. lxx. Et immorabuntur sermonibus tua labia ad mea labia, si recta fuerint. Aquila & Symmach. concinunt cum Vulgatis.

Sententia hæc vix interprete indiget. Si meis præceptis imbutus plurimum profeceris, inquit Salomon, & mens animusque tuus satis hauserit doctrinæ, animus vtique meus impensè gaudebit: nihil enim magis præceptoris animum læticia perfundit, quam profectus discipuli. Quod si non modò tibi ipsi sapere, se etiam ea quæ à me accepisti, aliis tradere vtiliter cœperis, tunc sanè exultabunt renes mei, id est, præ læticia gestiam.

Sed expendamus singulos versus; Prior iuxta Hebraicos origines sic efferendus est. *Fili mi, si sapiens fuerit cor tuum, letabitur, & cor meum etiam ego.* Illa cordis repetitio magis ad leporem orationis, quam ad sententiam facere videtur. Sed obseruatione digna est extrema illa clausula *etiam ego.* Caietanus putat repetendum verbum *lato. i.* etiam ego letabor, aut gaudebo, vt significet eam læticiam non corde celandam, sed exterius etiam significationibus insinuandam fore, quasi dicat. tantam læticiam cor inde hauriet, vt inibi coërceri nequaquam possit, sed impetu suo foras erumpat, & in faciem redundet. Cum Caietano sentit Vatablus. Alii rursus ex Rabinis non insulsè docent iterandum potius illud *si sapiens fuerit,* hoc modo. *Si sapiens fuerit cor tuum, letabitur cor meum, & etiam ego sapiens ero.* Id est, si tu in doctrina profeceris, memet sane profecisse existimabo, quasi dicat, inde mihi læticia atque gaudia tanta vis affluet, quia tuos in doctrina progressus meos existimabo: vel certe significat se tradendis auditori suo sapientiæ documentis, vere suam doctrinam cumulatorem: nam, vt supra c. i. v. 3. non paucis docuimus, auditor alacer, qui doctrinam auidè arripit, præceptoris suo sapientiam addit.

Ceterum quamuis hæc & alia non ineptè dici possint, tamen re vera hic Hebraismus est, quo Salomon ad augendam sententiæ vim non semel aliàs vtitur in hoc libro, vt capite superiori obseruauimus vers. 19. ad illa verba, *Vnde, & ostendi eam tibi hodie,* quibus in Primitiuis hæret *etiam tu,* quemadmodum hinc, *etiam ego,* Itaque hæc iteratio maximam lætitiæ vim significat, quæ ex discipuli progressu ad doctorem redit. Sed vnde tanta solatii affluentia ex auditoris profectu doctorem perfundit? in promptu est altera ratio, quam attigit Seneca in Epistola 27. *Cupio, inquit, omnia, quæ scio in alium transfundere, aliquidque gaudeo discere vt doceam, nec me vlla res delectabit, licet sit eximia, & salutaris, quam mihi soli profu-*

Seneca.

A turam videro: si hac exceptione detur sapientia, vt illam inclusam teneam, nec enunticem, reuiciam nullius boni sine socio incunda possessio est. Ergo quia in suæ sapientiæ societatem auditor vocatur, ideo doctor gestit. Audiendus etiam Paulus ad Philippen. *Ad Phil. 4. Itaque, fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea.* Et 1. ad Thessalonicenses 2. *Quæ est enim nostra spes, gaudium, aut corona gloria? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius: vos enim estis nostra gloria, & gaudium.* Contemplabatur scilicet Paulus Philippensium, & Thessalonicensium in doctrina sua progressus, atque inde mitificè delinitus eos gaudium suum esse dicit. Coronam autem cum gaudio copulauit, vt significaret cum læticia gloriam coherere, & cum voluptate honestatem. **B** Theophylactus ea verba, quæ Paulus ad Thessalonicenses affatus est, matris esse dixit amantissimæ filijs suis ablandientis. Ita enim solent matres infantes suos compellare, *Mi consuelo, mi Rey, mi Emperador,* & his similia.

Ad Phil.

4.

1. ad Thes.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

2.

C Sed si quidem in filios incidimus, huius certè gaudii, quo præceptor ex auditoris sui doctrina suffunditur, præcipuam causam attigit Diuus Ambrosius, qui hanc animi delectationem cum ea componit, quam mater susceptis filijs consequi solet; ad quem sensum allicit illud Evangelicum exemplum. *Mulier cum parit tristitiam habet, cum autem peperit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Nam, licet sic dicere, tunc præceptor discipulum veluti parturit atque enititur, cum illum assiduo labore erudit, atque informat; at postquam is doctus, ac scientia non vulgari instructus euasit, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum, id est, succedente gaudio obliuioni dolor committitur, quia vir doctus in publicam utilitatem luci datus est. Et quidem parentum de susceptis filijs læticia in eo præsertim fita est (vt aliàs non semel obseruauimus) quod liberi post parentum obitum superstites eorum vitam seruant, illosque quodammodo immortales reddunt, iuxta illud Ecclesi. 30. *Mortuus est, & quasi non est mortuus, reliquit enim similem sibi post se.* Haud dissimile ergo est doctotis de discipulo iam docto solatium, quem propterea impensius lætari crediderim, quia ea ratione suam ipsius sapientiam per mortem nequaquam abolendam, sed in auditore seruata posteritati tradendam putat. Huc spectat id quod statim atexit Salomon.

88.

Ecclesi. 30

D *Et exultabunt renes mei cum locuta fuerint recta labia tua:* Renes quidem ad generationem spectant, & ipsam generandi facultatem in scriptura innuere solent. 3. Regum 8. *Sed filius tuus: qui egredietur de renibus tuis,* & alibi. Atque adeo propterea renibus potius, quàm aliis membris hanc læticiam tributam dicemus, quæ ex spiritualium filiorum generatione suscipitur. Tunc verò gaudium hoc longe maius futurum dicitur, cum discipulus ea, quæ à doctore accepit, aliis instillare incipit. **E** *Cum locuta, inquit, fuerint recta labia tua.* Quia quemadmodum (author est Philosophus Ethicorum 8. cap. 11. & 12.) aui ardentius diligunt, & suauis amplectuntur nepotes, quàm liberos, quia scilicet vitæ suæ propagationem, quam per sobolem affectant, longè us ad seram posteritatem per nepotes aut pronepotes protendi vident: Ita etiam doctores, cum discipulos suos auditores iam habere vident, gaudent impensius quia suam sapientiam latius propagari, & ad posteros longè transmitti vident.

89.

Aristot.

LXX. locum istum sic extulerunt. *Et immorabuntur sermonibus tua labia ad mea labia, si recta fuerint.* Nam cum præmississent, *si sapiens fuerit cor tuum latificabis cor meum.* Si videlicet à me eruditus sapiens euaseris, gaudio perfundes cor meum; propterea ait, non perfunctoriè docebo te, sed tamdiu in tradenda tibi mea doctrina labiis meis immorabor, donec labia tua ad alios etiam perdocendos satis instructa sint. Hanc illis verbis inesse vim puto, quorum constructio sic pangenda est. *Et immorabuntur sermonibus tua labia ad labia mea,* id est, *apud mea labia;* (sic restituit Complutensis codex.) Nimirum erunt tamdiu tua labia apud mea, donec eadem dictare possint tua alius, quæ mea tibi dictauerint, *si videlicet recta fuerint.* Græcè *ἔρσα*, id est bona, quæ vox aliquando significat *habilia*, quemadmodum etiam apud Latinos *bonus* habilem nonnunquam sonat. Maro.

Cur non Mopse, boni quoniam conuenimus ambo, Tu calamos inflare leues, ego dicere versus.

Boni, inquam, *inflare*, aut, *dicere*. *apti* & *periti*, ad eundem modum cum ait *si recta*, aut, *bona fuerint*, perinde est, ac si dicat, *si quidem habilia* & non inepta. *i.* donec apta, & habilia ad dicendum sint. Et quidem nihil est quod præceptorem magis erigat ad discipulum cum temporis etiam, ac laboris magno dispendio imbuendum, quam cum viderit illum accepta semel auidè arripere, & in mente fideliter reponere. Adeo ut Chrysostomum Homil. 4. in Genesim ad auditores discendi auidos ita fari non pigeat. *Vos quidem per Dei gratiam, etiamsi magis muti essemus quàm lapides, possitis nostrum stuporem emendare, & cogere, ut dicamus ea, qua vobis conducunt.*

Virgil.

Chrysof.

XVII. *Non emuletur cor tuum peccatores: sed in timore Domini esto tota die.*

XVIII. *Quia habebis spem in nouissimo, & præstolatio tua nunquam auferetur.*

Non amuletur, &c. Hebr. non dissonant. Chal. & LXX. concinunt.

Quia habebis spem, &c. Hebr. ad verbum, *erit tibi nouissimum, & spes tua non succidetur.* Pagninus, *quia est tibi merces.* Caietanus, *Sed est finis, & spes tua non succidetur.* Chald. *ut sint nouissima tua bona, & spes tua non consumatur.* Septuaginta, *Nam si seruaueris ea, erunt tibi nepotes, spes autem tua non recedet.* Ad hanc translationem accedit Vatablus, quæ sic restituit. *Erit enim tibi posteritas, &c.* Aquila & Symmach. *Et spes tua non extinguabitur.*

Non amuletur cor tuum peccatores. Verbum *ἄρπη* Kana, quod hîc reperitur, non solum est ex liuore inuidere aut zelari, sed etiam ex studio aliquid imitari: atque adeo duplex sensus ex his verbis excitari potest. Alter est de morû imitatione, quem minimè probo, alter de fœlicitatis inuidentiâ, hunc præfero. Itaque ait. Ne impiorum fortunæ, ac fœlicitati inuideas, nihil enim in his inuidentiâ dignum est. Eodem sensu Psalmographus. *Noli amulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem: quoniam tanquam fœnum velociter arefcunt. & quemadmodum olera herbarum cuiùs decidunt.* Quin imò, *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Identidem attexit Salomon. *Sed in timore Domini esto tota die.* Et rursus infra idem Psal-

Psal. 36.

Tom. 2.

Ates. *Noli amulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias, &c.* Vbi plura subnectit de hoc argumento, quibus suadet David ad impiorum fœlicitatem & secundam fortunam nequaquam per inuidentiâ aspirandum esse: quia hec fœnum & olera adhuc in herbis vernantia imitatur, atque adeo ocysus marcet, & tabescit. Diuus Hilarius inter duas illas similitudines *fœni*, atque *olerum*, aliquid interesse dicit: sed quid hoc? *Fœnum* utique sæpius ab æstu succedente soluitur, & siccatur antequam semen progerminet, ac decoquat: olera etiam ab horri cultore sæpius succiduntur antequam seminent. His ergo ad similes est impiorum fœlicitas, aut enim ipsa per se sponte tabescit ut fœnum, aut olerum in modum ex Dei prouidentia succiditur, nunquam tamèn seminare permittitur, ad posteros, videlicet propagari minime sinitur, sed in ipsis proflus interit, ut statim dicemus.

Hilarius.

Ant igitur Salomon, *In timore Domini esto tota die*, id est, toto vitæ tempore. Plerique habent *sta*, aut, *persta*. Sustinentiâ suadere videtur, quasi dicat, Impiorum fortunam contemplatus nè inuideas, sed inter infortunia, & labores, quibus affiduò concuteris, *persta* immobilis. In Græcis quibusdam exemplaribus non est *isti*, id est, *sta*; sed *στύβη* à verbo *στέβω*, quod propriè significat erigere columnam aut statuam, inde n. *στυβος*, id est, columna; Itaque sensus est, *In timore Domini statua aut columna in modum persta.* Ita nimirum ut tibi timor sit pro basi ad soliditatem. Audi Ambrosium in Psal. 118. ad illa verba. *Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo. Basis quadam verbi est timor sanctus: sicut enim simulachrum aliquod (aut etiam columna) in basi statuitur, & tunc maiorem habet gratiam cum in basi statua fuerit collocata, standique acceperit firmitatem; ita verbum Dei in timore sancto melius statuitur, &c.* Ac ne putares eloquium Dei tantummodo huic basi insitere atque inniti, subdit etiam Apostolos columnarum in morem in eadem basi incubuisse. *Et quia basim*, inquit, *timorem Dei diximus, ne quid alienum ab scripturis posuisse nos quisquam putet; accipiat lectum in Canticis Canticorum, Crura eius columna marmorea fundata super bases aureas, significans columnas esse Ecclesia Apostolos, qui fundati sunt in timore sancto.* Et sicut Petrus, Iacobus, Ioannes & Barnabas columna esse videntur Ecclesia: sic etiam, quicumque vicerit hoc seculum, fit columna Dei, quam confirmat qui dicit, *ego confirmavi columnas eius.* Itaque timor Dei est basis solidissima, in qua hominem columnæ aut statuæ in morem persistere oportet, ne illum alienæ prosperitatis æmulatio impellere possit. Huius autem æmulationis ad hominem impellendum, & deturbandum vim satis declarauit David in Psal. 72. cum ait. *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei.* Quid autem illud fuit adeò violentum, quod tantam Prophetæ constantiam impulerit nihil aliud sanè, nisi æmulatio peccatorum. Subdit enim statim. *Quia zelauit super iniquos pacem peccatorum videns.* Apertè igitur Salomon, *in timore Domini esto tota die*, vel columnæ ad instar *persta*; neque enim minor constantia contra illam æmulationem satis est.

Psal. 72.

Addit huius constantiæ præmium, *Quia habebis spem in nouissimo, &c.* Perstringo aliarum translationum sententias. Caietanus habet, *quia est finis, & spes tua non succiditur.* Quæ verba duplicem sensum reddere possunt. Alter est; ne inuideas fœlicitatem impiis, ac peccatoribus; quia

C ij

bona illa, quæ ipsi nunc possident, finem tandem fortiri oportet: ea verò quæ tu in spe habes, finem profus ignorant. Vel aliter; Ne te felicitàtis impiorum zelus capiat, dum te fortasse laboribus & molestiis oblectum conspicis, quia finis est, quia nimirum labores & molestiæ huius vitæ tandem aliquando definiri oportebit, spes autem æternæ felicitatis capeffendæ nunquam succidetur. Elegans est metaphora, & vim verbi originalis omnino exhauriens non succidetur. Succidere enim propriè est ab inferiori parte aliquid excidere. Ambrosius in Psalm. 118. spem patientiæ radicem appellavit. Si spem, inquit, auferas, non potest perpetua esse patientia, nam patientiæ radix spes est. & quidem quò maior est laborum tolerantia, eò profundius demittit radices suas spes. Vnde Paulus, Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem. Aptè igitur Salomon, ut eum, qui laboribus assiduo vexatur ab æmulanda impiorum felicitate contineat; docet primò, ut in timore Dei persistet, veluti columna in basi, & ut spem alat, sic enim fiet ut patientia & tolerantia, radice non careat: quin potius huic affixa radici constans sit, ac perennis. Ideo spem nunquam succidendam iri, ut sciamus illam esse tanquam radicem robustam, & tenacem, quæ nulla vi exciudi, aut etiam ab animo auelli possit.

Quod illud non succidetur sincerius accipiamus. i. non excidetur, aut non frangetur, ut alij etiam legunt. adest nobis Chrysostomus in Epist. 5. Spes, inquit, ipsa est catena aurea, & firma, qua de celo propensa subducimus animas nostras que breuè ad illud fastigium celi retracta, & reducta, eos, qui illam fortiter manibus seruant, euellit, ac rapit supra fluctus præsentis vitæ omnium longe periculosissimos. Loquitur autem Chrysostomus de spe in tribulationibus & ærumnis. Hæc igitur spes illa de qua Salomon, non succidetur, non frangetur, catena est firmissima, atque adeo quantumuis hominem grauissimum calamitatum pondus deprimat, si tamen eam manus tenax non abiiciat, eum certè infracta & insoluta ad sublimia leuare potest. Sed vide astum inimici, qui nos ab spe nostra deiicere nunquam non molitur. Subdit Chrysostomus. Hæc cum agnouit versipellis, si quando ipsi nos conscientia malorum operum onerauimus, tunc ille reuersus ingerit cogitatione omni plumbo grauiorem, qua vergimus ad extremam salutis desperationem, qua semel suscepta continuo deprimimur pondere, & omissa catena illa, delabimur ad extrema malorum. Hæc autem Chrysostomus propterea attexit ut significet hanc spei catenam non laborum, & molestiarum pondus, sed peccatorum, ac scelerum onere intercedere, ac ne tùm quidem eam defringi, aut dissolui dicit, sed è manibus abiici. Accedit etiam Diuus Paulus, qui spem sacram anchoram merito appellat, ad Hebr. 6. Quam sicut anchoram habemus, &c. Anchoram, inquam, quæ nos inter huius sæculi vndas fluctuantes offimat, & stabiles reddit. Si igitur spes iusti anchora est, aptè Salomon, non succidetur. Id enim anchoris cum primis proprium est.

Pagninus habet, Quia est tibi merces, quasi dicat, ne illis fortunam inuideas, quia longè dignior fortuna, ac fors te manet, quam ob exantiatas calamitates mercedis loco referes, Chaldaus legit, ut sint nouissima tua bona, atque adeo à peccatorum nouissimis diuersa, quibus nihil est infelicius. Itaque iubet obseruare nouissima, ne præsentem impiorum felicitatem admiretur, Præmissæ lectiones non longè à se inuicem abeunt illa

A quidem longius recedit, quam sequati sunt lxx. Nam si seruaueris ea, erunt tibi nepotes, spes autem tua non recedet. & Vatablus. Quoniam aderit tibi posteritas. Itaque Salomon iuxta has translationes, his, qui in laboribus positi impiorum felicitati, & fortunæ non adhaerent, sed in timore Dei persistunt, copiosam sobolem, & posteritatem pollicetur: sed qua ratione, inquit, vnum cum altero, nimirum, actio coheret cum præmio subiiciam. Omnis utique bona, & Deo grata iusti hominis actio digna est præmio temporali, atque æterno; Deus enim vtraque bona, temporalia, & æterna, iustis præmij loco numerare consuevit. Salomon ergo, ut iusto honestè viuenti,

B cui Deus temporalem felicitatem mercedis loco necdum numerauit, sed in laboribus, & angoribus eundem versari sinit, solatium impendat, pollicetur illi præmio etiam temporali ipsum nequaquam defraudandum esse. Itaque sic ipsum affatur; Noli tibi peccatorum temporalem fortunam expetere, quia erunt tibi nepotes, & spes tua non recedet. Quasi dicat præmium temporale, quod honestis operibus respondet, in nepotibus tibi persoluet Deus; erit, scilicet, tibi longa posteritas, quæ eam felicitatem, qua tu exercitationis, & gymnasij gratia priuaris, ob tua merita, obtinebit: te autem certior, & augustior spes æternorum bonorum manet, quæ nulla temporum aduersitate deficiet. Ad hunc modum actio, atque præmium sibi respondent. Huc spectasse etiam videtur Psalter in eo Ps. 36. Noli amulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & tanquam olera herbarum citò decident. scilicet antequàm feminent, ut ex Hilario supra notauimus. Quibus similitudinibus venustè admodum significat peccatores felicitatem illam, qua vtuntur in hac vita, ad posteritatem nequaquam transmissuros, quia prius quàm feminent. i. antequàm sobolescant, de medio tollentur: contra verò de iustis sic attexit. Quoniam qui malignantur exterminabuntur: Sustinentes autem Dominum ipsi hereditabunt terram, per liberos scilicet, atque nepotes eius, qua ipsi fraudantur, felicitatis & fortunæ hæredes.

D Nostra autem translatio perspicua est, atque 96. interpretatione vix eget. quia habebis spem in nouissimo, & præstolatio tua nunquam auferetur, id est, Si in timore Domini aduersus æmulationem illam constans persisteris, spem quandam ales quæ tibi ad vsque extremum spiritum semper aderit, ac tunc demum nequaquam frustrabitur. Id sibi vult illud non auferetur, aut non succidetur, id est, tandem aliquando obtinebis ea, quæ diu speraueris. Ad hanc etiam sententiam allici possunt ille fœni atque olerum similitudines, si dicamus per eas spem impiorum significari. Ita nimirum, ut non seminare, aut semen non decoquere, vel perficere, sed in herbis, aut excindi, aut tabescere, sit spem suo fine frustrari; nam in graminibus flos quidem spem, semen autem quod deciduo flore manet, ipsius spei finem. hoc est rei speratæ adaptionem notat. At ergo Salomon, & præstolatio tua non auferetur, aut non succidetur, id est, fœni atque olerum in morem non demetetur, sed flos ille ad semen, fructumque perueniet, & quæ diu sperasti, tandem aliquando obtinebis.

Ambros.

94.

Chrysost.

Psalmi 6

Ad Heb. 6.

95.

Pagnin.

XIX. Audi fili mi, & esto sapiens, & dirige in via animum tuum.

AUDI fili mi, &c. Hebr. Et fac progredi in via cor tuum. Vatab. Vt beatum sit in via cor tuum. lxx. Et dirige cogitationes cordis tui. Nota est verbi illius אָשׁוּר *Asur*, vis, & significatio, quæ, vt aliàs non semel obseruauit, significat *ambulare, dirigere aut rectam viam intendere*, & ad fœlicitatem, & fortunam transferri solet. Hinc natè supra scriptæ lectiones.

Excitat denuò Salomon auditorem suum, vt ea, quæ ipsi tradit, libenter audiat, & cum his vitam, moresque conformet: hæc communis interpretum mens. Sed ne frigeat hæc sententia, sensumque Salomone dignum ex illa excutiamus, existimo illum perspicuè adluisse ad illos, qui viam sibi ignotam, & nunquam emensam curpant, qui alios sapius rogantes, & eos de natura, & rectitudine viæ libenter audientes, absque errore aliquo ad urbem denique veniunt. Hinc nata vulgaris apud nostrates Parœmia, *Quien lengua ha a Romava*. atque illa, *Quien pregunta no yerra*, quam à viatoribus petitam etiam puto. Similem admodum Salomon, *Audi*, inquit *fili mi, & esto sapiens, &c.* In his nimirum, quæ satis ignoras, require doctorem, atque illum audi; nam eum sapius rogans, & audiens, licebit tibi viam tuam regere, & ad illius finem citius, & absque erroribus peruenire: Cui ad simile est etiam illud, quod apud Latinos proverbi locum obtinet, ex Plauto petatum, *Qui viam nescit ad mare fluvium sequatur*. Nec non illud, *Qui viam nescit, virgiferum eligat*. Quæ omnia significant illis, qui aliquid ignorant, doctore opus esse, vt absque erroris periculo rem peragant.

Potest etiam aliter locus expendi, si originalem lectionem in consilium vocemus, quæ sic habet. *Audi fili mi, & esto sapiens, & fac progredi in via cor tuum.* (Est nimirum thema in coniugatione Niphii, quæ eam viam verbis imprimere solet.) Itaque sensus est: si forte adhuc hæres, & honestatis viam aggredi, aut tentatam iam persequi non audes, audi iterum atque iterum doctores sapientes: his enim calcariibus temetipsum incitabis ad progressus in pietate, ac virtute faciendos. Hoc sibi vult illud *fac progredi*, i. ad progrediendū adige, & compelle: verba. n. sapientū pro stimulis sunt, quib. animus ad honestatem impellitur subiungit.

XX. Noli esse in conuiujs potatorum, neque in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt.

XXI. Quia vacantes potibus, & dantes simbola, consumentur, & vestietur pannis dormitatio.

NOLI esse, &c. Hebr. ad verbum sic habent. *Nefis inter vini potatores, & inter comessatores, carnis sibi.* Chald. *Ne sis inter eos, qui comessantur carne, nec inter illos qui inebriantur vino.* lxx. à quibus noster translationem suam expetiuit, sic restituit. *Ne fueris bibax vini, neque extēdas te ad simbola, & carniū emptiones.* Symmach. *Ne sis cum his, qui ex simbolis carnes edunt inter se.* Quia vacantes, &c. Hebr. *Quia bibax, & edax,*

pauper efficietur, scissuras facies induere dormitatio. Chald. *Et panis ruptis vestietur dormitatio.* lxx. *Omnis enim ebrius, & scortator mendicabit, & inducetur disruptis, lacrisq; omnis somnolentus.* Aquil. & Theod. *Quia omnes ebrii, & dantes simbola, &c.*

Mentem Salomonis assequi in hoc loco facile est; Nam obiecta paupertate, & rerum omnium penuria, à conuiujs, & comessationibus ferè dehortatur. Sed in verbis, & totius sententiæ structura aliqua obueniunt scitu digna, quæ replicare, & euoluere oportet. *Noli*, inquit, *esse in conuiujs potatorum, &c.* Caietanus locum istum exponere adorsus, sic illum iuxta Origines restituit. *Ne sis inter vini potatores, & inter comessatores carnis sibi.* atque, vt pronomini illius *sibi* exhaustiat vim sic addit. *Comessatores carnis sibi*, illi dicuntur, qui non ad necessitatem naturæ leuandam, sed ad delectationem, & voluptatem edunt. Addit tamen præclarum quendam sensum ex hoc loco elici posse, si quemadmodum sunt potatores qui se lacessunt ad æquales haustus, vel calices, vt in propinantibus contingit, ita etiam essent comessatores ad æqualia fercula: tunc enim sensus esset, *Noli esse inter comessatores carnis sibi*, id est, inter eos, qui sibi ferculorum, ciborumque mensuram mutuis prouocationibus definiunt. Sed tamen hanc edendi rationem ad æquales mensuras nunquam se aut vidisse, aut etiam accepisse Caietanus fatetur. Posset tamen aliquis huc transferre solennem antiquis morem munera destinandi in conuiujs, quæ munera à Latinis *partes*, à Græcis *πύρρα* appellare docui in c. 2. Cant. vers. 4. adseribam hic pauca ex multis Athenæus Hæmericum epulum scribens, *De sua*, inquit, *portione quisque elargiebatur, quibus esset collibitum.* Loquitur autem de Heronum cœna. Meminit etiam huius moris Apuleius lib. 8. *Partes*, inquit, *surreptas clanculum, & prægustatas à se porciones offerebat hilaris.* Sætonius in Caligul. *Qua epulatione equiti Romano contra se hilaris, au diuisque vescenti partes misit.* Lampridius etià de Alexandri Seueri partimoniam. *Semper de manu sua ministris conuiujs, & panem, & partes dabat.* At quis neget id officii à Ioseph in benevolentia significationem fratribus præstitum, Genes. 43. cum dixit. *Et mirabantur nimis sumptis partibus, quas ab eo acceperant, & maior pars venit Benjamin, ita vt quinque partibus excederet.* Quod non idè dictum quia quincupla portio Benjamin cessisset; id enim superfluum omnino, & à temperantia alienum; sed quia in eo conuiuio Ioseph cum missis partibus reliquos fratres honestasset, id ab omnibus obseruatum est, quod Benjamin quinque partibus auctus fuerat. i. quinque muneribus præ ceteris decoratus. Locus ergo Salomonis, iuxta ea, quæ diximus, sic edifferendus est, vt illud *sibi* non modo ad comessantes, sed etiam ad potatores referatur hoc modo (sequor lectionem originalem.) *Noli esse inter potatores sibi, & inter comessatores carnis sibi.* Noli scilicet apud eos comessari, & bibere, qui se mutuis propinationibus ad bibendum lacessunt, & destinatis etiam inuicem muneribus ad edendum prouocant. Fortasse etiam ad hanc interpretationem allici potest lectio Vulgata. *Noli esse conuiujs potatorum, neque in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt.* i. sibi inuicem conferunt, mittunt, ad vescendi intemperantiâ his se muneribus lacessentes: quod satis verisimile puto.

Cæterum crediderim Salomonem in hoc loco ad morem alium spectasse corrogandi sumptus, aut etiam cibos ad conuiuia, quæ corrogationes na-

Plautus. Terent. Laodicea Conc. Eccles. 32. 100. Fuluius.

ti qui *Symbola comessalia* dicere consueuerunt. Plautus in *Curcul. Symbolorum*, inquit, *collatores apud forum piscarium*. Terentius etiam in *Andria. Symbolum dedit, cœnauit*. Idem etiam in *Eunucho. Hæc aliquot adolescentuli conuimus in Pyrao in hunc diem ut de symbolis essemus. Cheraam ei rei præfecimus*. Iterum, & Plautus in *Sticho. Eo cōdictum symbolum ad cœnam, ac eius conferuum Sangarium Syrum*. Eiusmodi autem symbola comessalia serio admodum interdictis fidelibus Laodicense Concilium c. 55. his verbis. *Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos, vel etiam laicos Christianos ex symbolis, quæ vulgus comessalia appellat, conuiuia celebrare*. Apud nostrates hæc symbolorum collatio dicitur, *Escotar para el vanquere*. Itaque sensus est. *Noli esse in conuiujs potatorum, neque in comessationibus eorum qui carnes conferunt ad vescendum*. i. eorum qui collatis symbolis magnificas cœnas in dies construunt. *Quia vacantes potibus, & dantes symbola consumerunt*: quia nimirum illi, qui huiusmodi collationes faciunt, haud longo temporis lapsu facultates suas exhauriunt, & patrimonia decoquunt. Ianfenius, cum fortè in mentem venissent isthæc antiquæ collationes sumptuum ad cœnas, eas refutauit, quia textus habet, *qui carnes conferunt*. Sed eius censurâ refellere ex dictis licet, tum etiâ quia lxx. in sua translatione etiam sumptum meminere, ita enim habent, *Ne fueris bibax vini, neque extendas te ad symbola & carnum emptiones*. id est, ne sumptus conferas ad carnes cœmendas. Quo autem apud Hebræos istiusmodi etiam symbola solemnia essent, comprobatur locus *Ecl. c. 32. Rectorem te posuerunt, &c. & breui verborum interstitio. Omni tua cura explicita recumbe ut lateris propter illos, & ornamentum gratia accipias coronam, & dignitatem consequaris corrogationis*. id est, ut inter corrogantes, & symbola conferentes dignior sis.

Alii verò ad locum istum exponendum alium etiam antiquis morem solemnem asciscunt. Præficiabant, inquit veteres suis conuiujs symposiarchas, seu cœnarum moderatores, penes quos erat torius epuli arbitrium; nam bibendi, edendæque leges, & mensuram præscribere, loca distribuere, & alia eiusmodi decernere ad ipsos spectabat. Hos autem corrogatis partibus obsequij ergo conuiuæ honestate consueuerant, destinatis videlicet munusculis quibusdam mysticis, de quibus nuper in hoc c. vers. i. aliquid etiam diximus: quæ mûnera haud ineptè symbola appellare licet, (quidquid enim alterius rei significationem in se continet symbolum dici solet) Nam verbi causa, aliquis ut symposiarchæ robur, & lacertos commendaret *armum* illi deferebat, alius verò ut facultatem eiusdem notaret *linguam* destinabat, & alij alijs eiusmodi symbolicis munusculis, prout cuique collibitum erat, conuiuij Regem honestabant; hoc autem non nisi in splendidissimis cœnis fieri solitum docet Fuluius in sua appendice. Vide quæ nos in eum locum coniecimus, & Ecclesiastici interpretationem accipe. *ut dignitatem consequaris corrogationis*. Vt si conuiuæ destinatis muneribus mysticis laudes tuas celebrent, & eas, quibus polles, virtutes deprædicent. Et quidem ad hunc etiam sensum hanc Salomonis sententiam allicere integrum est. *Noli esse in conuiujs potatorum, neque in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt; Quia dantes symbola consumerunt, &c. noli scilicet splendidissima, lautissimaque conuiuia celebrare, in quibus Reges præfici, & munerum symbolicæ collationes fieri consue-*

A runt; nam per breui tempore exhaustis fortunis deficiet. Sed tamen secundum expositionem præfero.

Et vestietur pannis dormitatio. lxx. sententiam huius hemystichij enuclearunt, & vestietur disruptis, lacerisque omnis somnolentus. Itaque dormitatio aut somnus pro dormitante ac somnolento capitur. Mens autem Sapientis est duplicem rationem assignare, ob quam comessatores, & vinolenti patrimonia sua citius conterunt: altera est sumptus magni, & expensæ ad instruendas cœnas collatæ: alia verò torpor, somnolentia, ac socordia, quæ ex cibi, atque vini intemperantia accidere solent: ex quo fit ut comessator multa profusè expendens & nullum industria sua quantum faciens quàm citissimè decoctis facultatibus egeat. Quid plura? Cum duabus iam præmissis indigentia causis aliam copulant LXX. scilicet scortationem, temulentiam, & gulæ germanam sobolem; ita enim locum integrum dederunt. *Omnis enim ebrius, & scortator mendicabit, & induetur disruptis, lacerisque omnis somnolentus*. Itaque ebrietas, & gula, bibaces, atque helluones, non modò socordes, ac desides, sed etiam libidinosos & scortatores reddit: gula autem, desidia, & scortatio certissimi sunt proximæ paupertatis arrabones. Neque paupertatem modò obiicit Salomon comessatoribus, sed etiam dedecus, id sibi volunt illa verba. *Induetur disruptis, lacerisque omnis somnolentus*. Nam quemadmodum honesta vestis præcipuum est honoris insigne; ita etiam pannosum, & lacerum vestimentum vulgò dedecoris nota est; propterea filium illum degenerem, ac prodigum, qui acceptam à patre suo hæreditatem profuderat viuendo luxuriosè, cum primùm ad parentis oculos venit, iubet pater pannosa deponere (eò enim redegerat illū luxus, & libido) & honestate induere. *Cirò, inquit, proferte stolam primam, & induite illum, & date anulum in manum eius & calceamenta in pedes eius*. Sed eruditè super hunc locum Clemens Alex. 2. Pedagog. c. 2. *Omnis enim ebriosus, & fornicator mendicabit, & induetur laceris, & pannosis omnis somnolentus; Somnolentus enim est, quisquis ad sapientiã non vigilat, sed ab ebrietate in somnum demergitur. Et laceris, inquit, induetur debacchator, & per ebrietatem pudore afficietur propter eos, qui aspiciunt. Peccatoris enim foramina sunt ea, quæ ex veste carnali sunt lacerata, perforata a libidinibus, per quæ dedecus intra animam cernitur, nempe peccatum, propter quod non facile seruabitur vestis, quæ vndique diuisa est, & dilaniata multis marcescens cupiditatibus, à salute separata, ac discissa*.

Sed ut accommodatitia subiiciamus, Diuus Gregorius libr. 4. Moral. c. 25. locum istum detractoribus donat his verbis. *Sciendum quoque est, quod hi, qui aliena vitæ detractioe pascuntur, alienis proculdubio carnibus saturantur* (expedit quippe illa Job verba, *Et carnibus meis saturamini*) Vnde per Salomonem dicitur *noli esse in conuiujs potatorum, neque comedas cum eis, qui carnes ad vescendum conferunt: carnes quippe ad vescendum conferre est in colloquutione derogationis vicissim proximorum vitia dicere. De quorū illic poena mox subditur. Quia vacantes potibus, & dantes symbola consumerunt, & vestietur pannis dormitatio. Potibus enim vacant, qui de opprobrio aliena vitæ sese inebriant. Symbolum verò dare est, sicut vnusquisque solet, pro parte sua cibos ad vescendum, ita in confabulatione detractio nis verba conferre. Sed tamen vacantes potibus, & dantes symbola consumerunt, quia scriptum est. Omnis detractor eradicabitur. Vestietur autem pannis dor-*

101.

Luc. 15.

Clem. Alex.

102.

Gregor.

mitatio, quia despectum, & inopem ab omnibus bonis operibus mors sua inueniet, quem hic ad aliena vite exquirenda crimina detractionis sua langor occupauit. Hæc Gregorius satis acutè. Ex quo in sua commentaria transtulerunt & Beda, & Salomus.

XXII. Audi patrem tuum, qui genuit te, & ne contem nascum senuerit mater tua.

AUDI, &c. Hebr. Audi patrem tuum: alij, Audi patri tuo, ipse genuit te, &c. Chal. Acquiesce patri tuo, qui genuit te. lxx. Audi fili patrem, qui genuit te, & ne contemnas, quoniam senuit mater tua.

Parentem suum audire adolescens iubetur. Audi patrem tuum, qui genuit te. Locus facilis, aliquid tamen inter expositores dissidij est. Alij enim hoc ad obedientiam referunt, quibus acciuit Chaldaus, *Acquiesce patri tuo, qui genuit te.* Alij de præceptis, ac monitis paternis auide auscultandis accipiunt; quam expositionem tum nostra, tum etiam lxx. interpretum translatio commendat: utraque autem apta est. Si ergo de obedientia, & obsequio patri exhibendo sermo sit, sensus erit eiusmodi. *Audi, vel, acquiesce patri tuo, qui genuit te.* Rationem obedientiæ deferendæ claudunt extrema illa verba, *qui genuit te.* Et quidem hæc ratio tantopere filios parentibus obstringit, ut illos eo ex nomine, teste Philosopho, parentum seruos, vel potius verbas, scilicet mancipia domi nata compellere liceat. Verba Philosophi alibi dedimus, quapropter non modò liberale aliquod obsequium, sed (si fas est dicere) seruilem obedientiam patribus debent, eam scilicet quam vernæ Dominis deferre solent. *qui genuit te.* Obedientiam debitam alia etiam de causa ex generatione fluit; quia parentes omnem nostram actionem suam vendicant. Audi Hieroclem apud Stobæum lerm. 77. *quemadmodum, inquit, Phydæ aut aliorum artificum opera, & si ipsa rursus alia quæpiam facerent, ea quoque non dubitarem opera nominare artificum: eodem modo actiones etiam nostræ parentum nostrorum opera esse dicuntur, per quos, ut ageremus, nati sumus.* Si ergo nostræ actiones, atque opera ex generationis debito patrum propria sunt, illis certè subesse, & ipsorum imperio regi, & impelli debent. Et quidem hic Philosophus filiorum erga parentes obedientiam tam sedulam esse oportere affirmat, ut non solùm eorum apertam, & significatam voluntatem explere, sed nonnunquam etiam liberi diuinatione, & prælagio quodam ea exquirere debeant, quæ patribus placitura sperant, ut illa exequantur. *Nam, & ipsi, inquit, multa circa nos diuinarunt, cum ex inarticulato, & flebili vagitu deesse quidem nobis aliquid intelligerent, quid verò illud esset, non facile conyicerent.* Quo argumento vsus est etiam Xenophon de dictis, & factis Socratis, ad extorquendam à liberis obedientiam. Nam de matris erga illos cura verba faciens, sic ait. *Mater filium nutrit, ac illum curat, qui non modò ignorat eum, qui ei benefacit, sed neque declarare potest quibus indigeat? illa verò per coniecturam, que conducant, quæque grata sint ei conatur adimplere.* Nonne hæc parem compensationem exposcunt? Ita profectò. Atque eam vim habet illud *qui genuit te, i. qui te paruulum, & rationis expertem produxit, aluit, &c.*

Quod si dicamus non de obedientia, sed de au-

A diendis parentum documentis, ac monitis sermone hic haberi, sensus erit. *Audi patrem tuum, qui genuit te.* Nam generatio hoc tibi debitum audiendi imponit. Siquidem, ut aliàs non semel obseruauimus, doctor, & magister, qui puerum optimis documentis imbuit, patris etiam nomen fert, qui non corpus, sed animam ipsam quodammodo gignere, & procreare dicitur. Vnde Bassilius Imperator in his capitibus, quæ ad informandos Leonis filij sui mores dictauit, eam curam edocendi filij propterea à se susceptam dicit, ne illi etiam deesset ius paternum, aut patria potestas in animam filij cui generatio ius tantùm in corpus dederat. Huius Imperatoris verba alibi exhibui. Ergo Salomon eo nomine parentis documenta audienda esse dicit, *quia genuit.* Quia nimirum rationi consonum videtur, ut qui liberorum corpus per generationem procreauit, animam etiam per doctrinam, & institutionem progignat ac recreet, alioqui erit imperfecta, & quasi dimidia generatio. Quapropter filius, qui à patre corpus elaboratum accipit, animam eidem subdere debet, ut ab eodem perficiatur, & informetur. Subdit Salomon.

Et ne contemnas, cum senuerit mater tua. A matre contemptum remouere vult Salomon. Matres enim à filiis propter infirmitatem sexus despici solent, sed tum maximè, cum ad senectam peruenerunt: tum enim fere cum sexus, & ætatis imbecillitate copulari solet morositas, & aliqualis difficultas, quam filij grandiores facti iniquo animo ferre solent. Id ergo cauet Sapiens his verbis. *Et ne contemnas cum senuerit mater tua.* Xenophon quidem in opere illo de factis atque dictis Socratis Philosophi, cum vidisset aliquando filium in matrem suam iracundia incitatum, in eandem probra, & contumelias iacientem, longa oratione illum redarguit: sed inter alia hæc attexit. *Difficile admodum putas esse quacumque mater morosa, & senex dicit audire. At histriones cum in tragædiis alteri alteri maximas contumelias dicant, non propterea irascuntur, quoniam scilicet non putant, nec illum, qui redarguit, propterea redarguere ut damnatum inferat, nec illum, qui minatur, propterea minari ut mali quidquam faciat, idèo equo animo ferunt.* Tu autem cum haud ignores, quod quidquid mater dicit, non ut maleuola tibi dicit, sed volens tot tibi bona fore, quot nulli alij, agrè feres, aut opinaberis maleuolam tibi esse matrem? Si ergo istam, cum beneuola tibi sit, & quàm maximè potest, te procreet ut sanus, sit, nulloque priueris necessario, & ad hæc tibi multa bona fieri Deo oret, & vota reddat, difficilem esse ais, nec putas talem matrem ferendam, utique ego arbitror, præ tua ingenti malitia, bona te non posse sufferre. Quantus verò honor, & quanta admiratio matri senescenti debeat, subiicit his verbis. *An arbitraris àm vlli te hominum unquam oportere placere, sequi, aut parere, vel Duci, vel Principi, vel Imperatori, quàm matri? quasi dicar,*

omnibus his obsequiis, atque obedientiæ longè minus præstandum est, quàm genitrici. Denique filium illum de illata matris suæ iniuria iam dolentem sic admonet Socrates. *Tu itaque, fili, si compos es mentis, Deos, ut tibi ignoscant exorabis; si quid matrem neglexisti, ne ingratum te esse existiment, nec benefacere velint. Ab hominibus quoque cauebis, ne id rescuerint; si enim te arbitrarentur erga matrem ingratum esse, nullus putabit te pro acceptis beneficijs in referenda gratia memorem.* Hæc ille. Neque verò solùm honori, & obsequio erga matrem senescentem cedere omnino debent honores, & obsequia Duci, Principi, aut Impera-

Plato.

toti præstita, sed diuinos etiam honores, & cultum imitari. Plato in lib. 2. de legib. & ex illo Pampeus apud Stobeum de utroque parente sene sic scribit. *Existimandum est nullum apud Deos simulacrum honorandum magis habere non posse quam patres senio confectos, matresque similiter. & infra. Mirabilis profecto, & augustius parentum seniorum simulacrum, quam inanimes quæque imagines videri debent. Nam quæ animam habent quando coluntur à nobis, & ornantur, pro nobis orant, & optima dona nobis imprecantur; quæ verò anima carent, nihil tale faciunt.* Tantùm ergo à matre sene, & ætate confecta, abesse debet filij contemptus, & despectus, quantum ab aliquo Dei sacro sancto simulacro, quod violare impium, ac profanum est. Et quidem illud præ cæteris nostrum erga matres studium inflammare debet, quia cum Deum ob prouidentiam, quam habet rerum nostrarum, ex animo colere debeamus, ad eò ut nullus cultus nullumque obsequium tantæ erga nos prospicientiæ affecti par possit, nihil certè est quod diuinam erga nos prouidentiam ad viuum magis exprimat, quam matris erga tenellum puerum. Lege Synesium in lib. 1. de Prouidentia, vbi longa oratione probat non tam paternam quam matrem erga liberos curam, diuinam erga nos prouidentiam imitari; *Patres enim, ait, res tantummodo magnas, & precipuas curant, quæ ad filios pertinent; matres verò tam de minimis, quam etiam de maximis mira sollicitudine satagunt, quod diuina prospicientiæ proprium est.* Matri ergo post Deum cultus, & reuerentia maior exhiberi debet, cuius nullam, etiam post Deum, maiorem erga nos curam, & prouidentiam experimur. Scitè admodum, etsi audacter, Alexis apud Stobæum. *Non volui, inquit, matrem deserere, sed omnium primam seruare: nam rectè intelligentibus ne diuina quidem matri præferenda sunt. Vnde antiquissimus ille conditor non imperitus, matris ad eum consecrauit, non manifestè declarans cuiusnam, sed rem ex nomine coniectandam relinquens.* Hæc ex carmine in profam soluta.

Synesius.

Stobæus.

XXIII. Veritatem eme, & noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam.

107

Veritatem eme, &c. Hebræa non dissonant, quamuis etiam reddi possint, *Posside veritatem, &c.* nam verbum קנא Kanah, vtramque significationem sortitur; sic habet etiam Chaldæus. *Posside veritatem, & ne vendas sapientiam, &c.* Codex Vaticanus lxx. supprimit hæc verba, sed in Regio, & Complut. sic efferuntur. *Veritatem acquire, & ne repellas sapientiam, & disciplinam, & intellectum.* Illud verò circa textum Hebræicum obseruandum est, sic videlicet illud dispungi debere, *Veritatem emes, & non vendas sapientiam, doctrinam, intelligentiam.* Itaque illud non vendas, ad veritatem reuocandum, & verbum emes ad sapientiam, doctrinam, & intelligentiam accersendum etiam est, ita vt sensus sit; Veritatem quocumque pretio oblato emes, & eandem nullo accepto pretio vendas, pari ratione emes, minimèque vendas sapientiam, doctrinam, & intelligentiam. Hanc interpretationem sequuntur Caietanus, & Vatablus, qui vt, omnem adimeret amphibologiam, locum istum sic restituit. *Veritatem, sapientiam, disciplinam, & prudentiam compara, & ne vendas.* Sed tamen hoc leuissimum verborum dissidium est, nam sententia vtrinque eadem euadit.

180

A Omnia igitur illa, *veritas, doctrina, sapientia, & intelligentia* synonyma sunt, atque ad eò mens Salomonis hæc est; Pro veritate, hoc est, pro doctrina, & sapientia comparanda omnia bona externa profundenda sunt, tempus, labores, copiz, & si quid aliud pretiosius est, hæc. n. est prudens commutatio: dantur enim vilia, & acquiruntur pretiosa. Contrà verò vbi eandem quis sibi rerum suarum dispendio coemerit, nulla externorum bonorum æstimatione vendenda, ac permutanda est. Et quidem si per doctrinam, & veritatem aliquid non ad cognitionem, sed ad mores spectans accipiamus, scilicet honestatem, & virtutem, de huius mercatura, & negotiatioe sat multa contulimus supra cap. 3. vers. 14. ad illa verba, *Melior est acquisitio illius negotiatione auri, & argenti.* Adi eum locum. Si verò de veritatis, & sapientiæ speculatione sermo sit, haud ineptè etiam euadet sententia, nã istiusmodi veritatis speculatio, & theoria, digna est vt profusis etiam omnib' redimatur. Fecerunt hoc ex antiquis Philosophis Biās, Diogenes, Crater Thebanus, & alii, qui paranda gratia sapientiæ facultates, & fortunas suas libenter dimiserunt. Neque stulta fuit illa permutatio, cum reliqua bona humana vni sapientiæ facile cedant. August. de disciplina Christiana tractatu 1. c. 10. *Indignum, ait, est, iniuriosum est, si sapientia pecunia comparetur.*

B

C Sed licet præmissa interpretatio accommodata sit, tamen nescio in alia fuerit Salomonis mens, tu videris. *Veritatem* (inquit) *emes.* Si tibi opus fuerit tanquam in publica licitatione oblatis tuis fortunis sapientiam emere, ne dubites eam quibuslibet sumptibus comparare: at postquam eam tuis expensis coemeris, mihi fides sit, ne vendas, sed gratis eam tuis auditoribus impende. Huc spectat illud Pauli, qui in quosdam diuini verbi licitatores inuectus 2. ad Corinth. 2. sic scribit. *Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei.* Græcè *cauponantes*, i. tanquam in caupona vendentes. Accipe interpretationem Hieronymi. *In eo autem* (inquit) *quod se negat esse sicut multos, qui venditent verbum Dei, ostendit esse quam plurimos, qui questum putant esse pietatem, & turps lucri gratia omnia faciunt, qui deuorant domos viduarum, &c.* Et quidem non modò, hi qui questum ex doctrina faciunt, sed etiam illi sapientiam suam discipulis vendere dicendi sunt, qui illam non nisi rogati, aliquando etiam tristes, molesti, seueri, & difficiles impartiunt. Vel aliter, *ne vendas*, i. ne vendites, ne ostentes; nam, & illos, qui res suas publice celebrari, & laudibus vehi cupiunt, eadem vende, re haud ineptè dicemus.

August.

109

2. Cor. 2.

Hieronym.

XXIIII. Exultat gaudio pater iusti, qui sapientem genuit letabitur in eo.

XXV. Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet quæ genuit te.

E

Exultat gaudio, &c. Hebr. *Exultando exultabit pater iusti, & generans sapientem, & letabitur in eo.* Chald. non discordant. lxx. *Bene educat pater iustus, & in filio sapiente letatur anima eius.*

Gaudeat, &c. Hebræa non dissentiant. Chald. etiam concinit. lxx. *Letetur pater, & mater super te, & gaudeat quæ peperit te.*

Huius loci sententia admodum perspicua est: In priori quidem versu docet patrem incredibili gaudio perfundi (hoc sibi vult illud *exultat gaudium*

110

dio) si iustum, hoc est, bene moratum, aut sapientem, id est bonis artibus, & doctrina exultum filium sortitus est. Nimirum putat pater filii sui bona ad se pertinere, non solum quia quidquid boni agit filius iure generationis ad patrem spectat, sed etiam quia bonam indolem, pronos ad honestatem mores, idoneumque ad sapientiam ingenium filios à parentibus suis hausisse nemo non credit, iuxta illud Horatianum.

Horatius.

*Fortes creantur fortibus, & bonis,
Est in iuuenis, est in equis patrum
Virtus. Nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.*

Marullus

Quò spectauit etiam Poëta Marullus.

Nec leporem canis Amathius, timidæve columbam

Synesius.

Natus Hyperboreo falco sub axe creat.

Vnde satis aptè dicit Synesius patres illos qui militiam & castra non coluerunt, & qui sapientiæ scholas non frequentarunt, cum filios, aut fortes milites, aut doctos Philosophos euasisse viderint, propterea impèsius gaudere, & triumphare: quia eo argumento omnibus persuasum putant, etiam ipsos, si castra secuti fuissent, & scholas adiissent, similem in armis peritiam, & parem in studiis facultatem adepturos fuisse, quia eam indolè, quam liberis transmississent, in se, quasi in fonte, restituisse, & resedisse putant. Atque idem etiam de filiorum honestate, & pietate iudicium est: nam si patres olim improbi fuerunt, filios probos, ac pios deinde nacti plurimum lætantur, quia inde suaderi existimant, multa probitatis semina, & scintillas in ipsis manere, quæ deinde ali, excitarique possint. Aptè igitur Salomò, exultat gaudio pater iusti, &c.

III.

Deinde verò ad filios orationem conuertens ait. *Gaudeat pater tuus & mater tua, & exulter, quæ genuit te.* Quasi dicat: sic te gere, vt ex tua vel probitate, vel sapientia ingens ad parentes tuos gaudium redire possit, sed præcipue ad matrem: propterea enim iteratò dicit *& exulter quæ genuit te.* Sed cur matri solatium hoc potissimum impendi debet? ratio est in promptu, quia matrum in liberis edendis dolores, & cruciatus id suo sibi iure postulant, vt postea liberi exhaustos pro ipsis labores solatiis atque laxamentis compensent. Addo etiam matrum voluptatem ex probitate, aut peritia filiorum, natura suadente, maiorem esse: quia vt suprâ c. 10. v. 1. docuimus, filij indolem suam matribus potiùs quàm patribus debent: adi eum locum. Quanto verò studio liberi tum patri, tum matri solatia impertiri debeant, eleganti admodum oratione persequutus est Hierocles Philosophus apud Stobæum serm. 77. his verbis. *Ceterum animis parentum nostrorum lætitiâ in primis procurabimus, quæ inde maximè oboriatur, si probi fuerimus, & si dies noctesque cum eis conuerseremur, etsi nihil impediât, ne etiam simul ambulemus, simul vngamur, simul denique edamus, & bibamus. Quem admodum enim illis, qui longinquam peregrinationem instruunt, familiarium, & amicorum conuersatio, & extrema salutatio incundissima est: eodem modo parentibus breui è vita discessuris liberorum conuictus maximè per gratos est. Rursus alio etiam nomine filii parentes suos consolari semper, & quoad fieri possit, lætos & gratos sibi reddere debent, vt scilicet bona sibi ex animo precentur. Nam quemadmodum parentum detestationes filii exitio sunt, ita etiam preces, & benedictiones felicitatem eisdem exorant.*

Stobæus.

112.

Quantum verò lætitiâ, & animus erga filios alacer & iucundus ad precum, & benedictionum effectum conferat, testatur illud Isaci senis nobile

A exemplum, qui filio suo natu maximo Esau bona precari decernens, prius ab eodem aliquo officio excitari, & hilarem reddi voluit, Genes. 27. sic n. *Genes. 27.* pater ad filium. *Sume armatua, pharetram, & arcum, & egredere foras, cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer vt comedam, & benedicat tibi anima mea.* Quasi dicat: vt hilarior factus tibi ex animo benedicere possim. Cumque Iacob conuiuium adornasset, & cibos intulisset, vt benedictionem præriperet fratri, ac demum textus faceret. *Quos cum oblitos comedisset, obruisset etiam vinum, quo hausto, &c.* Quorsum hæc nouerat certè sanctissimus pater quantam vim benedictionibus, precibusque conferret hilaritatis, & voluptas gratis liberorum obsequiis, & officiis excitata. Asequutus etiam hoc est Plato dialogo 11. de legibus. Nam vbi præmisit parentum malas preces aduersus liberos à Deo exaudiri, sic statim ait exit. *Nihil imprecatione parentis non iniusta perniciosus filio. Nemo verò putet, cum pater, aut mater contemnitur, tunc solum detestationes eorum secundum naturam exaudiri, sed etiam cum honorantur. Atque adeo cum latiores bona liberis à Diis petunt, exaudiri eos similiter existimare debemus, sicque demum aqua nobis inde distribui. Nam aliter in bonis distribuendis iusti non essent, quod longe à diis abesse necesse est. Quasi dicat: hæc duo æqualiter à Deo dispensantur: nam sicut Dij parentes à filiis contristatos, & dolore affectos, cum mala filiis deprecantur, exaudire solent: ita etiam, imò potiori iure, eosdem liberorum obsequiis, & officiis alacres & hilares factos, cum bona illis deponunt, exaudiunt, & ipsorum postulationibus annuunt. Iam intelligis quantum ad filiorum felicitatem auxiliij afferant solatia parentibus impensa, vt propterea Salomon meritò dixerit, *Gaudeat pater tuus, & mater tua, &c.* Translatio lxx. *Bene educat pater iustus,* interpretatione non indiget: significat enim probis, ac piis parentibus nihil esse antiquius, quàm filiorum optima educatio.*

Plato

XXVI. *Præbe mihi fili cor tuum: & oculi tuæ vias meas custodiant.*

D XXVII. *Fouea enim profunda est meretrix, & puteus angustus aliena.*

H Os duos versus astringit illa causalis particula enim atque adeo vtrumque copulare opus fuit. *Præbe mihi, &c.* Hebr. à Vulgatis non recedunt. Chald. *Pone sili mi cor tuum ad me, &c.* lxx. etiam hærent Vulgat. *Fouea enim profunda, &c.* Hebræa etiam, & Chaldaica concinunt cum nostris. lxx. verò interpretum latum à Vulgatis dissidium. *Dolium enim perforatum est aliena domus, & puteus angustus alienus.* Alii *dolium perforatum,* eodem sensu.

Hugo Cardinalis, Dionysius, & alii non pauci hæc verba à Deo probari putant, quibus scilicet cor, id est, amorem & affectum sibi à iuniori donari postulat, antequam meretrix illum sibi eripiat: ab illa enim ipsum recuperare, & Deo restituere perdifficile postea est. Non iniucunda expositio & satis vera sententia, sed (ni fallor) à textu longe abhorret. Melius ergo Caietanus, Iansenius, Rodolphus, & qui ab eis excipere solent, putant hinc Salomonem fari, (neque enim probò eorum expositionem, qui hæc filio à parente dictari voluerunt.) Alloquitur verò auditorem suum, cuius

in hoc libro attentionem passim excitat. Itaque ait, *Præbe mihi fili cor tuum.* Accommoda, inquit, mihi mentem tuam, & oculi tui vias meas custodiant, id est, per omnia præcepta & documenta mea intentis oculis perge, ne ab illis, aut deflectas, aut aberras: si enim ab his aut deflectere, aut aberrare contigerit, adest proximè fouea, & puteus angustus, in quem certissimè delapsus peribis. Hæc est istius sententiæ tota energia: sed quisnam hic angustus puteus, & ima fouea?

114.

Fouea enim profunda est meretrix, & puteus angustus aliena. Pro fouea in primitiuis est שוכח *Suchach*, quæ vox foueam, fossam, qua vrbes cinguntur, & sepulchrum etiam sonat: ex Rabinis autem non nemo ea voce propriè & germanè fossas notari existimauit, quibus vrbes circum circa muniti consueuerunt. Eandem vocem lxx. passim interitum, perditionem, & corruptionem transtulerunt, quos non semel imitatus est Vulgatus. Rursus hîc loco putei subest באר *Beer*, cuius vocis vim dedimus, quam nihil proprius notare diximus quàm cisternam ad excipiendas aquas pluias, seu inertes, aliquando etiam siccam fossam ad captiuos includendos: quamuis etiam nonnunquam latiori significatione puteum aquis scaturientem, necnon defossam metalli cuiuspiam venam sonet: vulgò *mina*. Ad rem.

115.

Fouea profunda est meretrix, &c. Aliqui putant meretricem tum foueam profundam, tum etiam puteum imum appellari, ad significandum eos, qui in illam incidunt, ex sublimi semper delabi, scilicet ex fastu, ac superbia: hæc enim sæpius homines in libidinis baratrum impellere solet. Est igitur meretrix *Suchach*, secundum omnes istius vocis significationes: est nimirum sepulchrum, in quo viuos homines defodit libido, & luxus. Alibi de hac similitudine ex Chrysostomo, & aliis non pauca diximus: aliquid etiam hîc adscribo ex Diogene apud Stobæum in sermone 6. de Intemperantia. *Diogenes*, inquit, dicebat plerosque viuos seipsos humare, & putrefacere balneis humectantes, & reuenera putrefacientes, morientes autem demum mandare corpus in suffimentis, & aromatibus recondi, alios etiam melle, ne citò putrescant. Quibus verbis hominum libidinosorum mirabilem stuporem insectabatur, qui viuum corpus, tunc, cum illud à corruptione, & tabo vindicare oportebat, Veneri, & meretricibus, tanquam sepulchris, corrumperendum tradere consueuerant: Idem verò corpus iam demortuum, cum illum corrumpi, ac solui fatius esset, aromatibus, ac condimentis ab omni corruptela seruari studiosè curabant.

116.

Ad hæc meretrix est *Suchach*, pro fossa, qua vrbes cingi, & obsideri solent. Nam quemadmodum in vrbiū expugnatione hostes mœnia scandentes, cum ad fastigium peruenerunt, iaculis aut tormentis ab incolis percussi in fossam deiici, ac deuolui consueuerunt: non aliter cum his fieri crediderim, qui per fastum & superbiam ad sublimiora semper anhelant: hos enim Deus è fastigio, & supercilio mentis deiectos sæpe admodum in libidinis, vel alicuius meretricis fossam iam iam morituros delabi sinit. Et quidem sicut in fossis vrbiū bello grassante magna cadauerum strues videre licet: ita etiam circa meretrices adulterorum, aut potius cadauerum cumuli ingentes passim visuntur.

117.

De reliquis fossæ au foueæ acceptionibus diximus supra c. 22. vers. 14. ad illa verba. *Fouea profunda os aliena.* Venio ad puteum.

Et puteus angustus aliena. Quadrant etiam in me-

A retricem omnes acceptiones nominis *Beer*. Nam ea vox cisternam primum sonat ad aquas inertes excipiendas. Audi Musonium apud Stobæum supra. *Socrates*, inquit, dicebat perinde facere adulteros, ac si qui nolent ex aqua in fontibus superne profluente bibere, sed ex illa, que in fundo subsedit, ac deterior est. Hæc Socrates aduersus illos qui vxores legitimas despicientes meretriciam voluptatem consecretantur: hæc enim aqua est (liceat sic dicere) in cisternis subsidens, iners, atque corrupta. Et quidem ad lulum puto ad subterraneos forniceas, in quibus meretrices confidere solitas supra dixi. c. 2. ver. 18. Quasi dicat, Veneris appetentia quædam est sitis: illi ergo, qui hanc sitim legitimi coniugii vsu extinguunt, similes sunt his, qui perennes ac puras aquas ex fonte supernè, id est in luce, & oculis omnium fluent, hauriunt. Qui verò in fornices ad pellices descendunt, vt intemperantiæ suæ sitim exsatiat, cum illis conferendi sunt, qui inertes, & putres aquas ex cisternis bibunt. Meritò ergo pellex cisterna appellatur aquas subsidentes, & inertes cohibens.

118.

Rursus *Beer*, antrum etiam subterraneum sonat ad captiuos includendos. Quemadmodum ergo nulla est infœlicior captiuitas, illà, qua hominem libidò meretrici deuinxit: ita etiam nullus angustior vel tenebrosior carcer, quàm is, in quem infœlix adulter detruditur. Et quidem meretricium amorem carceri ad similem docuit Augustinus in Psalm. 118. ibi enim. *Cæcum & obscurum carcerem luxuriam* appellat: Sed cum apud veteres non vnum carcerum genus fuisse eruditè probat Brissoni de verborum significat. qui inter alios tertium quoddam genus carceris commemorat his verbis, *Quo immanibus præsignes flagitij celo & hominum cætu indigni, ac prope diem plerumque tenebris & padori addicendi introducuntur.* Ex hoc genere carceris erat ille, qui *Thesaurus*, apud Messenios appellabatur, (author est Cælius l. 9. c. 34.) locus scilicet sub terra quadrato saxo, tam immanis, ac sæuus, vt neque lucem, neque auram exciperet: & quidem ex his hodie apud nostrates non pauci sunt, quos vulgus *pozos*, appellat. Neque alium esse crediderim illum, quem Romani *baratrum*, appellare solebant, cuius nominis rationem reddit Cælius, quòd non minus homines inclusos torquere, ac cruciate soleat, quàm orcus ipse in illum detrusos. Hunc ergo atrum, cæcum & defossum carcerem non ad custodiam solum, sed ad pœnam fontium inuentum. Hebræi *Beer*, id est, cisternam, aut puteum appellabant; & (ni mea fallit coniectura) non alius est ille carcer, qui apud eosdem Hebræos, *tenebra exteriores* dici solebat. Itaque in hoc carcere multiplex erat inclusi ærumna; primò custodia tutissima; secundò cæcè tenebræ; tertio lues & corruptio; quartò destinatio ad certam mortem. Meritò igitur Salomon, *Puteus*, inquit, *angustus aliena.* Puteus videlicet pro carcere, in quo omnes illas ærumnas præmissas experitur adulter. Primò custodiam quandam tutissimam (audacter dico) omni euadendi spe sublata: eiusmodi enim est scortationis, & impudici amoris vis, vt ille quem semel vinculis suis adstrinxit, vix vnquam libertatem recuperet. Secundò cæcas tenebras; nihil certius quàm eos, qui libidini mancipati sunt, lucis expertes in tenebris semper esse. Audi Chrysostomum qui cæcum illum & fenestris carentem carcerem describere mihi videtur Homilia II. in I. ad Corinth. *Quando enim*, inquit, *ab impudica libidine capta fuerit anima sicut nubes, & caligo corporis oculos: ita,*

Aug.

Brissoni

Cælius Rhodig.

Chrysost.

Stobæus.

cum illa eripuerit menti perspicendi facultatem, nihil sinit videre ulterius, non precipitium, non gehennam, non timorem, sed ab illius occupata tyrannide deinceps facile potest expugnari à peccato, & tanquam fenestris carens paries undique ante oculos excitatus, non sinit radium iustitie menti illucescere, absurdis libidinum cogitationibus ipsum undique arcantibus. Urget amplius hanc sententiam Chrysostomus. Et quemadmodum qui sunt orbati oculis, si vel in fixo meridie steterint, sub medio cœli, lucem non suscipiunt; ita etiam isti, etiam si innumerabilia insonent salutaria dogmata, illorum anima hoc morbo præoccupata nihil videt. Tertio fornicarius in meretricii amoris carcere inclusus corporis lumen patitur, nihil etiam magis certum, atque exploratum. Innumeros morbos, quos libidinis intemperantia corpori immittit, supra persequuti sumus cap. 5. vers. 9. vide ibi multa. Quarto denique ærumna est destinatio ad certam mortem. Hęc est maxima libidinosorum calamitas: nam cum hi, qui meretriciis amoribus compediti sunt, vix unquam resipiscant, nescio quo suo malo iam in tereprobos adscripti sunt, damnatis proxime adnumerandi. Isidorus Græcus in epist. 225. ad illa verba Pauli 1. ad Corinthios 6. *Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitoris, &c. regnum Dei possidebunt*, subdit, *Hi sunt quos iam lethale mortis, θ, obsequat*, est autem θ, seu Theta, littera Græca, quæ destinatis ad certam necem inuri solebat. Hinc est illud Persij sat. 4.

1. Cor. 6.

Isidor.

Persius.

119.

Genes. 14.

Chrysost.

Et potius est vitio nigrum præfigere theta. Itaque illis verbis Isidorus plane significauit libidinosos, & fornicarios æternæ morti, quodam quasi præiudicio, adiudicatos esse. Sed licet hæc interpretatio mihi ante alias probetur, puteique angustii hanc germanam significationem esse rear, tamen alias etiam acceptiones subscribam.

Secunda igitur significatio hominis Beer, est defossa metalli cuiuspiam vena, quæ apud Hebræos etiam puteus dicebatur, quemadmodum etiam notratas venas viui argenti pozas vocant, exempli causa *el pozo del almaden, el pozo de Adan*. Sic habes Genes. 14. *Puteos multos bituminis*, ex quibus scilicet, bitumen defodi solebat. Ergo secundum hanc significationem locum istum noua interpretatione donare licet. *Et puteus angustus aliena*, id est, defossa metalli vena: Quasi dicat: fornicarius ille intemperans his prorsus adsimilis est, qui ad effodienda metalla damnati sunt. Nam sicut hi laboris magnitudine, & puteorum ad quos descendunt, vitio atque intemperie soluti & confecti, citius emori solent, ita vt vulgò persuasum sit, eos, qui ad eiusmodi puteos mittuntur, ad certam necem mitti: ad eundem modum libidinosus scortator, veluti aliquis ad metallorum fodinas damnatus, molestus, ac Venere exhaustus ocyus tabescit, atque interit. Videas enim metallorum efflores expilari sæpius, sæpissime etiam contractis neruis rigere membra, & alia quædam pati his prorsus similia, quibus scortatores confici solent. Et quidem omnes in vniuersum peccatores propter morbos, labores & molestias, quas in peruincendis suorum scelerum difficultatibus exantlant, cum his contulit Chrysostomus, quos illi tolerant, qui ad effodienda metalla demandati sunt, cuius verba alibi dedimus: Sed licet hæc similitudo in omnes peccatores quadret, tamen omnium optime in scortatores, & adulteros; quia quemadmodum illi metallorum efflores, vt exiguum argenti pondus defæcatum, percolatum,

A & excoctum habeant, ingentia prius terræ aut lapidum onera suis humeris exportant, & labores adeunt immensos, humanisque impates viribus: sic etiam libidinosi, ac proci, vt leuem & fugientem voluptatem carpant, incredibiles prius æcumnas, labores & molestias subire coguntur. Quid certius? Quapropter in hoc sensu Venere ad auri & argenti fodinas à Menandro missam fuisse dixerim potius, quam in eo, quem excogitauit Rhodiginus lectionum lib. 8. cap. 5. quod nimirum in argenti, & auri fitum non aliter exauctura videretur: quamuis id etiam verissimum sit, vt statim dicemus.

Menander Rhodig.

B

Denique si nomen illud Beer, puteum imum significet, quod vulgò interpretibus arridet, sensus erit perspicuus. *Et puteus angustus aliena*, id est, puteum imitatur profundum ore perangusto, in quem delapsus adolescens rursus emergere non potest. Et quidem ab hoc puteo eripi se precibus contendebat Dauid in Psalm. 68. cum dicebat. *Neque absorbeat me profundum; neque urgeat super me puteus os suum*. Quæ verba de impœnitentia, & peccati occultatione in confessione interpretatus est Augustinus, quæ illis vel maxime accidere solet, qui impuris libidinis ac luxuriæ fabricibus forduerunt.

Psalm. 68.

Aug.

C

Sed translatio lxx. in lancem veniat, qui versum istum cum sequenti conferentes, de insatiabili meretricum auaritia illum exposuerunt. *Dolium enim perforatum est aliena domus, & puteus angustus alienus*. In dolium perforatum aquam mittere, peruetus est paræmia ad significandum cassum & inanem laborem, quam non modo externi, sed Patres passim vsurparunt. Chrysostomus Homil. 77. in Mattheum. *Quid, inquit, caduco huic mundo laboras? Quid perforato dolio aquam ingeris? & Homil. 19. in Acta. Si dicta minus vobis profuerint, multo minus si alia apposuerimus, profecto haurimus in vas perforatum*. Et Homil. 10. ad Ephes. *Ut si quis in dolium perforatum liquorem infunderet, inanem plane operam sumeret: sic deliquis deditus suis in pertusum dolium infundit delicias*. Basilii de laudibus ieiunii in gastrimargiâ inuectus *Sultræ admodum facis, si corpus quidem conficis, nec tamen mentis solatium esuritioni admoues. Ista insidiosa panui cella est; in percussum hauris dolium, sit enim vt vinum pereffluat ad suam recurrentem viam, & peccatum maneat in dolio*. Et infra Homil. de legendis lib. gent. & in oratione de ingluuie & ebrietate, eiusdem Prouerbij meminit: mitto Hieronymum, Tertullianum & alios. Sententia igitur huius loci perspicua est. *Dolium perforatum aliena domus*, id est, domus meretricia dolium imitatur pertusum, atque adeo quamlibet illi pecuniarum vim maximam infuderis, breui delabitur, & denuò fitit. Et quidem duas scortatoris ærumnas complecti videtur Salomon; alia est scorti infidelitas, quæ ab vno adultero accepta, alteri fortasse donat: altera est sumptus perennes: quos meretricis auiditas asfiduò sitit, & nunquam expletur. Addo etiam tantam esse libidinis meretricis potentiam ad extorquendas largitiones, vt ad illas cohibendas auaritia nulla possit. Augustinus sermone 50. de tempore. *Sæpe admodum*, inquit, *perdit luxuria, quod congregauit auaritia*. Sed de sumptibus in meretrices factis non pauca supra diximus cap. 5. vers. 10. quæ hinc in locum opportunè transferri possunt.

Chrysost.

Basil.

D

E

August.

Extrema illa verba, *Et puteus angustus alienus*, haud facile est cum superiori hemistichio contexere, tamen, ni fallor, dupliciter construi possunt, vel ita, vt sensus sit, *alienus puteus angustus*

121.

est, id est, meretrix seu adultera, puteus angustus, & alienus est: sensus verò à vulgatis nec latum vnguem discedit. Vel aliter, per *alienum*, pellicis maritum accipimus, vel ipsum adulterum, qui respectu etiam scorti alienus est. Si ergo adulteriũ significari putabimus, dicemus quidem priorem huius sententiæ partem ad adulterum intendi, posteriorem verò ad adulteram, hoc sensu. *Dolium perforatum aliena domus*. Quasi dicat, abstine adulter, quia domus meretricia nullis largitionibus expleti potest, atque adeo brevi tempore exhaustus deficit. *Et puteus angustus alienus*, id est, tu quoque adultera libidinem coërce, & ne temerè adulteri largissimis promissis fidas, sæpe enim adulter avarus & tenax puteum perangustum imitatur, à quo nihil demùm emungere, vel hautire licet: quæ interpretatio mihi accommodata videtur. Quod si nomine *aliomi*, adulteræ maritum accipiamus, venustior euadet sententia, dummodo utramque partem scortatori donemus ad hunc modum. *Dolium perforatum domus aliena, & puteus angustus alienus*, id est, duas pretiosissimas res discrimini obicit scortator, nimirum fortunas suas, & caput suum: nam domus meretricis, dolii adiungit per fracti, nunquam infusus pecunias expletur, atque adeo quisquis illam adamat, patrimonium suum profundat necesse est. Rursus maritus illius zelotypia inflammatus puteus est angustus, atque adeo quisquis in illius manus incidit, actum est de illo, *como quien ha caid, en un pozo*. à quo nulla industria, aut vi emergere licebit. Vide supra cap. 6. vers. 34. quæ coniecimus ad illa verba, *Quia zelus, & furor viri non parcat in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.*

XXVIII. Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit, interficiet.

Insidiatur in via, &c. Hebraic. *Etiã ipsa tanquam præda insidiabitur, & præuaticatores in hominibus addet* Caietanus, *Et peccatores in hominibus addet* Vatablus. *Adiungitque sibi homines præuaticatores*. Chald. *Et sicut fera rapiens oculis insidiatur, & venatur filios insipientes*. lxx. à reliquis interpretibus quàm longissimè abeunt: nam hæc verba cum superiori sententia connectere volentes sic restituerunt. *Hic enim breui peribit, & omnis iniquus absumentur*: de cohærentia vtriusque versus postea aliquid dicam. Theodor. *Et præuaticantes in hominibus tollet*. A quo noster suam lectionem videtur hausisse.

Vulgata translationis sententia perspicua est: puto autem adlusum ad vias aut semitas, vbi meretrices pallis cõtectæ considerare solebãt mœchos præstolantes, de quo veteri more sæpe aliàs diximus, sed tum maxime cap. 2. vers. 20. Has igitur Salomon appositè admodum cum prædonibus confert, qui vias obsident, vt ex insidiis aggressi obuium quemque diripiant, ac perimant. Tales enim & illæ sunt, quæ pallis velatæ ex semitis, tanquam ex insidiis, viatores inuadunt, nummos emungunt, & animas neci tradunt. Nil certius; vel si placet, hæc verba non de pecuniarum depredatione accipiamus, sed de spoliatione bonorum spiritualium, quibus animus diues est; libido enim vitium est, quod animum omnibus hisce bonis prædiuitem penitus spoliat, & va-

cuum reddit: vnde Chryostomus Homilia vndecima in I ad Corinthios de scortatione verba faciens. *Quomodo*, inquit, *latrones, & murorum effossores, quando volunt aliquid pretiosum capere, lucerna extincta hoc faciunt; ita etiam in nobis facit libido: est enim in nobis perpetuò ardens lumen rationis: ille igitur spiritus nequitie (nempe luxuria) magno impetu irruens flammam illam extinguit, & protinus diripit, spoliatque omnia, quæ sunt recondita*. Hæc ille. Tu autem pro libidine, meretricem subiice, & facilè intelliges quantam vim hæc habeat ad diripienda, & effuranda animi bona vniuersa: constat enim, simulatque hominem aggreditur, præclaram illam animifacem obrui, & opprimi, videlicet rationem, qua extincta nihil non clepere, & deprædari licet. Subdit enim Chryostomus verba supra superiori versu, adscripta, quibus animæ libidinibus mancipatæ tenebras eleganter admodum depingit.

Sed pendamus aliorum lectiones. Origines ad verbum sic habent. *Etiã ipsa tanquam præda insidiabitur* Itaque textus primitiuus non expressit latronem, aut furem: hinc facta interpretibus copia. Chaldæus. *Sicut fera rapiens oculis insidiatur*, qui maluit meretrici feræ alicuius crudelissimæ, quàm latronum insidias dare, *sicut fera*, inquit. Parum est scortum vni tantummodò feræ conferre, cum constet non vnã tantùm, sed plures atque sæuissimas, in vna impudica muliere contegi feras ad insidias homini struendas. Nonne in meretrice est lupa sæuissima, ac voracissima? ita quidem, nam propterea scortorum diuersoria, *lupanaria*, appellantur, vt docet Augustinus de Ciuitate, lib. 18. cap. 21. In scorto etiam degunt pariter draco atrocissimus, & leo item sæuissimus: lege Chryostomum Homilia decima quinta de variis in Matthæum locis, vbi etiam tradit in eodem scorto simul collatebrari viperas, aspides, tygrides & pardos. Adde etiam impudentissimos canes, apud Nazianzenum: & alias item apud alios: ita vt meretricem non vnã aliquam feram, sed omnium spelæum: aut (si placet) vnã quandam ex omnibus tamen coalescentem, & compositam esse dixerim, quæ nimirum chimeram formatam multiplicitate, & dissimilitudine facilè superet. Quis ergo tantum, tamque horribile monstrum non exhorrescat? quis tam dissimilem, ac multiplicem feram, placabilem, ac mitem sibi reddendam putet? Rem meditaris impossibilem, ô adulter: cum enim fortasse leonem, aut canem mitigaueris obsequio, instabit tygris, pardus, draco & vipera, quos obsequia minime placant: cum autem metum incusseris, leo, canis, & aliæ quædam superbæ feræ magis ac magis sæuient quæ officiantur, & obsequio mansuescunt. De hac igitur multifor-

D oculis insidiatur. Vox illa oculis copulari potest cum verbo *insidiatur*, nec non etiam cum verbo *rapiens*, ita vt sensus sit, Hæc fera immitis insidiatur, vel obseruat oculis suis, vt in obuios incurrat. Vel aliter: Hæc fera aliarum sæuitiam, & rapacitatem facile superat: aliæ enim belluæ ore, aut vnguibus rapiunt, & lacerant: hæc verò oculis suis prædas agit, & corpora, animosque dilaniat. Nihil enim meretricis oculis ad depredandum fortius, ac violentius.

Et quos incautos viderit interficiet. Sic noster appositè ad latronis similitudinem: vbi obserua meretricum insidias aduersus incautos posse, non autem

Chrysof.

123.

Aug.

Chrysof.

124.

autem contra cautos & prouidos. Ad eundem etiam modum Chaldaeus, vt posterior hæc pars cum priori iuxta illius translationem congrueret, sic eam restituit. *Et venatur filios insipientes.* Alij verborum sonum tenere volentes, aliter atque aliter conuerterunt. Caietanus. *Et peccatores in hominibus addet,* alios scilicet, atque alios addet: nã si meretrices ex hominibus exularent, vix peccatores, ac præuaticatores essent. Cyprianus de singul. Cleri. *Tempus,* inquit, *luctaminis adhuc geritur, & mors per fœminam adhuc vsque grassatur.* Quasi dicat: per fœminam mors initium accipit, & per eandem promouetur in hoc mundo, adeo vt ipsa sublata mors etiam sisteret. Et post pauca, (vt ad prioris Hemistichij sententiam redeamus) *Longe,* inquit, *sit pestis ista, & lues, & clandestina pernicietas. O quam inordinabilis fœminæ propinquitas, cuius vicinia est delictorum latrocinium!* Metaphora ducitur ab vrbe quapiam, cuius vicinia à prædonibus infestatur. Quasi dicat, longè fieri oportet à fœmina, ac meretrice, quia in ambitu illius circumcirca omnia vitia, & peccata, latrocinia & prædas suas agunt. Itaque non ipsa tantum meretrix prædonis ad instar homines diripit, sed circa illam præterea omnia grassantur vitia & delicta, prædasque suas liberè agunt.

Cyprian.

A vt itineris in terra concessi fructum exhibeat postulat, nec quod det habens, ingentes lamentationes edet, verum nullum amplius ex lacrymis fructum percipit.

Cuius patri va? in Primitiuis est. למוצאי Lemorboi, quod alij aliter restitunt. Pagninus. Cui egestas? alij, Cui anxietas? Chaldaeus, cui deformis aspectus? Caietanus iteratò repetit va, hoc modo, Cui va, cui va? Huius autem dissidij rationem hanc esse puto; Nam vox illa eboi, fluit ex radice אבה Abah, id est, desiderare, & plerumque querulum, tristem, & dolentem affectum innuit; hinc אביון Ebion, id est, egenus, pauper, sic appellatus, quod omnibus carens omnia afflictim concupiscat. Ergo interpretes præmissi existimant eam vocem Eboi, interiectionis cuiusdam vim habere animi dolorem testantis. Hincque nata illæ lectiones, Cui dolor? cui anxietas? imò etiam illa, Cui deformis aspectus? est enim sensus, cui dolor ac moror pallore aspectus demonstratus? Alij verò quia viderant eam radicem aliquando ad paupertatem, egestatemque referri, maluerunt reddere, cui egestas? lxx. verò qui transtulerunt, cui tumultus? videntur eam vocem non ad Abah, sed potius ad אבי Abi retulisse, quæ significat tumultuari, & inimicari, quippe qui existimarunt hîc locum esse metathesi, seu transpositioni litterarum, aliàs Hebræis familiari. Denique Vulgatus noster duas in vna dictione voces latere existimauit, scilicet, Ab, id est,

C Pater, אוי oi, quod est va, siue quia; ita olim erat in textu Hebraico: siue quod per crasim dictionem illam Eboi, è duabus præmissis coalescere Hieronymus putauit. Itaque ex dictis liquet in hæc perbreui clausula multas ebrietatis plagas coerceri, scilicet dolorem, anxietatem, non internam tantum, sed pallore, & deformitate vultus testatam: (Nisi malis per deformem aspectum, decolorum vultum notari, qui ebrijs fermè adesse solet, nam potus intemperantiæ faciei pallorem, & maciem adducere consuevit.) Addo etiam tumultum, quod potest fortasse ad capitis vertigines accommodari, ob quas ebrijs omnia tumultuari, & conuerti videntur. Cæterum in eam vocem incidens Chrysostomus aliter illam expendit Homilia 54. ad Pop. *Sicut enim,* inquit, *hostibus urbem subeuntibus, & obsidione facta, & perturbatione multus efficitur tumultus, ita fit & in anima subrepente vino cum delitiis. Cui va? cui tumultus? &c.* ac totam demum absoluit sententiam.

Chrysost.

E Quid plura? egestas etiam temulentis interminat, quæ ebrietatis germana suboles, vt paulò ante diximus versus 21. Denique noster ait, Cuius patri va? inueniens, scilicet, dolorem illum, gemitus, & lacrymas non modò filium ebrium manere, sed etiam ipsius parentes. Quorsum hæc? vt parentes filiis suis vini vsum interdican, ne si ebrii, & temulenti euaserint, eorum tandem miseris, & calamitatibus illacrymari, & ingemiscere opus sit. Vnde Salomon hanc parenti suæ vocem satis familiarem fuisse dicit, cum illi priores mores instillabat. *Noli Regibus, o Lamuel, noli Regibus dare vinum,* &c. capite 31. versu 4.

Cui rixa? in hac voce nullum est dissidium; lxx. tantisper ab alijs recedunt. Cui iudicia? id est lites. Et quidem ab ebrietate rixas, lites, & contentiones innumeras proficisci nemo inficiari potest: nam vinum inter alios animi motus præcipuè iram accendit. Chrysostomus, cuius verba alibi exhibui, vinum non aliter iram

XXIX. Cui va? cuius patri va? cui rixa? cui fouea? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum?

XXX. Nonne his qui commorantur in vino, & qui student calicibus epotandis?

125.

C VI va? &c. Huius loci sententia perstringit ebrios & temulentos, & plurima incommoda, atque ærumnas complectitur, quas vini intemperantia secum affert: quapropter singula per se seorsim expendere opus est, ne indiscreta permixtio obscuritatem pariat.

Cui va? Omnes interpretes in hanc lectionem conspirant. Sed quid sibi vult hoc va? aliqui infortunium quodlibet eâ voce notari putant, quasi dicat; Quemnam omne calamitatum, & infortuniarum genus manet: non alium certè nisi ebrium. Cæterum, si huius vocis in scriptura vsum consideres, planè inuenies illam fletus, gemitus, atque lacrymas sæpius innuere. Ezech. 2. de libro, qui Prophetæ deuorandus traditur, sic habes. *Scriptæ erant in eo lamentationes, carmen, & va.* & 1. Reg. 4. *Ingemuerunt dicentes, va nobis.* Hierem. 34. *Va Domine plangent te,* & passim alibi. Ergo sensus est, cui va? id est, ad quem lacrymæ & gemitus pertinent nisi ad ebrium? Est autem illo scelerè perquam digna hæc plaga: nam illi, qui inter calices lætitiæ suadentes, & inspirantes, toties in cachinnos solutus risit, ac gestit, fletus, ac lacrymæ aptè decernuntur pro meritis: imò potius præfens risus futurorum gemituum sponso est. Sed quid de eiusmodi violentorum hominum lacrymis sentiendum, accipe ex Basilio in Homil. de ingluuie & ebrietate. *Si quis,* inquit, *carnem sui iuris esse permiserit, vinoque, & epulis eam veluti feram quotidie insarserit, jacebit denique frustra ingemiscens. Ad Dominum autem adductus,*

Ezech. 2.

1. Reg. 4.

Hier. 34.

Basil.

alere dicit, quàm oleum lucernæ flammam: illud profectò sibi volens, in viris abstemiis aliquando subitas quasdam accendi iras, quæ statim sponte sua extinguantur: at in ebriis diurnam esse iracundiam, utpote quam vinum modicum, quotidie haustum, veluti oleum, in dies nutrit, atque adeò sopiri non finit. Quantas verò rixas vinum excitare soleat (ut alios missos faciam) vnus August. doceat in libello de sobrietate, & castitate (vel si quis alius est illius auctor libelli.) *Quicumque etiam honore sacerdotis præditus proximus fuerit ebrietati, vicinus erit etiam vltioni; & hi etiam, qui Deo proximi, si fuerint remulenti, proximi sunt ira sciuenti, & infra. Assumit vinolentus inter pocula iniusta certamina, & nullis stantibus causis, asseram excitat rixam, quia interponendo verba vana aliorum sana non patitur, & in contumeliam erigitur conuiuarum, & crimina proximorum.* Augustinum excipiat Clemens Alexandrinus in Pædago. lib. 2. ca. 2. *Ebrietate, inquit, maxime vtuntur Scythæ, Celta, Iberi, Thraces, quæ vniuersæ sunt bellicosa nationes, pulchrumque, ac beatum vite suæ studium belligerare putant. Nos autem, qui sumus genus pacificum, ad vsum, non ad perulantiam, & contumeliam conuiuantes, sobriis haustibus amicitia ergo bibamus, velut conuenienti nomine appellentur pocula amicitia.* Vocat autem pocula amicitia de more suo, ea, in quibus aqua, vinumque in concordiam veniunt, ac mutuo sese ad temperantiam condiunt, quæ ad suadendas amicitias idonea sunt.

Cui fouea? Hebraica. שִׁיחַ *Sicha*, ex verbo שוּחַ *suach*, quod si punctum gerat in sinistro cornu, est loqui, &, confabulari. Pagninus putat germanam huius verbi significationem esse, exponere, aut, narrare mæores & angores suos: si autem in dextro cornu punctum infigatur, significat, deorsum inclinare, aut, in sepulchrum, foueamque demittere. Hæc igitur varietas à verbo migrat in nomen *Sicha*, quod punctum in sinistro cornu si excipiat, loquacitatem significat, murmur, fabulam, & similia; si autem in dextro latere apex ille defigatur, foueam, & sepulchrum notat. Hinc nata lectionum diuersitas, Pagninus, *cui loquacitas?* Regia, *cui murmur?* Chald. *cui malorum congeries,* ad sententiam videlicet spectans, & verba non curans. lxx. *Cui molestia, & trica?* sic habet Vaticanus codex. Complutensis verò sic extulit. *Cui tristitia, & ineptia?* Interpres Clementis, *Cui inuicunda nuge?* Vatablus similiter. *Apud quem nuge?*

Vnum igitur nomen secundum diuersas translationes valde diuersa ebrietatis incommoda complectitur. Pendamus singula. *Cui fouea?* ad spontaneos lapsus, & ruinas, quibus nullo impellente ebrius vacillantibus gressibus passim decumbit, referre licet. Nam perinde certè ambulat, ac gressus regit, ac si passibus singulis apertæ foueæ pedes fallerent. Vel etiam quia ludentibus imaginibus ipsimet foueas sibi fingunt. Ambrosius libro de Helia & ieiunio. *Hinc, ait, vana imagines, incerti visus, instabiles gressus, umbras sæpe transiliunt sicut foueas.* Nil certius. Si verò per foueas sepulchra intelligamus, non illepidam sententia euadit. *Cui, scilicet, fouea?* aut *sepulchra?* (non quidem propter celerem mortem, quam ipse sibi ebrius immoderato potu adducit, ad id enim vel vna tantum fouea factis erat:) sed *foueæ* in multitudinis numero, quia cum ex temulentia sæpe admodum ebrius decumbat, tanquam vita functum cadaver, sine motu, atque sensu, non semel illi fo-

ueam, vel sepulchrum effodere, atque aperire, & reliqua ad funus opportuna comparere necesse est. Aut denique *cui fouea?* aut *sepulchra?* quia, ut ex Chrysostomo, & Augustino alibi obseruauimus, *ebrietas quædam est vini hominis sepultura.* Vinolentus ergo tot, & non pauciora sibi sepulchra aperit, quot ebrietates infelix incurrit.

Illæ autem lectiones, *cui murmur?* *cui loquacitas?* *cui fabula?* aut *nuga?* de loquendi intemperantia, leuitate, scurrilitate, & nugacitate accipi possunt; hæc enim omnia ex temulentia accidere solent. Vinum enim labia soluit, linguam concitat, & verba sine delectu inspirat: cuius vis ad loquacitatem tanta est, ut plerisque auiibus instillatum; ut auctor est Albertus ex Philosopho, & experientia ipsa eomprobat, ad efformanda, & dearticulanda verba blæsam linguam expediat. Pseudo. Augustinus supra, *Vinolentus, inquit, sermone longo superflua verba emittit, nugæ spargit, vana dicta componit, malè clamans, bene sibi sonans.* Possunt etiam quædam ex præmissis lectionibus de garrulitate, ac secretorum deteptione explicari, de qua non pauca supra in hoc capite verus r.

Chald. *cui malorum congeries?* accinit Chryso- stomus Homil. 10. in Genes. *Vini, inquit, largior vsus infirmorum est causa malorum.*

Cui sine causa vulnera? Hebræa, *cui vulnera gratis?* aut, *frustra?* Caietanus. *Cui percussiones capitis frustra?* putat enim פצעים *Pesaghim*, capitis ictus significare. lxx. *Cui contritiones supernacua?* Si quidem hæc verba de inflictis capiti vulneribus accipiamus, possunt exponi iuxta ea, quæ in ebrios iacit Basilus supra. *Hem, quid agis, o homo? famulus fugit Dominum cadentem, ac vulnerantem, tu autem permanes cum vino quod singulis diebus caput ferit, seu, percellit tuum.* Itaque capitis vulnera licet appellare, vini caput subeuntis, tentantisque ictus, quos capitalia vulnera peculiari sensu appellare non ineptè licet: quia hominem sternunt, & temporariam quædam mortem eidem consciscunt. Vnde Chrysostomus in ea Homilia 10. in Genesim, ebrium *vinum cadaver*, nuncupauit. Vel aliter, verba isthæc de plagis, ac vulneribus interpretari possunt, quæ ebrii nulla de causa sibi inuicem imponere solent. Nonne gratis, & nulla profus ex causa Alexander ebrius Ephestionem sibi familiarissimum iaculo confodit, cuius funus postea lacrymis suis decorauit? & Ambrosius supra capite 14. *Quos mane insignes armis spectaueras, vultu minaces, eosdem etiam vespericernas à puerulis rideri, sine ferro vulneratos, sine pugna interfectos, sine hoste turbatos, sine senectute tremulos.* Audi eundem Ambrosium hæc vulnera celebrantem cap. 12. *Vno die bibunt multorum dierum labores, de ebrietate ad arma consurgunt, calicibus tela succedunt, pro vino sanguis effunditur, & ipsum sanguinem vina fuderunt.* Mitto alia hinc similia.

Cui suffusio oculorum? Hebr. *cui oculorum?* in Primitiuis est חֶלֶלֶת *Hacheliloth*, ex radice Chalach, id est, *consummauit, corrupit*, hinc alij, *cui suffusio oculorum?* lxx. *Cui lucidi oculi?* sic habet codex Vaticanus, sed mendum suspicor, & legendum potius, ut est in scholiis *Cui liuidi oculi?* A quilibet *καταπορ*, id est, *vacui*: aliquiverò suspiciatur potius restituendum, ἀκάθαρτοι, id est, *impuri*, scilicet distillatione, & rhumate laborantes.

Etiam hæc clausula non pauca continet ebrietatis nocumenta. *Cui suffusio oculorum?* oculi quidem vaporibus vini ad caput scandentis plurimo humore suffunduntur, & hebescunt; vni-

August.

Clem. Alex.

128

129

Ambros.

Pseudo-August.

130 Chrysost.

Basil.

Ambros.

131

Clem.
Alex.

de non pauca incommoda, quæ satis eleganter colligit Clemens Alexandrinus loco supra citato. *Vino*, inquit, *immodico oculi detorquentur, ac diuertuntur, cum præ humoris multitudinem visus tanquam in piscina latitet, atq; adeo mentiri cœcti existimant quidem omnia in orbem circumagi: numerare autem non possunt quæ procul sunt, tanquam sint unica.* Atqui duos soles videre mihi videor, ebrius dicebat ille Thebanus senex. Motus enim visus à vini calore, sepe eius, quod est vnum, multiplicatam apprehendit visione substantiam. Nihil enim differt an visum moueat, an id quod videtur. Idem enim visui ex utrisque accidit, qui propter fluctuationem non potest subiectum perfectè comprehendere. Hæc ille ad Philosophiæ numeros istius vitij passiones aptè reuocans. Lege Basil. Ambros. & Augustinum supra.

Sed vt reliquas omittam lectiones, quæ à Vulgata parum recedunt, retegenda est translatio Septuaginta, *Cui liuidi oculi?* quam illustri commentario donauit Clemens Alexandrinus loco citato. *Cui sunt, inquit, liuidi oculi? an non eorum, qui in vinis tempus consumunt? &c. Salomon quidem eum, qui potu nimio delectatur, vel iam rationi mortuum esse ostendit per liuentes oculos, quod est signum mortui, eam, quæ est in domino, ei mortem annuncians, obliuio enim eorum, quæ ad veram vitam pertinent, vergit ad interitum.* frustra hîc plura, cum Clemens omne punctum tulerit.

Subdit Salomon in sequenti versu, omnium, quæ præmiserat, malorum & incommodorum rationem. *Nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Hebr. Morantibus super vinum, & ingredientibus ad quærendam mixturam.* Vatablus. *Apud eos qui veniunt seruatam ubi vinum miscetur.* Eodem sensu Septuaginta, *nonne vestigantibus ubi computationes fiunt.* Chaldaeus, *his qui inuestigant domum mixtionis*, id est, cenopolium aut vini tabernam, sensus est luculentus.

XXXI. *Ne intuearis vinum, quando flauescit, cùm splenderit in vitro color eius, & ingreditur blandè.*

XXXII. *Sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.*

133

NE intuearis vinum, &c. Hebr. *Ne intuearis, vinum, quando rubuerit, cùm dederit in calice oculum suum.* Pagninus, *colorem suum.* Chald. *cùm posuerit in calice splendorem suum.* Septuaginta in hoc loco satis multa verba miscent, quæ ab Originibus prorsus absunt, & Vulgatis etiam non respondent, sic enim scribunt. *Nolite inebriari in vinis, sed conuersamini cum hominibus iustis, & conuersamini in locis deambulationis. Nam si in phialas, & pocula dederis oculos tuos, postea ambulabis nudior pistillo.* De concordia huius lectionis cum Vulgata, aut cum Originibus, nihil in mentem venit, nisi illos diuinissimos interpretes prophetandilicentia vsos fuisse. Extrema illa verba, *Nudior pistillo*, putant quidam respondere illis, *ingreditur blandè*. sed de his postea.

Sed in nouissimo, &c. Hebr. *In nouissimo sicut serpens mordebit, & sicut regulus punget,* Vatablus *Postremum eius sicut serpens, &c.* Chaldaeus, *Nouissimum eius sicut coluber mordet, & sicut aspis, quæ vo-*

lat. Septuaginta. *Nouissime autem tanquam à serpente percussus extenditur, & tanquam à Ceraste diffunditur ei venenum.* Pro regulo subest *ἰνῶν Thaphthoni*, quam vocem sæpius *regulum*, nonnunquam etiam, *aspidem*, Vulgatus conuertit, sed hoc ad sententiam non valdè refert.

Salomon ergo nouo schemate à temulentia dehortatur. *Ne intuearis* (inquit) *vinum quando flauescit, cùm splenderit in vitro color eius.* Quasi dicat, tanta est vini ad bibendum stimulantis pellacia, vt sibi ab illo temperare volens, ne contemplari illud debeat, nam color illius rubescens, & splendor scintillans oculis ebibitus concupiscentiam sui maximam excitat. Heb. *Quando dederit in vitro oculum suum.* Caiet. inquit, *vini appellatur perspicuitas eius, oculus enim naturalis est animantis pars, habens in se perspicuum vinum, ac propterea quod est perspicuum, ac viuax ipsius vini, eiusdem oculus appellatur.* Itaque perinde est ac si dicat *viuax vini color tibi haud contemplandus erit, quia illa viuacitas coloris ad bibacitatem sua pellacia pertrahet te.* Tamen nescio an alia sit illius metaphoricæ locutionis ratio. *Quando dederit in vino oculum suum.* Oculis quidem fascinatio tribui solet. Nil certius. Addo etiam ex à Porta in Physiognomicis, oculos nimis rubentes, quos vinaceos appellant, veneni plus habere ad fascino inspirandum. Erit ergo sensus, *Ne vinum intuearis, &c.* Ne scilicet contueri illud velis cùm rubrum in vitro colorem præbet; est enim vino oculus quidam rubescens, ac virulentus, qui solo aspectu inficit, ac fascinat, *aioa, hechiza.* Fuit etiam non nemo, qui hanc oculi methaphoram ad reflexionem, seu repercussionem specierum spectare dixerit, quia vinum rubrum vitro fulsum præ cæteris liquoribus vultum intuenti reddit. Itaque sensus erit, *Noli vinum contemplari tum cùm oculum reddit. i. cùm faciem, & oculos inspicienti restituit.* Quorsum hæc? subnectit, ne quemadmodum ille sui ipsius amator & admirator adolefcentulus Narcissus (vt in fabulis est) speciem suam è fonte, aut stagno repercussam intuens, ad tantam insaniam adductus est, vt se in aquas dederit, demersusq; interierit: tu quoq; pari conditione ac sorte dū vultus tui reflexionē è vino emicantē inspexeris, te in vinum des, ac similiter vino obrutus pereas.

Sed expendamus translationē lxx. *Nolite*, inquit, *inebriari in vino*, non in vino, sed *in vinis* dixit suadēs non esse cōquirēda plura & exquisita vina; neq; etiā permiscenda, nā vina vinis permixta ocyus inebriant, Naz. apud Maxim. ser. 30. *Vina*, inquit, *alia in vini numero non habemus, alia florum instar odorata indicamus, & de his ipsis philosophamur, damnunumque putamus, nisi vernaculo externum ali-* quod *vinum quasi tyrannus addatur.* Externum autem vinum vernaculo additum propterea tyrannum appellat, quia simul atque percolatum est capitis arcem petit, eam sibi subiiciens: cui accinit Bas. supra in Hom. de ebrietate, & ingluuic. *Cum*, inquit, *multum meri infusum fuerit, quasi tyrannus quidam arcem petit, & à summo vertice impet̄s, nulli res, ne principali quidem parcit, sed ipsam primum rationē in seruitutē adducit.* At vinorum multitudinem exquisitam pereruditē carpit Clem. Alex. l. 2. Pædag. c. 2. *Non est, inquit, vini Christi magna cura requirēdū si absit, nec Arcthusium, si non adsit; sitis enim est quædam indigentia & affectio, & ad eam explendā quærit cōueniēs auxilium, nō autē vinū ardēs & fumosum.* Languescens autem, imbecille propter intemperantiam appetitionis sunt trās marine importationes, despiētē in desideris animo, vel ante ebrietatē

d ij

id est, ebrii iam, & temulentum per sua desideria, antequam à vino inebriantur. Itaque vinorum multorum conquisitio, & permixtio tantam vim habet ad inebriandum, ut non modò ipsa, cum bibuntur, ebrietatem immittere soleant, sed ipsorum sola concupiscentia temulentos reddat. Vbi autem vina quaedam generosissima recensuit Clemens, sic demum infert. *Multa quidem hæc nomina, moderato conuiuia vinum unum, quod ex vniuersi Dei agricultura prouenit. Annon cuiuscumque vinum sufficit in sua patria natum, &c.* Meritò igitur Salomon vinorum dissimilitudinem interdicit. *Nolite inebriari in vinis.* Attegit.

137

sed conuersamini cum hominibus iustis, & conuersamini in locis deambulationis. Quasi dicat, sic sobriè, ac temperanter bibite, ut mentis vestræ omninò compotes cum viris etiam sobriis, ac iustis confabulari, & conuersari, nec non in fora, ac plateas publicas prodire, & deambulare possitis. Ita nimirum ut caput sit integrum, & incolume ad confabulandum, & pedes etiam non imbecilles, aut nutantes ad deambulandum: hæc enim sunt duo præstantissima sobrietatis commoda. Subdit.

Nam si in phialas & pocula dederis oculos tuos, postea ambulabis nudior pistillo. Noster Martinus Delrio existimat illa extrema verba prouerbium, aut paræmiã vulgarem sapere. Nam quemadmodum apud Latinos, *Pistillo caluor*, dicitur vir magnopere glaber, prouerbiumque iacitur in vehementer egenos, aut etiam in eos, qui per nimiam simplicitatem nihil dissimulare aut tegere nouerunt: ita etiam illud, *Pistillo nudior*, in utroque iactari potest; ita ut egenos, aut etiam dissimulandi imperitos notet. Itaque sensus erit. Abstine à vino; si enim ad calices hauriendos, & phialas percolandas animum adieceris, breuissimo tempore ad angustias redactus, *nudior eris pistillo*, id est, decoctis fortunis ad summam indigentiam, & copiarum deficientiam deuenies. Vel, *nudior eris pistillo*, id est, nihil tegere, aut dissimulare poteris, sed omnia animi tui arcana profundes.

138

Sed licet hæc non ineptè dicta videantur, aliã tamen fuisse reor mentem Septuaginta, quam ut teneas, conabor prius illorum translationem ad Origines reuocare: sanè isthæc verba, *nudior pistillo*, respondent illis, *ingreditur blandè*, Hebraeus לית לב במישרים *Lithalech, Bamesarim*. Plerique ex Heb. *ibit in rectitudinibus*. Pag. *Ingredietur directè*, Vatablus ad calorem vini refert, sic enim hanc partem cum superiori nectit, *Cum phiala colorem suum reddit recta procedentem*, qui omnes referunt eam vocem *Mesarim*, ad radicem שר *Iasar*, id est, *rectum esse*, aut, *recta pergere*; hinc *Mesar*, id est, *rectitudo*. Septuaginta verò interpretes. (ni mea me fallit coniectura) eam vocem hauserunt ex radice שרש *arah*, quæ significat dissoluere, aut etiam exprimere; & quidem de vuarum expressione dicitur, Numerorù 6. *Et quidquid de vna exprimitur non bibet*. Hebraei autem eum locum non vito modo extulerunt. Pagn. *Et omnem madefactionem vuarum non bibet*. Alij, *omne quod dissoluitur cum vuis*. Alij, *Omne expressionem vuarum*, ad nostrum videlicet accedentes interpretem: Est autem pro expressione, madefactione aut dissolutione משרה *Misrah*, quod quam sit affine illi voci *Misarim*, nullus non videt. In Græcis verò est πομπόρεος *ompeos*. Quamuis autem *ompeos* vulgò *pistillum* significet, instrumentum videlicet ad pinsendas, aut conterendas res in mortario idoneum: tamen ut hæc vox ad Origines reuocetur, certè in hoc loco aliquod aliud instrumentum significari puto,

NUM. 6.

A quo vna in lacu calcari, ac premi, aut vinacea in doliis versari, & suffundi solent, vulgò, *effrimidor, o mecedor*. Quam significationem capit etiam vox Græca, *ompeos*, sed & Latina *pistillum*. Ergo iuxta præmissas notationes sensus euadit luculentior ad hunc modum. *Nam si in phialas, & pocula dederis oculos tuos*, si videlicet vinum placere cœperit, breui tempore in tantam bibendi intemperantiam euades, ut similis sis pistillo, aut paxillo vvas in lacu prementi, aut vinacea in doliis impellenti. i. totus eris in vino, totus in poculis: itaque significat eos, qui vinum gustare cœperunt, facilè ad intemperantiam delabi. Et quidem ebrii, ac vino dediti hominis satis apta similitudo est paxillus vinacea in doliis impellens, aut vvas in lacu exprimens. Neque verò superiorem expositionem excludere est animus, quæ verba hæc de paupertate accipit, sed ita quidem intelligo, ut vinolentus, *nudior pistillo*, dicatur, sic. s. ut vox *nudior*, ad egestatem pertineat, in quam vini immodicus vsus ebrios redigere solet, *pistillum* verò immoderatam vini ingurgitationem innuat, modo supra dicto.

Nostræ verò lectionis perspicua sententia est, *ingreditur blandè*, id est, tunc cum percolatur delinit fauces, & gustui pergratum est. Eundem sensum reddit illud, *ingreditur directè*, id est, rectè in fauces influit, vulgò, *entra seism sentir*, neque aliam esse puto lectionis illius Originalis sententiam, *Vadit in rectitudinibus*, quamuis alij alia commèti sunt; hæc nimirum vitrum phialæ infusum, rectè in faciem, aut in oculos vibratur vulgò, *se salta alos olos*, aut in stomachum delapsum, inde in caput rectè fertur, id est, *se sube ala cabeza*, mitto alia minus congrua. Subdit Vulgatus.

Sed in nouissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet. Sunt qui ad hunc locum interpretandum viperæ mores accersant, ita ut coluber hîc viperæ partum significet, qui perroso, ac pertuso matris utero erumpit in lucem, atque adeò priora illa, *in nouissimo mordebit ut coluber*, de arcanorum detectione capienda putant; Quasi dicat; vinum simul atque in ventrè influxit, interna concutit, atque latens in animo secretum impellit, ut, viperini ad instar fœtus, laceratis quodammodo visceribus prodeat. Et quidem hanc viperarum similitudinem ad garrulos secretorum reuelatores accommodauit Plutarchus in Moral. cuius est illa sententia. *Iaculos, & vipersas proprij rumpunt fœtus: sic garrulus vel cum sua pernicie promit arcana*, pro garrulo subice vinolentum, & habebis integram Salomon. sententiam. Cæterum hæc interpretatio meritò aliis non probatur. Reliqui locum istum sic edisserunt. *In nouissimo mordebit ut coluber*, id est, vinum colubrum imitatur, quia sicut coluber blandè primùm irrepit, ac demum virus suum fallaci morfu inspirat: ad eundem modum vinum blandè quidè illabitur; at vbi se intra viscera explicare incipit, venenum exitiale corpori immitit. s. morbos insanabiles. & immedicales etiã concupiscentias, quæ veneni ad instar, totum hominem inficiunt. Et quidem vinum cum veneno passim conferunt doctores, sed ex omnibus accersendus huc Diuus Ambrosius supra cap. 14. vbi sic ait. *Quis tale miscuit furoris poculum? quis tantum infudit mentibus venenum?* Et infra. *Cibus promittis; tormenta irrogas; vna praten; venena suffundis; omne enim quidquid nocet; venenum est, tollit sensus, viscera exurit, somnum infestat, caput vexat. Et a maior vis vini quam veneni est: denique venenum vino excluditur, non vinum veneno.* Meritò

Plutarch.

140.

Ambros.

Deus per Moysē non solum veneno, sed etiam veneno A
draconum unum comparavit dicens: Furor draconum
vivum eorum & ira aspidum insanabilis. Et pulchrè
additur insanabilis, multi enim à reliquorum serpē-
tum veneno curantur, nemo ab ebrietate; certe veneno
caro vulneratur, vino mens. Hæc ille satis ad rem
nostram. & infra cap. 26. Ebrietas fomentum libi-
dinis, incensium insania, venenum sapientia. Mit-
to alios Patres, & ex vno Ambrosio aliqua decer-
po, vinum venenū est omni veneno longè virulent-
tius, nā reliqua venena corpus inficiūt, animæ par-
cunt; vinum autem corpus corrumpit, atque illi
innumerabilium morborum pestes inspirat, &
vitæ etiam ipsi nonnunquam insidiatur: à corpore
verò ad animam lucē transfert, illiq; peccatorum
virus præsentissimè necans immittit: inde verò B
vltèrius serpit, & præstantissimum animi recel-
sūm, mentem scilicet, corruptione sua inficit; ait
enim Ambrosius, veneno caro vulneratur, vino mēs;
hanc enim sibi ipsi eripit, & tabo suo asperfam
perimit. Neque sūm inibi virus cohibet, sed vl-
terius eam, quæ in mente est, rationem, & sapien-
tiam vi sua corrumpit, ac tabefacit. Ait enim idem
Ambrosius, ebrietas sapientia venenum est. Nul-
lum ergo cum eiusmodi veneno conferri venenū
potest. Merito proinde Salomon, in nouissimo mor-
debit vt coluber, veneno suo totum hominem con-
taminans.

141

Et vt regulus venena diffundet. Quidam putant,
per hanc secundam reguli, seu basilisci compara-
tionem, sententiam prioris hemistichij ampli-
ficari, non autem euariari, aut distingui, quibus
fauet Originalis lectio, quæ sic habet, Et tanquam
regulus pungit. Itaque de reguli morfu, & pun-
ctura sermo est. Possūmus verò hanc extremam
clausulam cum posteriori superioris versus
hemistichio conferre; nam cum ibi (si verba
ex verbis exprimas) ita legendum sit, Quan-
do dederit in calice oculum suum, Basilisci solo
aspectu necantis similitudinem subodorare licet
in hoc loco, & sic demum præmissa verba
exponere, & tanquam regulus venena diffun-
dit, vinum scilicet ex calice ac vitro oculum
suum vibrans, reguli adinstar, solo aspectu
animam inficit. Et quidem aptè quadrat hæc
similitudo in hunc locum, in quo Salomon
non modò haustum, sed etiam vini aspectum in-
terdicit. Eam verò Basilisci ex oculis venena
iaculantis vim refert Plinius libr. 8. capite 21. &
libr. 29. capite 4. Solinus capite 33. & alij pas-
sim. Cæterum si verba Salomonis in lancem
mittantur, facilè constabit illum nequaquam vi-
num cum regulo composuisse ante potum, cum
oculis obiicitur contemplandum, sed postquam
haustum est, ait enim: Ingreditur blandè, & in
nouissimo, &c. deinde etiam in primitiuis est,
Et sicut regulus pungit; vnde liquet de illius pun-
ctura, non de aspectu sermonem fieri. Ergo
de reguli morfu sic Aristoteles de Historia ani-
maliū libr. 8. capite 25. Quidquid momorderit
continuo circiter putrescit. Plinius totum huius ve-
uenatissimi animantis virus in halitu, & afflatu
esse dicit. Necat, inquit, frutices, non contactos mo-
dò, sed etiam afflato, exurit herbas, rumpit saxa.
Talis vis malo est. Huic ergo virulento serpenti
simile vinum dicitur, quia quemadmodum ex
illius punctura membra continuo putrescunt, &
in tabem soluuntur ita etiam ex immoderato vi-
ni vsu non corpus solū, sed animus etiam tabef-
cit, hoc est, omnium voluptatum, & concupiscen-
tiarum corruptionem trahit. Rursus sicut regu-

Arist.

Plinius.

li totum virus in afflatu est, ita etiam vini tota vis
 in flatibus seu vaporibus consistit, quibus caput
 petit, atque illi omni veneno præsentius veternum
 inhalat.

Septuaginta habent. *Et tanquam à Ceraſte dis-*
funditur ei venenum. Ceraſti hoc certè proprium
 est, teste Plinio, quod duo velut cornua gerit, &
 vtrinq; venenum simul fundit; eandem vino
 vim tribuere licet, qui quasi duobus spiculis cor-
 pus simul & animam confodit, & vtrique virus
 aspergit. Sed illud magis ad rem nostram, quod
 quidam affirmant, in his Magnus Albertus, Con-
 radus, & alij, Ceraſtem, atque Dipsadem vnum
 esse serpentem; si igitur id tibi probabitur, adeun-
 dus est Nazianzenus, qui in poemate iambico ad-
 uersus opum amatores de Dipsadis punctura sic
 cecinit.

142

Est viperarum quodpiam Dipsas genus,
Quas solitudo Pharia complures alit,
Ac vulnus eius quale sit, nomen docet.
Huic namque morbus, quem parit, nomen dedit.
Perit bibendo quisquis hac ictus fuit,
Aquis reperit totus in eas iruens:
Quousque nimio turgidus potu crepet.

NAZIANZ.

Hæc ille. Quæ omnia in vinum immoderatè
 sumptum aptissimè cadunt. Sic ergo locum con-
 uerte. *Et tanquam à Dipsade infunditur ei vene-*
num, id est, qui vino deditus est venenum excipit
ei ad simile, quod Dipsas serpens morfu suo homi-
nibus immittit: nam sicut hi bibendis sine
mensura aquis depereunt, ita etiam vinolenti ex-
hauriendis vini calicibus interitum sibi accersunt.
Et quemadmodum à serpente illo icti, quò plura
bibunt, plus sitiunt, ita etiam cum ebriis agitur,
de quibus sic Chrysoſtomus in Homilia de ebrieta-
tate Quanto magis meri sibi infundunt, tanto ma-
iore siti inardescunt semper, haustus plurimum phia-
larum sitis sit fomes, & voluptas ad extremum eua-
nescit: sitis verò facta insedabilis in ipsum ebrietas
is præcipitium relabi passim facit eos, quos capti-
uos tenet. Quod si etiam à Dipsade perculsi ex po-
tu denique rumpantur, & crepant, id etiā in ebriis
minimè desiderabis, sic etiam Chrysoſtomus at-
textit. Hinc vel maxime stupeſcat quis amenciam
eorum, qui vino dediti sunt, quod ne sibi ipsis tan-
tum parcere volunt, quantum alij vtribus; nam hos
quidem vini venditores non patiuntur plus aquo im-
plere, nerumpantur, ipsi verò miserum ventrem nec
hac quidem providentia dignantur, sed vsque ad
crepitum, & ruptionem implent, & infarciscunt.

Chrysoſt.

Chald. aspidem conuertit. *Et sicut aspis, quæ*
volat, Sed nullus volaticæ alicuius aspidis memi-
nit, solet tamen aspis (auctor est Magnus Alber-
tus) cum iram concipit, homini in caput & faciē
insilire, atque illi lethale vulnus infligere; hunc er-
go saltum dicit quispiam volatus nomine dona-
tum; ac Thargum, & quidem satis accommodatè,
vini in caput ascensum notat, quod vi sua aspidis
in morem violat, atque veneno suo complet.
Quid plura? Sunt etiam alij, qui putant hîc scor-
pium reddendum esse ad hunc modum, Et sicut
scorpius pungit. Et quidem nulla est comparatio
magis appolita ad versiculi istius sensum. Nam
cum præmississet, ingreditur blandè, & in nouissimo
morder, &c. nihil illi certè magis ad simile videtur
quàm scorpius, qui cum os atque faciem inno-
xiam habeat, in cauda virus, & aculeum gerit. Il-
lustrat hanc translationem Chrysoſtomi senten-
tia, vbi supra: Non ita, inquit, scorpius, aut serpens
vs scoribus cuiuspiam insidens quoquo versus insicit,
sicut ebrietas omnia peruerſe atque perdit. Ferit enim

143.

illis ad corpus duntaxat procedunt insidia ista verò cum insederis cum corpore animum perdit.

XXXIII. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa.

144 **O**culi tui, &c. Hebræa prorsus consonant. Caiet. Oculi tui videbunt extraneas, nonnulli extraneos, LXX. Oculi tui cum viderint alienam, os tuum tunc loquetur peruersa. Vatablus, Si oculi tui spectabunt meretrices, iam pectus quoque tuum peruersa cogitauit.

Subnectit Salomon duo item alia ebrietatis incommoda, alterum est illud, *Oculi tui videbunt extraneas*. Satis extra rem Caietanus, hæc verba de oculorum vitio interpretatus est, qui in vinolentis longè aliter res vident quàm ipsæ sunt, nam stantia ipsis nutare, & conuerti videntur; & sæpe in vno aliquo plures intuentur, & quædam alia his similia oculis vino innatantibus & ludificatis conspiciuntur. Eodem etiam modo audiendi non sunt illi, qui cum legant, *Oculi tui videbunt extraneos*, sic aiunt. Qui ex vini intemperantia in crapulam inciderunt, sibi coniunctissimos, scilicet uxorem, parentes, filios & fratres non satis agnoscunt, atque adeò extraneos ducunt, sæpe etiam in eos tanquam in extraneos desæuiunt; vnde Basilium in ea Homilia supra citata. *Quod, inquit, pecus, per Deum immortalem, ita ut ebriosus visu & auditu delinquit? nam vino obrutus familiarissimos suos non agnoscit & sæpe etiam ad extraneos tanquam ad necessarios accurrit, &c.*

Basilium.

145

Præferenda igitur est communis interpretatio, quæ verba isthæc de ebriorum lascitia & libidine concipienda esse docet. *Oculi tui videbunt extraneas*, id est, cum vino immadueris inflammata libidine ad fæminarum concupiscentiam inardescas. Nihil sanè compertum magis, quàm vino luxuriam irritari, ac stimulari: sed quia sunt peruenuisti in hanc sententiam Patrum testimonia, selectiora quædam hîc adscribam. Basilium, vbi supra. *Dicere ausim temulentos magis expertes rationis esse, quàm ipsas belluas. Quadrupedia enim ac fera omnes ordinatos habent ad coitum impetus: at illi quorum animus ebrietate detinetur, corpusque præternaturali calore refertum est, omni tempore, & omni penè hora ad immundos & turpes complexus delabuntur.* Sed ne lapidem aliquem immotum relinquam, sunt quidam qui lectionem illam Caietani ad Vulgatæ translationis sensum vocare cum velint, sic illam edisserunt. *Oculi tui videbunt aliena*, id est, libido tua effrenis ac bruta, ad ea, quæ ab omni ratione aliena sunt, impetu quodam belluæ non astuabit, scilicet ad illicitam venerem. Auget ergo sententiam Basilium, qui belluas ipsas rationis expertes à vinolentis vincit affirmat: & infra, turpem hanc ebriorum victoriam nouo schemate celebrat, *Ipsa, inquit, incontinentia aperit ex vino, velut ex quodam fonte, manat, quæ brutorum omnem in fæminis insaniam longè superat: siquidem bruta animantia natura terminos non excedunt: at hi, qui vino obruuntur, in masculo fæminam, in fæmina rursus masculum quarunt.* Et quidem ad hanc sententiam allicere possumus lectionem illam, *Oculi tui videbunt extraneos*, (siquidem non omnino expungenda sit,) id est, non in fæminas tantum libido tua inflam-

A mabitur, sed etiam in eam, quæ ab omni natura aliena est, masculorum præposteram concupiscentiam. Quam concupiscentiam infra æstrum appellat. *Luxuria, inquit, quæ ipsos immo ista libidine diffuentes æstri instar exagitat.* Multa etiam de hac thesi Clemens Alexandrinus 2. Pædago. cap. 2. vbi illud præcipuè animaduertit, scilicet in iunioribus ex vini vlu venerem anteuerit. *Non enim, inquit, feruenti ærasi vinum infundere conuenit, perinde enim est ac si quis ignem in igne deriuat, ex quo agrestes, immaneque appetitiones, ardentisque cupiditates, & mores ignei incenduntur: excelsi enim adolecentes intus euadunt propensi ad libidines, adeò ut præuisum earum dæmnum per corpus properet celerius, quàm oportuit maturatis membrum cupiditatis.* & infra sub finem capituli sic addit. *Mihi videtur qui à Mathematicis vocatur Acephalus, qui ante stellam errantem numeratur capite in pectus compresso, & collapsio, significare helluones homines ad ebrietatem propensos; nam in his quoque facultas rationandi (cuius caput symbolum gerit) in ventrem, & in obscena membra deflectitur.* Est autem Acephalus altera ex cælestibus constellationibus, quàm aliqui non aliam esse putant nisi Taurum, cuius caput in ventrem pronum ac depressum ab Astrologis pingitur; nam de signo Tauri sic Manil. cecinit.

Clemens Alex.

B

Respicit admirans aduersum tergore Taurum summissio vultu.

Manil.

C

Hæc coniectura placet Herueuto, vel ex eo maxime quia (vt auctor est Monantholius) eos, qui subillius signi dominio sunt, vinolentos, & ad Venerem procliuus futuros eo præfatio indicatur. Quapropter eo argumento Taurum ipsum ab Astrologis capite in ventrem depresso describi solitum putat doctus Scholiastes. Chrysostomus est subnectendus, qui vinolentos ad porcos amandat in Homilia de ebrietate. *Quid enim non malit facit ebrietas? porcos facit ex hominibus, ac porcis etiam deteriores; nam porcus quidem in luto volutatur, ac stercore pascitur; ista verò abominabilior quàm illa est, mensa vescitur, illicito concubitus excogitans, & exleges amores.* (qui planè concinit cum Basilio) & Homilia in Psalm. 33. *Delicia, inquit, & ebrietas est fons perennis fornicationum.*

Chrysostomus.

D

Obserua hanc perennitatem, & confer etiam ista verba cū his, quæ supra ex Basilio adscripsimus. *Omni tempore, & omni penè hora ad illicitos concubitus delabuntur.* Quid enim perennius? frustra hîc plura, cum huius argumenti innumera apud Patres suppetant testimonia, subdit Salomon.

Et cor tuum loquetur peruersa. De loquendi intemperantia, quæ vinolentiæ ac crapulæ semper hæret, iam inde supra non paucis in hoc cap. vers. 1. & vers. 3. & vers. 25. dicitur autem cor loqui, non lingua aut os. *Quia ebriosi, atque vinolenti (vt ait Plutarchus in Moral.) cor in lingua.* *Plutarchus non è contra linguam in corde habent. Cor, nimirum, loquetur, id est, quidquid in corde delitescit, lingua enūciabit.* Caietanus de linguæ impedimento, quod temulentis accidere solet, interpretatur hæc verba, sed non audiendus. Non probatur etiam Vatablus, qui sententiam totam in mentem cogit, ita vt non sit legendum, *cor loquetur* sed *cor meditabitur peruersa*, quia scilicet cor vino obrutum, siue à libidine, siue ab ira impelli solet: hæc autem affectiones peruersas admodum cogitationes excitare, & permouere in animo solent.

146

Plutarchus.

E

Septuaginta interpretes locum istum aliter contexuerunt. *Oculi tui cum viderint alienam, os tuum tunc loquetur peruersa.* Quæ verba videntur

à superioribus exolui, & nouam sententiam inchoare ad solam libidinem spectantem: sed tamē, ne vis afferatur contextui, cum superioribus confluenda, & ad hunc modum interpretanda sunt. Postquam effusè biberis, & vino ingurgitatus fueris, si fortè videris scortum, aut meretricem, nequaquam poteris os cohibere, aut linguam infranare quominus illi turpia, obscena, & libidinem stimulantia verba effundas. Nam cum vinum libidinem accendat, & linguam præterea soluat, vtrâque simul pestis tunc conspirat, & hominem in præceps agit.

XXXIV. Et eris sicut dormiens in medio mari, & sicut sopitus gubernator, amisso clauo.

147 **E**T eris, &c. in Primitiuis subest enim hîc pro clauo, חבל Chibel, quæ vox fluit ex radice Chabal, quæ inter alias significationes, numerat etiam illam, nauem gubernare, aut, nauclerum agere. Hinc multa interpretum discordia, nam cum pleraque ad nauis gubernationem faciant; alij alia præterunt. Noster quidem clauum, expressit; in hoc enim vertendo nauticæ artis præcipua vis sita est. Pagninus, Vatablus, & alij ex Rabbi Dauid ad malum retulerunt, quem propterea, Chibel, dictum putant, quia illi adalligati sunt funes, & rudentes, quibus vela explicantur, aut comprimuntur. Itaque sic legunt, & sicut dormiens in summitate, aut in vertice mali. Regia, Caietanus, & plures alij ex Rabbi Ionath. sic legitant, & sicut dormiens in capite rudentum. Chaldaeus admodum sincerè, & sicut dormiens in nauis. Septuaginta verò integram sententiam sic dederunt. Iacebis tanquam in corde maris, & tanquam gubernator in magna tempestate. Aquila & Symmachus. Et eris sicut dormiens, quos imitatus est Vulgatus.

148 Hæc quoque sententia ebrietatis præcipuam quandam ærumnam continet, scilicet rationis naufragium, & somnum, aut potius veternum, quod ad vinum eliquandum homines post crapulam corripit. Producit autem Salomon ex navigatione aptissimum exemplum. In prima verò huius exempli conceptione, ac conformatione magna interpretum lis, singulas illorum lectiones enucleabo. Sed ante omnia constituere oportet, an duæ, an vna tantum similitudo sit? Caietanus, Iansenius, Rodolphus, & alij passim duas similitudines agnoscunt, aliam quidem in prioribus illis verbis. Et eris tanquam dormiens in medio mari: Vel, vt est in Primitiuis, tanquam iacens in corde maris. Alteram verò in sequenti hemystichio. Sed enim Caietanus priorem illam clausulam duplici sensu donari posse dicit. Prior est. Et eris tanquam iacens in corde maris, id est, tanquam naufragus quispiam demersus, & ad profundissimum mare delapsus, ebrius enim vino obrutus in miserandum incidit naufragium. Præclare admodum Chrysostrmus Homilia 10. in Genesim. Nam sicut nauis, quæ aquis ita impletur, vt exhauriri nequeat; ita & homo quando per crapulam & ebrietatem vini plurimum excipit, in præceps vadit, & rationem suam submergit. Hæc vna nauis demergendæ ratio, si videlicet aqua per rimas influat. Altera est oneris magnitudo. Hanc idem Chrysostrmus in Homilia illa de ingluuie & ebrietate ebrius accommodat. Et quemadmodum, inquit, nauis,

A qua maiorem quàm pro modo suo mercium vim receperit, oneris magnitudine depressa submergitur: ita & animus, & corporis nostri natura, si plus cibi, aut potus, quàm pro virtute sua acceperit, obruitur, & pondus mercium non sustinens, in profundum submergitur, nauasque & gubernatorem, & proretam, & nauigantes, & ipsum denique onus cum omnibus perdit. Quid autem nauas? quid gubernator? quid proreta? quid demum adnauigantes? Nauas quidem virtutes, gubernator ratio, proreta voluntas, nauigatores externi sensus; hi omnes vnico naufragio depereunt. Rursus tumultentus nauem imitatur vadis illisam. Seneca in libro de beata vita. Quemadmodum qui in mari Syrtico nauigant, aliquando in sicco deseruntur, aliquando vnda fluctuantes obruuntur: ita etiam qui voluptatibus, & ebrietati dediti sunt, aliquando inopia soluantur, aliquando etiam copia obruuntur. Nam cum iam vinolentiæ assueuerint, non solum eos nimia vini copia demergit, sed etiam eiusdem defectus: Nam veluti naues, quibus satis profunda aqua ad lapsum non suppetit, vadis ac syrtibus illiduntur; ita etiam vinosi illi quoties vinum ad crapulam vsque non suppetit, tanquam in vadis deficiunt, ac pereunt, Quid plura? nauim etiam tempestas, ventorumque ac flatuum violentia in naufragium impellit. Est etiam hoc ebriosus non insolens. Petrus Rauennas sermone 41. de Ieiuniis atque elemosynis, tempestatem in conuiuio exortam describit ad naufragium vsque sauientem. Sicut à terra exsiccatæ nubes caligant cælum, sic obscurant animas intemperata conuiuia: sicut ventorum turbines elementa confundunt, sic fercula congesta stomachum perturbant; vt nauim fluctus, corpus ebrietas sic demergit, hominem dat in profundum, & mortis facit subire naufragium. Quod si Scyllas desideras, & Charybdes vbi miserima olim credita naufragia, Chrysostrmus etiam Homilia 71. in Matthæum, ebrietatem cum Scylla composuit. Itaque ebrius non vno tantum, sed omnibus naufragij generibus quatitur, & eliditur, vt ex dictis constat, ex quibus etiam liquet, corpus, animam, rationem, voluntatem, sensusque omnes his naufragiis obrui. Pseudo-August. in eo sermone de ebrietate, & castitate, sic scribit. Ebrietas vitiorum omnium gurges, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis. Et infra, per vinum castitas submersa est. Sed & vniuersalem quandam bonorum omnium submersiorem ebrietati dat Chrysostrmus Homilia 51. ad populum, cuius verba postea dabo.

B Rursus tumultentus nauem imitatur vadis illisam. Seneca in libro de beata vita. Quemadmodum qui in mari Syrtico nauigant, aliquando in sicco deseruntur, aliquando vnda fluctuantes obruuntur: ita etiam qui voluptatibus, & ebrietati dediti sunt, aliquando inopia soluantur, aliquando etiam copia obruuntur. Nam cum iam vinolentiæ assueuerint, non solum eos nimia vini copia demergit, sed etiam eiusdem defectus: Nam veluti naues, quibus satis profunda aqua ad lapsum non suppetit, vadis ac syrtibus illiduntur; ita etiam vinosi illi quoties vinum ad crapulam vsque non suppetit, tanquam in vadis deficiunt, ac pereunt, Quid plura? nauim etiam tempestas, ventorumque ac flatuum violentia in naufragium impellit. Est etiam hoc ebriosus non insolens. Petrus Rauennas sermone 41. de Ieiuniis atque elemosynis, tempestatem in conuiuio exortam describit ad naufragium vsque sauientem. Sicut à terra exsiccatæ nubes caligant cælum, sic obscurant animas intemperata conuiuia: sicut ventorum turbines elementa confundunt, sic fercula congesta stomachum perturbant; vt nauim fluctus, corpus ebrietas sic demergit, hominem dat in profundum, & mortis facit subire naufragium. Quod si Scyllas desideras, & Charybdes vbi miserima olim credita naufragia, Chrysostrmus etiam Homilia 71. in Matthæum, ebrietatem cum Scylla composuit. Itaque ebrius non vno tantum, sed omnibus naufragij generibus quatitur, & eliditur, vt ex dictis constat, ex quibus etiam liquet, corpus, animam, rationem, voluntatem, sensusque omnes his naufragiis obrui. Pseudo-August. in eo sermone de ebrietate, & castitate, sic scribit. Ebrietas vitiorum omnium gurges, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis. Et infra, per vinum castitas submersa est. Sed & vniuersalem quandam bonorum omnium submersiorem ebrietati dat Chrysostrmus Homilia 51. ad populum, cuius verba postea dabo.

Ceterum quamuis verum sit per temulentiam tot bona simul cum homine submergi, & in profundum delapsa perire, tamen prima interpretatio Caietani mihi non probatur: subiicit ergo alteram idem interpres, quam libenter amplectitur Iansenius. Et eris sicut dormiens, aut iacens in medio mari, id est, cum iacueris ebrietate prostratus omnia tibi fluctuare, & susque deque verti videbuntur. Vel aliter, vino obrutus, velut fluctibus perculsa nauis, non quiesces, sed mirum in modum iactaberis. Illustrat hanc expositionem Sanctus Ambrosius de Helia & Ieiun. cap. 15. Et bene, inquit, ebriosos naues dixit; sicut enim illæ vento, ita hi cibo iactantur & vino; in insulas repleta potu nauigant corpora, naufragiis circumsenans, tuadusur fluctibus ebrietatis, nec per diem, nec per noctem quiescunt. Itaque temulentos assidua quadam tempestate iactari dicit, de qua tempestate aliquid sub finem huius commentarij dicemus.

150

Sed licet hæc non ineptè dicantur, tamen mihi A
semper visum est, non duas, sed vnam ex vtroque
hemistichio similitudinem coalescere, atque sic
textum esse pangendum. *Et eris sicut dormiens in
medio mari, & sicut gubernator sopitus amisso clauo.*
Scilicet per omnia conferendus eris cum nauclero,
qui naui in altum pelagus deuecta, deposito
clauo stertit, ac dormit. Sed antequam nostræ in-
terpretationis sensum enucleemus, aliorum lectio-
nestrutinæ committere libet.

Rabbi Jonah, & ex hoc alij interpretes supra
adscripti, sic locum restituerunt. *Et eris iacens in
medio maris, & sicut dormiens in vertice rudentum.*
Quam lectionem ac vocem *Chibel*, quæ subest in
hoc loçõ, sic edisserit præfatus magister. *Est, in-
quit, Chibel nescio quid ex funibus contextum, na-
rans in maris superficie, quo vruntur nauita, quando
nauem bitumine liniunt, seu calafatant: nam istius-
modi (inquit,) funium, seu rudentum colligatione,
aut orbe vecti, circum latera nautæ oberrant, & rimas
agnoscunt, easque inserta stupæ, multoque bitumine
obturant. Quid inde? & sicut dormiens in vertice
aut summitate rudentum,* id est, quemadmodum
qui in altum pelagus actus in prædicto funium or-
be confidens, inibi obdormisceret in maximo ver-
saretur vitæ discrimine: ita etiam temulentus
semper in vitæ, atque salutis suæ periculo versa-
tur. Non placet.

151

Possent tamen ea lectio faciliori alio sensu do-
nari. *Et sicut dormiens in summitate rudentum.* C
Profectò si nauis structuram, & instrumenta spe-
ctes, facile agnosces præcipuam illius gubernan-
dæ partem in rudentum, ac funium vsu sitam esse;
nam funibus vela explicantur, & rursus contra-
hantur, funibus anchoræ demittuntur, aut le-
uantur, per funes etiam nauæ scandunt, & plera-
que alia rudentum auxilio fiunt, ex quibus nauis
incolumitas maximè pendet. Erit ergo sensus,
Vir ex crapula decumbens, ac dormiens, persimilis
est nauæ alicui, qui cum rudentum impellendo-
rum curam habeat, tùm cùm maximè illis opus
est ad vela explicanda, aut comprimenda, ipsimet
rudetibus impositus dormit, ac stertit, atque adeò
totam nauim periculo exponit. Quæ interpre-
tatio non abhorret à Vulgati nostri sententia vt
statim dicemus, si tamen per rudentes recta con-
silia, & prudentes cogitationes accipiamus, his
enim perinde vitam nostram moderamur, quem-
admodum nauæ funibus nauim regunt. Neque
abhorrebit etiam hoc à germana vi illius vocis
Chibel, ab eodem enim fonte manat vox תחבילה
Thubbulah, quæ consilium, & industriam sonat,
de qua supra cap. 15. ad illa verba, *& intelligens
gubernacula possidebit.* Ad hæc alia etiam sese dat
huius translationis interpretatio. *Et eris sicut dor-
miens in vertice funis,* id est, in summitate funis. E
Quasi dicat, si vino immoderato madueris vsque
ad crapulam, haud dissimilis eris nauæ funes
scandenti, qui vbi ad summitatem illius deuenit
inibi obdormisceret; sicut enim hunc inde labi
necesse est & in vndas decidere: haud dispar est
ebriorum discrimen qui crapulam obdormientes,
& à rationis vsu alieni, maximarum ruinarum sibi
auctores sunt.

152

Secunda translatio est quotundam Hebræo-
rum, quos refert Rabbi Himanuel, locum istum
sic restituentium. *Et sicut dormiens in vertice an-
choræ.* Putant enim anchoram eo nomine, *Chibel*,
notari, quia hæc tereti fune in mare dimitti solet,
ad nauem sistendam. Potest autem hæc translatio
non inuiso sensu donari. Sanè ebrius (vt supra

dixi) semper fluctuat, iactatur, impellitur, nun-
quam quiescit, ac sistitur; atque adeò aptè super
anchoram dormire dicitur eam premens, ne in
mare demissa fluctuationem, & iactationem il-
lam coërceat. Quasi dicat, ebrius omni quietis
& otij spe sublata, assiduè mouetur, concutitur,
& turbas nullo tempore intermittendas patitur,
vt pote qui supra anchoram, hoc est, supra ratio-
nem, & consilium dormit, & incumbit, quæ sola
inter huius vitæ fluctus hominem stabilem, &
constantem reddere potest.

Tertia translatio, quam interpretes non pauci
sequuti sunt, illa est. *Et sicut dormiens in summitate
mali.* Hanc ergo Caietanus eleganter exposuit,
quem meliùs vt capias, cogita corpus nauem
quardam esse, & in summitate mali, vulgò, *ex la-
gabia* (nam & huic nomini respondere videtur
vox *Chibel*) ad omnia vndequaque speculanda ra-
tionem colloca. Quid inde? *Et eris,* inquit Cai-
etanus, ô temulente, *sicut iacens aut dormiens in
medio mari,* quia nimirum corpus, nauis ad instar
fluctibus percussæ, assiduè decumanis concupis-
centiarum vndis iactabitur, & agitabitur, *& sicut
dormiens in summitate mali,* secundum mentem
atque rationem, quæ insanos etiam motus, & ia-
ctationes patietur. Nam sicut in naui, cùm ca-
rina impellitur, non potest non malus agitari, imò
experientiâ ipsâ compertum est, exiguum carinæ
motum, cùm ad summitatem mali peruenit,
longè maximum esse: ita etiam de corpore ani-
mòque decernere oportet; nam corporis omnes
motus ad mentem transeunt, illamque non æqua-
li modo, sed maiori, ac vehementiori agitatione
succutiunt. Nihil certius: sed tamen non valdè
probo.

Hanc eandem translationem alium ad sensum
vocauit Rodolphus, qui verbi illius, *dormiens*,
energiam meliùs exhaurit. Nam ille, ait, qui in
mali summitate, id est in carchesio, seu gabia, con-
fidet, eò certè confidet, vt inde maria quoquo-
uersum speculetur, pyratas videlicet, & cælum,
terram, portus, scopulos, aliaque præuideat ad na-
uim moderandam opportuna. Quemadmodum
ergo huiusmodi speculatore dormiente nauis at-
que vectorum periclitatur salus; ita etiam ratione
per ebrietatem sopita, reliquæ tam corporis, quàm
animæ facultates, infelici naufragio pereunt.
Itaque *dormiens in summitate mali,* est ratio ho-
mini ad speculandum data, & eadem per temule-
tiam extincta. Denique potest etiam hæc lectio
aliter exponi de ruinis ebriorum, sicut illa, *dor-
miens in summitate rudentis,* id est: Quemadmo-
dum si quis malum scandat, ac tunc cùm summi-
tatem illius attigit, inibi obdormiscat, eum ad ima
statim delabi, ac perire necesse est: non aliter vi-
nolenti, tunc cùm maxima vigilantia, & pruden-
tia opus est, crapulam edormire coguntur, atque
adeò magnarum ruinarum sibi opifices sunt.

Succedat demum Vulgata lectio. *Et quasi sopi-
tus gubernator amisso clauo.* Ducitur metaphora à
nauclero, cuius partes sunt ad polum inspicere &
temonem vertere, ac sic demum nauis cursum in
destinatum locum regere, ac moderari. Quem-
admodum ergo nauarchus somno pressus, atque
adeò, nec polum contemplans, nec clauum im-
pellens, nauim à fluctibus abripi, & in scopulos,
aut fyrtes illidi finit: ita etiam de temulentis de-
cernendum est, hi enim vino sepulti, & consopiti,
nihil sublime, aut cæleste meditantur, quinimò
rationis gubernaculo amisso, se totos tentatio-
num insanis ventis, ac vitæ istius violētis fluctibus

153

154

155

permittunt, donec illos tempestatis alicuius ingruens vis ad scopulos, & syrtes impactet. Sic ferè interpretes in hunc locum, inter quos vix aliquid diffidii reperire licet, nisi quod alij per nauclerum rationem, per nauem animam, per temonem autem consilium atque industriam accipiunt. Sic Beda & Hugó. Alij rursus per nauim corpus, per nauclerum mentem, per temonem voluntatem intelligunt; hæc enim vi sua reliquas siue corporis, siue animi vires ad nutum conuertit, sicut temo reliquam nauim: sed tamen hæc diffidia leuiora sunt.

157

Ego sanè, vt dicam quod sentio, non satis præscriptæ interpretationi acquiesco; puto enim hæc verba ad rectores intendi, ad quos Reipublicæ, domus, familiæ, vel alterius cuiuspiam rei gerendæ ac gubernandæ cura pertinet. Itaque sensus est. *Et sicut sopitus gubernator amisso clauo.* Quasi dicat: Tu quisquis es, ad quem alicuius rei administratio pertinet, ebrietatem declina; nam quemadmodum gubernator somno correptus clauum è manibus abiicit, nauimque ventis, ac fluctibus iactandam tradit: ita etiam tu, siue Princeps, siue Dux, siue œconomus, siue quomodolibet alicui rei gerendæ præfectus fueris, si quidem vino immaduueris, ad crapulam edormiendam decumbens, Reipublicæ, domus, exercitus, ac præfecturæ curam & gubernacula abiicies, easque res tamquam naues quasdam ventis, ac fluctibus ad naufragium certissimum permittes. Et quidem nauarchus dormiens magistratum, aut Principem inertem adumbrat apud Tull. lib. 1. Epist. ad Quint. fratrem. *Tibi, inquit, data est summa tranquillitas, ita tamen vt ea dormientem gubernatorem vel obruere possit.* Quasi dicat Principem nunquam dormire aut inertem esse oportere, nam in summa etiam rerum omnium tranquillitate, quasi in malacia, sopito gubernatore nauis periclitatur. Hinc ergo constat quantum illum ob omni temulentia abhorreere oporteat. Ad hæc Dio

Cicero.

Chrysofostomus ad vigilantiam Principis, gubernatoris exemplum transfert oratione 3. *Nauclero soli noctu quidem minus licet obdormire, quam nauigantibus; interdum autem, sicuti breuem aliquem somnum suffurat, hunc tamen suspensum habet, & dubium, vt sæpè exclamet, aut velum contrahi, aut clauum sisti, aut aliud rerum nauticarum; vt dormiens ille magis gerat nauis curam, quam alij valde vigilantes.* Et Ægydius in libro de institutione Principis, *Non licet, inquit, dormitandum esse qui clauo asidet, & in tantis rerum periculis stertit Princeps; nullum mare tam graues habet tempestates unquam, quam omne regnum asiduè: semper itaque Principi vigilandum est, ne quid erret, qui non nisi plurimum pernicie delinquit.* Basilus in ea Homilia de ingluuie & ebrietate, omnes quidem, sed præcipuè rectores; abstemios esse iubet. Et Plato Dialog. 3. de Republica sic scripsit. *Principibus, inquit, ab ebrietate diximus abstinendum; unicuique enim magis concedi quam custodi, vt ebrietate grauat, vbi terrarum sit nesciat; nempe ridiculum esset custode indigere custodem.* Solon etiam, vt tradit Laërtius in eiusdem vita, lege sanxit, magistratum quemlibet aut Principem ebrium deprehensum morte mulctari, vide plura infra cap. 31. ad illa verba, *Noli Regibus ô Lamuel, &c.* Et quidem ad hanc senten-

Dio Chryf.

Ægydius.

Plato.

Laërtius.

tiam omnes supra adscriptas lectiones allicere integrum est, quod quia facilè ac pronum, lectori permittendum putauit.

Ad extremum examini subiicienda est translatio Septuaginta, quæ à reliquistantisper differt; sic enim habet, *Iacebis tanquam in corde maris, & tanquam gubernator in magna tempestate.* Quam Clemens Alexandrinus perillustri commento donauit his verbis. *Iacebit, inquit, tanquam in corde maris, & tanquam gubernator in multis fluctibus. Ex hoc loco etiam adiuta dicit Poëtica.*

Cl. Alex.

B *Vinum hominem vincens velut ignis corda favore*

Pellit, ceu Lybici fluctuat vnda maris.

Quam Notus, aut Boreas agitant, &c.

Videtur naufragij periculum. Cor quidem multo potu obruitur; Multam autem temulentiam minus maris comparauit; in qua corpus, tanquam nauis demersum turpitudinis ac dedecoris profundum subit, decumanis vini fluctibus obrutum. Gubernator autem, mens scilicet humana supereminens ebrietatis fluctu circumagitur, & in mari versans caligat, & propter procellæ tenebras à portu veritatis aberrat, donec in saxa mari latentia irruens seipsum in voluptates impactum perdidit. Hactenus Clemens, cui aliquid adiciere

C fas non duco. Tantummodò id dico, hanc translationem ad nostram interpretationem, quæ suadet Principes atque rectores sobriè admodum vino vt, allici oportere. Rursus addo ad expendenda illa verba, *Et sicut gubernator in multis fluctibus, seu, in magna tempestate, facere etiam Basilij Magni verba, qui vbi ebrietatem cum magna tempestate contulit, sic attexit. Quemadmodum nauigia onusta, tempestate si fortè correpta fuerint, necessariò onerum abiectioe leuia sunt; sic etiam & si necessariò ea, quæ ipsis oneri sunt, deponunt, vinumque vomentes, & eructantes vix onere liberantur, sed tantò miserabiliores sunt his, qui aduersa tempestate iactantur, quanto hi ventos, mare, necessitatemque omnem externam accusant; ac isti voluntariam ex ebrietate tempestatem subeunt.* Sed iterum huc ascendenda sunt verba Chrysofostomi supra exhibita, qui de hac mercium atque comæatus proiectione in mare sublimius aliquid excogitauit. *Itidem, inquit, in ista temulentia tempestate; sicut enim illuc mercium sit iactura & isthic omnium ferè bonorum efficitur, siue modestiam inueniat, siue pudorem, siue prudentiam, siue mansuetudinem, aut humilitatem in iniquitatis pelagus omnia proicit ebrietas. Est igitur ebrietas sicut gubernator in magnis fluctibus; aut in magna tempestate: quia quemadmodum hic tempestate sæuiente comæatus, ac mercium proiectionem vectoribus indicit, ita etiam ebrietas è corpore quidem cibi atque vini onus, ex animo autem pretiosas virtutum omnium merces in pelagus iactare hominem cogit.* Ad extremum subiiciendus est Magnus Gregorius, qui pastoralis curæ 3. par. Adm. 33. hæc verba ad allegoriam traducit. *Hinc superius scriptum est; Et eris quasi dormiens in medio mari; & quasi sopitus gubernator amisso clauo. In medio enim mari dormit, qui in huius mundi tentationibus positus, prouidere motus irruentium vitiorum, quasi imminentes vndarum cumulos, negligit: Et quasi clauum gubernator amittit, quando mens ad regendam nauem corporis studium sollicitudinis perdit; clauum quippe in mari*

Chrysof.

161

amittere est intencionem prouidam inter procellas huius
saeculi non tenere, &c.

XXXV. Et dices, verberauerunt me, &
non dolui; traxerunt me, & ego non sensi,
quando euigilabo, & rursus uina repe-
riam?

ET dices, &c. Urget Salomon ebrietatis
incommoda, & tria alia recenset, ex qui-
bus duo ad dedecus pertinent, tertium ad im-
temperantiam; singula expendam. *Verberauerunt me, & non sensi.* Hebr. *verberauerunt me, & non egrotavi*, lxx. *Ferierunt me, & non dolui*.
Duplicem sensum possunt sortiri haec uerba; al-
ter est simplicior ad hunc modum; Fingitur
ebrius ad se rediens vibices plagarum, aut
etiam liuores contemplans, atque adedò dicens,
Verberauerunt me & non dolui, scilicet pudore
suffusus ob dedecus acceptarum plagarum. Mens
autem sapientis non est alia quam ebriis hoc
exprobrare, quod ipsis crapulam dormientibus
sape inhonestè verberantur, & plagis oneran-
tur, aut certè verberari, ac tundi possunt, ipsis
id minimè sentientibus, aut discernentibus, quod
sanè turpissimum est. Vel aliter, adludit Sa-
piens ad turpe quoddam ebrietatis amuletum,
quod apud veteres in usu fuit; Hi enim ut
ebrios celerius ad mentem reuocarent, aut fu-
nibus restrictis torquebant, aut etiam impactis
verberibus percellabant, quod medicamenti ge-
nus tum ebriis, tum etiam his, qui ex febre de-
lirant & insanunt, impendi iubet Medicorum
facile Princeps Galenus, ut alibi obseruauim-
us. Medicamenti autem huius naturalis rati-
o est facilis, quia verberum ictus sanguinem,
aliosque humores ad ima euocant (hinc vibices,
atque adedò caput exonerant. Propterea
apud Moscovitas, ut tradit Sigismundus in eo-
rum Historia, ebrij tandiu verberibus pulsari
iubentur, donec ad sanitatem redeant, ut sup-
plicium hoc simul sit, ac medela. Ait igitur
ebrius apud Salomonem (sequor lectionem
Originalem) *verberauerunt me, & non egro-
taui*, ebrius nimirum verberibus ad se redire in-
cipiens, sic addit: uerbera excepi, cum tamen
non egrotarem: nimirum egrotum ex
febre furiosum verberari haud turpe est, at e-
brium verberibus affici probrosum valde. Id
ergo probum refero, ait ebrius, quod sine agri-
tudine, ac morbo plagas sustineo, vel, si ma-
uis, idem ipse temulentus uerbera, quibus ad
sanitatem adduci contenditur, aspernatus, ex
amore uiolentiae sic ait. *Verberauerunt me, &
non dolui*, id est, quamuis aliquando temulentia
prostratus, verberibus percellar. id tamen non
curo, quia impactas mihi plagas nec sentio nec
percipio.

Traxerunt me, & non sensi. Hebr. *concu-
serunt me, & non cognoui*. Vatablus iterum vsur-
pat uerbera, ait enim, *Verberauerunt me, &c.* Se-
ptuaginta, *Illuserunt mihi, & ego non sensi*. Chal-
daeus, *Spoliauerunt me, & nesciui*. Triplex
etiam hinc emicat interpretatio; primam nobis
offert Vulgata lectio. *Traxerunt me, & non
sensi*, sic ebrius sibi restitui incipiens. Nihil
enim vulgò frequentius, quam ebrios extrà se

A factos, ac tellure decumbentes ab alienis por-
tari. Ambrosius de Helia & ieiunio cap. 13.
*Itaque hac atque illac tanquam nauigia sine gu-
bernatore fluctuant, & tanquam vulnere icti in
terram desluunt, nisi excipiantur à seruis.* Aly
referuntur in scutis, fitque pompa ludibrij. Lo-
quitur de militibus ebriis. Basilius supra. *Mi-
randum profecto spectaculum! vir aetate integra,
& florente, inter militares copias clarus domum
deportatur, cum ipse potis non sit seipsum attolle-
re, atque propriis pedibus incedere.* Secundam
expositionem exhibet translatio LXX. *Illu-
serunt mihi, & non sensi.* Appositè ad hanc le-
ctionem subdit Basilius. *Vir, qui terrori debebat
esse hostibus, pueris in foro materiam videndi pra-
buit.* Huc spectat etiam illud Ambrosianum,
fit pompa ludibrij. Chrysostomus etiam accinit.
*Quid enim, inquit, turpius ebrio temereque va-
gante, ac graue illud naufragium perferente, &
Dei dona stultorum conuictis exponente? Deni-
que tertiam expositionem spirat paraphrasis
Chaldaica. *Spoliauerunt me, & nesciui*, id
quoque ebrietatis turpitudinem ac dedecus am-
plificat, quod temulentos spoliare licet non re-
pugnantes, nec iniuriam istam sibi illatam per-
cipientes, quae non leuis contumelia est. Puto
autem ea translatione non tam significari e-
brium pretiosis vestibus, aut etiam pecuniis
spoliari, quam eundem discingi & exarmari
posse; hoc enim probrosum magis; cuius probri
meminit etiam Ambrosius supra cap. 13. Sub-
nectit Salomon.*

Quando euigilabo, & rursus uina reperiam?

Hæc posterior pars Ianfenium in eam senten-
tiam induxit, ut reliqua inter dormiendum, aut
certè inter ipsam crapulae insaniam, & furo-
rem à uiolento pronunciata existimaret, sed
tamen non audiendus. in Primitiuis ad uer-
bum est, *Quando lucidabo, addam, quæram il-
lud adhuc.* Septuaginta. *Quando erit diluculum,
ut vadens quæram, quibus cum conueniam?* Er-
go ad hunc sensum etiam uocari debet lectio
nostra, ita ut illud, *Quando euigilabo?* non red-
dat eum sensum, *Quando è somno hoc, & in-
saniam resipiscam?* hæc enim deprecatio in e-
brium parum aptè cadit, qui quandiu sui com-
pos non est, ne id quidem sapit. Sed ita ca-
piendum est, ut ebrius ad se tantisper reuer-
sus diluculum poscat, ut denuò calices repe-
tat, & in ebrietatem relabatur. Ad istos e-
briorum mores spectauit noster Salomon Ec-
clesiast. 10. *Vae tibi terra, cuius Rex puer est,
cuius Principes mane comedunt*, id est, quos
summo mane comedendi, bibendi concupis-
centia excitat. Et Isaia. 5. *Vae qui consurgitis
mane ad ebrietatem sectandam, & potandum us-
que ad uesperam, ut uino estuctis.* Quos lepide
admodum uellicat Diuus Ambrosius capit. 15.
*Non immeritò, inquit, uae illis qui mane ebrieta-
tis potum requirunt, quos conueniebat Deo lau-
des referre, praeuenire lucem, & vacare orationi, oc-
currere soli iustitiae, quinos uisitat & exurgit nobis,
siquidem nos Christo, & non uino aut sicera sur-
gamus; Hymni dicuntur, & tu cytharam tenes,
Psalmicantur, & tu psalterium personas, aut
tympanum. Meritò uae qui salutem relinquis, mor-
tem eligis, uix diluculum, & iam cursatur per
tabernas, uinum queritur, excutuntur tape-
tes, accubitum festinant sternere, lagenas au-
reas, aureos calices exponunt.* Hæc Ambrosius.

Ambros.

Basil.

Chrysof.

161

Eccles. 10.

Isaia 5.


Ambros.

Gregor.

Sed audiendus Diuus Gregorius Magnus hęc allegoricè versans, curę pastoralis. 3. parte Adm. 33. Vnde per salomonem vox percussi & dormientis exprimitur, qui ait, Verberauerunt me, sed non dolui, traxerunt me, & ego non sensi; quando euigilabo & rursum vina reperiam? Mens quippe à cura sua sollicitudinis dormiens verberatur, & non dolet: quia sicut imminens mala non prospicit, sic neque quę perpetraverit, agnoscit. Trahitur, & ne-

quaquam sentit, quia per illecebras vitiorum ducitur, nec tamen ad sui custodiam suscitatur. Quę quidam euigilare optat, ut rursum vina reperiat, quia quāuis somno corporis à sui custodia prematur, vigilare tamen ad seculi curas nititur, ut semper voluptatibus deebrietur, & cū ad illud dormiat, in quo solerter euigilare debuerat, ad illud vigilare appetit, ad quod laudabiliter dormire potuisset.





CAPVT XXIV.

SALOMONIS.

NE ÆMVLERIS viros malos, nec desideres esse cum eis. 2. Quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum, & fraudes labia eorum loquuntur. 3. Sapientia edificabitur domus, & prudentia roborabitur. 4. In doctrina replebuntur cellaria, vniuersa substantia pretiosa & pulcherrima. 5. Vir sapiens, foris est: & vir doctus, robustus & validus. 6. Quia cum dispositione inicitur bellum: & erit salus vbi multa consilia sunt. 7. Excelsa stulto sapientia, in porta non aperiet os suum. 8. Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur. 9. Cogitatio stulti peccatum est: & abominatio hominum detractor. 10. Si desperaueris lassus in die angustia: imminuetur fortitudo tua. 11. Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. 12. Si dixeris: Vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatore[m] animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera sua. 13. Comede, fili mi, mel, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo. 14. Sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ: quam cum inueneris, habebis in nouissimis spem, & spes tua non peribit. 15. Ne insidieris, & queras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius. 16. Septies enim cadet iustus, & resurget: impij autem corruent in malum. 17. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum. 18. Ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam. 19. Ne contendas cum pessimis, nec amuleris impios. 20. Quoniam non habent futurorum spem mali, & lucerna impiorum extinguetur. 21. Time Dominum, fili mi, & Regem, & cum detractoribus non commiscearis. 22. Quoniam repente consurget perditio eorum & ruinam vtriusque quis nouit? 23. Hæc quoque sapientibus cognoscere personam in iudicio non est bonum. 24. Quid dicunt impio: Iustus es: maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus. 25. Qui arguunt eum, laudabuntur, & super ipsos veniet benedictio. 26. Labia deosculabitur, qui recta verba respondet. 27. Prepara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum vt postea edifices domum tuam. 28. Ne sis testis frustra contra proximum tuum: nec lactes quemquam labiis tuis. 29. Ne dicas: Quomodo fecit mihi, sic faciam ei: reddam vnicuique secundum opus suum. 30. Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti. 31. Et ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat. 32. Quod cum vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam. 33. Parum, inquam, dormies, modicum dormitabis, paucillum manus conseres, vt quiescas. 34. Et veniet tibi quasi cursor egestas, & mendicitas quasi vir armatus.



CAPVT XXIV. SALOMONIS.

- I. *Ne emuleris viros malos, nec desideres esse cum eis.*
- II. *Quia rapinas meditatatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur.*



Ne emuleris, &c. Hebr. *Ne emuleris hominis malitie.* De hac emulatione supra cap. superiori ver. 17. non pauca dixim⁹, vbi etiam decreuimus sermonem esse nō de imitatione impiorum, sed de zelo, & inuidia prosperitatis, ac secunda fortuna, quā impij vti solent. Itaque ait, ne impiis prosperitatem & felicitatem inuideas, neue zelo, & inuidia inductus ad eorum cœtum, & classem transire velis. Hoc sibi vult illud, *Neque desideres esse cum eis*, lege ibi plura. Subdit rationem.

Quia rapinas meditatatur mens eorum. Hebr. & *laborem labia eorum loquuntur*, est enim anceps vox Hebraica, & *fraudem laboremque*, aut etiam *iniquitatem* sonat. Hinc Chald. *Et iniquitatem labia eorum loquentur.* Septuaginta. *Mendacia enim meditatatur cor eorum, & labores labia eorum loquuntur* Sunt qui, mendacij fucos reddiderint.

Reddit rationem, ob quam istiusmodi æmulatio vitanda sit, quia eam felicitatem impij iniustis artibus sibi parant, scilicet rapinis, ac fraudibus, quæ verò sic parta sunt bona, beatum hominem efficere non possunt. Itaque ait, *Quia rapinas meditatatur mens eorum.* i. ingenio suo moliuntur rapinas, & furta, & *fraudes labia eorum loquuntur*, quasi dicat, os, mentemque malè admodum impèdunt, illud scilicet fraudibus, mendaciisque ne-ctendis, hanc verò variis furandi rationibus, artibusque excogitandis; atque adeò inuidentiã prorsus indigni sunt.

Septuaginta interpretes possunt quidem ad eum sensum vocari, sed tamen in eorum verba aliam etiam interpretationem accipiunt. *Mendacia enim meditatatur cor eorum, & labores labia eorum loquuntur.* i. bona illa, quæ assiduò meditantur, nequaquam vera, sed falsa, atque mendacia bona sunt; illa etiam, quam ipsi felicitatem, & fortunam nuncupate solent, non tam felicitas, quàm labor, & molestia dici debet. Vtrumque satis certum. Aliqui conuertunt. *Fucos enim meditatatur cor eorum*, eodem sensu. i. bona quærunt, non ve-

ra, sed fallaci quodam fucò illita. Hunc fucum detegit Chrylostomus in Homilia de diuitiis & paupertate. *Quemadmodum enim meretricantium mulierum forma fritionibus & fucis composita, pulchritudinem mentiuntur, qua omnino carent. Ita diuitia infames cum sint, & turpes, honorem præ se ferunt.* Et infra, *Quod si quando personam istam ex metu compositam rerum commutatio superueniens de conspectu subduxerit, & redarguerit, sicuti facies illas sol calidiori radio immisso redarguit, hinc probè cernes superiori tem, ore supra omnes se fuisse contemptissimum apud eos, qui te coluerunt, &c.* Itaque ex mente Chrylostomi fortuna commutatio diuitiarum fucos & pigmenta detegit, & earum fallacem, mendacemque felicitatem coarguit. Meritò igitur Salomon docet illam impiorum fortunam non esse desiderandam, quæ nimirum mendax est, & fucat⁹, atque adeò commutationi obnoxia. Rursum in homilia, *quod nemo leditur nisi à se ipso*, de diuitiarum fucis sic idem Chrylostomus. *Sicut plerumque meretricis vultus, cum sædius, & turpis est per naturam, fucis & coloribus pigmentariis prostituitur ad decipiendos eos, qui ignorant, quanta sæditas sub velamine fuci illius concegitur; ita & diuitia faciunt, &c.* Homil. 33. ad Heb. sic habet. *Propterea Deus abstulit tibi diuitias, vt te liberet à pessima seruitute. Nam & pater optimus cum viderit filium suum amore cuiusdam meretricis deperire, si admonitiones eius audire neglexerit, illam meretricem in exilia longa detrudi facit. Talis est etiam abundantia diuitiarum, meretricios vultus habet fucatos, ac pigmentatos; curam ergo de nobis gerens verus pater & omnipotens Deus, volens nos ab hac laesione liberare, auferet nobis pecunias, quarum amore mens nostra corrumpitur.* Nullus ergo impiis diuitias, & felicitatem inuidere debet, quia non solum sua ipsarum inconstantia labiles sunt, sed etiam Dei prouidentiam spectat vt eas suis amatoribus eripiat. De laboribus autè, atque molestiis, quæ diuites & fortunatos illos assiduò vexat, alibi sæpè diximus.

Chrystost.

- III. *Sapientia edificabitur domus, & prudentia roborabitur.*

Sapientia, &c. Hebræa prorsus consonant cum nostris. Vatab. *Et cum intelligenti ab-soluitur.* Chald. *Et in prudentia preparatur.* Septuaginta *Cum sapientia edificatur domus, & cum intellectu erigitur.*

Per domum elegantī metaphora rem domesticam, & familiarem notari iam inde supra non semel dixi: sed illud vestigandum in hoc loco, quid *sapientia*, quid *prudencia*? Et quidem duas omnino istorum nominum acceptiones inuenio. Alij. n. per sapientiam, & prudentiam, virtutem, & honestatem hic notari volunt: alij industriam, & artem faciendi quæstus. Ego quidem hæc verba ita distribuo, vt sapientia priori loco posita industriam illam significet, prudentia posteriori loco subiecta, honestatem, & virtutem. Sed iuxta has sapientiæ, atque prudentiæ acceptiones, aliæ, atque aliæ interpretationes occurrunt.

Prima ergo, per sapientiam, atque prudentiam, probitatem in vniuersum capiens sic locum edifierit. *Sapientia edificatur domus*. i. res domestica, & familiaris non fraudibus, & iniuria conquiritur, nō etiā improbitate & impietate seruatur: sed cū morum honestate, ædificij cuiusdam celsi in morem attollitur, & eadem honestate robur illi additur, ne temporis decursu excitata moles corruat. Itaque sensus est diuitias tum demum amplas, & diuturnas esse, cū probitas tanquā fundamentum iacitur, eademque probitas tanquā faber, aut opifex illas attollit. Nam diuitiæ virtuti, tanquā fundamento, incumbentes, nulla vi subruī, aut cōuellī possunt, & cū illas probitas tanquā domum aliquam affabrè attollit, non possunt non amplificatæ, & auctæ in magnam molem euadere. Chrysofomus in Hom. in Epistol. ad Ephesios de diuitiarum fundamento pereleganter differit. *Quanam vis te impellit ad rapiendum? paupertas, inquit, ac timor, de rebus necessariis. Imò propterea non debes rapere: non sunt enim stabiles, & firma istiusmodi diuitiæ. Tu autem idem facis, ac si quis rogatus cur in arena domus fundamenta iaciat, dicat propter frigus, & propter pluuiam. Propter hoc quidē non oportebat fundamenta iacere in arena: Ea. n. certò euertunt procellæ, & venti. Quare si vis esse diues, nō sis auarus, nec plura habendi cupidus, si vis filiis tradere diuitias, posside iustas, si vllæ sint tales: ea. n. manent stantque firma, ac stabiles.* Quemadmodum ergo de fundamentis hæc Chrysofomus commentus est, ita etiam de reliqua istius domus structura affirmare licet. Nam sicut, qui parietes alicuius domus ad regulam, & perpendicularum non exquirat, non potest illos in sublime leuare, quia illos nedum à terra sublato modica inclinatio ab initio inchoata tandem detorquet, & in terram deuoluit: Ita etiam de diuitiis illis iudicandum est, quæ nisi iustitiæ regula, & æquitatis perpendicularo corrigantur, nedum è paupertatis infimo solo attolli, & in altum leuari cæperunt, cū statim collapsæ in antiquam paupertatem recidunt.

Non longè abit ab hac prima expositione Secunda, quæ per sapientiam & prudentiam, iustam acquirendi industriam concipit. Est. n. sensus. *Sapientia edificatur domus*. i. diuitiæ nō fraudibus cumulantur, sed industria: neq; firmæ sunt, ac constantes, nisi eas etiam industria pepererit. Vt autem hæc secunda interpretatio à prima aliqua ratione differat, sic debet conformari. Diuitiæ non tam conatu nimio, aut laboribus multis, molestiisque susceptis augentur, & offirmantur, quā industria, & arte. Quemadmodum. n. ad summos parietes alicuius domus construendos, magni ponderis lapides non vi, & conatu (nulla. n. vis satis esset) sed arte leuantur, ædificiumque ea ratione in dies assurgit, & in sublimem molem euadit. Et sicut etiam ad explorandam alicuius ædificij rectitudinem nullius quamlibet acutissima acies suffi-

A cit, nisi accedat etiam ars, quæ regulam, & perpendicularum adhibere docuit. Ita etiam de diuitiarum quæstu decernere opus est: non. n. labor nimius, aut ingentes molestiæ, aut vehementes animi angores ad magnos quæstus pariendos faciunt: sed ars, atq; industria: hæc. n. sepè nullo ferme labore, ac per breui interuallo copias ad maxima incrementa promouet. Rursus etiam, qui parta tueri velit, suo ipsius consilio, fidei, aut memoriæ nequaquam res committere, sed artem etiam adhibere debet, scilicet libros rationum, crebras etiam subductiones & calculationes. Non pauci enim quia in re sua familiari construenda absque præmissis auxiliis, memoriæ, aut etiam fidei suæ multum tribuerunt, inclinatis demum muris in angustias reciderunt. Quid certius?

B Subest etiam secunda interpretatio nomina illa distribuens, quæ nimirum *sapientia* nomine industriam intelligit, ac per *prudenciam* probitatem, & iustitiam captat, hoc modo. *Sapientia edificatur domus*, id est, industria rem domesticam & familiarem auget & cumulat: & *prudencia* roboratur, id est, probitas æquitasque illam confirmat, constantiaque, ac stabilitate donat. Hanc interpretationem superioribus libenter præfero, quia ea, quæ propria sunt vnicuique adscribit: nam industriæ proprium est rem augere, probitatis autem, & iustitiæ, auctam tueri. Primo quia hæc sumptus moderatur. Secundo, quia meritis suis id impetrat à Deo, Tertio, quia præcipua ratio, ob quam Deus homines ablatis opibus ad angustias redigere consuevit, est earum abusus ad scelera, & crimina, quorum copiosam segetem diuitiæ administrare consueuerunt, atq; ad eò qui opes cum pietate, & honestate coniungit, eas sibi quasi perpetuo fœdere obstringit, & infidam, feram, & fugacem earum naturam continet. Nam (vt aliàs me dixisse memini ex Chrysofomus) pietas diuitias alioqui efferas, & indomitas cicures reddit, & ad mansuetudinem traducit, eademque labilem eorum naturam stagnat: (addo etiam nunc ex Salomone) illas tanquā domum, atque ædificium, aliàs ruinosum, atque caducum, perpetua stabilitate communit.

C Sed non prætereunda lectionum diuersitas. Vatablus habet *sapientia edificatur domus, & prudentia absoluetur*. quæ verba satis moralem sententiam cohibent. Diuitiæ quidem apud auaros ad instar obtinent magni cuiusdam ædificij, ac molis inceptæ quidem, sed nunquam perfectæ: nam quò sublimius assurgit, & latius etiam protenditur moles isthæc, eò sublimius excitari, & latius etiam produci postulat, atque ad eò nunquam perficitur. Non ita, inquit, Salomon, apud prudentes, & sobrios homines, ab his. n. *Per sapientiam edificatur domus*. i. per industriam iustam res domestica amplificatur. *Et per prudentiam domus absoluetur*. i. eadem nimirum res perficitur, & ad iustā quādam magnitudinem peruenit, quā vbi adepta nec concupiscentia vterius aliquid appetit, nec industria etiam latius protenditur. Sed quemadmodum aliquis satis amplam domum ad habitationem nactus id tantum contendit, ne deterior fiat, atque illam auxiliis omnibus à ruina prohibeat: ita etiam vir sobrius, & temperans, statim atque sufficientes ad victum copias sibi peperit, id tantum saragit industria sua, ne in deterius abeant, & dummodo parta iam bona facta rectaque sint, de cætero nihil curat. Contra verò diuitiæ & opes apud improbos auaros similes sunt ædibus inchoatis, & nunquam perfectis. Quia nunquam

Chrysof.

4

D

E

in illis moratae quiescere licet, & novos semper sumptus recentemque laborem exigunt.

7. Chaldaeus legit, *Sapientia aedificatur domus, & prudentia preparatur.* Prudens utique homo ante quam aedificium aliquod magnum attollere incipiat, prius quidem lapides, ligna, & cæmentum, & reliquam materiem comparat, & in ipso domus construendæ loco hæc omnia cumulat, deinde aedificium aggreditur. Ex ista igitur lectione haud insulsa depromitur sententia ad hunc modum. *Et prudentia preparatur, &c. i.* quicumque domum aliquam magnam susstruere apud se cogitat, domum, inquam, magnam, i. ingentem aliquam familiam seuuorum, clientum, ac ministrorum (id. n. est, quod vulgò dicimus, *Poner una gran casa*) is quidem necessariam ad hanc substructionem materiem prius comparatam, & congestam apud se habere debet: satis videlicet copiarum, ac sumptuum ad illud aedificium, molemq; excitandam obtineat opus est, ne si postea defecerit, incipiant illud suggerere ei dicentes, *Hic homo cepit aedificare, & non potuit consummare.*

Luc. 14. 8. Denique Septua. Interpretes sic habent: *Cum sapientia aedificatur domus, & cum intellectu erigitur.* Certè cum aedificiū aliquod inchoatur, & moles parum à terra sublata est, facilis admodum, & compendiosa est structura, ars etiam ad aedificandum minor requiritur: at ubi moles excelsius assurgit, tunc quidem labore, atque etiam arte maiori, largioribusq; expensis opus est. Puta ergo sapientiam ex vi sua digniorem quandam notitiam significare, quam intelligentiam. *Sapientia*, n. absolutam plenamq; rerum notitiam complectitur, *intelligentia* non item. Salomon ergo à contrario sensu iuxta hanc lectionem non inelegantem sententiam commentus est. *Cum sapientia aedificatur domus, & cum intelligentia erigitur.* Quasi dicat, in domibus ex aedificandis initia quidem faciliora sunt, at postquam fabrica altius assurgit maiori labore, atque arte opus est. Non ita in diuitiarum quæstu, sed ex aduerso opes inchoare perdifficile est, attamen captas iam augere, & amplificare primum valde, ac procliuè est: nam ex paupere diuitem fieri arduum valde, ex diuite autem ditiozem, ac ditissimum euadere, haud difficile est, hoc sibi volunt illa verba. *Cum sapientia aedificatur domus, i.* ad rei familiaris prima fundamenta iacienda maxima quadam arte, & industria opus est. *Et cum intelligentia erigitur.* Iactis nimirum iam fundamentis, reliquam molem imponere, & maximam fortunarum fabricam attollere minoris intelligentiæ atque industriæ est.

9. Vel si id non placet, & ductam ex aedificio similitudinem cum diuitiarum fabrica omnino congruere velis, licet quidem ad moralem, & Ethicam huius rei considerationem accedere: Nam quamuis (liceat sic dicere) physicè, ac naturaliter faciliora sint rei familiaris incrementa, quam auspicia, & initia: tamen, quod ad mores spectat, facilius est aliquem cum iustitia, & æquitate diuitiarum possessionem ordiri, quam post modum eandem iustis in dies quæstibus cumulare. Quia cum, crescente pecunia, concupiscentia quoque sua incrementa capere soleat, hæc certè sapius ad iniurias, & damna proximis danda auidas mentes stimulat, ut siue per fas, siue per nefas fortunis qualiscumque fiat accessio. At ergo Salomon. *Cum sapientia aedificatur domus, id est, ad inchoandam cum iustitia, & rectitudine rei familiaris, ac domesticæ fabricam qualiscumque probitas sufficit. Et cum intellectu erigitur.* (Iuxta hanc expositionem in-

tellectus sapientiæ anteponi debet: Ita ut sensus sit:) ad eandem fabricam pari rectitudine, & æquitate promouendam, insigni quadam morum probitate, & honestate opus est. Nil certius. Sed de hoc versu aliquid etiam in sequenti ferendum est.

IV. *In doctrina replebuntur cellaria, vniuersa substantia pretiosa, & pulcherrima.*

10. *In doctrina, &c. Hebr. In scientia penetrabilia replebuntur, omni copia pretiosa, & iucunda. Vatablus Omnis generis opibus rari, & amari. Sept. Cum sensu implentur cellaria ex omnibus diuitiis pretiosis, & bonis.*

Caietanus, ut hæc verba cum superioribus confuat, utramque iuxta literæ sonum exponit, atque ad eò in præmissis verbis, *Sapientia aedificatur domus*, nomine domus ædes ipsas ad incolendum constructas accipit, hoc sensu, ad ædes affabre excitandas, ita ut structura sit elegans, & utilis, locus item idoneus & salubris, non mediocri sapientia opus est. Subdit. *Et cum prudentia dirigitur.* Singulas eius partes distribuere, & ad idoneam habitationem accommodare haud vulgaris etiam prudentiæ est. Attegit. *In doctrina replebuntur cellaria, &c.* id est, eandem domum pretiosa, & eleganti suppellecti instruere, & annonam etiam affatim implere maximam cuiusdam industriæ est. Quæ interpretatio ut moralem ad sensum traducatur, sic concipienda est, uti hæc à Salomone ad excitandam, acuendamque hominum industriam præscripta sint: quasi dicat Aliqua sunt ad vitam hanc decorè, & honestè transigendam necessaria: hæc sunt, domus ampla, pretiosa suppellex, annonæ sufficiens: hæc verò non facillè cõquiruntur. Quapropter quicumq; istiusmodi res sibi affatim suppetere voluerit, neruos contendere, & diligentiam, industriamque haud vulgarem his parandis impendere debet. Et quidè sic conformata interpretatio mihi valde probatur.

Hugo Cardinalis de more suo hæc ad spirituales sensum, mysticasque diuitias transfert: Cui hærent etiam ex antiquis non pauci. Iansenius tres & in diuitiis parandis, & augendis gradus cõtemplatur. Nam prima, inquit, industriæ nostræ collocatio est, diuitiarum satis ad vitam tuendam comparare. Secunda, ea, quæ quis iam peperit, tueri. Tertia, eadem nouis accessionibus augere, & amplificare. Hos igitur tres industriæ gradus percurrit Salomon. *Sapientia aedificatur domus, i.* ut fortunarum satis ad viuendum suppetat, industria non mediocri necessaria est. *Et prudentia roboratur, i.* ne parta iam fors deterior fiat, prudentia etiam non vulgaris requiritur. *Et in doctrina replebuntur cellaria, &c.* Nimirum ut eadem res familiaris incrementa suscipiat, ad eò ut non modo sufficientia, sed etiam affluentia ad victum suppedient, insigni quadam industria opus est. Non displicet etiam Iansenij consilium.

Rodolphus aliam interpretationem excogitauit, hic enim per doctrinam prudentiam, & sapientiam vnam quandam virtutem notari vult, scilicet sobrietatem seu temperantiam, quæ videlicet paucis, & ad victum opportunis contenta est. Sic autem verba exponit, *Sapientia aedificatur domus, &c. n.* iusti hominis prouidentia paucis contenta, & ad ea paranda industriam iustam collocans, nunquam indiget domo ad habitandum

sufficienti, nec rudi illa quidem, & rainosa, sed stabili, atque firma: neque etiam deest illi satis ampla, & honesta suppellex, & affluens etiam annona ad victitandum. Haud insulsa est etiam hæc expositio: sed nostram etiam censuram accipe.

12 *Sapientia adificatur domus, &c.* Significat Salomon quibus gradibus vir industrius domum suam promouere debeat. Primò quidem ex iustè partis domus ædificanda est, deinde familia disponenda, subinde comportanda annona abundans, ac demum suppellex pretiosa conquirenda. Itaque significat quatuor has res diuitiarum incrementa, & menturam suo ordine sequi debere. Nam qui aliquale substantiã nactus est nõ statim de eleganti, ac pretiosa suppellectili cogitare debet, id enim consilium præceps esset, sed hunc 13
 14
 15
 16
 17
 18
 19
 20
 21
 22
 23
 24
 25
 26
 27
 28
 29
 30
 31
 32
 33
 34
 35
 36
 37
 38
 39
 40
 41
 42
 43
 44
 45
 46
 47
 48
 49
 50
 51
 52
 53
 54
 55
 56
 57
 58
 59
 60
 61
 62
 63
 64
 65
 66
 67
 68
 69
 70
 71
 72
 73
 74
 75
 76
 77
 78
 79
 80
 81
 82
 83
 84
 85
 86
 87
 88
 89
 90
 91
 92
 93
 94
 95
 96
 97
 98
 99
 100
 101
 102
 103
 104
 105
 106
 107
 108
 109
 110
 111
 112
 113
 114
 115
 116
 117
 118
 119
 120
 121
 122
 123
 124
 125
 126
 127
 128
 129
 130
 131
 132
 133
 134
 135
 136
 137
 138
 139
 140
 141
 142
 143
 144
 145
 146
 147
 148
 149
 150
 151
 152
 153
 154
 155
 156
 157
 158
 159
 160
 161
 162
 163
 164
 165
 166
 167
 168
 169
 170
 171
 172
 173
 174
 175
 176
 177
 178
 179
 180
 181
 182
 183
 184
 185
 186
 187
 188
 189
 190
 191
 192
 193
 194
 195
 196
 197
 198
 199
 200
 201
 202
 203
 204
 205
 206
 207
 208
 209
 210
 211
 212
 213
 214
 215
 216
 217
 218
 219
 220
 221
 222
 223
 224
 225
 226
 227
 228
 229
 230
 231
 232
 233
 234
 235
 236
 237
 238
 239
 240
 241
 242
 243
 244
 245
 246
 247
 248
 249
 250
 251
 252
 253
 254
 255
 256
 257
 258
 259
 260
 261
 262
 263
 264
 265
 266
 267
 268
 269
 270
 271
 272
 273
 274
 275
 276
 277
 278
 279
 280
 281
 282
 283
 284
 285
 286
 287
 288
 289
 290
 291
 292
 293
 294
 295
 296
 297
 298
 299
 300
 301
 302
 303
 304
 305
 306
 307
 308
 309
 310
 311
 312
 313
 314
 315
 316
 317
 318
 319
 320
 321
 322
 323
 324
 325
 326
 327
 328
 329
 330
 331
 332
 333
 334
 335
 336
 337
 338
 339
 340
 341
 342
 343
 344
 345
 346
 347
 348
 349
 350
 351
 352
 353
 354
 355
 356
 357
 358
 359
 360
 361
 362
 363
 364
 365
 366
 367
 368
 369
 370
 371
 372
 373
 374
 375
 376
 377
 378
 379
 380
 381
 382
 383
 384
 385
 386
 387
 388
 389
 390
 391
 392
 393
 394
 395
 396
 397
 398
 399
 400
 401
 402
 403
 404
 405
 406
 407
 408
 409
 410
 411
 412
 413
 414
 415
 416
 417
 418
 419
 420
 421
 422
 423
 424
 425
 426
 427
 428
 429
 430
 431
 432
 433
 434
 435
 436
 437
 438
 439
 440
 441
 442
 443
 444
 445
 446
 447
 448
 449
 450
 451
 452
 453
 454
 455
 456
 457
 458
 459
 460
 461
 462
 463
 464
 465
 466
 467
 468
 469
 470
 471
 472
 473
 474
 475
 476
 477
 478
 479
 480
 481
 482
 483
 484
 485
 486
 487
 488
 489
 490
 491
 492
 493
 494
 495
 496
 497
 498
 499
 500
 501
 502
 503
 504
 505
 506
 507
 508
 509
 510
 511
 512
 513
 514
 515
 516
 517
 518
 519
 520
 521
 522
 523
 524
 525
 526
 527
 528
 529
 530
 531
 532
 533
 534
 535
 536
 537
 538
 539
 540
 541
 542
 543
 544
 545
 546
 547
 548
 549
 550
 551
 552
 553
 554
 555
 556
 557
 558
 559
 560
 561
 562
 563
 564
 565
 566
 567
 568
 569
 570
 571
 572
 573
 574
 575
 576
 577
 578
 579
 580
 581
 582
 583
 584
 585
 586
 587
 588
 589
 590
 591
 592
 593
 594
 595
 596
 597
 598
 599
 600
 601
 602
 603
 604
 605
 606
 607
 608
 609
 610
 611
 612
 613
 614
 615
 616
 617
 618
 619
 620
 621
 622
 623
 624
 625
 626
 627
 628
 629
 630
 631
 632
 633
 634
 635
 636
 637
 638
 639
 640
 641
 642
 643
 644
 645
 646
 647
 648
 649
 650
 651
 652
 653
 654
 655
 656
 657
 658
 659
 660
 661
 662
 663
 664
 665
 666
 667
 668
 669
 670
 671
 672
 673
 674
 675
 676
 677
 678
 679
 680
 681
 682
 683
 684
 685
 686
 687
 688
 689
 690
 691
 692
 693
 694
 695
 696
 697
 698
 699
 700
 701
 702
 703
 704
 705
 706
 707
 708
 709
 710
 711
 712
 713
 714
 715
 716
 717
 718
 719
 720
 721
 722
 723
 724
 725
 726
 727
 728
 729
 730
 731
 732
 733
 734
 735
 736
 737
 738
 739
 740
 741
 742
 743
 744
 745
 746
 747
 748
 749
 750
 751
 752
 753
 754
 755
 756
 757
 758
 759
 760
 761
 762
 763
 764
 765
 766
 767
 768
 769
 770
 771
 772
 773
 774
 775
 776
 777
 778
 779
 780
 781
 782
 783
 784
 785
 786
 787
 788
 789
 790
 791
 792
 793
 794
 795
 796
 797
 798
 799
 800
 801
 802
 803
 804
 805
 806
 807
 808
 809
 810
 811
 812
 813
 814
 815
 816
 817
 818
 819
 820
 821
 822
 823
 824
 825
 826
 827
 828
 829
 830
 831
 832
 833
 834
 835
 836
 837
 838
 839
 840
 841
 842
 843
 844
 845
 846
 847
 848
 849
 850
 851
 852
 853
 854
 855
 856
 857
 858
 859
 860
 861
 862
 863
 864
 865
 866
 867
 868
 869
 870
 871
 872
 873
 874
 875
 876
 877
 878
 879
 880
 881
 882
 883
 884
 885
 886
 887
 888
 889
 890
 891
 892
 893
 894
 895
 896
 897
 898
 899
 900
 901
 902
 903
 904
 905
 906
 907
 908
 909
 910
 911
 912
 913
 914
 915
 916
 917
 918
 919
 920
 921
 922
 923
 924
 925
 926
 927
 928
 929
 930
 931
 932
 933
 934
 935
 936
 937
 938
 939
 940
 941
 942
 943
 944
 945
 946
 947
 948
 949
 950
 951
 952
 953
 954
 955
 956
 957
 958
 959
 960
 961
 962
 963
 964
 965
 966
 967
 968
 969
 970
 971
 972
 973
 974
 975
 976
 977
 978
 979
 980
 981
 982
 983
 984
 985
 986
 987
 988
 989
 990
 991
 992
 993
 994
 995
 996
 997
 998
 999
 1000

13 *V. Vir sapiens fortis est, & vir doctus robustus, & validus.*

Vir Sapiens, &c. Hebr. *vir sapiens in fortitudine, & vir scientia roborans potestatem.* Chald. *Melior est sapiens robustus, & vir scientia magnus, quàm ille qui accinctus est fortitudine sua.* Septuaginta *Melior sapiens fortis, & vir prudentiam habens agro magno.* Sic habet Codex Vaticanus. Regius vero, ac Complutenfis. *Agricola magno.* Subest. n. *ἄριστος* quæ vox utramque significationem recipit.

Non satis liquet inter expositores an isthæc subsequenti versui neccenda. Rodolphus, & Iansenius cum sequentibus contexunt, ita vt sensus sit, *Vir sapiens fortis est, &c.* Quasi dicat, non solû ad rem domesticam amplificandam, & augendam sapientia & doctrina opus est, sed etiam ad bella gerenda. Nam vir sapientia pollens is quidem fortitudine fortissimos quosque vincit: & qui doctrina antecellit, is demum viribus, ac robore præstat: quia fortitudo, ac robur non tam in lacertorum, ac neruorum contentione consistit, quam in sapienti, & opportuno virium etiam infirmarum exercitio, & vsu. Subdit Salomon. *Quia cum dispositione inicitur bellum, &c.* Fauet huic expositioni Chaldæus interpres, sic. n. habet. *Melior sapiens robustus, & vir scientia magnus quàm ille, qui accinctus est fortitudine sua,* qui planè ad militare robur, & ad rem bellicam spectasse videtur. Quantum autem sapientia ad bella coficienda possit, sequenti versu dicemus.

14 Cæterum, vt nostra lectio cum translatione Sept. cohareat, satius esse puto hunc versum cum su-

A perioribus inmodare. Nam Sept. sic habeat. *Melior sapiens fortis, & vir prudentiam habens agro magno.* Præmiserat. n. sapientiam ad rem familiarem augendam, & tuendam imprimis necessariam esse, vt pote quæ non tam labore, & molestiis suscepiis, quàm industria, & arte conquiritur, & seruetur. Ergo appositè ad hæc subiungit ad rem amplificandam, conducibilior est vir aliquis gnauus, & industria præditus, quàm robustus, & fortis. *Melior est sapiens fortis,* sed quid sibi vult illud, *& vir prudentiam habens agro magno?* sensus est perelegans. Non modò ad rem augendam vires sapientiæ cedunt, sed etiam, qui amplissimum à parentibus suis iure hæreditario fundum obtinuit, si idem sapiens non sit, cedit viro perito, & industrio: hic. n. maiori compendio, ac certitudine diuitias amplas nanciscitur, quàm ille. Nam licet facile, sit, ac proum (vt nuper v. 3. obseruau) eum, qui aliquales copias sibi peperit, eas nouis accessionibus plurimum augere, difficile autem, atq; arduum, ex paupe diuitem euadere: tamen ea est vis sapientiæ, atque industriæ, vt ad diuitias ingentes parandas pauper aliquis, & inops, peritia tamen præditus magis possit, quàm alius quispiam, qui amplissimo fundo patrimonij loco à parentibus accepto desipit prorsus, atque industria caret.

15 Quod si cum aliis legamus, *Et vir prudentiam habens agricola magno:* sensus sic instituendus erit. Aprior vtique ad copias cumulandas vir prudens, ac prouidus, quàm fortis, ac peritus agrorum cultor. Quasi dicat, nihil est quod maiore compendio homini magnas, easque iustè partas diuitias asportare soleat, quàm perita simul, ac robusta diligentia in excolendis agris posita: sed tamen hæc sapientiæ, ac prouidentia primas dat, eamq; facile sibi præferri sinit. Itaque mens Salomonis eò spectat, vt suadeat nullam esse artem, quæ ad opes parandas, tuendas, & augendas magis valeat, quàm sapientiam & industriam, atque ea sublata, vel ipsam agriculturam, qua nulla magis quæstiuosa est, pro lucris, ac quæstu detrimenta, & iacturas allaturam. Ad hunc igitur sensum allicienda est Vulgata translatio. *Sapiens fortis est, & vir doctus robustus & validus.* Quasi dicat, is demum fortis, robustusque ad rem augendam, qui sapientia, & industria præcellit: imperiti vero, & væcordes infirmi prorsus atque imbecilles.

V I. Quia cum dispositione inicitur bellum: & erit salus, ubi multa consilia.

16 **Q**uia cum dispositione, &c. Hebr. *Quia in industriis facies tibi bellum, &c. Et salus in multitudine consiliarij.* Chald. *Quoniam in gubernaculis facies tibi bellum: salus autem erit in multitudine consilij,* Septuaginta *Cum ratione gubernandi sic bellum: auxilium autem cum corde consilium habente.* Sym. & Theod. concinunt cum nostra. Pro *dispositione* autem subest vox illa *תהכרות* Thachbuloth, de qua non semel aliàs. Significat. n. propriè nauis gubernacula, aut rudentes, & per tropum transfertur ad consilia, & rationes.

Sententia est luculenta. *Quia cum dispositione inicitur bellum,* quasi dicat, non militum multitudine, sed ordine bella conficiuntur: præstat. n. exigua militum manus bene ordinata, quàm copiosissimus exercitus tumultuariè, & inordinatè irruens. Xenophō de dictis, & factis Socratis. *Bonū, inquit, est Imperatori, vt aciem ordinare per quam doctè sciat.* Xenoph.

Quemadmodum. n. lapides, ligna, & tegula inordinatè quidem proiecta ad nihil utilia sunt: eadem verò si rectè sursum, deorsumque ordinentur, domum fortem, & nunquam rustram componunt; idem de exercitu iudicium est. Nam militum confertissimi phalanges nisi in ordinem redigantur ad nihil præstant: paucissimi autem bellatores, si rectum ordinem, & dispositionem suscipiant, validissimi, atque insuperabiles sunt. De ordine autem ipso ducta etiam ab ædificio similitudine perelegantè differit. Nam cū ades, inquit, molimur, prius quidem lapides iacimus, deinde lateres, ne ipsi circum terram humore corrumpantur, & fluant, deinde verò lingua inducimus. Non alia esse debet structura maximi exercitus: Nam illos primos, atque ultimos ordinare oportet qui fortitudine excellant, in medio autem timidiore, ut à primis ducantur exemplo, & posterioribus vi impellantur in prælium. Hactenus ille. Quantum vero ordo ad bellum foeliciter gerendum emolumenti habeat, vel ex eo dignoscere licet, quod inter præstantissima stratagemata numerat Vegetius hostem adhuc in ordinando exercitu distentum, antequam ordinem perfectè digesserit aggredi. lib. 3. cap. 17. Et cap. 27. docet victoriam minimè persequendam, & vrgendam, cū illius vrgendæ gratia ordo solvendus est. Sic. n. ait. *Qui dispersis suis inconsultè sequitur, quam ipse acceperat, hosti vult dare victoriam.* Quanti verò fuerit apud veteres hic ordo ex eo etiam liquet, quod illius violatio militi capitalis erat, teste Liviò lib. 2. De ordinato etiam exercitu sic Macrinus apud Herodian. lib. 4. *Arma capiamus, & ut mos est Roman. ordines in acie servamus, quippe in acie Barbarorum incomposita multitudo, & sumultuaria ipsa se impedit, ac premet.* Veget. etiã l. 3. c. 14. *Acies inquit, in pugna publica si sapienter disponitur, plurimum iuvat, si tamè imperite, quamvis optimi bellatores sint, mala ordinatione franguntur.* Ordines autem quamplurimi fuerunt apud antiquos, videlicet alæ, cornua, testudo, foræps ferra, cuneus, & alij, quorum nomina persequi valde longū, & operosum esset. Hæc de ordine militari iuxta priorem expositionem, quæ nomen dispositionis accipit, ut sonat.

Cæterum alij passim interpretes vim illius vocis *Thachbulorb* attentè prærimantes, per dispositionem, non acierum ordinem, sed tūm militū, tūm etiam Imperatoris peritiam, & industriam accipiendam esse dicunt. Caiet. n. sic conuertit, *In ingenis conficitur bellum.* Vatabl. & Pagnin. *In consilijs Sept. Cum ratione gubernandi.* Ex quibus omnibus constat de militari arte, ac peritia in vniuersum sermonem haberi, ita ut sensus sit, *Cum dispositione in situ bellum.* i. non robore, aut multitudine militum, sed cōsilio, & arte victoria paratur in bello. Et quidē huius thesif obuia valde testimonia suppetunt. Succedat memoria illud Euripidis in *Antrope.* *Viri, inquit, prudentia ad bellū magnū momentū est. Cōsiliū. n. sapienter in situ multas manus vincit: imperitia verò cum multitudine deterius malū est.* Sophocl. etiã apud Stob. ser. 52. *Consilia has res fecerunt non manū robur.* Et infra, *Rationes manū viribus præpollent.* Sed elegatissimè Plutarchus in lib. contra vires corporis. *Quam tibi tanta foelicitas videtur viribus pollere, ut eius causa naturā existimes hominib⁹ nonercam, brutis autem parentē fuisse? At hominibus propria vis in animi ratione consistit, quæ & elefantos per silvas pedicis capit, frangat equos, subiugat boves, volucres deiecit arundinibus, & in profundo submersa retribus extrahit: Quis nō vlysses, quam Cyclops esse malit ad bellum? Habes etiam illud apud Stob. quod rogatus Alexander, qua demum ratione per-*

breui tempore totius orbis imperiū obtinisset sic occurrit, *Consilijs, eloquentia & arte Imperatoria.*

Sed quamvis hæc accommodatè dicta sint, tamen vox illa, *Thachbulorb*, mihi suadet, ut credā in hoc loco nomine dispositionis, non omnē in vniuersum militare scientiam, & peritiam notari, sed sermonem esse de Imperatore, ac supremo Duce, qui totius exercitus clauū tenet. Quia (ut iam inde supra c. 1. v. 6. obseruavi) vox isthæc תחבולות, *Thachbulorb*, iuxta germanam significationem clauum significat, aut temonem, qui nauis cursum moderatur: at clauum vertere in nauī vnius est. Itaque sensus erit. *Cum dispositione in situ bellū.* i. consilio, atque arte Imperatoris non aliter exercitus regitur, quā nauis clauo, & gubernaculo, & quidem aptè. Nam quemadmodum miraculo simile est vnum aliquem hominem conuerso clauo ingentē nauim arbitrio suo in omnem partem impellere ita etiam admiratione non vacat vnius Imperatoris prudentia, & arte innumerabiles militum copias coërceri, atque regi. Quā verò aptè in Principem, atque Imperatorem cadat naucleri similitudo supra etiam c. 1. v. 6. non paucis probauimus, lege ibi plura de officio Imperatoris. Subdit

Et erit salus vbi multa consilia. Sensus cum superiori expositione cohæreere debet ad hunc modum, Imperator, scilicet, non sua tantū prudentia ad bella conficienda vti, sed aliorū etiã prudentiã erogatis cōsilijs adhibere debet, tunc enim res bellica prosperè cedit, & victoria, salusq; quasi præiudicio quodam certissimo in manibus est, cū Imperator ad res suscipiendas multos consiliarios exquirat. Ita Vegetius libr. 3. c. 9. *Præcipuum, inquit, res, & utilitas est Ducis, ut adhibitis ex vniuerso exercitu scientibus belli, & sapientibus viris de suis, atq; hostium copijs sepius tractet, omni, quæ plurimum nocet, adulatione semota.* Item Lampridius in vita Seueri sic scribit. *Si de re militari negotium aliquod incidat milites veteranos, ac senes bene meritos locorū, bellorum, & castrorum peritos: litteratos etiã, & eos maxime qui historiam nouerant, conuocare solebat, requirens à singulis quid Romani vel ceterarum gentiū Principes in re, qualis tunc in disceptationem venerat, consilijs capissent, statuisent, &c.* Huc spectat etiam illud Alexand. responsum, qui subiugati à se orbis atem rogatus subiecit. *Consilijs, & arte imperatoria.* Vegetius item modum præscribens, quo Imperator in exquirendis suorum consilijs vti debet, lib. 3. cap. 27. sic ait. *Quid fieri debeat, tractato cum multis. Quid verò facturus tandem sis, cum paucissimis, ac fidelissimis, vel potius ipse tecum.* Sed quia, ut nuper diximus, Salomon similitudinem ducit ex nautica, accipe etiam ex Plutarcho elegantem sententiam, qui petita etiam ex re nautica similitudine suadet Principibus, ut consiliarios sibi optimos asciscant. *Gubernator, inquit, optimos quærit nauas, eosque sepius in cōsiliū adhibet. Ita etiam Princeps eos asciscit consiliarios, qui ad rem publicam administrandam maxime idonei sunt.* Et

quidem quod ad id artinet Imperatoris, ac Principis non dispar ratio est. Non solum autem consiliarios in bellis adhibere Imperatores debent, ut tutior sit victoria, sed alio etiam nomine, ne scilicet si Mars aduersus fuerit totius exercitus odium & inuidiam sibi conciliet, qui infœlicem belli successum Imperatori tunc adscribit, cū ducibus non requisitis rem suo arbitrio gerendam existimauit. Itaque loci istius sententia cohæret omnino cum illa, quæ supra exposuimus capite 11. vers. 14. *Vbi non est gubernator, populus corrue: salus vbi multa consilia.* Id tantū interest, quod ibi

Vegetius.

Macrin.

17

Euripid.

Stob.

Plutarch.

Veget.

Alexand.

Plutarch.

de Principe, hinc autem de imperatore sermo est. A
Adi eum locum.

VII. *Excelsa est stulto sapientia: in porta non aperiet os suum.*

II X. *Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur.*

Excellsa, &c. Hebr. *Excelsa stulto sapientia in numero multitudinis Vatablus sapientia ardua res est stulto.* Chald. *Murmurat stultus adversus sapientiam.* Septuag. longè aliter *Sapientia, & cogitatio bona in portis sapientum, non declinant à lege Domini.* Codex Vatican. habet. *Non declinant ab ore Domini.*

Qui cogitat mala, &c. Hebr. *Qui cogitat mala facere, eum patronum cogitationum malorum vocabunt.* alij *Dominum.* nonnulli etiam *coniugem* Subest. n. ubi vox illa כאל, de cuius vi, ac significatione sæpè alias diximus: Vatabus, *vocabitur sceleratus vir.* Pagn. *Virum malas habentem cogitationes vocabunt.* Caiet. *Illum herum cogitationum malorum vocabunt.* Chal. *Vocabunt eum habentem astutiam pessimam.* Sept. partim cum sequenti versu. Itaq; sic integram sententiam nobis donant. *Non declinant ab ore Domini, sed cogitant in consessibus, aut in conciliis.*

Prima interpretatio est Ianfenij, *Excelsa est stulto sapientia.* i. cum stultus in terra, atque in facibus suis hæreat, sapientia quidem longo intervallo supra ipsum attollitur. Quæ interpretatio significat eos, qui terrenis ac fordidis rebus animû suum affixerunt, sapientiam attingere non posse: hæc n. super omnia terrena, & caduca altissimè fertur. Hugo Card. Alta est, inquit, sapientia & à stultis profus remotâ, ita vt nullis auxiliis eam attingere possint. Subiicio pauca illius verba. *Ideo stultus non potest eam attingere, quia modicus ipse, ac brevis est, nec ascendere potest, quia oneratus est amore terreno, & sollicitudine temporalis: ipsa etiam sapientia ad talem descendere didignatur, quia, vt habes sapientia primo in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et quidem Hugo in hac expositione per sapientiam, probitatem, & bonos mores, ac per stultum, improbum hominem accepisse videtur, atq; adeo appositè ad hæc verba interpretatur sequentia, *Et in porta non aperiet os suum.* i. in futuro iudicio cum ante Dominum sistendus erit conuictus tacebit: quemadmodum ille alius qui veste nuptiali exutus ad cœnam venit, & cum audisset, *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* nullum contra verbum dedit. Sic. n. habes in textu. *At ille obmutuit.* Nam per portam, iudicum subsellia notati in scripturis sæpè aliàs monuimus.

Cæterum in hoc loco nomine sapientia, non virtutem, aut honestatem, vt sæpè aliàs: sed eam doctrinam, & rerum cognitionem, qua Principes, ac magistratus pollere debent, significari mihi compertum est. Itaque ait Salom. *Excelsa est stulto sapientia.* Vatabl. *Ardua est, ait, & difficilis ad illam clivus,* atque adeo stultus ad eam satagere, & contendere præ otio, ac desidia non vult. Cæterum si hæc interpretatio congrua esset, non stultum, aut insipientem, sed secordem, atque inertem Salomon hinc adscripsisset. Meliùs Caietanus

Isidorus Clarius, Rodolphus, & secundo etiam loco Ianfenius qui sic habent, *Excelsa est stulto sapientia,* id est, vir insipiens ita sublimem, & inaccessam putat esse sapientiam, vt ad illam se peruenire posse desperet, non quidem labore deterritus, id enim inertia, daretur, sed mentis suæ captu, & angustiis: ratus, scilicet, nunquam futurum, vt tantam sapientia celsitudinem mente consequi possit: id enim insipientia proprium est. Et quidem Salomon non loquitur de illo, qui præ stupore, & stoliditate nihil profus addiscere potest, sed de eo, qui insipientiam affectat & vanis quibusdâ difficultatum vmbris exterritus à sapientia studio seipsum arceat. At enim cur sapientia (quæ sæpè alibi profunda) hic excelsa dicitur? occurrit August. in Psal. 58 *Nam duplex, inquit, hominum genus est, qui ad sapientiam peruenire non possunt, superbi, ac pusillanimes. Est igitur sapientia erga superbos profunda, erga pusillanimes excelsa.* Et quidem aptè, quia superbis, & elatis ideò sese in profundum dimittit sapientia, vt constet superbos ad eam obtinendam fastum, & animositate deiciere, ac seipfos ad humilitatis profunditatem deponere debere: At pusillanimis, quorum animus iacet, ac depressus est, sese eadem sapientia in sublimem tollit vt ipsi etiam animum excitent, & ad eam capessendam mentem erigant. Et quidem nulla fortasse est, vel ad humilitatem inuitatio, vel ad magnanimitatem inflammatio maior, quàm hic sapientia locus, ac situs. Nam cum tantus homini à natura inditus sit sapientia amor, atque impetus, sponte sua superbus, vt eam nanciscatur, ad profunda sese deicit, & pusilli etiam animi vir ad eam quoque consequendam sese attollit, atque erigit: sed quid inde?

In porta non aperiet os suum. Porta quidem magistratum ac iudicum subsellia notat. Itaque ait, quicumque affectata insipientia ad eam minimè aspirat, nullum præclarum magistratum obtinebit: sola enim sapientia ad istiusmodi munera gradus sternit. Itaque mens Salomonis est in hoc, & in superioribus locis, sapientia utilitates, & emolumenta percensere, quæ videlicet siue ad domesticam rem augendam, siue ad bella feliciter conficienda, siue ad publicos honores gerendos necessaria est. *Et in porta non aperiet os suum,* id est, nunquam pro tribunali sedens sententiam dicet. Vel aliter, etiam in propriis causis non audebit in subselliis dicere, ac res suas tueri. Quem admodum ex aduerso de sapiente dicitur. *Non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.* Psal. 35.

Ad extremum subiicienda est interpretatio Bedæ moralis. *Excelsa stulto, &c.* *Non potest, inquit, stultus ad sapientiam attingere, quia in infimis tacet vitiorum; qui, & si in presenti se aliquid sapere putat, in porta tamen cæcitat, id est, in exitu huius vite, inueniet nihil fuisse, quod sapuit.* Quàm verò excelsa, & supra captum hominis insipientis, sit hæc spiritualis sapientia, vel ex eo deprehendere licet, quod ad illam contingendam septem gradus satis difficiles sternit August. lib. 2. de doctrina Christiana cap. 7. hi sunt. *Timor Dei, pietas, dilectio Dei super omnia, Consolatio spiritus sancti, desiderium rerum cælestium, mori seculo, ac tunc demum in septimi gradus fastigio est vera sapientia.* Hos gradus latissimè persequitur ibi Aug. quos ego compendij loco perstrinxi. Iam intelligis quàm latè suos gressus explicare, & quanta animi contentione ascendere debeat quicumq; hos gradus permetiri, ac superare desiderat.

August.

23

Psal. 35.

24

Beda.

24

Aug.

20

21

Hugo.

Sapient. 1.

Matth. 22.

22

25

Succedat lectio Septuaginta, quæ locum istum cum sequenti magna ex parte connectit, *Sapientia, & cogitatio bona in portis sapientum, non declinat ab ore Domini: sed cogitant in consessibus.* Quæ verba à Vulgatis longissimè abire videntur, sententia tamen eadem est: quasi dicat: In portis sapientum, id est in senatu, & subfelliis iudicum, seu magistratum, scientia, & doctrina præstantium, sapientia ipsa præsidet, ac moderatur omnia, eiusque auxilio iudices in sententiis dicendis, nec latum vnguem discedunt ab ore Domini, hoc est, à legibus, & statutis, quas Dominus ore suo denunciavit. In his verò ubi lex nihil sanxit, sed iudicis arbitrio transigenda sunt, non temerè iudicant, sed longa cogitatione iustitiæ momenta librant, & sic demum sententias iustissimas pronuntiant. Itaque Salomon iuxta hanc interpretationem docet in magistratibus, ac Dynastis sapientiæ plurimum requiri ad leges interpretandas, & cum leges non sunt, ad iustè arbitria ferenda, atque adeò, quicumque ipsorum honores assequi volet, ad sapientiam contendere, & eniti debere.

26

Chaldæus vero sic conuertit. *Murmurat stultus aduersus sapientiam, &c.* Quia nimirum cum eam consequi non possit, de ipsa detrahit, & illius claritatem, & splendorem verbis extenuat. Ita enim fert hominum ingenium, ut ea quæ ignorant, blasphemis profcindant, Iudas in Canonica. *Hi autem quacumque quidem ignorant blasphemant: quacumque autem naturaliter, iamquam bruta animalia, norunt, in his corrumpuntur.* Ergo quia excelsa nimis est stulto sapientia, ideò illam suis obloquutionibus deprimere, ac deicere contendit: subdit.

Iudas.

27

Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur. Hæc (si excipias Septuaginta Interpretes) reliqui à superioribus exsoluunt, ac nouam illis sententiam subesse putant. Si ergo Vulgatæ lectionis sonum tenemus, sententia est luculenta ad hunc modum. Quisquis aliquid sapientiæ, aut doctrinæ nactus, id totum ad scelera perpetranda impendit, is sanè non sapiens, sed insipiens planè, ac stolidus vocari debet. Quasi dicat, sapientiæ nomen ne utiquam fert docta quedam ad scelera perpetranda versutia, & calliditas, (hoc enim est proprium istius degeneris sapientiæ nomen) hinc Chaldæica paraphrasis. *Qui cogitat malè facere, vocabunt eum habentem astutiam pessimam.* Astus enim & calliditas in hoc differunt à sapientia, quod hæc ad bene viuendum hominem instruit, illa verò ad scelera viuendum patranda eundem perdocet.

8
Caiet.

Quod si Origines perscrutemur, alie atque alie ex his emicabunt interpretationes. Caiet. quidem sic locum extulit. *Cogitantem ad faciendum malum illum herum cogitationum, malorum vocabunt.* Is scilicet, qui cogitationes suas ad scelus aliquod admittendum serio adhibet, earum quidem herus, ac Dominus vulgò habetur, quia illi suæ ipsius cogitationes, & consilia famulari, & obsequi videntur ad successum. Nam qui ad malè faciendum studia, & cogitationes adiiciunt suas (nescio quàm mala eorum perniciè) fere voti compotes euadunt; cuius rei rationes aliquas offert Caietanus: tum quia ipse qui deliberat ad malum procliuor est, atque adeò maiori studio de malo, quàm de bono cogitat: tum etiam quia malum plures patronos habet: ministri quoque libentius vitiis famulantur, quàm virtutibus. His ergo, atque aliis auxiliis, qui mali aliquid committere apud se statuerunt, animi sui decretum facile perficiunt, atque adeò malarum cogitationum heri, ac domini di-

cuntur. Potest etiam hæc lectio differentiam expressius notare, quæ bonam inter cogitationem, quam ex Dei auxilio, & gratia obtinemus, & malam, quam aut diabolus suggerit, aut nostra etiam concupiscentia suadet, intercedit: illa enim bona cogitatio in nostra potestate non est, atque adeò illius heri, atque domini nequaquam sumus: at mala cogitatio nostræ subiacet potestati, quia & illam nobis accersere, & illi etiam obsequi per naturæ vires licet. Hæc autem est præcipua ratio, propter quam facilius homines mala, & turpia, quàm bona, & honesta exequi solent.

Aliter etiam locus iste secundum præmissam lectionem explicari potest. *Herus, aut, Dominus suarum cogitationum vocabitur.* i. qui mali aliquid facere apud se constituit, hic quidem suarum cogitationum dominium habet. i. non fato aliquo, aut violenta lege ad malum compellitur, nam cumque malæ cogitationi occurrere potest homo, atque eam refellere. Quid certius? Rursus licet etiam alio modo illa verba replicare, iuxta ea, quæ de vi, atque significatione huius Hebraismi supra non semel dixi, ubi similes loquutiones libraui, hæc sunt *Dominus doni, Dominus ala,* de quibus sic statuebam, *Dominum ala* dici ad volandum celerem, & *doni Dominum*, liberalem, & profusum appellari. Ergo ad eundem modum hic *Dominum malorum cogitationum*, dictum existimo eum, qui maxima contentione aliquid cogitat eum scilicet, in quo cogitationes, malum suadentes, dominantur, sicut *Dominus doni*, aliàs dicitur ille, in quo liberalitas excellit, & sic de aliis. Quantum verò sit dominium cogitationum siue ad bonum, siue ad malum, eruditè, ac lepidè D. Augustinus in Psal. 148. *Facta, inquit, de cogitatione procedunt, nec quisquam potest aliquid facere, vel ad aliquid agendum membra mouere, nisi primò præcesserit iussio cogitationis. Quomodo de interiori palatio quidquid iusserit Imperator, per imperium Romanorum emanat, quidquid videtis agi per Prouincias. Quantus motus sit ad vnâ iussione Imperatoris intus sedentis? Mouet solum ille labia dum loquitur, & mouetur, omnis prouincia cum sit, quod loquitur; sic, & in vnoquoque nostrum intus est Imperator, intus in corde sedet, &c.* id est, cogitatio bona, vel mala.

August.

D

Sunt etiam qui legant, *Illum coniugem, aut, Virum suarum cogitationum vocabunt.* Et quidem non ineptè suarum cogitationum coniux dicitur, qui eisdem nimis adhaeret. Itaque sensus erit, quicumque mali aliquid perpetrare apud se statuit, huic cogitationi tanto studio adherere solet, ut ab illa distrahi perdifficile queat. Sicut. n. matrimonium pactum solum difficile est, ita etiam homo pessimæ alicui cogitationi addictus à suscepto consilio reuocari vix potest. Non abhorret hoc à vulgari loquendi modo, nam homines suis consiliis deditissimos dicimus. *Que estan casados consuparecer, sed istiusmodi nuptiæ quid tandem pariunt?* Hinc certè infœlici partu nascuntur furta, peculatus, adulteria, periuria, & omnigena scelerum turba. Et quidem huic vxori. i. malæ cogitationi, cum qua homo, velut coniux copulatur, tanta vis pariendi, & fecunditas tanta inest, ut sæpe geminos, aliquando etiam plures vno nixu edat, id enim cogitationi proprium est, ut vno in opere externo multa simul peccata cogat, dum singula obiicit voluntati, & eidem prosequenda tradit. Ideo subdit.

30

30

I X. Cogitatio stulti peccatum est, & abominatio hominum detractor.

Cogitatio &c. Hebr. *Cogitatio mala stulticia peccatum, & abominatio homini derisor*, subest hic vox illa *לעס*, de cuius vi non semel alibi; significat enim *derisorem, pestilentem, aut pestem* Pagnin. *Cogitatio mala hominis stulti peccatum est.* Vatab. *Facinus hominis stulti peccatum est, & irrisorem abominantur homines.* Chald. *Stulticia stulti peccatum est, &c.* lxx. partem superioris sententiae huic adstringunt, atque adeo sic conuertunt. *In disciplinatis occurrit mors, moritur autem imprudens in peccatis.* Illa verò extrema verba. *Et abominatio hominum detractor*, sic extulerunt. *Immunditia autem viro pestilenti.* Sed hæc verba cum subsequenti versu connectunt, vt ibidem dicemus.

Iansenius, & Rodolphus præmissa verba sic exponunt. *Cogitatio stulti peccatum est.* i. stultitia homini cogitationes peccandi assidue suggerit: hoc. n. differt sapientia a stultitia, quod illa bonorum operum cogitationes immitit, hæc autem malorum. Non displicet hæc interpretatio. Rodolphus secundam etiam expositionem affert. *Cogitatio stulti peccatum est.* i. tanto studio suis cogitationibus obsequitur, vel tanta vi ab eisdem impellitur, vt cum semel mala cogitatio delinquendi subiit animum, peccatum, & delictum pro admisso iam & perpetrato haberi debeat. Quasi dicat, nunquam resistit, vel occurrit malis cogitationibus, sed illis semper ad nutum paret. Nam inter sapientes, & insipientes, inter probos, atque improbos, quod attinet ad primos cogitationum motus, nihil certè interest, vtrique. n. malis cogitationibus tanguntur: hoc solum distat inter se, quod improbi prauas cogitationes animo libenti excipiunt, & eisdem parent: probi autem, ac iusti, statim in aditu ipso eas perimunt, ac refellunt, quos satis aptè significauit Chrysof. hom. 4. in Gen. vbi sic ait. *Iusti primum quamque malam cogitationem strangulant, improbi autem eandem excipiunt, atque alunt.* Et quidem aptè admodum dixit cogitationem improbam strangulari oportere: quia tunc cum caput in animum misit. i. primum motum, præfocanda est antequam se totam ingerat, & mentem vnde quaque occupet, tum etiam quia quemadmodum nulla est facilior, aut præsentior mors, quam strangulatio, ita etiam nulla ratione facilius, aut præsentius cogitationes malæ perimuntur, quam si statim cum caput inferunt, quasi compresso iugulo, præfocentur: & si licet à suscepto themate tantisper exorbitare, nonnemo *strangulandi* metaphoram ad temperantiam retulit, strangulare. n. perinde est atque gulam, & fauces adstringere. Ergo cum constet per gastrimargiam, & intemperantiam cibi, & potus, pessimas quasque in animo excitari cogitationes, tunc certè malæ cogitationes strangulari, ac præfocari dicentur, cum per temperantiam, & in ediam gula constringitur; atque adeo illis mors præsentissima inferitur. Et quidem si hæc non ineptè dicta alicui videantur, poterit quidem verbum illud *strangulo*, eodem modo de loquacitate coercenda interpretari, ita vt strangulari sit, fauces adstringere, vt verbis exitus præcludatur. Nam ex immoderato etiam linguæ vsu prauæ cogitationes multò plures in animum subeunt, quam ex intemperan-

Chrysof.

Atia, & gastrimargia. Hinc autem sterni potest gradus ad sequentem sententiam.

Et abominatio hominum detractor. Ita vt sensus sit. *Cogitatio stulti peccatum est.* Sed cur cogitatio ista tanta vi hominem ad peccatum pertrahit? Ratio est in promptu; Quia non strangulatur, quia fauces, hoc est loquendi licentia non coercetur, ac comprimitur. Sed in detractiones, obloquutiones, & irrisiones lingua soluitur, quæ præterquam quod ipsas cogitationes ad scelera perpetranda mirum in modum exacuit, hominibus ingrata valde, atque inuisa sunt.

B Caterum (ni fallor) alia est Salomonis sententia in hoc loco. *Cogitatio stulti peccatum est.* i. peccatum sæpius in ipsa mala cogitatione perficitur, etiam si ad opus externum non prodeat. Eiusmodi autem peccata stultis, & insipientibus valde familiaria sunt. Quasi dicat: stultus, etiam cum operis mali perpetrandi copia non est, sola animi cogitatione, & destinatione grauer delinquit. De his pereleganter D. Augustinus in Psal. 93. *Hic si per infirmitatem persone sue, vel animi timent mala facere, ne aliquid illi secundum leges sæculi mali accidat, abstinent se quidem à factis malis, sed non à cogitationibus malis, & inter cogitationes iniquas præcipue caput iniquitatis illa tenet iniquitas, quod videtur Deus illi negligere, & non curare res humanas, & alia dehinc multa mala cogitant. Qui ergo talia cogitat, etsi nihil mali alicui faciat, facit plurimum sibi, & in semetipsum impius est, & iniquitate sua non lædit Deum, sed interficit se. Ergo homicidia eorum, adulteria eorum, fraudes, & rapinas eorum videt Deus, & punit in cogitationibus eorum.* Et infra. *Tales si occasiones inueniant, non mali fiunt, sed manifestantur, non vt scias, quid denuo factum sit manifestum: sed quid iam ibi latebat inclusum.* Et post pauca subiicit elegantem similitudinem. *Lupus, inquit, tantum vult cogitare nocere, quantum leo, & licet dissimiliter noceant, non tamen dissimiliter cupiunt. Leo. n. non tantum contemnit canem latrantem, sed etiam fugat, & venit ad ouile, & obmutescens canibus rapit, quod potest: lupus vero non audet inter latratus canum. Numquid propterea, quod non potuit auferre a canibus territus ideo innocentior remeavit? Minime verò: qui enim ex timore non nocet, non est innocens, quamuis non noceat, cum vult nocere.* Hæc sanè perspicua sunt.

C Sed qua ratione, inquires, hæc prior pars cum sequentibus cohæret? Ego quidem ita reor Salomonem loqui de his, qui proximis damna dare cupiunt, sed tamen cum re ipsa hæc damna inferre non possint, illa quidem cogitant, & decernunt, apud se, & quos factis lædere non possunt, saltem verbis violare contendunt. Vtrumque ergo taxat, & coercet Sapiens. *Cogitatio, inquit, stulti peccatum est.* i. sola cogitatio, & decretum nocendi lethalem culpam continet, etiam si re ipsa non noceas: atque adeo id tibi accidit, quod statim attexit August. *Hic non nocet alteri per effectum malum, sibi autem plurimum per cogitationem malam. Nam quomodo sibi noceat, audi scripturam. Qui autem amat iniquitatem, odit animam suam, &c.* Et supra, *Et si nihil mali alicui faciat, facit plurimum sibi, & in semetipsum impius est.* Merito ergo hunc stultum appellauit Salomon, qui damna alterius cogitans, illi quidem parcat, sibi autem vulnus infligit. Deinde verò ad eum se conuertens, qui non audens, aut non valens proximo re ipsa, & factis damna inferre, eundem conuictis, ac detractionibus pergit. Sic addit. *Abominatio hominum detractor.* Qua-

31

32

August.

33

si dicat: detractoris etiam similis est conditio; A
nam cum suis detractionibus inuidiam, & odium
aduerfario conciliare velit, ipse quidem omnium
odium, & detestationem sibi accersit: omnibus. n.
perquam inuisus est detractor. Itaque eam pla-
gam, quam hosti intentat, sibi prorsus inflig-
git.

34.

Translatio verò lxx. alium sensum reddit. In-
disciplinatis occurret mors, moritur autem imprudens
in peccato. Itaque eos, quos textus originalis. *Sua-
rum cogitationum dominos*, aut coniuges appella-
uit, vt in superiori versu diximus. Septuag. in dis-
ciplinatos manciparunt, hoc est indociles, do-
ctrinam, & disciplinam refutantes: Et quidem
apè, nam qui suis prauis cogitationibus, aut opi-
nionibus constanti quadam hæresi addicti sunt,
licet sic appellare. *Genecafada consuparuer*: agrè
admodum dediscunt ea, quæ iam inde animo in-
federunt, & ad nouas sententias difficilè flectuntur.
His ergo indisciplinatis, & indocilibus *Mors oc-
currit*, inquit, Salomon. i. morti iam sunt deuoti,
ac destinati. Quasi dicat: non tam ipsi in mortem
incidunt, quam mors in illos per quandam præ-
occupationem, & quasi præiudicium incurrit. Nā
cum omnem iam salutis aditum præcluserint, etiam
cum viuunt, mortuis iam adiudicantur, & res ip-
sa præiudicis respondet. *Nam moritur imprudens
in peccato*. i. in peccatis suis tandem decedit. Hos
ergo indociles, & suis sententiis, ac opinionibus
addictissimos homines, sic describit August. in
Epistola 173. contra Arianos. *Homines minus intel-
ligentes, quid propter quid auctur, potentes volūt ha-
bere sententias, & cum arripiunt defensionem cuius-
quam opinionis, ab ea, vel nunquam, vel admodum
difficilè deflectuntur, dum dicit, & sapientes magis
putari quam esse concupiscunt*. Has verò tam obsti-
natas sententias à diabolo ex inuidia immitti
docet August. de ciuitate lib. 6. c. 3. *Maligni, in-
quit, spiritus, noxias opiniones, quibus anima huma-
na magis, magisque vaneſcit, & incommutabili, eter-
neque veritatis coaptari, & inherere non possit, inui-
dentia intrahili, & occultè inferunt cogitationibus
impiorum, & apertè aliquando inferunt sensibus, &
qua possunt fallaci attestacione confirmant, vt eas mor-
dicus teneant*. Pende illa verba, *inuidia mirabi-
li*. Nam cum diabolus prauis animi sui decretis,
ac sententiis tam pertinaciter adhereat, inuidia
inductus grauitè fert hominum docile inge-
nium, atque aded illos, ad similem obstinationem
trahere contendit. Vnde idem August. supra post-
quam dixit ex indocilitate obstinationem, & in-
durationem, ex hac verò hæresim effluere: addit
tandem indociles istos, & indisciplinatos homi-
nes, dæmones, & eorum inflexilem indomabilem-
que mentem æmulari. Quid mirū ergo si in mor-
tuorum, & damnatorum censum iam olim refe-
rantur hi, qui dæmonum ingenium in se expri-
mentes ad eos pertinere existimandi sunt, atque
aded cum ipsis computari debent.

August.

35.

Alias verò lectiones non valde curanda sunt,
quia ita prius Hemyſtichium restituant, vt cum
posteriori vix consui possit. Ex hoc genere est illa
Vatabl. translatio. *Facinus stulti peccatum est*. i.
stultus inter sua facinora, & res præclarè gestas
peccata numerat, ac venditat. Sed quorsum at-
tegit, *Abominatio hominum detractor*? Nexus me-
fugit. Huic adsimilis est paraphrasis Chald. *Aſtu-
tia stulti peccatum est*. i. stultus tunc cum asturif-
simus sibi videtur prorsus desipit, quia astum in
peccatis perpetrandis ponit. Sed hoc etiam cum
sequentibus concinit.

X. Si desperaueris lapsus in die angustia: im-
minuetur fortitudo tua.

Si desperaueris, &c. Hebr. ad verbum. *Remif-
sus fuisti in die angustia, angusta fortitudo tua*.
Caier. *Si laxasti in die angustia*, &c. Vatabl. *Si re-
miseris in ipso necessitatis articulo, angusta est forti-
tudo tua*. Chald. *Si remisseris in die tribulationis, ar-
ebabitur fortitudo tua*. LXX. superioris versus ma-
gnam partem ad hanc sententiam euocant, sic. n.
conuertunt. *Immunditia autē vire pestilenti, inqui-
nabitur in die mala, & in die tribulationis quo ad vs-
que deficiat*. Symmach. *Cessare quasi desperantem in
hora tribulationis, tardis, atque ignauis est*. In Vulga-
tis codicibus ante Vaticanam correctionem sic o-
lim erat. *Si desperaueris lapsus*. Sed meritò hoc mē-
dum emaciatum est, & Vulgata ad Origines re-
uocata, in quibus est venusta satis nominum de-
flexio inter צרה *Tsurah*, & צר *Tser*. ex eadem radi-
ce צר *Tsur*. i. angustum esse, & arctari.

36.

Huius loci dissimiles valde interpretaciones of-
ferunt doctores, perstringam singulas. Rodolph.
vt verba hæc cum sequentibus cohæreant, in qui-
bus de misericordia sermo est, hanc à Salomone
suaderi putat. *Si remissus fueris in die angustia, an-
gusta erit fortitudo tua*, hanc lectionem amplecti-
tur, eamque sic edisserit, si proximo in angustias
coniecto, aut tribulationibus depresso præ remif-
sione, & socordia optulari nolueris, ad similes
angustias redactus deficies, & à robore, & forti-
tudine tua excides: sic. n. ferunt diuinæ providen-
tiæ leges, vt in proximis nostram beatitudinem, &
fœlicitatem veluti præcludamus. ait Aug. in ser. 20. de
tempore. Præcludere autem nihil aliud est quā per-
lusum, & iocū ea meditari, & experiri, quæ post-
modum seridè perfici oportet: hinc præludia mi-
litaria dicuntur bellica exercitamenta, quibus in
gymnasio tyrones edocentur ad castra, & in om-
ni arte prælusiones dicuntur, cum in rudi materia
nouī artifices suam periclitantur industriam, &
peritiam. Ergo cum ait Aug. *In proximis nostram
fortunam, & fœlicitatem præcludi*, hoc sibi vult,
quoties proximis nostris ex animo subuenimus
præludia quædam nostræ fœlicitatis agimus; nam
quæ nos in rudi materie. i. in bonis temporalibus
erga pauperes, quasi per lusum exhibemus, hæc
Deus in spiritualibus seridè erga nos postea imita-
tur. Quapropter quemadmodum nos in paupe-
res, seu parci, seu liberales in caducis, ac tempora-
libus existimus, ita vicissim Deus se in nos libera-
lem, aut parcū in spiritualibus præbet, ita vt præ-
tiosa hæc rudi illi materie omnino respondeat.

37.

Hæc ergo Salomonis mens in hoc loco, *Si
emissus fueris in die angustia, angusta erit fortitudo
tua*. Si enim temporalia auxilia proximo non
impenderis, auxiliis etiam spiritualibus desti-
tutus casâ fortitudine concides in aduersis.
Huc spectat etiam Maximus sermon. 45. verba
illa perpendens. *In mensura, qua mensi fueritis re-
miseretur vobis. Nostra*, inquit, *beneficentia per om-
nes suas dimensiones diuina exæquatur beneficentia*.
Dimensiones omnes appellat, latitudinem; lon-
gitudinem, altitudinem, atque profunditatem,
quas in misericordia adinuenire non est diffi-
cile: tunc enim lata est misericordia cum ad plu-
res peruenit, tunc longa cum liberalis valde ac
profusa (nam beneficos longimanos appella-

38.

Maximus.
Matth. 7.

mus) tunc etiam alta est, cum non modò temporalia auxilia, sed etiam spiritualia administrat, tunc demum profunda est cum humilitatem sibi sociam adiungit, & cum opus est, infima etiam officia proximis impendit. Has igitur nostræ misericordiæ, ac beneficentiæ dimensiones Dei erga nos misericordia, & beneficentia in semetipsa exprimit (inquit Maximus) atque latam, longam, sublimem, & profundam eadem mensura nobis sese præbet, qua nostra liberalitas erga mendicos sese exhibuit. At quomodo, inquires, has omnes mensuras diuina beneficentia capit? haud dispari certè ratione. Nam eatenus longa est diuina Clementia, quatenus non parcè, sed effusè admodum, & copiosè largitur bona sua, propterea etiam lata est, quia non ipsum modò virum beneficum, & misericordem, sed eius etiam filios, nepotes, ac posteritatem omnem attingit, dicente Scriptura Psalm. 36. *Tota die miseretur, & commodat, & semen illius in benedictione erit.* Denique idè alta est, atque profunda, quia non modò spiritualia, quæ per se sublimia sunt, sed etiam temporalia, quæ in infimis numerantur liberaliter impendit. Ab his ergo ad Salomonis verba gradum faciamus. *Si remissus fueris in die angustia.* Si videlicet cum proximus ad angustias redactus fuerit, auxilia non impenderis, *angusta erit fortitudo tua,* (liberales nonnunquam scriptura fortes appellat, vt supra obseruauimus ad illa verba. *Manus autem fortium diuitias parat,* cap. 10. & iterum, *Manus fortium dominabitur.* ca. 12.) Ergo cum ait. *Angusta erit fortitudo tua,* sic accipe .i. liberalitas tua perangusta erit, nam quid angustius, quidve arctius, & contractius ea beneficentia, quæ homini cuiquam ad angustias maximas redacto non succurrit, cum possit? Is ergo, qui suæ misericordiæ mensuras tantoperè arctauit, & contraxit, diuinam erga se clementiam eadem mensura arctam, & contractam experiri cogetur. Sed quamuis hæc expositio ad coherentiam cum sequenti versu non sit insulsa, tamen quia Vulgatæ lectioni agrè admodum adaptari potest, non mihi probatur.

39

Caiet.

Secunda interpretatio est Caietani, qui locum istum sic extulit. *Si laxasti in die angustia, angusta erit fortitudo tua.* Si videlicet angustius, & laboribus pressus ad eos propulsandos laxamenta animi, & solatia externa aliquando vestigasti, tua constantia robur facillè elidetur. Et quidem ita se res habet, & experientia duce cognouimus eos, qui ad labores, & molestias fallendas humana solatia adhibent, non tam animos recipere, quàm despondere; quia omnis humana voluptas animi neruos, & lacertos frangit, & totum hominem demulcet. Hoc. n. interrest inter sanctam, & humanam delectationem, quod hæc exanimat, illa inanimat hominem; hæc exarmat, illa armis omnibus instruit: autor huius discriminis est Chrysof. ho. 1. in 2. Epistol. ad Cor. *Is, inquit, qui spirituali gaudio fruitur, à mœore arripi non potest, sed probe sondique armatus ingruentia omnia tela propulsat, etenim quibus suis armis valentior est voluptas ea, qua secundum Deum percipitur.* De illo verò, qui externas voluptates sectatur, & internis caret, hæc verbainterferit. *Contra verò, qui terrenis voluptatibus affluit, à quibus suis arripi, & expugnari potest, ac perinde ei accidit atque illi, qui imbecillibus armis instructus est, ac vel leuissimo ictu sauciatur.* Aptè igitur Salomò. *Si laxasti in die angustia, angusta erit fortitudo tua.* Nam qui animum terrenis delectationibus laxat (liceat sic dicere) eiusdem animi armaturam la-

Chrysof.

axat, & soluit, illumque inermem reddit. Quapropter quærenda potius, ac studiis omnibus vestiganda illa, quæ secundum Deum est voluptas: hæc. n. armatura est valde fortis ad retundendos laborum, atque ærumnarum ictus.

40

3. Expositio est Vatabli. *Si remiseris in ipso necessitatis articulo, angusta erit fortitudo tua.* .i. si instat labore, aut calamitate aliqua, tunc cum vires aduocare, & animum confirmare oportet. tu contra vires, & animum abieceris, tribulationis pondus ferre non poteris. Itaque docet Salomon tunc maximè cum vrget tribulatio, vires, & animum contra asferre oportere. Nam si quis tunc cesserit, & calamitas superior esse, & hominem corripere cœperit, illum demum suis fluctibus inuoluit. Huc spectat illud Poëtæ.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Ire autem contra labores, si spiritualiter capiamur, nihil aliud est, quàm illos sponte aggredi, & laceßere; qui enim tantummodò sperat incidentes labores, facillè ab eorum impetu trahitur; qui verò contra illos audacter fertur, & enititur, eos etiam impetu suo conuertit, ac fugat.

4. Expositio est Clarij, qui illud, *Si remiseris,* ad sapientiæ studium refert hoc sensu. Si in paranda sapientia remissus, ac deses fueris, posteriora autem verba sic necit. *In die angustia angusta erit fortitudo tua.* .i. cum grauior aliqua tribulatio inciderit fortitudo tua oppressa deficiet. Itaque significat fortitudinem roburque ad tollerandas æquo animo calamitates (si absit sapientia) parum constantem esse, atque adèd in oportunitate concidere solitam.

41

Possit etiam quispiam illud, *Si remiseris,* ad inertiam, & socordiam referre hoc sensu. Si longo tempore in desidia fueris nullis laboribus exercitus, *In die angustia angusta erit fortitudo.* .i. grauiori aliqua calamitate subitò ingruente fortitudo tua profus corruet. Hinc Paulus, *Tribulatio, inquit, patientiam operatur,* ad Rom. 5. & Iacobus, *Scientes quod probatio vestra fides patientiam operatur.* Vtriusque autem vna mens est; nimirum homines tribulationibus in dies exerceri ad patientiam, & fortitudinem, vsu laborum confirmari, quemadmodum ferrum malleorum ictibus densius fit, ac robustius. Hoc argumèto Chrysof. Iobi fortitudinem exaggerat, & eam miraculo similem esse dicit, quod nullis antea calamitatibus exercitus, tantam, tamque subitam fortunæ commutationem sustinere potuerit. Nam Hom. 5. de ipsius patientia sic scribit. *Id quidem eo intolerabilius, quod incogitatio sibi omnia inexperitoque ingruerunt.* Nam qui à parentibus egenis, talique in domo nutritus est, quod, & exercitio eadem, & cogitatione pensauerit, facillè onus paupertatis eulert: iterum qui liberos amiserit, tamen si omnes amiserit, non tamen vno, atque eodem tempore, reliquos solatio abeuntium tenet, atque prioris amissionis deficiente dolore, si secunda post aliquod tempus amissio acciderit, id sibi tolerabilius fiet malum, non. n. ulceri obuiat recenti, sed dormienti iam dudum, & extincto, quod non parum doloris amputat. Subdit inde Chrysof. Iob. contra euenisse, nam ex summa fortuna, ad miseriam egestatem subitò deiectus est; & filios simul etiam omnes amisit. Sed tamen hæc patientiæ portenta sunt. Nos quidem laboribus ad patientiam exerceri, & robur nostrum vsu calamitatum confirmari in maximis Dei beneficiis numeremus; vt cum grauior inciderit calamitas à constantia, & fortitudine minimè excidamus.

42

Quintam Interpretationem exhibet Ianse-

Lansen.

nius, qui propius ad Vulgatam lectionem accedens sic locum istum edidit. *Si desperaueris lassus in die angustia*. i. si incidente calamitate, aut tentatione animus diurnitate lassus defecerit per impatientiam, id quidem non ex calamitatis magnitudine prouenit; sed ex eo, quod tua fortitudo, & constantia valde exigua est. Hunc ad sensum allicienda sunt extrema illa verba, *Imminuetur fortitudo tua*, quasi dicat, si desperaueris, idem certè desperabis, quia imminuetur fortitudo tua. id enim tuo vitio, non calamitatis grauitate continget. Huc spectat Chrysof. hom. 44. ad Populum, ubi eos increpans, qui suæ ruinæ culpam omnem in tribulationis magnitudinem referrebant sic addit. *Quid igitur de his dicas, qui frequenter ab incidente tribulatione subuersi sunt? quod non sit tribulationis opus subuersio, sed eorū imbecillitas. Neque enim, si quis infirmum habens stomachum, amarum non accipiat medicinam ipsum curare valentem, sed potius asteratur, medicinam non accusabimus, sed membri infirmitatem, Ita, & hic mentis facilitatem. Etenim à tribulatione subuersus multo magis hoc à remissione patet. Nam si ligatus cadit (hoc. n. est tribulatio) multo magis laesurū uiuens. Sed licet hæc interpretatio superiores ex eo vincat quod ad sensum Vulgatæ lectionis lenius fluat; tamen non omnino sponte ad illum allicitur.*

Chrysof.

43
Beda.

6. Igitur interpretatio est Bedæ, Hugonis, Lyre, & aliorum, qui hæc verba, vt sonant, de animi desperatione accipienda esse dicunt. Ita vt sensus sit, *Si desperaueris in die angustia*, &c. i. si videlicet in tribulationem incidens spem abieceris, fortitudo, quæ ab spe constantiam, & firmitatem accipit, omnino deficiet, ex quibus sic Beda. *Nihil execrabilius desperatione, quam qui habuerit, & generalis huius vitæ labores & quod maxime nocet in fidei certamine constantiam fortitudinis perdit.* Ambros. in Epistolam 1. ad Thessalon. cap. 2, *Omnis*, ait, *qui sine spe egerit, exorta tribulatione succumbit, & idem spem, patientiæ radicem appellauit.* quæ verba paulo ante expendimus. Et quidem spei ad tollendos labores duo sunt auxilia. Nam primo labores ipsos extenuat. Chrysof. hom. 67. in Gen. Bonam, inquit, *eis spem auget, ita vt expectatione alleuentur. Nam spes bona huius vitæ labores semper imminuit, deinde vires roborat, & confirmat, non animi solum, sed etiam corporis.* August. de quantitate animæ ca. 22. *Nam etiam in magno metu cum aliqua spes subest, maiores vires apparere solent, eadem autem desperatione retunduntur.* Igitur duo ista auxilia tollit desperatio, & duo item alia opposita mala inuehit; nam, & vires retundit, & calamitates ipsas adauget, &c.

44

Sed licet hæc apte dicta sint, tamen aliam in his verbis sententiam delitescere arbitror, quam iam subiicio. *Si desperaueris lassus in die angustia imminuetur fortitudo tua*. i. si quando in difficultate aliqua, seu calamitate lassescit semel, ac succumbit animus, iam deinceps nihil magnum audeat, sed obiecta leui difficultate deterritus cedit. Itaque mens Salomonis est, ne semel quidem in difficultatibus, aut laboribus animum despondendum esse, nam is, qui aliquando in difficultate aliqua manus dedit, quantumuis postea vires & animos aduocet, timore percussus ad leuissimos etiam malorum occursum conteritur, de his perelegantet D. Chrysof. in serm. contra desperationem. *Mihi*, inquit, *posse videtur horum hominum timiditatem cum stупpa aliqua flammescence conferri, quando post incendium mox illa inflatur ac surgit; postmodum verò leniori quodam tactu dissol-*

Chrysof.

A *uitur omnis in cineres tenuissimos. Eiusmodi sunt istorum animi, quorum tumores & inflatos spiritus quilibet aduersus casus imprimere, ac disturbare poterit, est. n. necesse eum, qui semel ex desperatione concidit debilem deinceps esse, atque infirmum.*

45
Sepr.

Ad extremum de translatione Sept. aliquid dicendum est. *Immunditia autem viro pestilenti, inquinabitur in die mala, & in die tribulationis quoad usque deficiat.* Cum *pestilenti* in originibus respondeat *detractor*, ac *derisor*, hæc verba ad detractores pertinere credo; neque abhortet hoc nomen ab ipsorum moribus. Nam de verbis detractorum sic Chrysof. hom. in Psal. 140. *Verba*, inquit, *improbis ea sunt, quæ faciunt dicentes improbos; quemadmodum enim est aer pestilens, & qui morbos procreat, ita, & verba; quod autem facit aer ille pestilens in corpore, id verba illa faciunt in anima.* Hæc ille, expendens illa verba. *Nō declines cor meū in verba malitiæ*, ait ergo Salomon, *Immunditia viro pestilenti*, quæ respondent illis verbis, *Omni natio homini detractor*, & sensus est. Vir pestilens, seu detractor imundus vulgò habetur, atque adeò velut imundus, ac peste infectus à communi hominum consortio, & consuetudine remouetur; ne suorum verborum peste, ac veneno alios afflare possit. *Inquinabitur in die mala, & in die tribulationis, quoad usque deficiat*, quasi dicat, hæc imunditia, quæ illi hominum odium, & inuidiam conciliat, continget quidem illi in tempore aliquo difficili, & in maxima aliqua calamitate, vt omnium auxilio destitutus non secus deficiat, ac aliquis peste percussus, qui cunctis infectionem illius vitantibus solus, ac separatus mori dimittitur. Et quidem hæc satis digna pœna est hominis detractoris, qui ad maledicta ferenda hominum frequentiam captat, vt tamquam imundus, ac pestilens ab hominum frequentia, & consuetudine repellatur.

Chrysof.

XI. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.*

E *Erue eos, &c.* Hebr. *Erue captos ad mortem, & eruantur ad interitum prohibebis.* Pagnin. *Et qui labuntur ad mortem prohibebis.* Chald. *Redime eos, qui capiuntur ad mortem, & qui ducuntur ad interfectionem prohibe.* lxx. sic extulerunt extrema verba. *Et redime eos, qui interficiuntur, ne parcas.*

46

Omnium interpretum vna mens, qui existimant hinc suaderi misericordiã. *Erue*, inquit, *eos, qui ducuntur ad mortem*, vel, *qui capti sunt ad mortem*, vt habent Primitiua. Verbum *capti*, inquit, Caietan. iniuriam, atque vim innuit: non. n. sermo est de his, qui dignas pro suis sceleribus pœnas luunt; hos. n. morti eripere non semper laudabile; sed de illis, qui iniuste ad mortem rapiuntur: vt cohæreant hæc verba cum illis Psal. 81. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Sed quibus auxiliis homo iste per iniuriam ad mortem ablatu, liberandus, ac vendicandus est. D. Ambros. in Psal. 114. serm. 8. cum incidisset in hæc verba, sic addit. *Eripe eum, qui ducitur ad mortem, hoc est, eripe eum intercessione, eripe gratia tu sacerdos, aut tu Imperator eripe subscriptione indulgentiæ, & soluisi peccata tua: Eruiisti te à vinculis, vinculis. n. peccatoris suorum vnusquisque constringitur.* Ex quibus liquet hæc non ad iudices, ac magistratus tantummodò spectare, sed etiam ad alios, qui homines illos mor-

Ambros.

ti deuotos quomodolibet tueri possunt, siue gratiā: siue oratione: siue etiam sumptibus.

47

Et quidem (nifallor) de hoc pecuniarum, ac sumptuum auxilio potissimum sermo est. Hanc vim habet translatio Chald. quæ sic locū extulit. *Redime, eos qui capiuntur ad mortem, nec nō etiam lectio Sept. qui extrema verba sic extulerunt, & redime eos, qui inersciuntur, ne parcas.* Nam verbū *redime*, eam vim habet. i. oblato pretio, & compensatione vendica: illud etiam, *ne parcas* hunc sensum reddit, hac in re minimè parcas, & illiberalis esto, sed munificus, & profusus. Nam si bonus rerum astimator fueris, facultates tuas vitæ proximi tui facile postponere debes. Itaque si verborum vim calletus, redemptionem captiuorum suadere videtur Salomon.

48

Caietanus posteriori hemistichio aliquid subesse contendit, quod sensum prioris euariet, sed leuior differentia, atque adeo eam supprimendā duxi. Beda. Hugo, Dionysius, & ex his alij, hæc verba spirituales ad sensum vocant, & ad doctores transferunt, quorum est doctrina, & exemplo homines à morte ad vitam reuocare, & à diaboli captiuitate vendicatos libertati Christianæ donare. In his autem Beda sic habet. *Erue eos, qui ab Hæreticis decipiuntur rectam fidem prædicando, liberæque bonorum operum exempla monstrando eis, qui à male viuentibus Catholicis trahuntur ad interitum:* (Nota dissimilem doctrinæ atque exempli vim, doctrina quidem hæreticorum ducit, sed exemplum malorum trahit.) *Sed etsi quos in certamine persecutionis lapsos, vel lapsuros aspexeris, sollicita hos exhortatione ad vitam restaurare satage: si quos fame perituros, si quos algere videris, illis dato vestitum, & vestitu recrea, &c.*

Beda.

XII. *Si dixeris: Vires non suppetunt, qui inspector est cordis ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fallit reddetque homini iuxta opera sua.*

49

Si dixeris, &c. Heb. *Si dixeris, en non nouimus hunc, nonne libran: corda ipse intelligit, custodiens animam tuam ipse cognosce?* Caietan. *Quia dices non sciimus hoc: an non director cordium ipse intelligit?* Vatab. *Si dixeris, ecce ignorauimus illud; an non cordium artifex?* &c. Chald. absolute promit. *Si dixeris, non nouimus.* Septuaginta *Si autem dixeris nescio hunc, scito, quoniam Dominus omnium corda noscit, & qui figurauit spiritum omnibus, ipse nouit omnia, qui reddit unicuique secundum opera eius.* Aquila. *Nonne ponderans corda ipse intelligit?* Lucifer. *Et qui figurauit spiritum omnibus illis.* Aquila, & Theod. concinunt cum nostris, in quibus id tantummodò difficile, qua ratione priora illa verba cum Originibus cohæreant. *Si dixeris, vires non suppetunt,* pro quibus omnes interpretes *Si dixeris non nouimus hoc, vel, hunc,* subest. n. הן ינוו דך לך *Lo Iadaghu Zeh.* Certè non alia ratio occurrit, nisi quod verbum *Iadaghu* duas capit significaciones, videlicet *nosse*, ac *frangere*. Noster ergo interpret ad posteriorem fortasse significationem transferens sic ad verbum transferendum putauit. *Non fregi hoc,* atque adeo sensum excutiens ad vires retulit. *Vires non suppetunt,* & si quidem de captiuis eruendis sermo sit, erit sententia, *non suppetunt vires,* supple, ad frangendum carcerem, vincula, aut quid simile.

A Hunc versum cum superiori cohære con- cordi conspiratione docent interpretes. Præmit- tam aliquas eorum expositiones, quæ à nostra Vulgata discedunt. Caietanus Rodolphus, Ian- senius, Clarius, & alij, priora illa verba *si dixeris non noui hoc,* vel *hunc* (sic. n. lectitant) hoc sensu donāt. Si videlicet cauaeris tibi nequaquam per- spectum esse, an ille, qui ad necem raptur, vel captus abducitur, commeterit hoc supplicium, an non; ac propterea ad eum defendendum, aut redimendum nihil conferre vis, cogita hanc ex- culationem ab eo examinandam, & librandam, qui cordis, atque conscientia libellator, & explo- rator est, quem fallere nemo potest, quique me- ritis digna retribuit, siue præmium, siue pœnam. Hæc ille; quæ licet mihi non inepta videantur, tamè secundum eam lectionem, quam etiam lxx. interpretes amplexi sunt, locus (mea quidem sen- tentia) aliter edisserendus est.

50

Si dixeris, non noui hoc, &c. hæc est prior transla- tio, si videlicet cauaeris proximi tui calum- niam, calamitatem, & ærumnam tibi non satis inoluiffe, *qui inspector est cordis ipse intelligit.* Deus scilicet, cui corda nostra peruia sunt, vtrum id noueris, probè nouit. Vel, vt alij. habent, *librans corda ipse intelligit.* Sane animi nostri affectiones, & voluntates, quibus res prosequimur, eiusdem pondera appellari solent. Hinc illud Augustini tritum prouerbium, *Amor meus, pondus meum.* Sic igitur accipe, *librans corda ipse intelligit.* i. Deus ipse, qui animarum nostrarum propensiones examinat, & quam in partem momenti suis pen- deant, vel ad liberalitatem, vel ad sordes, & auar- ritiam; probè nouit, ipsi quidem res hæc appri- me cognita, & perspecta est. *Et seruatorem ani- mæ tuæ nihil fallit,* hæc verba duplicem sensum capiunt: Nam *seruator* potest accipi quasi ob- seruator, vt sensus sit: Qui animi tui cogitationes, & internos motus attentissimè obseruat, decipi nulla arte potest. Vel aliter, *seruator*, significat con- seruatorem, hoc sensu. i. ei, qui animam, hoc est, vitam tuam incolumem seruat, quo beneficio ad aliorum animas vitamque tuendam te plurimum obstringit, imposturam aliquam facere nequa- quam poteris. *Reddetque homini iuxta opera sua,* quia sic cum quolibet homine se gerit, prout ip- se erga proximum se habet: si enim animam pro- ximi seruaui, cum possët, Deus utique illius ani- mam, vitamque tuebitur, si autem eandem è vitæ discrimine eripere noluit, Deus quoque illi paria referet, & in discrimen vitæ vocatum perire si- net. Hic est singulorum verborum intellectus iuxta priorem lectionem.

51

Quod si ad hunc modum legas cum lxx. *si di- xeris non noui,* vel *nescio hunc,* &c. sensus aliter con- formandus est. i. si ita obieceris, eum, qui ad ne- cem raptus est, amicum, familiarem, aut cognat- um non esse, (hanc enim vim capere solet ver- bum *noui*) si videlicet, vt obligationem illius le- uandi executias, sic obtendas, ad eum defend- endum te nullo amicitia, aut cognationis iure obstringi, *Scito quoniam Deus corda hominum noscit,* (sequor lectionem Sept.) i. ad eum tutandum id tibi satis esse debet, quod Deus optimus maximus homines omnes nouit. *Et qui figurauit spiritum omnibus, ipse nouit omnia.* i. qui omnibus animā, at- que vitam inspirauit, ipse quidem omnes perspe- ctos habet. Quorsum hæc? sententia quidem sic institui debet. Noli propterea à beneficentia ex- culari, quia is, qui auxilio tuo indiget, alienus est, nullòque amicitia vel cognationis nomine tibi perspectus:

52

perspectus: Nam Deus, qui vitam ab initio tibi inspiravit, eamque assidue conseruat, illum probe nouit, atque adeo si hoc illi te debere inficiatus eris, Deo quidem, cui ille notus, & familiaris est, & cui tu vitam tuam, & salutem acceptam refers, id ipsum te debere haud inficiari poteris. Quasi dicat, noti tui notus est; nam à Deo, qui tibi tot nominibus notus esse debet, probe agnoscitur: & quidem lex amicitiae hæc est, vt amicorum, etiam familiares, & notos amplectamur. subdit, *Qui reddit unicuique secundum opera sua.* Deo inquam hæc gratia reddenda est, qui operibus nostris paria refert, & ad eundem modum nobiscum agit, quo nos ipsi cum proximis nostris.

53 Quod si integrum locum ad Origines referamus, & priora verba sic restituantur. *Si dixeris, non noui hunc*, aliter sensus institui potest, si scilicet eo nomine apud te ipsum excusationem obtendas, quod ille, qui in discrimine vitæ versatur tibi nullo amicitiae, aut cognationis vinculo obstrictus est, *Nonne librans corda ipse intelligit.* i. hanc tuam pessimam, & omnia charitatis iura violentam excusationem Deus non modo percallet, sed etiam damnat & refellit; Deus, inquam, qui corda. i. animas hominum librat, apud quem. s. nulla est acceptio personarum, in cuius bilance nullus alteri præponderat, sed (liceat sic dicere) omnes in æquilibrio sunt. Rationem autem huius æqualitatis reddit ex eo, quia omnes ipse condidit, & seruauit animas nihil fallit, vel, vt reddunt Sept. & qui figurant spiritum omnibus, &c. atque adeo, quod ad conditionem spectat, inter omnes nulla inæqualitas versatur, tota enim hominum disparitas ex propriis cuiusque meritis pendet. Propterea subdit, *Redditque homini iuxta opera sua.* Itaque secundum hanc interpretationem suadet Salomon, ne in beneficentia sit personarum respectus, exemplo Dei optimi maximi, apud quem omnes æqualia prorsus obtinent momenta; vnumque ab alio tantummodo operum merita discernunt.

54 Sed ad nostram lectionem dilabamur, quæ reliquas elegantia, & energia facile vincit. *Si dixeris vires non suppetunt.* Si videlicet proximum in discrimine vitæ, & salutis adductum videns id caufaberis, tibi non suppeditarè vires, hoc est auctoritatem, sumptus, vel si quid aliud ad eum eripiendum opus est, *Qui inspector est cordis ipse intelligit*, &c. hæc verba duplicem ad sensum vocari possunt. Prior est eiusmodi. Deus optimè nouit animum tuum, & vera ne, an mēdax sit excusatio tua perspicue intelligit (vel si locus fiat primitiue lectioni, *Qui librator est cordis ipse intelligit*) sensus erit, Deus. s. vires cuiusque & voluntatem, iudicij, atque æstimationis suæ lance ponderat, & vbinam sit deficientia, in viribus-ne, an in voluntate, & affectu, hoc examine deprehendit, & quidem certissime, *Nam seruatore animæ tuæ nihil fallit.* i. eum, qui animam omnipotentia sua condidit, & eundem prouidentia sua seruat, nihil in eadem existens latere potest. *Redditque homini iuxta opera sua.* i. cum operis etiam perficiendi potestas est solam voluntatem, neque probat, neque præmio, aut mercede compenfat. Itaque mens Salomonis secundum hanc expositionem ea est, apud Deum nihil posse solam bene merendi voluntatem, cum operis etiam perficiendi, & beneficij conferendi copia suppetit.

55 Posterior sensus, qui mihi accommodatior videtur, sic habet. *Qui inspector est cordis ipse intelligit.* i. si verè, & non simulatè dixeris ad eripiendum neci proximum vires præmissio modo te deficere, ne

propterea deficiat animus; sed bonam voluntatē habeto, quia Deus, qui corda hominum penitus callet, bonam cuiusque voluntatem probat, & boni consulit, quoties operis facultas deest. Iuxta Origines, *Qui librator est cordis ipse intelligit.* i. Deus, qui non opera externa, sed voluntatem, & animi propensionem expendit, & illi defert, ipse quidem voluntates nostras perspectas habet, & seruatore animæ tuæ nihil fallit. i. eum, qui animam creauit, & eam assidue seruat, nihil fugit, ex his, quæ in ipsa penitus sunt, & reddit homini iuxta opera sua. i. unicuique mercedem appedit iuxta id, quod potest operari. Itaque illud, *iuxta opera sua*, perinde est, ac iuxta facultatē suam: q. d. non operum quantitatē, sed facultatē pendit; & licet opera absint, voluntatem solam præntius compenfat. Aug. in Ps. 103. concione 1. *Supplicem*, inquit, *nullum spernas*, & eum cui dare non potes, quod petierit, non spernas, si potes dare da: si non potes, affabilem te presta; coronat intus Deus voluntatē, ubi non inuenit facultatē. Nemo dicat non habeo, charitas non de sacculo erogatur. Hanc verò interpretationem ideò alteri præferendam censeo, quia existimo Salomonem, qui supra dixerat in damnis dandis nocendi voluntatem puniri à Deo v. 8. *Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur*, & v. 9. *Cogitatio stulti peccatum est*, &c. iam nunc idem de beneficiis conferendis appositè subiucere, solam videlicet bene merendi voluntatem à Deo probari, & liberalissima etiam mercede donari.

XIII. Comede, fili mi, mel, quia bonum est: & fauum dulcissimum gutturi tuo.

XIV. Sic, & doctrina sapientiæ animæ tuæ, quam cum inueneris, habebis in nouissima spem, & spes tua non peribit.

Comede, fili mi, mel, &c. Hebr. Et fauum dulcem super palatum tuum. Sept. Comede fili mel, bonus enim fauus, vt dulcescat guttur tuum. Vatab. Mel comede, fili mi, quia bonum, &c.

Sic, & doctrina sapientiæ, &c. Hebr. Sic scientia sapientiæ animæ tuæ, si inuenisti, & est nouissima, & expectatio tua non exciderit. Vatab. Quam si inueneris, erit tibi prosperitas, &c. Chald. Quod si inueneris, primis venient nouissima meliora, & spes tua non consumetur. Septuag. Sic senties sapientiam in animo tuo, si enim inueneris, erit bonus obitus tuus, & spes te non deseret.

Huius loci perspicua admodum sententia est inuitat Salomon auditorem suum ad studium sapientiæ, proponens illi vtilitatem, & suauitatem ipsius. *Comede, inquit, fili mi, mel, quia bonum est.* i. vtile admodum, atque salubre; & fauum dulcissimum gutturi tuo. Itaque duo simul in melle coire bona significat, vtilitatem ad valetudinem, & salutem; dulcedinem, & suauitatem ad gustum), *Sic, & doctrina animæ tuæ*, i. eadem sacræ doctrinæ vis. Septuag. aptè admodum translulerunt, *sic senties sapientiam in animo tuo* i. illa duo bona sensu ipso expecteris, scilicet salubrem vtilitatem, & iucundam dulcedinem. Attegit. *Quam cum inueneris, habebis in nouissima spem*, solet quidem mel, quod sumenti primum suauiter sapit, ac dulce, in acorem denique, & amaritudinem verti, iuxta illud infra cap. 25. v. 16. *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatas enomias*

illud, & infra v. 27. Sicut qui mel multum comedit non est es bonum, &c. Ait ergo Salomon, doctrina sapientiae (quae de cetero cum melle congruit) in eo certe mel, vincit, quod hoc in nouissimis desipere, & acidum reddi solet; at illa in nouissimis suauior est: nam spem in animis nostris alit, quae nouissima nostra fortunat: *Et habebis*, inquit, *in nouissimis spem*, non illam quidem infirmam, & imbecillum, sed constantem, & firmam, & spes tua non peribit. Expendamus singula, & suus etiam huic extremae clausulae locus dabitur.

57

Comede, fili mi, mel, quia bonum est. i. vtile, & salubre (vt iam dixi.) Conferamus mellis utilitates, & easdem in sapientiae doctrinam quadrare perspicuum erit. Hypoc. de internis affectionibus, *Mel*, inquit, *cum aliis commixtum, & nutrit, & bonum calorem exhibet.* Ex quo medici faciunt, mel cum solum sumitur, non admodum salubre esse: addit etiam Hypocrates l. 2. de dieta. *Mel pituitam exsiccare, & aluum perpur-gare.* Quid plura? melli hanc inesse vim affirmat, vt corruptioni obsistat, & paree sumptum, corpora condit in eum, i. diurnam vitam corporibus suppeditet, vnde ille alius quaesitus qua tandem ratione, aut arte in multam senectam peruenisset, sic occurrit. *Intus quidem melle, ac foris oleo*, denique ob eam vim arcendi corruptelam, vulneribus etiam mel infundi consuevit; aliquando etiam cadaueribus aspergi ne putrescant; lege Plin. lib. 22. c. 24. vbi has omnes mellis virtutes collegit, qui lib. etiam 11. c. 14. sic de melle scribit. *Solis radiis medicamenta, non mella gignuntur, oculis, vlcibus internisque visceribus dona caelestia.* Tantam. n. huic liquori ad medendum vim inesse dicit, vt medicamentum antonomasticè, potius quam mel appellandum putet, donumque celitus datum.

Plin.

Has igitur omnes mellis facultates imitatur doctrina sapientiae, quae. s. mellis instar bona, ac perutilis est. Imprimis. n. stomachi calorem ad decoquendos difficiles quosque, ac duros cibos confirmat. Nam, vt tradit Nazianz. in poemate de definitionibus. *Patientia est decoctio molestiarum*, doctrina autem sapientiae alit patientiam, & ad omnes molestias decoquendas, & eliquandas plurimum roborat. Rursus doctrina isthaec non sola per se sumi debet, sed aliis rebus admisceri, & infundi: sic enim salutaris, & proficua magis est, doctrina quippe, ac scientia sola cum sumitur ocys acescit, & quod melli etiam post corruptionem proprium est, inflat, iuxta illud, *scientia inflat*, cum vero eadem operibus bonis adiungitur, & ipso virtutum exercitio diluitur, ac soluitur, perutilis est. Nam quemadmodum mellis alijs cibus infusi ea vis est, vt ad illos decoquendos calorem exacuat, & à corruptione eosdem vèdicet: doctrinae, atque sapientiae par etiam potestas est, quae ad virtutum difficultates decoquendas animi calentes motus accendit, ac ne eadem aliquo modo à vitijs contrarijs tabescant sua virtute defendit.

59

Quid plura? Mel frigidam pituitam siccatur & bilem exacuat: eadem quoque sanioris doctrinae vis; hac. n. sumpta, frigida torpensque socordia, seu pituita, consumitur, & animus (liceat sic dicere) bile incalescit, & ad rectè agendum excitatur. Ad haec mel ventriculum purgat: doctrinam quoque animi faeces eluit, ac detergit Melitè vulneribus infusum eadem sanat, & ad cicatricem adducit: non aliter doctrina vitiorum vulnera inducta cicatrice sanitati restituit. Mel denique cadauera à tabe, & corruptione vèdicat: haud dispar sacrae doctrinae

A ne potestas, nam (liceat sic dicere) tanta est corporum nostrorum ad lasciuia, ac turpitudinis corruptionem procliuas, vt etiam si per assiduam membrorum mortificationem inactata quodammodo, ac demortua sint, illi corruptelae obnoxia nihilominus maneant; nihil autem est quod corpora nostra ad incorruptionem melius condiant quam sacra doctrina, quae animas mirum in modum castificat, & ab omni turpitudinis putredine vèdicat. Itaque sic habeto, sola membrorum mortificatio ad castitatis tutelam satis non est, attamen si huic sacrae doctrinae studium, tamquam mel accedat, & anima infundatur, ab omni deinceps lasciuiae corruptela libera manet. Ad hunc modum doctrina sapientiae, mellis ad instar bona, utilis, atque salubris est. Plures verò sapientiae utilitates attingere volui, persequi autem non volui, quia multo plura in hanc sententiam sibi quisque fingere potest, atque adeo satis duxi viam communitrasse.

Ab utilitate ad dulcedinem transit Salomon, *Et fauum dulcissimum gutturi tuo.* Beda, Hugo, & alij, inter fauum, ac mel id interessè putant, quod melle doctrinam illam adumbrari volunt, quae tota est in promptu, facilis, & aperta: per fauos autem eam, quae parabolis, atque allegoriis inclusa est. Nam Beda sic habet. *Hoc inter vtriusque significanti- am distat, quia mel, quod in promptu est ad comedendum moralem litera superficiem insinuat: fauus autem, in quo mel de cera exprimitur, allegorice loquutionem figuratè denuntiat, vt subducto*

60

C *literae velamine suauitas sensus spiritualis aliquando cum labore, vel mora percipiatur.* Hanc faui atque mellis differentiam hausit ex Aug. in Psal. 118. ad illa verba. *Quam dulcia faucibus meis verbatua, super mel, & fauum ori meo*, sic. n. ait. *Melli est similis aperta doctrina sapientia, fauo verò, quae abstrusioribus sacramentis tamquam de cellis cereis, ore differentis velut mandentis exprimitur.*

Beda.

Aug.

Item Pseudo August. serm. 14. de verbis Domini, qui est Er. di. 1. resbyteri. *Quando possumus de Diuinis operibus, quae leguntur, intellectum alienius mysticae significationis exculpere, quasi de abstrusis fauorum cellis mella producimus.* Et sane hoc fauorum, ac mellis discrimen aptissimè cadit in doctrinam huius libri; nam cum sententias plures habeat apertas, & faciles, Ethicam, & moralem doctrinam menti offerentes, per plures etiam continet parabolis atque strophis inclusas, atque adeo satis accommodatè Salomon ad doctrinam eam inuitans quam liber iste suppeditat, mel, & fauum proposuit. Nec minori consilio melli utilitatem, fauis dulcedinem dedit. *Comede fili mi, mel, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo*, quia ex doctrina morali, cum praecleara est, & aperta, utilitas in auditorem manat, cum verò eadem ex allegoriis, metaphoris, aut aenigmatibus exprimitur, utilitati voluptas, & suauitas incredibilis adiungitur, quia ex internorum sensuum vestigatione, & expressione percipi solet. Vnde Quintilianus tropicam loquutionem, quam initio necessitas inuenit, postea ob delectationem celebratam esse affirmat; quia dum mens sagax inclusas metaphoras, & allegoriis sententias propria vestigatione assequitur, mirifice deliniri solet. Ergo de suauitate, & dulcedine sapientiae sic Salomon.

Pseudo Aug.

D *Et fauum dulcissimum gutturi tuo.* Aug. in Psal. 80. *Mel*, inquit, *sapientia est, primatum dulcedinis tenes in escis cordis.* Et quia mel dulcedinis primatum tenet, idè ad reliqua dulcenda adhiberi solet a Beda. *Patet*, inquit, *facillimè quare doctrina*

61 Aug. Beda.

sapientia melli comparatur, quia nimirum sicut illud A
cibus, ita hac doctrinis ceteris dulcedine prestat. hæc
 mihi suadent, vt putem Salomonē, qui vt iā inde
 animaduerti, ca. 9. v. 1. & alibi, cunctas illius libri
 parabolas, & sententias in conuiuio sapientiæ ia-
 ctare se ab initio finxit, atq; ita innuere voluit, il-
 las ad cœnas condiendas esse accommodatas, nunc
 quidē idipsū docere voluisse; Quasi dicat, equidē
 melle infuso reliqua ciborū genera dulcia simul,
 & salubria redduntur: sint ergo hæc mea docu-
 menta pro melle, ac fauis, vt cœnis, atque epulis
 intermixta, illas quidem suaves simul, atq; saluta-
 res efficiant. Et quidem obseruandum est mel,
 atque mellita omnia sub finem conuiuij inferri
 solita, non solum quia initio sumpta aliorum ci-
 borum tardum unmittere solent; sed etiam quia
 dulcia cum supra reliquos cibos ingeruntur eos
 ab omni corruptela vindicant, vt ex Plinio su-
 pra docuimus.

Succedat igitur memoriæ, quod supra toties
 intulcauimus, sed præcipue in Itagoge huius cō-
 mentar. i. & ca. 1. v. 1. & c. 24. v. 1. & 2. 1. parabolas,
 problemata, & gryphos, olim in splendidissimis
 conuiuijs obijci, atque edisseri solitos, qui inter
 cœnandum iactari quidem solēbant, sic tamen vt
 locus daretur musicæ, atque alijs oblectamentis.

Eccles. 32.

Ita. n. suadetur Eccles. ca. 32. *Loquere maior*
natu: deder. n. te primum verbum diligentē scienti-
am, & non impedias musicam. Gemmula carbun-
culi in ornamento auri, & comparatio musicorum in
conuiuio vini, &c. Sub epulis autem ierix indu-
 cebantur quæstiones, & de problematis, ac
 gryphis sermo prolixior tenebatur. Quem mo-
 rem in postrema illa cœna ad vnguem seruauit
 Christus Dominus, qui quosdā inter epulas disci-
 pulis obiecit gryphos. Nam gryphum appellare
 licet illum, *Veruntamen in dōnis tui adentis me me cū*
est in mensa, &c. Ille etiam gryphus quidem fuit
 in ablutione pedum, qua discipulos ad posteriorem
 cœnam comparant, illatus, *Si non lauero te, non*
habebis partem mecum. At post cœnam valde lō-
 gum ad discipulos suos habuit sermonem solē-
 ni videlicet mori obtemperans, Salomonē ergo
 ad eum peratiquum morem respiciens sic monet
 auditorem. *Comede fili mi, mel, qui bonum est &c.*
 q. d. cum ita more comparatum sit, vt sub cœnam
 mel, atque mellita inferri soleant, tibi quidem pro
 melle, atque mellitis sit doctrina sapientiæ, quam
 à me accipis ad cœnas tuas claudendas, & fi-
 niendas; hæc nimirum documenta mea post epulas,
 tanquam mel, & fauos vsurpa. (Cum verò audis
 fauos, omnia mellita intellige. Nam in primitiuis
 subest נופח *Nopheh*, quæ vox non fauum solū, sed
 quidquid melle conditum est, sonat, vt nos ob-
 seruauimus Cant. 5. v. 1. ad illa verba. *Comedi fauū*
cū melle meo, pro quibus Sept. *Comedi panem cum*
melle meo. i. mellitum panem) Quasi dicat, Hæc
 monita mea, tanquā mel, atq; mellita tunc degu-
 sta: quia sicut mel, atque mellita omnia post reli-
 quos cibos dulcia valde sunt, atque salubria, ita
 etiam huius libri documenta tunc vsurpata volu-
 ptatem, & salutem animis afferunt. Hoc sibi vult
 cum addit.

63

Sic, & doctrina sapientia anima tue. i. parē vtili-
 tatē, & voluptatem ex doctrina sapientiæ hauries.
Quā cum inueneris, habebis in nouissimis spem, hæc
 verba cum superioribus initio sic contexui. Mel
 quidem, ni parē admodū sumatur, ad extremum
 acescit, & in amaritudinē vertitur, atq; adeo do-
 ctrina sapientiæ mel facillē vincit, hæc. n. etiā lar-
 gē sumpta in nouissimis spem alit, & animum ea

voluptate implet, quā spes parere consuevit. Sub-
 jectio præterea duos alios nodos, quibus licet etiā
 extremam hanc clausulā cum superioribus copu-
 lare. Prior est eiusmodi. Mel utique vt supra ad-
 scripsi, vitam seruat, adeo vt plures mellis auxilio
 ad multam senectā vegeti admodum, ac robusti
 peruenerint. Ergo Salomon fortasse ad hanc mel-
 lis virtutē adludens ait. *Quā cum inueneris ha-*
bebis in nouissimis spem. i. ad canos vsque perue-
 nies, non quidem infirmus atq; imbecillis, sed spe
 roboratus, ac confirmatus. Fauent huic exposi-
 tioni ex Hebr. nonnulli, qui locum istum sic
 extulerunt. *Habebis in senecta spem.* Posterior ve-
 rō nodus sic habet. Mel quidem, atque mellita, vt
 modò prænotabam, sub finem conuiuij exhiberi
 solebant. Ergo Salomon (ni fallor) his verbis
 suadet, ne studium sapientiæ vnquam inter-
 mittatur, sed hoc etiam in senectute, tanquam
 mel in conuiuij clausula, adhibeatur. Quid inde?
Et habebis in nouissimis, aut in senecta, spem. Vel
 vt Chald. transtulit. *Primis venient nouissima me-*
liora. i. quemadmodum in conuiuio dulcia, &
 salubria magis fercula sub finem inferuntur, ita
 etiam doctrina, atque sapientia in senectute co-
 lenda est, sic. n. fiet vt ea, vitæ tuæ clausula suauior
 sit, atq; sanior, plena videlicet futurorum bono-
 rum spe.

Sept. verò sic restitunt. *Si in inueneris, erit bo-*
nus obitus tuus, quæ verba ad superiorem sensum
 transferri possunt, i. quemadmodum finis conui-
 uij illatis dulcibus suauior est, ac iucundior: ita et-
 iam si sapientiæ studium in senecta adhibueris,
 erit utique prædulcis, atque fiducia plenus obitus
 tuus.

XV. *Ne insidieris, & queras iniquita-*
tem in domo iusti, neque vastes re-
quiem eius.

XVI. *Septies. n. cadet iustus, & resur-*
get: impij autem corruent in
malum.

NE insidieris, &c. Heb. *Ne insidieris impij ha-*
bitaculo iusti, nec vastes accubitu eius. Pagni.
Nec rapias accubitu eius. Caiet. simili schemate.
Nec prodaueris discubitu eius. Vatab. *Cubile eius.*
 Chal. *Nec proicias domū habitacionis eius.* Sept.
 lōgē aliter. *Noli applicare impiū ad pascua iustorum,*
neq; seducaris saturare vētri, sic Lucifer de non
 conueniēdo er. & Cassian. collatione 14. c. 17. Sā-
 ctus Hier. in Michāam c. 3. *Ne inducas impiū,* &c.
 S. Cypr. 3. *Ne adduxeris.* Pro illis autē verbis ad
 pascua iustorum, Aquila, & Theodot. *in decore*
iusti Sym. in domo iusti. S. Hieron. *Intabernacu-*
lum iustorum. S. Cyprian. *in habitaculum.* Et
 quidem si Origines consulamus, pro domo, sub-
 est, לַיְשׁוּבָה *Linueb.* quæ vox habitaculum, do-
 mum, & pascua etiam adsignificat: adhæc אַרְבַּע
Arab, non tantum est insidiari, sed etiam indu-
 cere, aut impellere. Quid plura? habes in fi-
 ne huius loci רִבְצוּ *Ribsu,* ex radice *Rabath.*
 i. cubare, aut iacere: ad oues propriē spectās, cum
 in pascuis saturæ discumbunt. Hinc ergo flu-
 xit translatio Sept. de cuius sententiā postea di-
 cemus.

Septies. n. &c. Heb. non dissonant, nisi quod fu-
 turi temporis sunt verba omnia, quod discernen-

nullum est. Nam Heb. hæc duo tempora futurū, & præteritū passim permutant. LXX. Septies. n. *cadet iustus, & resurget, magis autē infirmabuntur in malis.* D. Hier. ad Rusticū circa finem Epist. hæc verba eo modo extulit, quo solent vulgò circumferri. *Septies in die cadet iustus, & resurget, &c.* cui accinit etiam Gregorius infra citandus.

Duas omnino capit interpretationes vers. iste. i. est Aug. l. 11. de ciuitate c. 31. qui septenos casus iusti hominis non de culparum lapsibus, sed de casibus in tribulationes aut molestias accipiendos esse putat, sic. n. habet *Septenarius numerus pro vniuerso sæpe ponitur, sicut scriptum est, Septies cadet iustus, & resurget, i. quotiescumque ceciderit, non peribit, quod non de iniquitatibus, sed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intelligi voluit.* Hæc Aug. qui sequitur lectionem Sept. iuxta quam locus integer sic edisserendus est. *Noli applicari impium ad pascua iustorum, neque seducaris saturitate ventris.* i. noli improbum hominem in societatem, & conuictum iustorum inducere, (id sibi vult etiam Hieronymi translatio. *Ne inducas impium in tabernaculum iustorum.*) Neque ad id faciendum seducat te prospera fortuna, & bonorum affluentia, qua vtitur, dissimilis. n. valde est probi, atque improbi fors, & conditio, atque ad eò minimè permisceri debet, sed quænam hæc dissimilitudo, ac disparitas? *Septies, inquit, cadet iustus, & resurget.* i. iusti sapius à Deo immixtis tribulationibus deiiciuntur, sed casus eorū leues sunt, atq; ad eò facillè emergunt: *cadet, inquam, tribulationibus quotidianis depressus iustus, & resurget diuino auxilio erectus, & subleuatus.* *Impii autē infirmabuntur in malis.* i. improborum hominum ruinæ graues admodum sunt, cumq; semel decidunt, non amplius receptis viribus assurgunt. Ad hanc sententiã pertinet illud Iob. 5. *In sex tribulationib⁹ liberabit te, in septima non tanget malū.* Caterùm vt hæc interpretatio aliquam energiam habeat, nō de exercitatione iusti hominis accipienda est, q. d. *iustus septies, i. sæpe admodū laboribus exercetur à Deo, atq; eiusdem auxilio eripitur, sed de fortitudine, & constantia ipsius, ita vt sensus sit, iustus septies, imò centies calamitatibus atq; ærumnis oppressus se se erigit, & animo constantissimè assurgit, obuiumq; malis pectus offert: ex aduerso impij, malis, & calamitatibus in ruinam impulsū prorsus consternantur.*

Cadet, inquit, & resurget, fortior nimirum, ac vegetior. Ea. n. est iusti hominis constantia, vt laboribus, & ærumnis fortior reddatur. D. Gregor. Nazianz. Orat. 23. de iusto differens, quem familiari sibi loquendi formula philosophum appellat, sic scribit. *Philosophicus animus ex eo quod passus sit, generosior redditur, atque vt cādens ferrum frigida aspersione, ita periculis obdurefcit: si autē verbum illud resurget, ad Orig. reuoces, licebit quidem transferre, Cadet & regerminabit, eam. n. vim habet verbum primitiuum, quod respondet illi assurgit: ita ex Hebræis non pauci; & iuxta quam lectionem accommodata est eiusdem Nazianz. sententia, in Orat. 27. Est, inquit, quadam in fabulis arbor, qua cum caditur viret, & aduersus ferrum certat, ac si de re noua nouo more loquendum est, morte vivit, & sectione pullulat, atque cum absimitur, crescit. Habetis fabulam iure suo quiduis liberè confingentem. Mihi verò eiusmodi quiddam planè esse vir Philosophus videtur; floret. n. inter cruciatus, ac vita molestias virtutis segetem existimat,*

A *atque in aduersis gestit, & gloriatur; nimirum se comparans, vt neque ob dextra iustitia arma efferatur, nec ob sinistra fleatur; sed in diuersis rebus idem semper, sive similis permaneat, atque ad eò probatior, tanquam aurum in fornace, reperiatur.* Et infra, insuperabilem iusti animū describens. *Nihil, inquit, philosophia fortius est, nihil inexpugnabili⁹, omnia prius cedent, quã vt manus det Philosophus.* Et breui interstitio verborū, *Vt in summa dicā, duo hæc arripi, & superari nequeunt, Deus, & Angelus; tertium est Philosophus, in materia materia expers: in corpore incircumscribitus, in terra caelestis, in passionibus impatiibilis, omnibus rebus vinci se facillè cedens, præterquam animi magnitudine, & eo ipso quod vinci se patitur, eos, qui superiores sibi esse videntur, deuincens.*

B Pende extrema verba, quibus Gregor. (vt obseruat ipsius Scholiastes) ad Anthonis fabulam planè adludit, qui quoties à suo aduersario ad terram deprimebatur, tellure ipsa (quæ mater illius ferebatur) vires inspirante, instaurato robore ad pugnandum assurgens: Propterea deiici se in terram sapius permittebat, vt robustior, ac vegetior factus certamen innouaret, & instauraret. Haud dispar est iusti hominis conditio, de quo sic Salomō, *Septies cadet iustus, & resurget.* Cadet, inquam, tribulationibus ad humilitatem perductus (vt ait Aug.) ipsa tamen humilitate iustitiæ parente vires suppeditante, recuperata fortitudine audacior simul, ac robustior ad certamen veniet. Ideò que libenter se se deiici, & deturbari boni consulit. *Quoniam eo ipso, quod vinci se patitur, eos, qui superiores sibi esse videntur, deuincit, vt scribit Gregorius.*

C In hanc translationem lxx. incidit Cassian. colatione 14. c. 17. ac priora quidem verba alio sensu donat sic. n. habet. *Caue etiam ne hæc, qua tam lectione, qua experientia sudore didiceris, immundis hominibus passim ingeras: illudque, quod sapientissimus Salomon interdixit, incurras, Noli applicari impium ad pascua iusti, neque seducaris saturitate ventris.* & rursus, *Auribus imprudentis noli quidquam dicere, ne forte irrideat sapientes sermones tuos; & ne dederitis sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, &c.* hæc ille. Quæ interpretatio difficillè admodum cum reliquo textu innodari potest, sed tamen id conabor. *Noli, inquit, applicari impium ad pascua iustorum.* i. noli impijs ea mysteria reuelare, quæ solis iustis peruia, & comperta esse debent. *Neque seducaris saturitate ventris,* q. d. neque illis plenus tu atque satur, eadem improbis eructes, vel, Ne quia tu si præfatis illis mysterijs plenus iam, atque saturatus es, propterea improbos ad easdem epulas admittendos putes. Rationem autem attextit. *Septies. n. cadet iustus, & resurget, impii autem infirmabuntur in malis,* q. d. Ideò ad sacratiores illas doctrinæ sanioris epulas, quibus iusti vtuntur, impij excipiendi non sunt, quia iusti his nutriti iuuantur plurimum, quod quidem ex eo compertum sit, quia multis tribulationibus, aut tentationibus vexati, & oppressi, illius doctrinæ auxilio eriguntur, & à constantia sua non excidunt: id sibi volunt illa verba, *Septies cadet iustus, & resurget.* At impij eo pastu minimè proficiunt, nec iuuantur: atque ad eò aduersitatibus, aut etiam tentationibus petiti dejiciuntur prorsus, atque animis concidunt: id verò de ipsius doctrinæ grauitate, & sanctitate tãtis per dero-

Hieron.

65
August.

66

Nazianz.

67

68
Cassian.

gat propterea improbis denuncianda non est. Ceterum prior interpretatio ex Aug. petita præferri debet.

69 **Q**uæres autem vtrum Vulgata lectio ad Aug. sensum transferri possit: videntur. n. verba ipsa oblectari, quæ sic habent. *Nec insidieris, nec quæras iniquitatem in domo iusti, neque vastes requiem illius.* Nam cum *iniquitatis* meminerit in hoc priori versu, non tam de tribulationû ruinis, quam de culparû lapsibus capienda videtur. Ita Vulgò interpretes, Beda, Hugo, Lira, Iansen. Rod. Caiet. & alij passim. Sed licet communis expositio ad verborum fontem aptius cadat, tamen haud dubito ad Aug. sensum eadem allici benignius posse. *Ne insidieris, nec quæras iniquitatem in domo iusti.* n. insidias iusto pares, neque illum immixtis tribulationibus, & calamitatibus ad iniquitatem flectere frustra coneris. *Neque vastes requiem illius,* pro *requie*, Hebr. *linbeh.* i. *accubitus*, seu *cubile*, ad iacendum, aliquando etiam locum significat, in quo aliquid affirmatur, & insistit. Vtraque autem significatio est appositæ. i. ne etiam requiæ illius perturbatione aliqua frustra inturbare, aut illum è sua constantia frustra deicere velis. Quasi dicat, si virum iustum, aut sublata animi quiete perturbare, aut tentata constantia impellere contendis, frustra id conaris. *Septies. n. cadit, iustus, & resurgit.* Nam etsi sæpè admodum tribulationibus, aut tentationibus concussus ad humilitatem deicitur, non tamen prosternitur, sed ex eo casu audacior, atq. fortior exurgit. *Impius autem corruet in malum.* i. vel leuiter tentione aut tribulatione impulsus miserè concidit, ac prolabitur. Itaque Salomon docet iustum hominè eum esse, cuius animus nullo modo ad iniquitatem flecti potest, cuius etiam quies, aut constantia, nequicquam tentatur: sed virgeo præmissam expositionem.

70 *Ne quæras iniquitatè in domo iusti,* nõ tantû suadet, ne de peccatis hominis iusti frustra inquireat, quasi nihil vnquam grauioris culpæ in ipso inuenire liceat; sed etiam ne illum ad iniquitatem aliquã nequicquam inducere contendat: quia nulla vi, aut arte id assequi poterit, vt iustus aliquo se scelere capitali obstringat. Subdit. *Neque vastes requiem illius.* Sanè mens illa, quæ nullius sibi culpæ conscia est requie gaudet mirabili, quæ nulla etiam vi aut industria perturbari potest, atque aded aptè subdit, Iusti hominis, quem nullo modo ad iniquitatem inducere valuisti, frustra requiem deuastare, & commouere contendis: animi. n. quem nullius culpæ conscientia mordet, aut stimulat, quies subverti non potest. Et quidem iuxta hunc sensum specialem energiam habet lectio Originalis. *Ne vastes, aut ne depraderis accubitu, aut cubile illius.* Lectus. n. aut cubile conscientiam notat. Gregor. in Psal. i. ex pœnitentia libus. *Per lectum,* inquit, *conscientiam accipimus, quia sicut in lecto iacentes quiescimus, ita in ea, vel legi Dei, vel legi peccati consentimus, & sicut in laboribus pressi in lecto quiescentes reficimur, ita dum mundi huius aduersitatibus premimur, in bona conscientia interius delectamur.* Lege etiam Bernar. serm. 46. in Cantica. Ait ergo Salomon, *Ne vastes, aut ne depraderis cubile illius.* Vastatio quidem manifesta irruptione fit, deprædatio verò secreta surreptione perficitur. Sensus ergo est, pacatissimam iusti conscientiam, in qua, velut in lecto mollissimo, animus illius conuiescit, vel manifesta tentatione vastare, vel occulta surreptione deprædari nequicquam conaris, quia

A tam manifesta, quã occulta peccata mirabili quadã vigilantia cauet, ac propulsat. Vel aliter; Conscientia quidè (teste Gregor.) lectus est, in qua animus laboribus pressus conuiescit, ac reficitur. Ait ergo, *Ne vastes cubile illius.* i. frustra illum immixtis laboribus, & molestis perturbare, & commouere satagis, cum lectum illius. i. conscientiam bonam subuerrere nequaquã possis, in qua, tanquam in mollissimo, ac suauissimo cubili, à laboribus conuiescit, viresque in dies reficit, seu instaurat. Itaque illud, *Ne quæras iniquitatem,* nec non illud, *Ne vastes requiem,* non tam prohibentis vox est, quàm frustra id fieri ostendentis. Quã interpretationem libenter aliis antepono, quia illam proculdubio translatio Vulgata capit, & Sept. interpretum lectioni, & sententiæ adhæret maxime, nec non priorem cum posteriori versu melius facit.

B Subjicienda nihilominus est communis interpretatio, quæ præter supra adscriptos nobilem patronum habet Gregor. Magn. lib. 8. in 1. Reg. c. 15. vbi sic fatur. *De iustorum casu scriptum est, septies in die cadit iustus, & resurgit. Iustorum certò casus quodammodo status eorum est, quia aliquando permittuntur cadere, vt semper valeant fortius stare; permittuntur, vt in malis corrumpant, ne summa virtutum dona per elationem perdant. Hi profectò, etsi verba Domini quandoq. non implent, à Domino longius non recedunt, quia ad tempus relinquuntur, vt in eternum teneantur, & in modico desipiunt, sed postmodum resipiunt.* Et quidem Gregor. videt. r. discrimen aliquod inter graues, aut leues culpas inducere. Atque iustum inter, & improbum id interesse significat, quod ille, siue in graues, siue in leues culpas prolapsus fuerit, ocyus resipiscit; hic verò delictis immoratus, vix vnquam ad bonos mores redit. Et quidem iuxta hanc expositionem locus integer sic edisserendus est. *Ne insidieris, & quæras iniquitatem in domo iusti.* i. ne clam, & per insidias, scelus, aut culpam aliquam obserues. *In domo iusti,* hoc certè emphasi nõn caret, Quasi dicat, apud iustum diutius degentem, & in domo cordis eius, tamquam incolam perseuerantem, nullam culpam quærito. Appositè ad hanc sententiã **C** Chrysost. hom. 12. in Epist. 1. ad Corinth. qui, vt peccatum per breui mora, pœnitentia, & lacrymarum eluendum, & emaculandum suaderet, *Peccatum, inquit, si quando ad animam tuam diuertit, hospes sit, non incola.* Ergo similem ad sensum vocanda sunt Salomonis verba. *Ne quæras iniquitatem in domo iusti,* hoc. n. non est incola, sed hospes, atque aded ocyus discedit, quàm vt à te in domo illius inueniri possit. *Neque vastes requiem, aut accubitu illius.* i. ne curiosè admodum illius opera obseruans, quietem illam, qua gaudet, illi eripias: nihil enim hominem a què perturbare, & commouere solet, quam insidiosa vitæ ipsius obseruatio, & inquisitio. Vel aliter. *Neque vastes requiem illius.* i. ne immixtis peccandi occasionibus eam conscientia pacatissimam quietem, qua fruitur, illi eripere frustra contendas: offert autem rationem.

D *Septies. n. in die cadit iustus, & resurgit,* sic Greg. quibus verbis Salomò non significat id, quod accidit, sed ex suppositione loquitur, q. d. etiam si iustus vna in die *septies,* i. sæpius labatur in culpâ, toties in eadem die recuperata salute, & gratia resurgit, & ad animi sui quietem redit: ex quo fit, vt nec peccatum aliquod diutius apud ipsum perseuerans reperiri liceat, neque pax illius diuturno

tempore interturbari possit. *Septies*, inquit, *in die cadit iustus, & resurgit*, non. n. in craftinum pro-
trahit resipiscentiam, sed eadem die calidis, vt
aiunt, vulneribus medetur. *Cadit*, inquam, per
culpam, *resurgit* per pœnitentiam: & quidem
vix cadit, cum ex ipsomet casu quasi refilit, &
ad statuum reuocatur, adeò vt Gregor. dicat,
Iustorum casus quodammodo status eorum est. Pri-
mò, quia cum ruina à statu nihil distet, ruinam
ipsam statum appellare licet: Tum etiam quia
ipsimet casus firmioris status causam offerunt,
cum sese deiiciendi per humilitatem homini ma-
teriam plurimam præbent. Tum demum quia
iustus, vbi cecidit, insolentia casus deterritus, ad
statum illicò adspirat.

73
Chrysof.

Ob eam causam Chrysof. hom. de verbis Isaïæ,
vidi Dominum, &c. Iustorum lapsus pulchros,
& egregios appellat. Nam de peccato Dauid ver-
ba faciens; qui ad leuissimam quandam Natha-
mi obiurgationem resipuit. *Vidisti*, inquit, *cor
contritum vidisti summissam animam? Vidisti et-
iam vt lapsus sanctorum sint egregij? Quem admo-
dum. n. præclara corpora, etiam in aduersa va-
letudine, multa nobis forme sue vestigia osten-
dunt: sic etiam sanctorum anima in ipsis etiam
erratis sue virtutis signa præ se ferunt*. Sed rur-
sus vide quam aptè dixerit *cadit*, atque *resur-
git*. Augustinus in sermone 58. de tempore.
Si forte, inquit, *aliquis ex vobis, vt se habet hu-
mana fragilitas, calliditate diaboli superatus, &
capitalibus criminibus inuolutus templum Dei in
se violando destruxerit, citò de malo iniquitatis sue
conferat, ne consuetudine peccandi in ipsis se
ruinis suis sepeliat*. Hæc igitur est iusti solertia.
Si quando per culpam læthalem interiit, sepeliri
se peccati demeritatione non finit (ita enim acci-
dit defunctis, vt citius illis funus, & sepultura
præparetur) sed dicto citius per pœnitentiam re-
diuinus surgit.

Aug.

74

Quid plura? aliqui (vt nuper dixi) illa verba sic
extulerunt, *Cadit iustus, atque regerminat*. Atqui,
inquit, haud facile est charitatè per culpam re-
uulsam, iterum in animū inferi, & regerminare;
minimè verò. Audi Augustinum. *Peccatores* (in-
quit) *si ad pœnitentiam conuertuntur euulsa cupi di-
tate citò plantã recipiunt charitatis*. Hæc de iusto-
rum celeri resipiscentia. De impiorum verò resip-
iscentia sic attexit. *Impii autem corruunt in malũ*,
sic videlicet prolabantur, vt salutem amplius non
recuperet: nam dilata pœnitentia, per cõsuetudi-
nem peccandi ipsi se suismet ruinis sepeliunt. (vt
August. verba vsurpem,) non quatruidam tantũ-
modò, vt Lazarus, sed pluribus nonnumquam an-
nis, in prauæ consuetudinis tumulto tabescentes,
quos ad vitam vocari, etiam Christo Domino
fremente, vix possibile est.

August.

75

Reliqui interpretes verba Salomonis de leuio-
ribus culpis exponunt. *Septies. n. cadit iustus, &
resurgit*, id tamen difficile habet vulgatissima
hæc interpretatio, quod qui leuiore culpas ad-
mittit, atque eas postmodũ pœnitentia delet, ca-
dere, ac resurgere minus aptè dicitur, quàm
ille, qui capitalia crimina perpetrat. Eam ob
causam D. Greg. expositionem magis probo.
Audiendus tamen est Beda, qui huius interpre-
tationis cateris autor fuit. *Ne insidieris, &c. Ne
queras*, inquit, *aliquam occasionem, qua deroges
homini iusto, ille. n. si ceciderit, citò admonet pedẽ
suum, vt careat vitio, nec illud iterat in facto*.
*Impii autem sic corruunt, vt ulterius non re-
surgant. Quomodo autem iustus appellatur, qui ca-*

Beda.

A dere. i. peccare memoratur, nisi quia de lenibus quo-
tidianis proloquitur peccatis, sine quibus nec iusto-
rum quispiam in hac vita esse potest; Quia nimi-
rum per ignorantiam, per oblivionem, per cogitatio-
nem, per sermonem, per surreptionem, per fragilitatẽ
per necessitatem singulis diebus vel inuiti, vel vo-
lentes frequenter reati incurrimus. (loquitur au-
tem de necessitate illa, quam quis voluntariè sibi
imposuit, & inuitos appellat eos, qui non plena,
& perfecta voluntate transgrediuntur.) *Et tamen
resurgit*, inquit, *iustus, videlicet, quia iustus est, nec
iustitia eius præiudicat lapsus humana fragilita-
tis. Vnde bene cum de iustis loqueretur non addit:
in malum; quia etsi malum est in quod cadunt, ne
tamen malo, in quod ceciderunt, herere possint,
citius resurgendo procurant. At contra de repro-
bis, Impii autem*, inquit, *corruunt in malum, quia
videlicet ipsi cum ceciderint, vel (quod grauius
est) corruerint. i. cum capitalia crimina perpetra-
uerint, ita suo casui delectando assentiuntur, vt ab
hoc pœnitendo releuari despiciant. Itaque secun-
dum hanc expositionem locus iste sic paraphra-
sticè commentandus venit. Ne insidieris, ne que-
ras, &c. i. ne curiosè obserues delicta. (in domo ius-
ti. Non ineptè quispiam dixit ita; ne tanto stu-
dio de illis delictis inquiras, vt cum fortè nihil in
ipso peccati repereris, domesticorum crimina
explores, (ratus scilicet hæc ad ipsum pertinere.)
C Neq; vastes requiem illius, ne scilicet, illa tua vitæ
inquisitione curiosa, & insidiosa, ipsum inquietũ
reddas, aut immisissis peccandi occasionibus animi
pacem illi eripias. *Septies. n. cadit iustus*, in le-
uiore videlicet, ac venia dignas culpas sæpius
labitur. Et quia eiusmodi casus leuiore sunt, i-
deò faciliè resurgit; & quas admiserat noxas,
pœnitentia delet. Quasi dicat, ideò non est in-
quirendum de iustorum delictis, non quia nulla
omnino sint, humanæ. n. fragilitatis est labi, sed
quia leuiora sunt, atq; illis nouæ frugis materiem
suppeditant: ac demũ in ipsorum bonũ recidunt.
Contra verò, *impii corruunt in malum*, quia gra-
uiora perpetrantes, culpis suis affixi ab eisdem e-
mergere vix possunt, ac demum sibi ipsis æternæ
pœnæ malum accerfunt.*

D

XVII. *Cum ceciderit inimicus tuus,
ne gaudeas, & in ruina illius ne exultet
cor tuum.*

XVIII. *Ne fortè videat Dominus, & displiceat
es, & auferat ab eo iram
suam.*

Cum ceciderit, &c. Heb. *In cadendo inimicum
tuum, ne lateris; & impingendo eum. Chal.
Et cum corruerit in malum, ne exultet cor tuum.*
E lxx. *Si ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas super il-
lum, & in supplantatione eius ne extollaris.*

*Ne fortè videat, &c. Heb. Ne fortè videat Domi-
nus malum in oculis eius, & auertat de super eo na-
rem suam. Alij, & redire faciat ab eo iram suam.*
Chal. *Ne fortè displiceat in conspectu eius, & non vi-
derit. lxx. Quoniam videbit Dominus, & non place-
bit ei, & auertat indignationem suam ab eo. Sym-
mach. de super eo iram suam.*

I. interpretatio est Bedæ Venerab. cui primas
vtique defert Iansen. ad hunc modum. *Cum ceci-
derit inimicus tuus, ne gaudeas: & in ruina illius*

Beda.

76

ne lateris. Eiusdem sententiæ iteratio hæc est. Neque enim placet illorum consilium, qui verbum *cecideris*, de lapsu hostis in culpam interpretantur, illud verò, & de ruina illius, &c. de eiusdem deiectione per externas calamitates, aut infortunia. Nam vtramque partem de ruinis externis capiendam esse puto; ita enim postulat ipsius sententiæ scopus. Itaque ait, cum fortè is, qui hostilem erga te animum habet, & inimicitias tecum exercet, in aduersam fortunam reciderit, ne propterea animo gestias, Repetitio illa addit vim significationi: bis quidem lapsum ponit ad significandam magnam quandam ruinam: bis item lætitiã prohibet, vt sic innuat hominem ab ea lætitiã, quam odium proximi parit, quam longissimè abfuturum. Quasi dicat, ed magis ab impia illa lætitiã quisque alienus esse debet, quò maior fuerit proximi perniciës, ac ruina. Rationem attexit. *Ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* Hinc Beda suam interpretationem aggreditur, qui nomen illud possessiuum *suam*, non ad Deum, sed ad inimicum referendum esse putat, hoc sensu. Ne scilicet Deus videns illum malè animatum erga te, prauam illam voluntatem perosus, iram, qua prius inflammabatur, in amicitiam, & gratiam vertat. Quid inde? Tunc, inquit, Beda, pudebit te odij pristini, quod scilicet eum aliquando despexeris, qui tecum iam concordie consuetudine, vsuque copulatur. Non displicet.

Tamen ego iuxta hanc interpretationem Salomonis mentem aliò deriuandam esse dicerem; ita vt sensus ad perantiquam illam sententiam spectet. *Sic oderis, tanquam paulò post amaturus, quam sententiam vulgus tribuit Bianti: & quidem alteram eius partem de industria rescui: ea est, Ama tanquam osurus.* Eam enim meritò carpit ac vellicat Tullius in lib. de Amicitia. *Quoniam enim, inquit, modo quisquam amicus eius esse poterit, cuius se putauit inimicum esse posse: Quinetiam necesse erit cupere, & optare, vt quam sapissimè peccet amicus, quo plures det tibi tanquam ansus ad reprehendendum. Rursus etiam rectè factis, & commodis amicorum necesse erit angere, dolere, & inuidere. Quare hoc quidem præceptum, cuiuscumque est, ad tollendam amicitiam valet. Illud potius præcipiendum fuit, vt eam diligentiam adhiberemus in amicitias parandis, vt ne quando amare inciperemus eum, quem aliquando odisse possemus.* In eandem opinionem abit Aristoteles in libris Rethoricorum, qui eam Biantis sententiam ad hunc modum coercuit. *Non est amandum, quasi sis osurus, quem admodum aiunt, sed ita exercendum odium, quasi sis aliquando amaturus.* Itaque posteriorem illius bimembris sententiæ partem probat Philosophus. Est autem valde prudens consilium, sic odisse, quasi amicitiam tandem aliquando cum his iungere oporteat, quos odio prosequimur: sic enim fiet, vt odia nostra taliter temperemus, vt nihil vnquam aduersus inimicos committamus, cuius postea, cum in gratiam redierimus, pœnitentia nos capiat. Quid enim magis dignum pœnitentia, quam eum aliquando violasse, quo iam suauissimè vteris? Salomon igitur ad hanc sententiam adludens, sic addit. *Noli inimico tuo in ruinam impulso lætitiæ signa dare. Ne forte videat Deus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam,* ne scilicet Deus iram illam, qua nunc in te læuit inimicus, extinguat, & in gratiam commutet: tunc enim serio dolebis, quod eum læseris aliquando, cuius consuetudine dulcissima iam

A fruere.

Secunda interpretatio est Caiet. qui verba hæc, vt sonant, exponit, & possessiuum nomen, *suam*, Deo adscribit. *Cum ceciderit, inquit, inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina illius ne exultet cor tuum.* Noli scilicet hosti tuo sic inuidere, vt illius casus, seu ruina tibi lætitiæ materiam suppeditet. *Ne forte videat Deus, displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* Ratio hæc specie tenus absurda videtur (inquit Caiet.) quia si quis ægrè ferat Deum iram suam temperare, & alicui propitium fieri, grauius delinquit, atque adeò ipsius Dei furorem in se concitat. Quomodo ergo Salomon ob eam causam inimici casum, & ruinam lætitiã, & plausu excipere prohibet, ne Deus inde offensus iram suam ab illo auertat? Occurrit Caiet. affirmans Salomonem hæc verba ad imperfectos intendisse, quos humaniores quædam rationes permouere magis solent, quam diuinæ, & sublimes displicet Ianenio, Rodolpho, & aliis passim interpretibus hoc responsum, neque enim adduci possunt, vt credant Salomonem tam absonam excogitasse rationem. Quapropter aliam idoneam magis commentum sunt ad hunc modum, *Ne forte videat Deus, & displiceat, ne. s. Deus tanto in proximum odio violatus & offensus, sententiam mutet, Et auertat ab eo iram suam.* Addunt verò, & quæ hosti tuo immittere mala decreuerat, in te ipsum iratus deriuat. Itaque sensus est, eum, qui inimico suo cadente, aut impingente plaudit, eas pœnas in caput suum vltro accersere quas hostem dare oportebat. Quam verò decens hoc sit, vt is, qui calamitatibus alterius adgaudet, easdem ipse experiatur, res ipsa suadet. Et quidem Salomon non dicit hunc in calamitatum, & ærumnarum participium, ac societatem simul cum inimico vocandum, id enim solatiij genus esset: tùm quia laborum socios habere per se volupe est; tùm etiam, quia hostem perpeti, & cruciari vtrumque gratum est: sed addit Deum iram suam ab inimico ablatam in eum translaturum, qui tanta immanitate præditus est, vt pœna ipsius grauior sit, dum vice versa aduersario suo iam iam gaudente, & ouante, dolet ipse, ac cruciatur. Rationem hanc attigit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem c. 18. qui Talionis legem ad hanc sententiam venustè admodum deflexit. *Mihi, inquit, defensam, & ego defendam dixit Dominus: vt interim commissia iniuria metu vicis statim occursum repassinaretur, & licentia retributionis prohibitio esset repassionis, vt sic improbitas astuata cessaret, dum secunda permissa, prima terretur, & prima deterrita, nec secunda committitur, qua, & aliàs facilius timor talionis per eundem saporem passionis, nihil amarum, quam id ipsum pati, quod feceris aliis.* Quibus verbis significat Tertullianus pœnam talionis idè latam à Deo in antiqua lege, vt pacem, & concordiam constabiliret. Nimirum, vt quicumque alteri damnum dare parabat, vel ex eo contineretur, quia eidem damno ipse subiiciendus foret, verbi gratia qui alteri oculum eruere, aut dentem excutere apud se decernebat, vel eo maxime sibi temperaret, quod illi etiam in multam damni illati oculis similiter excludendus, & dens extrudendus foret. *Nihil enim, inquit, amarum, quam id ipsum pati, quod feceris aliis. i. amarum valde videtur ex Dei iustissima prouidentia, & dispositione, id ipsum pati hodie, quod heri aduersario tuo patienti exultabundus exprobraueras; talioni pro meritis subiectus.*

Sed licet hæc appositè dicantur, tamen (ni falli-

f iij

1877

Cicero.

Aristot.

Tertullia.

79

Rom. II.

lor) opus non est aliquid huic sententiæ vel adde-
re, vel assuere; ipsa enim per se uti sonat elegans
satis, ac venusta est. Succedat ergo memoriæ illud
Pauli ad Rom. II. *Non vosmetipsos defendentes cla-
visissimi: sed date locum iræ, scriptum est enim. Mihi
vindictam, & ego retribuam*, quæ verba Chryso-
stom. Theoph. Oecumenius, & Theodoretus in eum
locum, quibus hæret etiam Aug. in Psal. 78. de ira
diuina interpretantur, ita ut sensus sit. *Date locum
iræ. i. iræ Dei vestras iniurias permittite, quæ iustas
aliquando his pœnas exposcet ab iis, qui vos vio-
larunt. Quam expositionem suadent illa verba,*
quæ Paulus producit ex Deuter. c. 32. *Mihi
vindictam, & ego retribuam.* At inquit, eam
etiam non esse accommodatam, neque piam ra-
tionem: Nam Paulus vindictam à Deo expecta-
re iubet, ut satisfiat aliquando acceptæ iniuriæ:
charitas verò, & dilectio erga proximum id po-
stulat, ut læsus de vindicta nihil cogitet: sed pla-
catus omnino pro suo aduersario preces ad Deum
fundat, ut omne ab illo malum auertat. Nam, &
Paulus addit, *Cum esurierit inimicus tuus esba il-
lum, cum sitit, potum da illi: hoc enim faciens car-
bones ignis congeres super caput eius.* Quæ etiam
verba autores præmissi, quibus adde etiam Ori-
genem, sic exponunt. Opportuna beneficia in
hostem colloca, id. n. nobile vindictæ genus. Nā
cum hostis videt merita, & beneficia in se profici-
fisci ab illo, quem ipse violauerat, intimè vritur,
atque ex animo dolet, vel erubescit Ad quā Pauli
sententiam proculdubio respexit Basilius in Ho-
milia de ira, vbi sic fatur. *Si enim ab aduersariis in-
iuriis petitis mitis fueris, è duobus alterum procul-
dubio consequeris: aut inimicum tua mansuetudi-
nis exemplo mitiorem reddes, vel certe si despexeris,
acrius illum vindicabis. Quid enim aduersario tuo
durius esse potest, quam te animum gerere consume-
lis omnibus aliter. Sine illum frustra te adlatrare,
in se ipso disrumpi. Sicut enim ille, qui minimè sen-
tientem, aut curantem verberat, se ipsum ledit, &
incommodo afficit, quod nec inimicum plectere, nec
animam iamque exsatiare se videat: sic & is, qui
contumeliam in eum, qui nequaquam dolet, facit,
perturbati animi consolationem inuenire nullo modo
poterit: quin potius, quemadmodum diximus, arde-
bit magis, & animo estuabit.* Vide plura, quæ de
hac sententia conflagimus infra cap. 25. vers. 21.
simile autem ex his incommodum sese offert,
quia hæc Pauli doctrina non tam vindictam tol-
lere, quàm permutare videtur: Charitas autem
vera ab omni vliscendi libidine plurimum ab-
horrere debet.

Basil.

80

Respondeo ergo Paulum his verbis, atque
rationibus non ideo vsu fuisse, ut suaderet ea in-
tentione, & animo vindictæ parcendum, quia vel
Deus tandem aliquando pœnas expetit, vel ipsa
met iniuriæ patientia absque vlla perturbatione
aduersarium seuerius excruciat, quàm quælibet
alia damni accepti redditio. Nam eo consilio à
vindicta abstinere à charitate alienum est. Sed id,
quod re ipsa contingit, aperit, ne animus vliscen-
di libidine inflammatus ad referendas hosti suo
iniurias, damnaque restituenda præceps feratur.
Itaque præmissæ rationes non præscribunt inten-
tionem, qua vindictæ parcendum est: absit, sed
causas, quibus homo ad vlitionem induci solet, ex-
tenuat, & eleuat ne mens damni compensandi ar-
dore decipiatur. Ad eundem modum Salomon in
hoc loco, dum ait, *Ne forte videat Deus, & displiceat
ei, & auferat ab eo iram suam*, non suadet ea
intentione de inimici damnis gaudendum non es-

se, sed ne quem ad id gaudium iniuriæ reddendæ
libido perducatur, ea ratione persuadet: quia tan-
tùm abest ut id gaudij, quod quis ex aduersario-
rum ærumnis suscipit ad vindictam pertineat, ut
potius illud in causa sit, ut Deus ne tam deprava-
tæ libidini obsequi videatur, mala, quæ hosti in-
ferre decreuerat, intermittat, & iram in misericor-
diam conuertat. Et quidem eam esse puto germa-
nam huius loci interpretationem. *Ne forte videat
Deus, & displiceat.* Ne scilicet Deus voluntatis
tuæ prauum motum inspiciat, atque illum meritò
detestans, auferat ab eo iram suam, id est, suppli-
cium intercipiat. Est enim hoc dignum Deo con-
siliium, nam si te gaudente, & exultante hostis tui
pœnam Deus ipse vrgeret, daretur ansa cuiuspiam
existimandi tuam Deo voluntatem nequissimam
probari, utpote, qui eidem velut de industria ob-
secundare videretur. Quapropter mauult Deus
de sua iustitia aliquid detrahere, & misericordiæ
id tribuere, quàm suam bonitatem, & sanctitatem
in suspicionem adduci: ad quam spectat bona
probare, & mala detestari.

XIX. *Ne contendas cum pessimis, neque
emuleris impios.*

C XX. *Quoniam non habent futurorum spem
mali, & lucerna impiorum extinguetur.*

NE contendas, &c. Hebr. *Ne succenseas mali-
gnis, neque emuleris in impios.* Vatabl. *Ne
succenseas propter malos, neque emuleris propter im-
pios.* Sept. *Ne gaudeas in malefactoribus, neque
emuleris peccatores.* Chald. *Non imiteris pessimos,
neque emuleris improbos.* Omnia in idem reci-
dunt.

Quoniam non habent, &c. Heb. *Quia non erit
nouissimum maligno, &c.* Pagnin. *Quia non erit fi-
nis homini maligno.* Vatabl. *Nam malo tandem nihil
supererit.* Chald. *Quia non erunt nouissima bona
pessimis.* Sept. *Non enim sunt posteri maligno: fax
autem impiorum extinguetur.* Rodolph. *Non erit
impio merces.*

Prior ille versus, *Ne contendas cum pessimis, &c.*
ad verbum depromptus est ex Psalm. 39. nam licet
paulò aliter à Vulgato interprete translatus sit
sic, s. *Noli amulari in malignantibus, neque zela-
ueris facientes iniquitatem*, tamen in Primitiuis ip-
sissima utrobique verba sunt. Sed subest difficul-
tas: Nam quia quemadmodum apud Latinos
verbum *amulari* tres capit significationes. s. *imi-
tari inuidere*, aliquando etiam ex quadam indi-
gnatione *contendere*: sic etiam Hebraicæ radices
תחבך *Thachbar*, & נקב *Kana* easdem suscipiunt.
Hinc lis inter expositores.

Caietanus ad imitationem morum refert hoc
sensu; *Ne cum impiis commercia in eas, neque
illorum mores æmula imitatione in te exprimas,*
*Quoniam non erit finis malo, & lucerna impiorum
extinguetur.* Sic locum restituit. Sunt (inquit Cai-
et.) impii mala, & bona; bona quidem eorum
sunt opes, ac secunda fortuna, quæ ad hanc vitam
pertinent; hæc verò per *lucernam* significantur:
mala autem ea sunt, quæ post hanc vitam illos
manent. s. pœnæ, ac supplicia. Ait ergo, nequa-
quàm impij æmulatione digni sunt; nam eorum
mala non habent finem. i. æternæ sunt pœnæ,
quas pro sceleribus daturi sunt, & eorum *lucerna,*

81

Caiet.

id est, prosperitas, & fortuna, ocyus extincto splendore deficiet. Vide quæ supra diximus ad illa verba, *Ne amuletur cor tuum peccatores*, & c. c. 23. v. 17. & supra in hoc ca. vers. 1. ex quibus aliqua ad hanc sententiam spectant.

82 Secunda interpretatio est Rodolphi, Iansenij Clarij, & Vatabli, qui verba illa *contendere*, & *emulari* ad inuidiam, & liuorem transferunt, hoc sensu. *Ne contendas cum pessimis, neque emuleris impios*, id est, noli illis fœlicitatem, & fortunam inuidere. *Quia non erit nouissimum maligno, & lucerna*, & c. Isidor. Clarius certè per *nouissimum* prolem, & posteritatem intelligit, per *lucernam* autem vitam. Quasi dicat, fortuna illorum non est inuidia digna, quia omnis impius carebit liberis, atque ipsius etiam vita ocyus deficiet. Nec caret lepore ista sententia; nam sensus est, ipsius utique vita, atque fœlicitas breuissimis finibus, ne dicam momento, concludetur, quia nullos liberos numerabit: nam in liberis parentum fortuna, & vita propagatur quodammodo, & ad seram posteritatem transmittitur, vide eius, qui absque liberis discedit, fortuna leuis admodum, ac momentanea est. Huic interpretationi subscribere videtur Sept. qui locum istum sic extulerunt. *Ne gaudeas in malefactoribus, neque emuleris peccatores: non enim sunt posteri maligno, fax autem malorum extinguetur.*

83 Vatablus verò in eo dissidet ab Isidoro, quod illa verba *non erit nouissimum maligno*, sic paraphrasticè restituit, *Nam malo tandem nihil supererit*, quæ verba duplicem sensum capiunt. Prior est; Nullus illi erit superstes filius, atque hæres; qui cum superiori expositione omnino conuenit. Posterior est Iansenij ad hunc modum; Quidquid copiarum, & fœlicitatis habent, cum ipsis simul fluat, atque intercidet, nihilque reliqui apud ipsos manebit, iuxta illud, *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis*. quæ verba concordant prorsus cum illis Ps. 36. *Simul reliquia impiorum interibunt*. Illa autem verba, *Lucerna impiorum extinguetur*. Iansen. Vatab. & Rodol. vel de prosperitate impiorum, vel etiam de vita eorum, aut (si placet) de sobole, ac posteritate accipi posse dicunt: quas expensis *lucernæ* acceptiones perstrinximus, & expendimus supra ca. 20. v. 20. & c. 13. v. 9. Vide ibi plura.

84 Cæterum licet hæc non ineptè dicta sint, tamen à Vulgata lectione tantisper abeunt, nec satis exhauriunt vim illius verbi, *Ne contendas*. Ergo Lyranus, ne verbum illud missum faceret interpretationem parum idoneam commentus est. *Ne contendas cum pessimis*, & c. i. ne verbis, & rationibus cum illis agas de virtute, & probitate disceptans: hos etenim non verba, aut contentio dicentis, sed verbera, & pœnæ ab ipsis expetitæ à malitia ad bonam frugem reuocant, sed hanc interpretationem contextus ipse arguit, qui subdit. *Non emuleris viros impios*: præsertim secundum eiusdem Lyræ interpretationem, qui illud, *non emuleris*, perinde esse dicit, ac non *imiteris*, & c. Iam vides incoherentiam. Quapropter perplacet mihi Hugonis interpretatio, quam secundo loco exhibet; si tamen sententiam, quam ipse perstringit, & in angustias cogit, ampliorem reddamus. Ille enim sic fatur. *Ne contendas cum pessimis*, ne s. illis litem intendas, tua repetendo, sed mage iniuriam patere, iuxta illud 1. Corinth. 6. *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis iniuriam patimini?* sic ille. Ego

verò existimo sententiam istam cum superiori cohærere. Nam cum præmisisset, aduersariorum ruinis, & ærumnis minimè gaudendum esse, ne Deus auertat ab illis iram suam. Iam nunc subdit, cum eisdem minimè contendendum decetandumve, neque iram contra illos suscipiendam, sed vindictam Deo prorsus permittendam esse: Itaque sensus est, *Ne contendas cum pessimis*, vel alij conuertunt: *Ne succenseas improbis*, pessimos appellat eos, qui damna dederunt, aut iniuriam intulerunt, quasi dicat, ne cum his configas, aut depugnes, vt pœnas damni dati ab eisdem exigas, neque etiam in illos irasci velis (verbum *emulari* in hoc loco ad iracundiam pertinet) quasi aliter impunes, & inulti abituri sint, quoniam propter dænum, atque iniuriam tibi illatam grauissima illos manent pœnæ à Deo infligendæ. *Non enim habent futurorum spem mali* .i. improbi illi ob eam causam priuantur spe æternæ fœlicitatis capesendæ. *Et lucerna impiorum extinguetur*, .i. humana etiam fortunæ, & fœlicitatis splendor, quo gaudent, Deo etiam retribuente, ac vicem reddente, deficiet. Itaque Salomon tantum abesse ait, vt ille improbus damnorum dator inultus abeat, vt non modo in futura vita æternis, sed etiam in hac externis bonis priuatus, pœnas, Deo autore, maximas daturus sit. Et quidem hæc interpretatio ad eum canonem exigenda est, cui superiorem sententiam nuper subiecimus. Non enim hæc ideò dicuntur, quod ea intentione vindictæ parcendum sit, vt Deus puniat: sed quia stimulos quibus hi, qui violati sunt ad repetendas suis manibus pœnas incitantur, omnino hebetant, facileque mouent homines, vt suarum iniuriarum actionem Deo permittentes, ipsi mansuescant.

85 Quod si ampliorem hanc sententiam tantisper cœercere, ac perstringere quispiam velit atque verbum illud, *Ne contendas*, iuxta mentem Hugonis, de libris illi minimè intentandis, à quo læsi sumus, accipiamus, sensus euadet non inuisus ad hunc modum. *Ne contendas cum pessimis*. Actionem iniuriarum apud iudices sæculares, & humanos omittere consulit Salomon hoc optimo argumento. Ne aduersus hostem tuum litem suscipias, & de iniuriis tibi illatis apud iudices humanos expostules. *Neque emuleris impios*, & c. n. s. æmulationi, hoc est, indignationi tuæ obsequaris, quasi aliter hostis te impunè læso gloriaturus sit. Est .n. supremus iudex, qui aduersario tuo vicem reddat, Deus ipse, qui, te iniurias dissimulante, sententiam contra impium illatorem feret, qua illum perpetuæ fœlicitatis hæreditate priuet, æternisque ignibus addicat, interim verò in hac vita temporalia bona proferibat, & fortunarum omnium priuatione mulctet: id sibi volunt illa verba, *Non enim habent futurorum spem mali, & lucerna impiorum extinguetur*.

86 Alias verò lectiones huius posterioris versus ad hunc sensum allicere integrum est, omnes enim pœnas continent satis magnas, quas Deus impiis immittit, quibus impares sunt omnes illæ, quas læsus per se ipsum sumere potest, etiam apud iudices externos agens. Percurram singulas. *Quia non erit finis homini maligno*, sic Pagninus. .i. pœnas dabit æternas, & nullo fine carentes, quasi dicat. Quidquid pœnarum tu vindictæ loco utcumque ab aduersario tuo expetere potes, tandem aliquando finiti oportet: at Deus pœnas exposcit æternas. Rodolph. *Non erit impio merces*. sensus conuenit cum lectione nostra. Similiter etiam modo paraphrasis Chaldaicæ sententia, cum nostra

concoris est, *Quia non erunt nouissima bona pessima*, sed tamen ad hanc interpretationem euocata emphasim specialem habet. Hominis quidem nouissima hæc sunt, mors, & iudicium, gehenna, aut beatitudo æterna: hæc autem extra humanæ potestatis terminos sese efferunt, & diuinæ tantummodo subiiciuntur potestati. Itaque sensus erit. *Quantumcumque contendas aduersario tuo damna dare, eius certè nouissima infortunata, & infelicia reddere nequaquam poteris; hæc autem omnia Deus potest, cui te tuarum iniuriarum castigationem permittere suadeo.*

Vatablus verò sic habet. *Quia malo tandem nihil supererit.* Hæc est altera ratio non inelegans. Nullus certè homo iræ acquiescens suæ, aduersario suo bonorum omnium amissionem inferre potest, ita ut nihil boni illi ultra superfit. Nam etsi bona externa humanæ violentiæ subdita sint, at interna, & externa ex Dei tantummodo nutu pendent, & ab eo dari, vel auferri possunt. Ait igitur Salomon, Vindictam tuarum iniuriarum Deo relinque, neque per te ipsum, aut iudices humanos illam exquire: nam si animi tui motus perscrutari velis facile agnosces non aliter tuæ vlciscendi libidini satisfaciendum iri, nisi hoste bonis omnibus spoliato, id autem solus Deus præstare potest, qui in externa, atque interna bona ius habet. Septuaginta conuertunt. *Non enim sunt posteri maligno.* quibus alij non pauci adhæserunt: hinc quoque nouus huic sententiæ splendor accedit. Nam iudicia humana quoties reum aliquem puniunt liberis illius parcunt, atque adeò supplicium leuius fit, quia cum filij magna sint parentis pars, si quidem hi incolumes sint, magna utique illorum pars salua est. Deinde cum in filiis parentes viuere dicantur, his supersticibus, ipsi interire non possunt. Quid inde? tuarum iniuriarum vltionem supremo iudici Deo committe, inquit Salomon, neque illum apud humanos magistratus conuenire velis; nam hi cum seuerissimè agunt, & si parentem capite mulctent, liberis tamen parcunt: atque adeò præcipua morientium pars salua manet: quinimò emori ipsi minimè dicendi sunt, quandoquidem eorum vita in filiis perennat. Cum ergo tuæ indignationis vis eò feratur, ut hostem tuum omnino de medio tollas, id certè Deo permittere debes, ipso enim autore, atque iudice, *Non sunt posteri maligno*, illum videlicet pro meritis, liberis, ac posteritate iuste priuare, & mortem integram non dimidiatam eidem inferre solet.

Ad hunc modum præmissæ lectiones huic nostræ expositioni adaptari possunt, quam non parum illustrant Origenis verba ad illa Pauli, *Date locum iræ*, scilicet Dei. *Ira*, inquit, *absolutè sic dicta, Dei indignationem significat: nam nostra indignatio vix iræ nomen meretur, quia videlicet, hoste sapius inulto, nos ipsos lædimus, & maiorem, atrociorumque plagam nobis ipsis, quam aduersariis infligimus. Date igitur locum iræ. Cui iræ? diuina utique indignationi: hæc enim propriissime iræ est, quia, & in hostem tuum quiduis potest, atque, te illa se, hosti extremam perniciem afferre potest.* Et quidem dum Paulus dicit, *Date locum*, manifestè innuit nostram in hostes læuiente iram diuinam iram loco suo excludi, Deumque illis parcere solitum, à quibus nos iniuriarum pœnas exquirimus, *Date*, inquam, *locum*. Syriacus codex, *Date sedem*, aut, *thronum*, per sedem autem ac thronum tribunal intelligo, ex quo magistratus iura dicere consueuerunt: Ita ut sensus sit, *Cum læsi fueritis nolite vestrarum*

iniuriarum actionem ad humanos magistratus deferre, sed date sedem, ac thronum iræ Dei, eam scilicet causæ vestra iudicem præficite, quæ in aduersarios vestros sola pro meritis animadvertere potest. Nam quemadmodum leges humana hoc decernunt, ut in eo tribunali lis necessariò peragenda, & finienda sit, vbi primùm contestata est: ita etiam diuinis decretis quodammodo cautum esse dixerim, ut in eo tribunali, aut subsellio, nostrarum iniuriarum actio definiatur, ad quod primùm delata fuit. Itaque si apud humanos iudices agimus, aut nostro etiam iudicio causam peragi volumus, vindictam propriis manibus exquirentes, ibi certè causa terminatur, & diuinæ indignationi locus non fit: sin verò ex aduerso humanis iudiciis prætermittis causam nostram ad diuinæ indignationis tribunal primùm detulerimus, lite apud ipsam contestata, nobis utique silentibus, ac dissimulantibus, Deus ipse actoris simul atque iudicis personam exercebit, atque dignas flagitijs suis in aduersarios nostros pœnas statuet.

Denique extrema illa verba, *Lucerna impiorum extinguetur* idèò missa facio, quia de his sat multa diximus supra ca. 13. vers. 9. & cap. 20. vers. 20. lege ibi.

C XXI. Time Dominum, fili mi, & Regem, & cum detractoribus ne commiscearis.

XXII. Quoniam repente consurget perditio eorum, & ruinam viriusque quis nouit?

Time Dominum, &c. Hebr. ad verbum. *Time Dominum, fili mi, & Regem, & cum iterantibus non misceas te.* Pagn. verò sic extulit. *Et cum iterantibus iniquitatem ne miscearis.* Caiet. *Et cum mutatoribus ne misceas te.* Vatab. *Et cum his, qui rerum nouarum studiosi sunt ne misceas te.* Isterdorus. *Cum variantibus.* Chald. *Cum stultis.* Et quidem subest in Originibus *ג'הים סנים* *ghim sonim*, ex radice *Sanah*, quæ significat *mutare, alterare, iterare, & variare.* Existimo autem Sept. non *ג'הים סנים*, sed *ג'הים סנים* *Senim*, lectitalle .i. duo, atque adeò sic ad verbum locum restituendum censuerunt. *Et cum duobus ne misceas te.* Sed tamen verbis omissis sensum expresserunt ad hunc modum. *Time Deum, & Regem, & neutri eorum sis inobediens.* Schol. *Et neutri eorum commiscearis.* Ex Vulgatis etiam codicibus aliqui sic habent in hoc loco. *Et cum aliter agentibus ne miscearis.* Quæ lectio proximè accedit ad Originalem.

Quoniam repente consurget, &c. Hebr. *Quoniam repente surget exitium eorum, & contritionem amborum eorum quis nouit?* Chald. *Quoniam repente veniet interitus eorum, & calamitatem amborum quis scit?* Sept. *Subito enim vlciscentur impios; supplicia autem virorumque quis nouit?*

Locus iste præcipit timorem Dei, & Regis. Et quidem interpretes verba illa, *Time Deum, fili mi, ac Regem*, sic ordinant. Deum utique metue, & post Deum Regem, atque adeò his verbis suaderi primùm existimant, ut timor Regis, atque cuiusuis alterius potestatis humanæ, Dei timore omnino subiciatur: Ita ut quoties vtriusque leges diffidere inter se visæ fuerint, diuinis potius quam humanis præceptis ad vnguem obsequendum sit.

87

88

88

Origenes.

E

90

Ad quam sententiam benignè admodum allici possunt verba sequentia secundum lectionem Originalem. Et cum mutantibus ne misceas te, nequaquam mores illorum consecrari velis, qui ordinem istum permutant: & Regi primum, deinde Deo deferendum esse existimant. Hunc etiam ordinem præscribit Petrus in 1. can. c. 2. *Timete Deum, Regem honorificate*: neque solum ordo iste elucet in verborum serie, sed ex ipsa quoque illorum sententia emicat. Nam cum Deum timendum, & Regem verò honorificandum dicit, hunc illi postponendum aperte demonstrat: si quidem timoris obsequium fortius adigit, quam honoris. Ergo mutantibus, aut inuertentibus ordinem hunc valde accommodatè minatur Salomon repentinum interitum. *Quoniam repente consurget perditio eorum*, &c. Sed cur his repentinum interitum interminat Salomon? Quoniam illi, qui Regibus potius, quam Deo timorem, & honorem reddendum putant, ex his plerumque sunt, qui Deo rerum humanarum providentiam denegant, & omnia absque consilio magna cum temeritate fieri existimant. Succedat ergo memoriæ id, quod tradit Chrysostomus Hom. 1. de verbis Isaia, nimirum subitas quorundam hominum ruinas Dei providentiam plurimum commendare. *Nam quemadmodum, inquit, cum in desperatis morbis subita, atque extemporaria sanitates contingunt, eas in miraculis ponimus, & Deo confestim tribuimus, is enim solus ea ratione sanare potest. Ita etiam cum eos, qui prospera nuper utebantur fortuna subito deici, & in summam miseriam ruere videmus, statim credimus illam ruinam non casu, aut ab hominum industria, sed ex Dei providentia venisse.* Verba perstrinxi, & sententiam dedi. Ergo aptè admodum subiungit Salomon. *Quoniam repente consurget perditio eorum*, &c. Videlicet ut eo argumento de providentia Dei erga res humanas certiores facti, si fieri possit, ipsi respiciant, aut certe reliqui eorum malis edoceantur.

91 Alij rursus de ordine nihil curant in hoc loco, sed tantummodo suaderi dicunt, ut duas res potentissimas, quæ hominem facile perdere, & evertere possunt, Deum videlicet, atque Reg. obsequio, & timore colere, atque eorum legibus ad nutum parere velimus. *Time Dominum, fili mi, ac Regem*, hæc perspicua sunt: addit. *Et cum detractoribus ne commiscearis*, per detractores hæc (ut communis interpretum sententia fert) non accipiendi sunt obloquentes qui aliorum famam, & bonum nomen verbis violant, (hanc enim significationem vox originalis non capit) sed mutatores, ac rerum novarum studiosi: hi. scilicet qui legum severitatem mutari, publicam administrationem euariari, & si fieri possit, prodito aut sublato iusto Principe, alium minus severum præfici vellent. Vel, si ita libet, pro detractoribus subiiciendi sunt. *Iterantes iniquitates*, ut placuit Pagnino. Ita tamen ut eo nomine significetur hi, qui sua scelera impune sæpè ac sæpius admittunt cupiunt: atque ut id ipsis prorsus liceat, à Deo providentiam, & à Regibus severitatem auferri vellent: cum his igitur, inquit Salomon, ne commiscearis, ne scilicet in ipsorum mores discedas, vel consilia illorum probes.

92 *Quoniam repente consurget perditio eorum. Et ruinam utriusque quis novit?* Hic versus distrahit interpretes. Nam ex his Beda, Hugo, Dionys. Lyra, & alij eiusdem notæ, illa verba perditionem eorum, & ruinam utriusque intelligunt quidem de detractore, & de eo, qui illi vel acquiescendo, vel fa-

A uendo adiunctus, vel sociatus est; quasi dicat, *Cum detractoribus*, &c. ne te detractoribus, aut mutatoribus adiungas. (deinde, ut solemne est scriptura, stilum quodammodo vertit, & personas variat.) *Quoniam repente consurget*. Ei nimirum, qui detrahit, & qui detractori etiam obsequitur, imminet subita pernicietas & ruina. Vnde ab ipso Deo (inquit Hugo) qui non modò in suos, sed etiam in Principum violatores severè admodum animadvertit. Iuxta illud Pauli ad Rom. 13. *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Alij verò interpretes Rololph. Iansen. & Vatabl. pronomina illa eorum, & utriusque, ad Deum, & Regem referenda esse existimant, ita ut sensus sit, *Repente enim consurget perditio eorum, & ruinam utriusque quis novit?* i. perditio, & ruina, quam duo illi, Deus videlicet, ac Rex inducent super illos, qui eos non timuerint, & debita ipsis obsequia non exolverint. Itaque *perditio eorum* dicitur quasi actiue. i. ab eis immissa, & *ruina utriusque*. i. ab utroque inducta. Hanc verò subitam, ac repentinam fore dicit, quia Dei, atque Regum ea in parte haud dispar consilium esse solet, ut suos violatores repente obruant. Id enim maximam illorum potentiam testatur, quæ ubi supra aliquem pondere suo incubuit, illum subito opprimit. Huic interpretationi suppetias venit translatio Sept. qui locum istum sic extulerunt, *Subito enim ulciscuntur impios, supplicia autem utrorumque quis novit?*

C Ego verò, quod spectat ad hanc extremam quaestiuiculam, assentior Caiet. qui sic diffidium componit, ut prius illud pronomen eorum, ad detractores reuocetur, posteriùs autem illud utriusque, ad Deum atque Regem. Locum autem integrum sic edisserendum puto. *Time Deum fili mi, ac Regem.* Hæc prior clausula duplici sensu donari potest. Alter est ille, quem initio præmissi *Time Deum*, & secundum Deum *Regem time*, id enim rectus ordo sibi deposcit. Hunc ad sensum alliciunt nonnulli illa verba Pauli ad Rom. 2. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi à Deo; quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt*, sic verba dispungi debent: in Græcis verò sic habes. τὸ ἀπὸ θεοῦ. atque ad eò sic efferi possunt. *Sub Deo ordinata sunt*. i. omnes potestates, quæ verè tales sunt, sub Deo, & secundum Deum suum ordinem habent, atque sibi post Deum deferri volunt. De hoc ordine eleganter admodum August. serm. 6. de verbis Domini. *Sed quid si Princeps iubeat quod non debes facere? contemne potestatem, timendo potestatem. Ipsos humanarum rerum gradus adverte: si aliquid iusserit Curator nonne faciendum est? ita quidem: tamen si contra Proconsulem iusserit, non utique contemnis potestatem, sed eligis maiori servire; neque huic debet minor irasci, si maior prælata est. Rursum si aliquid ipse Proconsul iubeat, & aliud iubeat Imperator, numquid dubitatur illo contempto isti servendum? Ergo si aliud Imperator, & aliud Deus: quid iudicatus? solue tributum, esto mihi in obsequium. Rectè, sed in dolo prohibet, quis prohibet? Maior potestas. Da veniam: tu carcerem, ille gehennam minatur.* Quibus verbis rationem præscribit, ob quam Dei timor præferendus est.

Audiendus est etiam Tertul. in apolog. ca. 36. ubi sic scribit. *Nos, inquit, pro salute Imperatorum Deum invocamus aeternum, Deum verum, Deum vivum, quem, & ipsi Imperatores propitium sibi præter ceteros malunt. Scimus quis illis dederit Imper-*

Petri 1.
Cant. 2.

Chrysof.

Rom. 13.

93

Rom. 23.

August.

94

Tertull.

rium, sciunt quia homines, qui & animam sentiunt, eum Deum esse solum, in cuius solius potestate sunt, a quo sunt secundi, post quem primi ante omnes, & super omnes Deos. Quidni? cum super omnes homines, qui utique viuunt, & mortuis attestant. Et infra. Cælum utique debellet Imperator, cælum captiuum triumpho suo inuehat, cælo mittat excubias, cælo regalia imponat: non potest utique. Idèo magnus est, quia cælo minor est; illius enim est ipse, cuius cælum est, & omnis creatura. Inde est Imperator, unde est & homo, antequam Imperator. Inde potestas illi, unde spiritus, &c. Et c. 33. de eodem ordine perelegantur scribit. Imperans, inquit, maiestatem Cesaris infra Deum magis illum commendo Deo, cui soli subijcio: subijcio autem cui non adæquo. Non enim Deum Imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se Deum uolet dicere, si homo sit. Interest enim homini Deo cedere, satis habeat dici Imperator grande hoc nomen est, quod à Deo traditur: nisi homo sit, non est Imperator. Hominem se esse etiam triumphas in illo sublimissimo curru admonetur; suggeritur enim ei à tergo, respice post te, hominem memento te: & utique hoc magis gaudet tanta se gloria coruscare, ut illa admonitio conditionis suæ sit necessaria. Minor erat si tunc Deus diceretur, quia non uerè diceretur. Maior est, qui reuocatur, ne se Deum existimet. Quibus uerbis Tertull. contendit præcipuam Imperatorum gloriam in eo uersari, ut Deo cedant, & post Deum coli se, ac reuereri uelint. Est etiam sibi similis Tertull. in libro de Idolo. c. 15. Colimus, inquit, Imperatorem, si quomodo, & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem à Deo secundum, & quidquid est à Deo consequutum, & solo Deo minorem. Hoc & ipse uolet, sic enim omnibus maior est, dum solo uero Deo minor est. Salomon ergo ut timoris, & obsequij humani rectum ordinem præscriberet, aptè dixit. Time Deum fili mi, & Regem, hunc scilicet post illum time, atque cole.

95

Vel certè alia fuit mens Salomonis, in quam mens mea pendet magis. Voluit. s. significare Regibus atque Principibus propter Deum esse deferendum, Itaque perinde est ac si dicat. Time Deum fili mi, ac Regem. Regem. s. uereri debes, si Deum times, nam ad præstandum Regibus obsequium, & cultum, ipse Dei timor adigit: sunt enim Reges Dei ipsius ministri, & vicarij. Paulus ad Ro. 13. Dei enim ministri sunt in hoc ipsum seruientes. Quemadmodum ergo Regis ministros, eiusque personam sustinentes idèo colimus, quia Regem reueremur: ita etiam Reges ipsos, qui Dei ministri sunt, ac vicarij, idèo cultu, ac reuerentia prosequi debemus, quia Dei supremam maiestatem timemus. Idèo Paulus paulò ante præmiserat: *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Necessitas hinc debitum, & obligationem sonat ista uero ad Principes pertinent, conscientia ad Deum. Itaque sensus est. Ut Principibus obsequia deferatis non modò ipsorum ira, quæ in refractarios plurimum feruit, sed etiam ipsa conscientia vos adigit, quæ aliter faciens rea est omnino apud Deum. Et quidem ita decuit, ut hæc potestates diuina, atque humana, inter se conspirarent, ita ut diuina humanæ auctoritatem compararet, & humana etiam diuinæ obferret. Sæpè enim quos Dei timor coercere non potest. Principum metus in officio continet. Huc spectauit Irenæus lib. 5. cap. 24. *Quoniam enim abstinentes à Deo homo in tantum effertus est, ut in omni inquietudine, & homicidio, & auaritia sine timore uersaretur, imposuit illi Deus humanum timorem.*

Irenæus.

A Non enim cognoscebant timorem Domini: ut potestatis hominum subiecti, & lege eorum adstricti aliquid assequantur iustitia, & moderentur ad inuicem, in manifesto positum gladium timentes, sicut Apostol. ait. Non enim sine causa gladium portat. Et infra. Ad utilitatem gentium, (& idem iudicium est de improbis Christianis) terrenum regnum positum est, adeo ut timentes regnum humanum non se alterutrum homines ritu piscium consumant, sed per legum dispositiones repercutiant multiplicem iniustitiam. Attegit Salomon.

B Et cum detractoribus ne commiscearis, &c. vel, cum mutatoribus, vel, Alteratoribus. i. cum seditiosis hominibus, qui rerum nouarum studio Principum suorum obedientiam, & iugum excutere uolunt, & libertatem, impunitatem, uitamque exlegem, & ab omni onere immunem affectant; cum his ergo nequaquam admiscearis. i. ne fœdera in eas, ne conspires cum illis: existimo enim Salomonem seditiones, & coniurationes in legitimos Principes his uerbis prohibere.

C Quoniam repente confurget perditio eorum, scilicet detractorum, aut eorum, qui mutationibus student, & contra Principes suos conspirant. Nā illorum fraus, & coniuratio detegit tandem solet, & tunc vel maximè à Principibus inopinantes opprimi. Quia cum eiusmodi prodiones, quas contra Regum salutem coniurati moliri solent, Deum ipsum, cuius illi uicariam potestatem gerunt, grauitè offendant, nunquam profectò tuti esse possunt, quominus Deus illorum fraudes retegens, temerarios ausus subito, atque digno supplicio coercet, aut Regi coercendos tradat. Propterea subdit. Et ruinam utriusque quis nouit? ruinam scilicet ab utroque immisam, à Rege, & à Deo. Hebraicè. Et contritionem amborum quis nouit?

D Non solum quia eos inopinantes opprimet, sed etiam quia alij iudices in supplicij decernendis leges iam latas sequuntur, atque adeo pœnas, quas illi delictis statuunt præstare licet. At Reges supremi nullis legibus adstringuntur, sed arbitrio suo pœnas imponere, & delicta quibuslibet supplicij coercere possunt, quapropter quid tandem illi decreturi sint nulli compertum esse potest. Qua in re diuinæ iustitiæ formam, & rationem imitantur, quæ nullis etiam legibus obstricta, pœnas etiam arbitrio suo definit. Et quidem mens Salomonis est ciues à seditioibus, proditionibus, & coniurationibus in Reges dehortari, quia nimirum contra eos, qui eo modo in Principes coniurant, utraque potestas, diuina, & humana, conspirant; quia utraque eiusmodi coniurationibus uolatur, quarum vim declinare aut fugere nullus potest.

E Sed enim in Codice Vaticano Septuaginta interpretum subiiciuntur uerba non pauca, quæ in Vulgatis desiderantur, & ab Originibus etiam absunt: libet tamen illa huic loco alluere, nam ad Principes etiam pertinere uidentur. Mitto autem alteram sententiam, quæ sic habet, *Verbum custodiens filius extra perditionem erit, excipiens autem excepit illud.* Hæc enim infra cap. 29. reperitur etiam in Vulgatis, & ea tantummodò uerba hic adscribam, quæ alibi non occurrunt.

sub eodem u.

Sub eod.
v.

XXII. Nihil falsi de ore Regis dicatur, & nihil falsi de lingua illius exeat: gladius lingua Regis, & non carnea: quicumque autem traditus fuerit, conteretur. Si enim irritatus fuerit furor eius cum nervis homines absorbit, & ossa hominum deuorat, & comburit tanquam flamma, ita ut sint inepta esui pullis Aquilarum.

97

Horum verborum scopum collimare facile est, eorundem verò sententiam texere difficultate non vacat. Docet utique Salomon nihil falsi apud Regem asserendum, nihilque per dolum, aut fraudem cum ipso gerendum esse. (Existimo autem hæc verba ad eos deterrendos addita fuisse, qui dolosè, ac fraudulentè in Principes coniurant.) Quod autem subdit, *Et nihil falsi de lingua illius exeat*, sic restituendum puto, *Et nihil falsi de lingua illius exeat*, hanc enim lectionem capit text. Græcus: particula verò &, ut sæpè aliàs dixi, vim habet causalis, quia, quasi dicat, *Quia nihil falsi de lingua illius exeat*. Ideò scilicet nihil per fallaciam, & artificiosos dolos Regi dictandum, aut cum illo actitandum est, quia quidquid ille cõtra fraudulentos, & proditores lingua sua statuit, nunquã frustratur, sed verum certumque euadit: nam quod lingua sua vel temerè denunciat regali, & suprema potentia facilè exequitur. Quid inde?

98

Gladius lingua Regis, & non carnea. In quibusdã Græc. codicibus legitur etiam, *Gladius igneus lingua Regis*, quæ lectio cum reliquis huius sententiæ verbis optime congruit: existimo enim hic igneum gladium metaphoricè fulmen dici, quemadmodum in Psal. 76. fulmina, sagittarum nomen ferunt. *Etenim sagitta tua transeunt, vox tonitruus tui in rota, & Psal. 17. Misit sagittas suas & dissipauit eos, fulgura multiplicauit, & conturbauit eos*. Nota verò est fulminum natura, quæ, eum corpora tangunt molles carnes ne violare quidem solent: nervos autem, & ossa intra carnes penitus delitescunt, vi sua soluant, atque conterunt. Nihil certius. Addo etiam ex Alberto Magno, fulmine tacta cadauera à nullo animante depasci. In promptu causa est, quia fulminis flamma sulphurea tetra odore, atque sapore, quas attingit carnes inficit, atque adeò nulli animanti edules relinquit. Salomon ergo ad proditores exterrendos, qui contra Principes occultè conspirant, & vires, copiasque clanculum adornant, sic ait. *Lingua regia*, id est, illius scilicet mandatum, & præceptum ad instar est ignei gladii, seu fulminis igniti. *Quicumque autem traditus fuerit, conteretur*, id est, quicumque illi relictis fraudibus, proditisque consiliis commissus fuerit, fulminea vi conteretur. Et quæ admodum fulmen nervos, ossaque intra carnem latentia confringit, ac comminuit: sic etiam Rex, si iratus fuerit, furor eius cum nervis homines absorbit, & ossa hominum deuorat, & comburit tanquam flamma, id est, vires, copiasque nervorum, atque ossium in morem, contra illum clam comparatas, & publico, commentitioque obsequio, & obedientia, tanquam carne, exterius contactas, fulminea quadam vi percussa labefactat & comminuit. Itaque hac similitudine significat Regum vim, ac furorem contra proditores, atque seditiosos imprimis validum esse, is enim fulminis naturam amula imitatione in se exprimit,

Psal. 76.
Psal. 17.

Albertus.

Tom. 2. Part. 2.

Atque adeò eos, qui, velut ossa, neruque, fraudulentè & occultè contra ipsum roborantur, & armantur, facilè admodum evertit ac comminuit. Subdit tandem, *Ita ut sint inepta esui pullis Aquilarum*, nimirum tanquam è caelo tacta, & fulmine tacta, quæ nulli animanti in pabulum cedunt, Fortasse autem ea similitudine significantur bonorum proscriptioes, quibus proditores liberis hereditate priuatis mulctari solent, quasi dicat, Regali sententia, velut fulmine cælitus tacti, bonis omnibus fisco addictis, filios suos, seu quosdam pullos aquilinos, impransos, famelicosque relinquunt. Vel, quod satius reor, ea similitudine significatur infamia, & turpitudine, quæ seditiosis & proditoribus inuri solet: ea enim infecti, ac deturpati, non secus ac cadauera fulmine tacta, atque adeò tetra odore, & sapore corrupta, ab omnibus illis, qui Aquilinarum pullos generosos mores ingenua nobilitate imitantur, vitari, ac detestari consuevit. Hæc de translatione Septuaginta.

99

XXIII. Hæc quoque sapientibus, cognoscere in iudicio personam, non est bonum.

Hæc quoque, &c. Hebr. non dissonant, quæ huius Vatab. nescio quid discriminis inuexit. Sic n. extulit. *Hæc quoque sapientium sunt*. Chal. *Hæc quoque sapientibus dico*. Sept. *Hæc autem dico vobis sapientibus, cognoscere, & reuereri faciem in iudicio non bonum*.

100

Huius loci sententia est luculenta. Vatabl. qui sic legendam censuit, *Hæc quoque sapientium*, &c. perinde esse putat ac si dicat, hæc quoque sapientes præcipiunt, vel hæc est doctrina à sapientibus dictata: non tamen decernit an sit hæc clausula ad superiores sententias reuocanda, an ad subsequentes allicienda. Caiet. dicit ancipitem esse, & posse quidem antecedentes sententias claudere, & consequentes etiam ordiri. Reliqui ad sequentes trahunt, quibus ego libentius assentior. Itaque sensus germanus est. *Hæc quoque sapientibus*, &c. i. ea, quæ iam subiicio, ad sapientes utique intendo, ac destino, sapientes autem vocat Magistratus, & iudices, quorum sapientia & prudentia publicæ res administrantur. Et quidem inter ea, quæ Salomon serò admodum his sapientibus denunciat, id primum obtinet locum, *Cognoscere personam in iudicio non est bonum* i. valde malum est, ac perniciosum. Personarum acceptionem remouet Salomon à Magistratibus, ac iudicibus, quia hæc omnes iustitiæ leges violat. Heb. בל טוב Bal Tob. i. non bonum, significat etiam *Tob decorum, laut, pulcrum*, atque adeò conuertere licet, *non decorum, vel, pulcrum*. i. maximè turpe est, & ipsis Magistratibus maculas, nauosque valde indecoros affigit, ita ut Dei oculos sustinere non possint. *Qui cognoscit in iudicio faciem, à facie Dei utique stare non poterit*; Verba sunt Bernardi in libro 1. de Consideratione, quia nimirum maculas, quas in aliorum facie vident, probant in se transferuntque. Egidius Diac. in lib. de regimine Princip. eundem alloquutus sic addit. *Ne sit specularis, sed opacus Princeps*, &c. & quidem loquitur ille de arcanis non prodendis. Possumus tamen eisdem verbis appositè ad hanc sententiam ludere. *Ne sit specularis Princeps*, ne scilicet speculi in morem facies intuentium excipiat, sed opacus, & ater, nullius faciem in se exprimens, id enim ad ius dicendum per necessarium est. *Et cognoscere in iudicio faciem*

101

Bernard.

Egid.
Diac.

g

non est pulcrum. Nam quemadmodum speculum indecoram faciem in semetipso adumbrans, illius turpitudinem excipit: ita etiam iudices, qui speculari quadam facilitate improborum hominum facies accipiunt, eorum improbitatem sibi ipsis affigunt. Sed de hac personarum acceptione plura dicemus infra cap. 28. vers. 27. non pauca etiam diximus supra cap. 18. v. 5.

XXIV. *Qui dicunt impio iustus es, maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus.*

XXV. *Qui arguunt eum, laudabuntur, & super ipsos veniet benedictio.*

102

Qui dicunt, &c. Heb. *Dicenti impius iustus tu, maledicent populi, & detestabuntur eum nationes.* Septuaginta. *Dices impio iustus es, maledictus in populis, & odiosus in gentes.*

Qui arguunt eum, &c. Et increpatis erit iucundus, ubi non exprimitur substantius; hinc factum ut alij hæc verba ad populum referant, qui præcesserat in superiori versu: sic Caietanus, qui locum istum ad modum restituit, *& arguentibus dulcescet os populorum.* Alij ad Deum: in his Pagninus, qui sic transtulit, *Et arguentibus impios dulcescet os populorum.* Alij ad Deum: in his Pagninus, qui sic transtulit. *Et arguentibus impios dulcescet Dominus.* Chald. absolute. *Corripientibus autem suave erit,* Septuaginta. *Ad redarguentes meliores apparebunt, super eos autem veniet benedictio bona.* In Primitiu. est *נָגַם*, *tingham* ex verbo *Nagam*, id est, *pulchrescere*, aut, *dulcescere*, aut *amoenari*: hinc natæ lectiones supra adscriptæ, quibus duas item alias adnecte. Prior est, *Et increpatis erit amenum erit.* Posterior, *pulcrum erit*, omnia in idem recidunt.

Duæ omnino huius loci expositiones sese offerunt, altera de adulatoribus sermonem fieri docet hoc modo. *Qui dicunt impio iustus es*, id est, qui suis lenociniis & adulationibus Principi impio & per tyrannidem subditos opprimenti suadent, quidquid agit cum iustitia, & probitate esse coniunctum, *Maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus*, quasi dicat, gratiam utique Principis inire solent, sed tamen totius Reipublicæ odium sibi accersunt, & omnium animos in se prouocant. Hoc autem miseriæ plus, & infelicitatis continet, quam illud fœlicitatis, & beatitudinis. Nam si vera est Philosophi illius sententia apud Stobæum in sermone de odio & gratia. *Plus ad infelicitatem valet vni inuisum esse, quam multis probari ad fœlicitatem*, certè miserrimum erit cunctis inuidentibus, vni tantum gratum & iucundum esse. At, inquit, ille, cui me probabilem reddidi, Princeps est, qui solus hominem beare potest. Non inficior, tamen parum tutam apud Principem gratiam ille habet, qui reliquum populum in se concitauit.

103

Cassiodor.

Et quidem adulatorum præcipua improbitas hæc est, malitiam honestatis colore expingere & fucare: Cassiod. verba sunt. *Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus salue dicit, prodigos vocat liberales, auaros parcos, & sapientes, lasciuos curiales, garrulos affabiles, obstinatos constantes, pigros maturos, & graues, hac sagitta leniter volat, cito infigitur, & Seneca in Epist. 21, Per adulationem vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt, iemeritas sub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignauias,*

Seneca.

A pro tanto timidus accipitur, in his certè magno periculo erramus. Ad hunc ergo modum adultores, dicunt impio iustus es, qui, ut fidem sibi comparēt, vitia earum virtutum nomina induunt, quæ maxime vicina sunt, quo artificio molles Principum mentes facile capiunt, ac deludūt: & dum eos hac simulatione gratos sibi, ac secundos reddunt, totius populi odium & detestationē incurrunt, quia dum multitudo videt, ad eum modū virtutum titulis colorata propinari Principibus suis vitia ab adulatoribus, communem perniciem experta seruit in eos, qui publici detrimenti autores sunt.

Sed ex aduerso, *Qui arguunt eum laudabuntur,*

104

B *& super eos veniet benedictio* .i. qui Principem impium, & tyrannum obiurgantes vitia eidem audacter obiiciunt, communi populorum plausu excipiuntur, bonorumque bonas preces capiti suo accumulunt. Multitudini enim valde pergratum est Principum vitia publicè carpi, & incusari, atque adeo studiosè admodum illi succlamat, qui libertate vsus id audenter aggreditur. At quis inquit, istius sententiæ scopus? Plures existimant huius sententiæ alteram partem contra adultores intendi, alteram pro his enunciari, qui liberè Principum vitia reprehendunt. Cæterum ego aliter existimo. Nam si huic interpretationi aliquid tribuendum est, tota certè ad Principes ipsos, & Magistratus intendi debet. Præmisit enim Salomon

C verba illa. *Hæc quoque Sapientibus*, quibus significauit sententias infra subiectas ad Principes, & Magistratus publicos instituendos spectare; atque adeo Salomonis mentem hanc esse puto. Suadet Dynastis, ne faciles aures illis accommodent, qui *Dicunt impio iustus es* .i. adulatoribus, qui Principum vitia celebrant, & laudibus in cælum vehūt, hos enim populi ac tribus valde exosos habent, sed his, qui ipsorum delicta coarguunt, & obiurgant: hi enim apud plebem probantur, plausu, ac benedictionibus omnium excipiuntur. Nam cum Principibus nihil antiquius esse debeat, quam populis, tribusque probari, certè adultores ab se se longius arcere opere præteritum est, nam odia, quæ vulgus contra illos suscipit, in ipsos etiam Principes redundant, & liberos quosque obiurgatores libenter admittit; quia gratia etiam, quæ illi apud plebem inueniūt, ad Principes redit. Quemadmodum è contra cum istiusmodi homines libertate dicendi in Principes vtentes ab his aut coercerentur, aut vexantur, populi aduersus Principes concitantur. Et quidem ob eam causam Diogenem

123

Diogen.

D *Philosophum olim apud Græcos à Regibus obseruatum, cultumque docet Plutarchus in eius vita, quia eam dicendi licentiam, qua ipsos etiam Reges numquam non petebat, vulgo probari, & laudari videbant, atque adeo ut se populo Principes commendarent eum vel inuiti colebant. Ne viderentur (inquit Plutarchus) populis de industria male agere, si liberum admonitorem constanter repudiarent*, est autem hæc satis accommodata ratio ad Principes permouendos.

Plutar.

E Cæterum licet hæc prior expositio non omnino insulsa sit, tamen posterior præferenda est, quæ de magistratibus, aliis que iudicibus hæc verba intelligit. Nam cum præmississet, *Cognoscere in iudicio personam non est bonum*, appositè ad hanc sententiam atexit, *Qui dicunt impio, iustus es, maledicent eum populi, &c.* .i. Magistratus ille, qui muneribus, aut gratia corruptus, iustum suo iudicio comprobatur, qui sceleratus & impius est, & reum magni criminis in fontem declarat. Simile est illud Ilaïæ 5. *Va qui iustificatis impium pro mu-* *Isai. 9.*

105}

119

ueribus, & iustitiam iusti auferis ab eo. Supra etiā A cap. 17. ver. 15. sic habes. *Qui iustificat impium, & qui cōdemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.* Quem igitur ibi apud Deum abominabilem esse decreuit, eundem hunc multitudini ita exosum esse dicit, vt in illum maledicta innumera vulgo iaciantur (nam verbum, *maledico*, in hoc loco non tam significat mala alicui precari, quā probris, & maledictis eum proscindere:) cū enim vulgus hominum reos de medio tolli impensē cupiat, in iudicēs illos, qui ipsis impunitatem præstant, plurimum inuehi solet. Subdit. *Qui arguunt eum, laudabuntur, & super eos veniet benedictio:* id est, magistratus illi, ac iudices integerrimi & incorrupti, qui reum alicuius magni criminis accessitum conuincunt, conuinctumque iuxta legum præscripta puniunt, populis plaudentibus celebrantur, & apud omnes optimè audiunt.

106

Sed expendamus varias lectiones supra adscriptas. Caietanus, & *arguentibus dulcescet populus*, id est, populi acclamationes dulcesonabunt his, qui integritate supra dicta in reos animaduertunt. Et quidem verbum illud, *dulcescit*, quod ex Originibus expressum est (vt obseruauit hic non infulsus interpres) ad harmoniam, & cantum pertinere videtur: concentus enim propriè dulcis esse, aut dulcescere dicitur. Ait ergo Salomon, & *arguentibus dulcescet populus*, id est, Magistratibus seueritate vtentibus in reos, ac sceleratos homines, populus vtique dulcis ipsis, atque iucundus erit. Nam ad eum modum temperata respublica ciuibus inter se concordantibus, harmoniam, & concentum suauissimum reddit. Vnde Plato in dialogo de iusto, postquam multa de reis coërcendis, ac puniendis miscuit, subdit tandem ea ratione rempublicam ad temperantiam, & modestiam traduci, ac de his sic statim fatur. *Cernis quā aptè vaticinati sumus paulo ante harmonia cuiusdam esse similem temperantiam? Curnam? Nam quemadmodum fortitudo sortem efficit ciuitatem, ita etiam modestia, sed instar harmonia, qua Diapason dicitur, per totam ciuitatem diffunditur, efficiens vt in idem debiliores homines fortioresque & medijs, prudentia, potentia, multitudine, pecunijs item, aut alio quodam huiusmodi consonent.* Hanc autem consonantiam & concentum ciuium per seueram iustitiæ administrationem induci statim docet Plato, sicut in cithara per neruorum contentionem efficitur harmonia.

Plato.

107
Pagn.

Pagninus conuertit. *Et arguentibus impios dulcescet Dominus*, quasi dicat, ne quis putet futurum, vt in reos seueritatem adhibens Dei numen seuerum etiam in se experturus sit, nam contra prorsus fit: his enim iudicibus, qui in sceleratis coërcendis acres sunt, & seueri, faciem se, mitem ac placabilem præbet Deus, nam his, qui iræ, ac iustitiæ diuinæ operas suas præstant, misericordia, ac benignitas ipsius Dei præsto adest. Luculentius dicam, iræ Dei absynthium alijs propinantes misericordiæ dulcedinem iucundissimè hauriunt.

108
Chald.

Chald. habet. *Corripientibus autem suaue erit.* Hæc verba absolutè dicta possunt alio sensu donari, id est, ipsamet sceleratorum correptio, puniatio, & cruciatio, ipsis suaui, atque iucunda erit: nam acerbum prorsus videtur punire, dulce admodum, atque suaue indulgere, ac parcere. Non ita, inquit Salomon, sed his, qui impios pro meritis corripuerint, volupe hoc periucundum erit. Ita ferunt Franciscum Borgiam Candia Ducem, & nostræ deinde Societatis præclarissimum colu-

men cū apud Catalaunos Prorex creatus prædones & sicarios, quibus ea regio infestari solet, magno studio conuictos morti addiceret, iactare solitum, numquam se ex venatione & aucupio (cui olim deditissimus fuerat) tantam voluptatem hausisse quā in sectandis, mactandisque sceleratissimis illis, ac Deo infensissimis hominibus. Que vox concinit prorsus eum Hieremia cap. 16. qui præcens, Chaldaeos à Deo mittendos contra Iudeos, vt ab his Idololatriæ, aliorumque flagitiorum pœnas exprocerent, sic Deum ipsum loquentem inducit. *Post hæc mittam eis multos venatores & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.* Et Rabbi Hīmanuel in eum locum. *Quanta voluptate nostros persequerentur Chaldæi significat venationis similitudo, nam metu percussos nullo suo discrimine, & ingente alacritate inserebantur. Itaque illa verba, Mittam eis multos venatores, nostros metuum, & eorum alacritatem plane demonstrant.* Salomon ergo, *Corripientibus*, inquit, *suaue erit*, nam quædam illos voluptas oblectabit, ei ad similes quæ ex ferarum venatione concipi solet: qua similitudine interim significatur ipsorum magistratuum seueritas, nam quosdam à puniendis reis metus detertere solet quasi se ipsos discrimini certissimo obiciant. Valeat ergo hæc discipulo, & metus: quia iudices ad puniendos flagitiosos à Deo præfecti, venatores sunt, qui metu percussos exagitant, nullo suo discrimine, vt ait Hīmanuel, quippe qui diuinæ iustitiæ famulantur, & obseruiunt, quæ reos omnes ipsorum metu com-

Hierem. 16.

Rabbi
Him.

C

Denique Septuaginta sic restitunt, *At redarguentes meliores apparebunt*, id est, iudices illi, qui integrè, & incorruptè iura dixerint, & in flagitiosos sine personarum acceptione pro meritis animaduenerint, ipsi quoque pro meritis amplificata autoritate digniores magistratus capessent: id enim sibi volunt illa verba, *Meliores apparebunt*, id est, dignioribus honestatis infulis spectabiles erunt. Ita enim fieri consuevit, vt hi, qui iustitiam in reos exactè administrant, ad superiores munerum gradus à Principibus uocentur. Vel aliter, *Meliores apparebunt*, i. a. maiorem sibi apud plebem autoritatem comparabunt, cui iustiores, ac sanctiores in dies videbuntur. Aut denique, *meliores apparebunt*, id est, fient in dies ipsi meliores, & iustiores: Nam quia scelera & vitia aliorum infestantur, ipsos quidem probitate & integritate Deus augebit, & condecorabit. Et quidem hæc etiam translatio vanos quosdam iudicum metus facessere iubet, quidam enim reos idèd punire acrius non audent, quia verentur ipsorum calumnijs aditum sibi ad superiores honores præcludendum esse: alij rursus reis indulgent, ne sibi aliquod ab ipsis scelus, aut delictum falsis attestacionibus imponatur, quo ipsorum autoritas lædi possit. Vanissima hæc sunt, inquit Salomon: nam ad Dei prouidentiam spectat, vt qui ab ipso gerendis magistratibus præficiuntur, eò meliores in dies appareant nouis aucti honoribus & probitatis autoritate apud plebem parata, quò ipsi exactius & seuerius subditos suos in officio continerent.

109

XXVI. Labia deosculabitur, qui recta verba respondet.

Labia, &c. Hebr. prorsus coherent cum Vulgatis. Chald. *osculabuntur labia eorum, qui respondent verba recta.* Septuaginta. *Labia autem osculabuntur respondentia sermones bonos,* qui videntur hæc verba cum superioribus consuere. Vatab. *Si quis respondet rectè, perinde est, ac si labiis deoscularetur.* Theodot. *Labius oscula accipiet, aut dabit, qui recta verba profert,* subest enim, *καταξι- δνσεται,* ex verbo medio, quod tam actiuæ, quam passiuæ significationi inferuit. Sed tamen sententia eadem prorsus est, nam quicumque dat oscula, etiam excipit.

Circa germanam huius loci expositionem plura sunt apud nostros interpretes inter se discrepantia: illud verò imprimis concordiam soluit, quod existimant hæc verba à superioribus excindenda esse, & absolute de his accipi, qui utcumque ab aliis rogati accommodatè, falsè, & ad rem respòsum referunt (hi sunt Iansenius, Rodolphus, & alii non pauci.) Quidam verò, qui superiores numero superant, hanc sententiam cum antecedentibus illigandam, & de iudicibus tantum, & magistratibus capiendam esse docent. Sed tamen, ut singulorum expositiones perstringam, de antiquo deosculandi, & dissuauandi more pauca initio præmittam, quæ ad rem nostram spectare videbuntur. Primò constat manuum oscula adorationis, & obsequii symbola semper fuisse, similiter etiam genua deosculari. Secundò labris impressa oscula amicitiam significabant: de vtriusque osculis latissime, & absolutissime Petrus Gregorius in syntagmat. iuris libro 8. cap. 8. & libr. 36. capite 12. Alexand. lib. 2. Genial. cap. 19. Cælius libr. 4. cap. 3. & alij passim. Tertiò apud Persas Principes ac Reges, Proceres tantum & quos nimium honestare vellent osculo excipiebant, ut constat ex Xenophon. lib. 1. & lib. 5. Pædia, & in oratione de laudibus Agesilai. Viget etiam hic mos apud Gallos, inter quos Rex ad osculum non recipit ignobilem vassallum, sed ingenuum: quo genere officij gaudent etiam supremi magistratus, Petr. Gregor. l. 6. Syntagm. cap. 15. & apud Romanos eiusmodi oscula inuicem libabant Imperator, & Consul. Apud Græcos discipulos etiam præceptores datis osculis excipiebant, & dimittebant, Spiegerus in lexico iuris. Et quidem ex his officiis aliqua etiam apud Hebræos solemnitas fuisse compertum est, lege nostrum Ioannem de Pineda in cap. 31. Iob. ver. 27. ad illa verba. *Et osculatus sum manum meam ore meo,* reliqua suspitione quadam inducti autores eisdem tribuunt.

His ergo prælibatis, hi quotquot locum istum absolute de his interpretantur, qui ad quæstiones obiectas aptè respondent, eum duplici sensu donare possunt. Alter est Iansenij valde simplex & sincerus. *Labia deosculabitur, qui recta verba respondet,* id est, quicumque rogatus opportunè, & ad rem occurrit, gratiam eorum inibit, qui quæstionem obiecerunt: tamque pergratum illis faciet, ac si eorum labris oscula libasset, quod dulcissimum officij genus est. Sic per similitudinem verba hæc edisseri posse docent Iansenius, & Bains vel etiam sincerius, *Labia deosculabitur, qui recta verba respondet,* id est, admittetur ab aliis ad osculum labiorum, quod amoris maximum argu-

mentum est, quasi dicat. Erit omnibus in delictis, & in amoribus, eaque labia deosculari cuncti volent, qui tam aptas sententias reddunt, atque in eius familiaritatem insinuari in magna lucri parte ponent. Ad eundem modum Chrylost. Homil. de mansuetudine virum mitem mirificè commendans sic addit. *Gratus & amabilis est videntibus, gratus etiam & his, quibus solo nomine notus est: neque facillè ullum inuenies, qui audiens laudari hominem mansuetum, illum videre, & exosculari non desideret, & non habeat in aliqua sui lucri parte eius amicitia posse perfrui.*

Alter verò sensus peti potest ex peranti- qua præceptorum, ac doctorum consuetudine, quibus discipulos osculis excipere solemne fuit non modò apud Græcos, ut docet Spiegerus: sed etiam apud Hebræos, apud quos eum morem viguisse suadet Iudæ osculum Matth. 26. *Et confestim accedens ad Iesum dixit, Aue Rabbi, & osculatus est eum,* id est, aue magister, nimirum discipulum se ea significatione præbens. Fortasse etiam ob eam causam apud Lucam capite 7. Christus Dominus cum Phariseo exostulat, quod ad prandium inuitatus non fuisset ab illo osculi honestatus officio, à quo Phariseus data opera abstinerat, ne se Christi discipulum eo signo monstraret. Ad rem nostram. *Labia deosculabitur,* inquit Salomon, *qui recta verba respondet,* id est, qui sapius rogatus, quæ sitisque, his, quæ illi obiiciuntur aptè satisfacit, plurimos nanciscitur discipulos, qui sub illius disciplina se esse, libatis de more osculis, publicè testentur. Et quidem, si huius sententiæ cum superioribus laxetur nodus, hæc interpretatio alteri mihi præferenda videtur.

Cæterum cum superioribus sententiis adalligandam esse mihi multa suadent. i. facilis ipsius nexus, secundò translatio Sept. quæ addidit aduersatiuam particulam. *Labia autem deosculabuntur,* &c. Tertiò plurium interpretum conspiciatur, qui & si vnà omnes in eam sententiam abeant, ut putent hic de iudicibus, ac magistratibus sermonem esse; tamen expositiones valde dissimiles commenti sunt. Beda, Hugo, Lyra, & Arboreus sic exponunt, *Labia deosculabitur, qui recta verba respondet.* i. iudex, qui deposita personarum acceptione recta verba, id est, iustas sententias pronunciat, & si eos, quos iudicio suo damnauit in se fortasse concitet, tamen plures sibi conciliabit, gratosque, ac beneuolos reddet, id sibi vult illud, *Labia deosculabitur,* &c. est enim osculum gratiæ, ac beneuolentiæ documentum, id est, bonorum omnium gratiam inibit, & eorum osculis excipietur. Nullus enim pius, ac modestus erit, qui ea labra amoris ergo dissuauari impensè non cupiat, quæ minis, gratia, aut muneribus flecti, ac lentari non possunt, quominus iustas vbique sententias proferant.

Vatabl. quem sequitur noster Sapiens, expositionem nobis tradit petita ex eo antiquo Regum more, quem nuper adscripsimus. Hi enim cum aliis manus exosculandas offerre solerent, tamen regni sui proceres, ac supremos magistratus labrorum osculis excipiebant, quod apud Hebræos vsu etiam comparatum fuisse persuadent verba illa secundi Reg. 19 vbi Dauid nobilem, ac prudentem virum Bercellai osculo dimittit, sic enim habes. *Osculatus est rex Bercellai, & benedixit ei, & ille reuersus est in locum suum.* & 3. Esdræ. c. 4. ex tribus illis, qui in palatio Regis quid fortius esset cõtenderat, tertium. i. Zorobabelem, qui in ea quæ-

Chryst.

112

Matt. 26.

113

114

2. Reg. 19.

3. Esdr. 4.

Petr. Greg.
Alex. ab
Alexand.
Cal. Rho.

Xenoph.

Spieger.

Pineda.

111

ffione reliquos vicerat, osculo honestavit Darius. *Tunc surgens Darius Rex osculatus est illum, & scripsit epistolas ad omnes dispensatores, &c.* Ait ergo Salomon. *Labia deosculabitur, qui recta verba respondet:* ad hæc verò sic Vatablus. *Qui, verax est habetur certè eo loco, ut non solum accipiatur ad osculum manus, sed in arctam amicitiam recipiatur,* quæ verba ex Rabbi Herman. in sua transtulit Scholia. Sensus autem eorum sic conformandus est, eiusmodi iudex, aut magistratus, qui integrè & incorruptè sententiam dixerit, ad supremos regni honores euectus laborum osculis apud Regem dignabitur, id est, aliis Regis manus exosculantibus, ipse quidem ori, & labris oscula libabit, quod supremis tantummodò magistratibus licet.

115

Sed licet hæc non in fuscè dicta sint, tamen duas alias interpretationes subiciam. Est autem prænotandum id, quod nuper animaduerti, cum varias lectiones expendere: scilicet nihil differre, Vulgatam lectionem à translatione Septuaginta, nam tamen si in Vulgatis sit, *Labia deosculabitur, &c.* Septuaginta verò sic extulerint, *Labia deosculabuntur respondentia sermones bonos,* quibus accinit etiam Chaldaeus. *Osculabuntur labia eorum, qui respondent verba recta.* adde etiam Theodorionem, cuius interpretationem supra dedi, tamen vna harum lectionum sententia est: quia in osculis libandis perinde est dare, & excipere, nam qui dat excipit: & rursus, qui excipit, etiam reddit. His ergo sic constitutis, addendum est, iuxta solemnem fati apud Hebræos loquendi modum, perinde esse os cuiusque deosculari, ac præcepta, seu imperia eiusdem exequi. Genes. 4. vbi nos habemus. *Ad tua oris imperium cunctus populus obediet,* si primitiua consulas, & verbum ex verbo restituas, sic locus efferendus est. *Super os tuum osculabitur omnis populus,* id est, tua mandata omni populo gratissima accident: hinc etiam nata illa translatio Septuaginta Psalm. 2. *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, &c.* cui subest in primitiuis, *osculamini filium, &c.* quod perinde est, atque ipsum audite, & imperia illius ad nutum dirigite. Cum his ergo concinit omnino locus Salomonis. *Labia deosculabitur, qui recta verba respondet:* vel, quod idem est, *Labia deosculabuntur, respondentia sermones rectos,* nimirum illi iudici, aut gubernatori populus omnis libenter pareat, mandataque illius probat, ac celebrat, qui iusta semper decernit, ac sancit.

Gen. 4.

Psalm. 2.

116

Quod autem ait, *Deosculabuntur labia, &c.* emphasi non caret, nam si hanc sententiam non ad priuatos magistratus, sed ad Principes ipsos supremos intendi dicamus (vt de aliis etiam tribus iam præmissis supra decreuimus) sensus euadet non inelegans, labiorum oscula ex ore Regis regni proceres, ac Dynastæ tantum carpebant (vt nuper dicebamus) quod quidem officij genus ex parte Regis signum erat beneuolentiæ, ac gratiæ, quo eos complectebatur: ex parte autem illorum pacis & obedientiæ indicium. Deinde certum etiam est, proceribus, ac Dynast. Regi obedientiam præstantibus reliquam multitudinem facile contineri: ait ergo Salomon. *Labia deosculabuntur respondentia sermones rectos,* id est, Principi iusta, & recta decernenti, atque sancienti, omnes Dynastæ & proceres regni in fœderis, ac præstitæ obedientiæ symbolum oscula dabunt: his autem Regi ad nutum parentibus reliqua multitudo facile iugum excipit. Ad eundem sensum post Genes. 41. sunt vocari verba Gen. 41. *Super os tuum osculabitur omnis populus,* quia & si plebs manuum oscula

Genes. 41.

sunt vocari verba Gen. 41. *Super os tuum osculabitur omnis populus,* quia & si plebs manuum oscula

dare atque eo signo suam erga Regem obedientiam testari solet, tamen os exosculari propterea dicitur, quia dum proceres ea significatione exosculati oris obsequij sui erga Regem testimonium exhibebant, reliqua multitudo sponte cedebat feruitutis iugo se submittons. Itaque illa verba, *Labia deosculabuntur, &c.* propriissime significant proceribus subiectis, reliquam turbam Regi ad nutum parituram; proceres autem sibi obstrangere Principi haud difficile esse dicit, hi enim Regis seueri iusta decernentis, & personas minime acceptantis imperia nunquam detrectant.

117

Posteriori expositioni aniam præbet translatio Septuaginta, quæ sic habet. *Labia deosculabuntur respondentia sermones bonos.* Nam per bonos sermones non tam sententias, vel decreta eum iustitia & integritate conuicta, quam verba grata, mollia, & minime acerba, aspera venotari videntur. Et quidem iuxta hanc significationem dicemus Salomonem in superioribus sententiis, iudicibus, ac magistratibus id præcepisse, vt summa cum integritate ins dicant, & reos conuictos seuerè admodum puniant, ac ne seueritas isthæc illos populo iniustos præstet, iam nunc eisdem persuadere vt bonos sermones, i. placidos, suaves & comes omnibus respondeant, id enim eos cunctis amabiles, ac pergratos reddet. Nimirum vult Sapiens magistratus iuste, atque seuerè admodum agere in subditos, placidè autem, atque comiter eisdem alloqui. Constat enim quamlibet seueritatem in agendo blanditiis verborum leniri, quemadmodum è contra si quis pateat & indulgeat, verba autem immitia, & aspera subiciat, eorum quibus pepercit, & indulsit, animos in se concitat.

XXVII. *Prepara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, ut postea adifices domum tuam.*

Prepara foris, &c. Hebr. *Prepara in vico opus tuum, & prepara illud in agro tibi, & postea adificabis domum tuam.* Chald. *Prepara foris opus tuum, & stues illud tibi in agro.* Septuag. *Prepara in egressu opera tua, & prepara in agro, & vade post me, & adificabis domum tuam.*

118

Iansenius & Rodolphus existimant illa verba, *Prepara foris opus tuum,* nihil differre ab illis, & *diligenter exerce agrum tuum,* sed per hæc posteriora priora explari, quia verbum *prepara,* in vtraque clausula repetitur. Cæterum tamen id ad sententiam parum faciat, aliquid tamen discriminis inter vtramque esse puto. Nam illi voci *foris,* subest in primitiuis, *in vico, aut in pago.* Rursus *preparare opus,* nihil aliud est, quam operas suas nauare. Itaque perinde est, ac si dicat operas tuas studiosè pone *in vico, aut in agro.* Duo enim omnino sunt rei parandæ artes, negociatio & agricultura: negociatio quidem in vrbe, agricultura rurè exercetur: atque aded sensus est, priusquam domum exadifices, negociationem in pago, & agriculturam in campo diligenter admodum exerce, vt his ditatus, necessarij ad construendam domum sumptus tibi suppetant. Id enim prudentia suadet, ne prius quis ad molendam domum adiciat animum, quam diuitias non mediocres naetus fuerit: nam adificia sumptus ingentes poscunt, hæc est prima interpretatio, cui ego libenter primas do.

119

Restat nihilominus alia, atque alia. Prior est Rodolphi, cui hæret etiam Iansenius, qui Salomonem his verbis id præscribere existimat, ut suum cuiuslibet rei tempus accommodetur. Sunt enim quædam opera, quæ certos temporum articulos sibi vendicant, quibus elapsis non habent locum. Ex eo genere est agricultura, quæ arandi, occandi, seminandi, & metendi certas tempestatas habet: cui addere etiam negociationem possumus, quæ suas etiam vendendi, atque emendi opportunitates obseruat. At domus ædificatio non ita, nam nullum fermè est anni tempus, quod ad ædificandum idoneum non sit. Salomon ergo sic ait, *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, &c.* id est, negociationi, & agriculturæ suas opportunitates accommoda: hæc enim certa tempora sibi vendicant: deinde, si ita libuerit, quidquid illæ temporis reliqui fecerint ædibus construendis impendere læbebit. Itaque sententia tuadet cuiuslibet rei agendæ opportunitatem captandam esse. Sed tamen hæc expositio parum aridet.

120

Magis certè probatur posterior interpretatio, quam secundo loco tradit Iansenius, qui postquam obseruauit verbum, *ædifico*, in scriptura sacra familiis etiam accommodari (quod aliàs in hoc libro non semel animaduerti) sic locum edisserit. *Præpara foris opus tuum, &c.* agriculturæ, & negociationi diligentes operas adice, & postquam his artibus opes non mediocres collegeris, tunc quidem *ædificabis domum tuam*. i. ducere uxorem, filios procreare, & familiam augere integrum tibi erit. Nam ad filios, familiamque decorè alendam, vix maximæ copię sufficiunt. Vel dicemus quidem Salomonem non tam his verbis postulare, ut opes eâ ratione augeantur ante nuptias, quam ut illæ artes exercitatione & vsu perdiscantur, quibus deinde uti opus est, ne quis nouus postea ad ea veniat sine quibus agere, & viuere non potest: & quidem huic significationi meliùs aptantur verba ipsa. Nam illud verbum, *Præpara*, eam vim habere videtur, *Præpara*, videlicet, *opus tuum*. i. vsu ipso instrue, & expedi te ad eiusmodi artes, scilicet agriculturam, aut negociationem, earumque labores serè postea suscipiendos: nam præparatio in futurum spectat.

121

Hieron.

Vocanda denique in trutinam translatio Septuaginta, quæ à nostra tantisper diffidere videtur, *Præpara in egressu opera tua, præparare in agro & vade post me, & ædificabis domum tuam*. D. Hier. in Sophon. cap. 3. cum incidisset in priora illa verba, *Præpara in egressu opera tua*, ea quidem sic interpretatur, diluculo surge, & primum mane capta ad operandum; nam *Præpara*, idem esse putat ac præmitte. Iuxta quem sensum Salomonis mens hæc erit, à primo mane. i. ab adolescentia labora, & agriculturam diligenter exerce, & eâ ratione opes ingentes nactus licebit tandem domum ex ædificare. i. augere familiam, & liberis satis amplam hæreditatem legare (agriculturam verò appellat cuiuslibet proprium munus, & officium.) Illis autem verbis, & *vade post me*, semetipsum imitandum proponit Salomon, qui ab adolescentia sublata desidia labori incubuerat. Nam quatuor-dennis imperij habenas susceperat, & administrationi publicæ nunquam non vacauerat. Vel sincerius, operas præmittere, & mane primum captare iubet ad operandum, & laborandum, nimirum, sollicitudinem, & somnolentiam discutere: Sed præstat prior interpretatio. D. Cyrillus Alexandrinus in Ioan. lib. 3. cap. 27. præmis-

Cyril. Al.

fam translationem accommodatitio quodam sensu donat, verba subiicio. *Si cui, inquit, suppliciorum fuga cura est, is nulla se corrumpat ignavia, misericordiam Dei considerans, sed præparet (ut scriptum est) opus Dei in exitum suum, præparet donec in agro, id est, donec in hoc mundo est; sic enim agrum Dominus ipse interpretatus est, præparet autem se, ut cum sanctitate, & iustitia pro tribunali iudicis possit consistere.*

Magnus autem Gregor. libro 10 Moral. cap. 11. Vulgatam lectionem non minori elegantia spiritualementem ad sensum vocat, sic enim scribit. *Præpara, inquit, foris, &c.* Quid namque est præparato opere agrum diligenter exterius exercere, nisi euulsis iniquitatis sentibus, actionem nostram ad frugem retributionis excolere? & quid est post agrum exercitium ad ædificum domus redire, nisi quod plerumque ex bonis operibus discimus quantam vitam munditiam in cogitatione construamus? penè cuncta namque bona opera ex cogitatione procedunt. Sed sunt nonnulla cogitationis acumina, quæ ex operatione nascuntur: nam sicut ab animo opus sumitur: ita rursus ab opere animus eruditur: mens quippe diuini amoris exordia capiens imperat bona, quæ fiunt, sed postquam fieri imperata ceperint, ipsis suis exercitationibus discit cum imperare bona inchoauerat, quantum minus videbat. Foris ergo ager excolatur, ut domus postmodum exstruatur, quoniam plerumque ab exteriori opere videmus, quantam subtilitatem restitutionis in animo teneamus. Hunc sensum ex Gregorio libauit Beda, & ex vtriusque Hugo Cardinalis, qui per agrum etiam corpus, per domum verò conscientiam internam in animo, aut mansionem æternam in cælis accipi posse dicit. Pergo ad alia.

122

Gregor.

XXVIII. Ne sis testis frustra contra proximum tuum, nec lactes quemquam labiis tuis.

NE sis testis, &c. Hebr. *Ne sis testis gratis in socium tuum.* Pagn. *Ne sis testis mendax.* Vata. *Ne testeris temerè contra proximum tuum, nec in labiis tuis persua dehis.* Alij pellicies Chald. *Ne sis testis accusator aduersus proximum tuum, neque decipias eum labiis tuis.* Septuag. *Ne sis falsus testis in tuum ciuem, neque dilateris in labiis tuis.* Ex Hebrais alij demum sic restituunt, & *ne constringas eum labiis tuis*, constat enim verbum $\pi\pi\sigma$, quod in hoc loco subest, omnes illas significationes capere, videlicet, *delinire, pellicere, lactare, seducere, & constringere* ad lexica.

123

Testem frustra, in aliquem esse non eodem modo capiunt interpretes. Iansenius ergo sic exponit. *Ne sis testis frustra*, vel, *gratis*, ne scilicet testimonium in aliquem dicas præter causæ eius meritum, quod perinde est, ac si dicat, ne sis testis falsus aut mendax. Sed cum sæpe aliàs in hoc libro falsis testibus seuera admodum supplicia denunciaret Salomon, adduci certè non possum, ut credã hîc de falso teste sermonem esse, nam sola exhortatio absque minis, ad deterrendum falsum testem parum idonea videtur. Caietanus ergo *testem frustra* eum esse dicit, qui non citatus, nullaque causa cogente, testem se aduersus proximum suum offert, vel illum ad iudicium primò defert. Cum Caietano consonat Chaldæus, qui sic habet. *Ne sis testis accusator aduersus proximum tuum* his assentior potius quam aliis. Ita tamen ut sermo sit de eo, qui nulla inductus ratione, vel publica, vel pri-

E

uata, vt odio, vel indignationi suæ obsequatur, proximum testimonio dicto lædere contendit; qui, & si verum testimonium in socium, & conciuem pronunciet, tamen culpa non vacat, quia prauo animo id facit, tunc cum ad id præstandum nulla priuata, aut publica causa ipsum adigit. Rodolphum verò minimè audiendum puto, qui, vt sententiam istam bonum ad sensum trahat, putat interpositis quibusdam verbis sic efferendam. *Ne sis testis falsus pro amico tuo contra proximum tuum, neque lactes eum labiis tuis*, ne scilicet, vt amico tuo pergratum facias, in eius causa falsum testimonium contra aliquem proferas: minimè, inquam, audiendum esse puto, quia vim manifestam vtrique textui affert.

124

At quomodo, inquires, posterius Hemistichium cum priori faciendum est, si Rodolphi interpretatio refutetur? Beda, Hugo, Caietanus, Lyra, Iansenius, & alij plures de nexu nihil curant, sed illis verbis, *Ne lactes quemquam labiis tuis*, adulationem remoueri affirmant .i. ne quemquam blanditiis, seu lenociniis verborum seducas: adulationem verò cum lacte componentem Hugonem lege, qui non pauca, nec insulsa in eam sententiam cogit. At quis credat hunc versum eo lepore, ac sale prorsus carere, quo alij conditi sunt, in quibus posterior pars semper priori respondet. Vatablus igitur, vt duas inter se cõferat, vbi priorem partem de falso teste interpretatus fuit, non ineptum de posteriori iudicium tulit: ait enim, *Ne sis testis falsus contra proximum tuum*. Quid plura? *Et ne lactes quemquam labiis tuis* .i. ne verbis, aut promissis quemquam alicias, vt tibi suffragetur, & falsum quoque contra proximum testimonium tecum promat: id enim flagitiosum valde est. Hebraei etiam, vt duas partes innodare possent extremam sic extulerunt. *Ne conteras aut constringas quemquam labiis tuis*, ipso nimirum falso testimonio ne illum subuertas, & rebus eius perniciem, aut exitium afferas; nam falso testimonio aliquem perdere facile est. Translatio etiam Septuag. vtramque partem non insulsè deuincit. *Ne sis testis falsus in suum cinem, neque dilateris labiis tuis*. Labia vtique dilatare in scriptura, vt alibi docuimus, perinde est, ac mentiri; nam cum vera dicimus labia cum mente omnino coherent, & eidem omnino adstringuntur; cum verò falsi aliquid pronunciamus, labia quidem se se quodammodo explicant, ac dilatant, mentisque terminos transiliunt. Itaque sensus est, ne falsum contra proximum testimonium dicas, odioque inductus labia tua dilatans falsum crimen eidem imponas. Sed tamen cum Vatabli nodus in nostram expositionem non cadat, atque Hebræorum nexus à Vulgata lectione alienus sit, aliud vinculum vestigare oportet, quod vtramque partem adstringat.

125

Subiciam vnam, atque aliud. Prius autem sic habet. *Ne lactes quemquam labiis tuis*, per relationem illud, *quemquam*, non alius ab ipso socio, & proximo intelligi debet. Nam in primitiuis ad verbum sic habes. *Ne sis testis gratis in socium tuum, & numquid lactabis eum in labiis tuis?* quibus verbis ipsemet socius minimè lactandus dicitur. Ait ergo Salomon, ne id committas, vt frustra, & nulla de causa indignationi tuæ obtemperans fratrem accuses, & testimonio tuo reum peragas, tunc cum externis significationibus gratiam, & amicitiam simulas, vel potius mentiris. Itaque illud, *Nec lactes labiis tuis*, ita cum priori clausula conferendum est, vt vtrumque vnâ fieri, scilicet accusare simul & lactare proximum, extremae cu-

A iusdam improbitatis esse Salomon affirmet. Quod si vinculum hoc laxius cuiuspiam videbitur, aliud subinfero ad hunc modum. Puta Salomonem non loqui de testimonio ante iudicem dicto (id enim mihi persuasum est, vt postea dicam) sed testem contra proximum hinc appellari, quicumque de proximo detrahit, & famam eius, seu verè, seu falsè, verbo, obiectisque criminibus lædit. Adde etiã, proximum, cuius fama ea ratione violatur, alium esse ab eo, qui lactari dicitur, vt verba ipsa sonant. Ad rem. *Ne sis, inquit, testis frustra contra proximum tuum, nec lactes quemquam labiis tuis*. Ne scilicet vni aduleris, & in alterum contumeliosus, & iniurius sis; vtrumque enim in culpa, & vitio poni debet. Hanc verò interpretationem plurimum commendat coherentia cum sequenti sententia. Subdit enim. *Ne dicas, quomodo fecit mihi, sic faciam ei, & reddam unicuique secundum opus suum*. Itaque sensus est, Ne quibusdam propitius, & mitis sis, aliis verò contumeliosus detractor, cõ consilio, vt eisdem vicem reddas, & sic cum illis agas prout de te meriti sunt, id enim à charitate, & dilectione maximè alienum est.

126

Caterum licet hic vtriusque sententiæ concentus aures, mentemque demulceat, tamen ipsa verborum originalium energia in aliam me interpretationem impellit, quam reliquis anteponendam existimo. Sic enim habent primitiua ad verbum. C *Ne sis testis gratis, aut temere in socium tuum, numquid lactabis, aut pellicies in labiis tuis?* De accusatione, & testimonio apud iudicem dicto sermonem hinc non haberi mihi exploratum est, (vt nuper dicebam) sed *testis in proximum*, appellatur, qui illum quacumque ratione verbo lædit, aut contumelia violat. Itaque ait, ne socium, aut amicum tuum, obiecto temerè crimine, aliqua infamia nota aspergas, & in te prouoces; nam sin id commiseris, *Numquid lactabis eum labiis tuis*, .i. nequaquam illum postea verbis placabis, neque vllis rationibus induces, vt postquam ad eum modum læsus ab te est, deposita similitate, in gratiam redeat. Itaque Salomon hris verbis suadet ne quid temerè in amicos dicamus: nam amicitia, quas contumeliae probraque dissociant, non amplius coalescunt. Huc spectat peruulgata illa sententia Eccl. cap. 22. *Ad amicum si aperuerit os triste non timeas, est enim concordatio* (os triste appellat verbum subiratum, & asperum,) *Excepto conuicio, & improperio, & superbia, & mysterij reuelatione, & plaga dolosa. In his omnibus effugiet amicus*. Hunc ad sensum allici potest translatio Vulgata. ita tamen vt aduerbium, *frustra*, repetatur in posteriori clausula, hoc modo. *Ne sis testis frustra*, .i. sine causa, *contra proximum tuum, nec lactes quemquam labiis tuis*, id est, ne frustra etiam lactes, quasi dicat. Si tuum amicū verbo violaueris, frustra deinde eundem verbis lactare, & allicere cõtendas, vt ad gratiam rursus redeat. Quod si hæc interpretatio, quæ, me iudice, reliquis præstat, lectori etiam probetur, consequentis versus sententia ab hac separari, & secerni debet.

Eccles. 2

XXIX. *Ne dicas, quomodo fecit mihi sic faciam ei, reddam unicuique secundum opera sua.*

NE dicas, &c. Hebræa non dissonant. Septuaginta. *Ne dicas, quemadmodum usus est me, utar eo, reddam autem illi ea, in quibus mihi iniuriatus est.*

117.

Sententia est perspicua, docet Salomon non esse reddendam malorum vicem, illamque vocem omnino absurdam esse. *Quomodo fecit mihi, sic faciam illi. Ne dicas*, inquit, id enim non modò nõ ita agendum, aut sentiendum, sed ne verbis quidem vsurpandũ est, nam verba ipsa humanas aures lædunt. Basil. in Hom. de ira, ab omni humanitate alienum esse dicit, *irati hominis speculum fieri*, aut etiam, tamquam Echo, ab aduersario iactas cõtumelias detorquere, cuius verba alibi dedimus. Prior similitudo ad actiones, posterior autem ad verba ipsa pertinet, vtrumque autem, seu actiones, seu verba iniuriantis imitari, & talionẽ hosti suo reddere non solum charitati aduersatur, sed ipsi retalianti perniciosum est. Ambros. in Epistola ad Vercellensem Ecclesiam sic habet. *Ladimur plerumq; fraude alterius, dolo proximi: numquid hoc virtutis putamus, vt dolum vlciscamur dolo, referamus fraudem fraudibus? Etenim si iustitia virtus est crimine debet vacare, nec improbitatem improbitate resellere, quæ enim virtus, hoc a te fieri, quod in altero punias: contagio ista improbitatis, non vltio est. Quibus verbis significatur eum, qui malum alteri restituit, satis inproprie dici vltorem, cum non tam illi, quàm sibi malum inferat, illius malitiam quodam quasi contagio sibi accersens.*

128.

August.

Constans est hominum opinio iniuriarum acceptarum labes, vice redditã, emaculari, & detergi, & vulnera ab aduersario accepta repercussione sanati, hinc nata vlciscendi libido, inquit, Augustinus in sermone 41. de verbis Domini, sed tamen hanc opinionem ipse confutat his verbis. *Cum humiliari dedignantur, vindicari volunt, quasi pœna cuique prodesse possit aliena: læsus, & iniuriam passus vindicari vult, de aliena pœna sibi querit medicamentum, & acquirit grande tormentum.* quasi dicat. Quemadmodũ fieri nõ potest vt altero amaram potionem sumente, aut cauterio in alterius vulnus immerso, morbus, aur liuor qui in me est curetur; ira etiam impossibile videtur, vt quis damnis alteri datis medeatur acceptis; quinimò pro medicamento sibi tormentum adducit, tormentum, inquam, conscientie, quæ, læso fratre grauius ipsa fauciatur. Audi eundem Augustinum sermone 11. de sancto Stephano. *Exerce te, inquit, vos quantum potestis ad exhibendam mansuetudinem, etiam erga inimicos vestros: ira enim scorpis est, si se interius flammis excitaerit*, id est. Sicut scorpis flammis per orbem inclusus conuerso spiculo seipsum configit: eiusmodi enim est qui iracundiam, & vlciscendi libidinem, tãquam flammam sibi circumdat, sua enim ira confixus perit. Subdit Augustinus. *Magnum aliquid putas si te de inimico tuo vindicias; sed si te vis vindicare de inimico tuo, ad ipsam iram te conuerte, quoniam ipsa est inimica tua, quæ occidit animam tuam* Meritò ergo Salomon ait, *Ne dicas, quomodo fecit mihi, sic faciam ei*, grauius aliquid in ipsum apud te statuens; nam tibi potius, quàm illi damnum facis, leuissima enim aduersarij tui plaga altissimũ tibi vulnus infert. Quod autem ait Augustinus odium conuertendum esse contra iram, & inimicitiam, vt, proximo inuiolato, ipsa pereat, iterũ suadet in libro de concordia fratrum, *Non expectemus (inquit) vindicari, fratres, quid est vindicari, nisi in malo alieno pasci? Plane ora, vt occidat Deus inimicum tuum, & saluet fratrem tuum: vt occidat nimirum inimicitiam, & saluet naturam; sic ora vt vindicet te Deus.* Ad hunc modum vltus est Christus Dominus aduersarium, interficiens

Aug.

A *inimicitias in semetipso, vt ait, Paulus. Malè ergo dicis illud, sic faciem ei, nam, si sapias, non ei, sed tibi ipsi vim afferre debes, & in te ipso grauissimum hostem, ipsam scilicet iram, & inimicitiam perimere.*

At, inquires, hæc verba talionem tantummodò includunt, hic autem in veteri lege permissus fuit
Leuit. 24. *Qui irrogauerit maculam alicui ciuium suorum, sicut fecit, sic fiet ei; fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet; qualẽ inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.* Salomon ergo nimis seuerus est, dum damni accepti vicem reddere tam serio prohibuit, quod Moyses lubentissimè indulgebat, sic obiciunt contra locum istum non ignobiles interpretes. Hanc verò obiectionẽ diluit Augustinus libr. 19. contra Faustum, *Illud quod antiquis dictum est oculum pro oculo, dentem pro dente, &c. quomodo contrarium habet ei, quod ait Dominus, Ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis te peccusserit in maxillam tuam dexteram, prabe ei & alteram? Quinimò illud antiquum ad reprimendas flammæ odiorum seuentiumque immoderatos animos refranandos, ita præceptum est. Quis enim tantumdem facile contentus est rependere vindicta, quantum accepit iniuria? Nonne videmus homines leuiter læsos moliri cadem, sitire sanguinem, vixque inuenire in malis inimici vnde satientur? Quis pugno percussus non aut iudicia concitat in damnationem eius qui percussit, aut si ipse repercutere velit totum hominem, si non etiam relo aliquo arrepto, pugnis, calcibusque non contundit? Huic ergo immoderate, ac per hoc iniuste vltioni lex iustum modum figens pœnam talionis instituit, vt qualem quis intulit iniuriam, tale supplicium pendat. Proinde oculum pro oculo, dentem pro dente, non fomès, sed limes furoris est, non vt id, quod sopitum erat, hinc accenderetur; sed ne id, quod ardebat ultra terminum extenderetur impositum.* Hæc Augustinus, quibus docet talionis legem limites quosdam satis angustos iræ præscribere, non quasi vnquam licitum fuerit eam pœnæ mensuram ex ira, aut furore in hostem meditari, nedũ inducere, absit, sed Deus, id quod licet, nimirum per iudices, & magistratus, iniurias acceptas persequi vltra eos limites euadere nequaquam voluit, ita vt id tantummodò mali à iudice in hostem suum statui quis contenderet, quod sibi ab illo fuerat illatum, idque sine aliqua vlciscendi libidine, hæc enim nunquam non turpis, & vitiosa est. Quid autem per talionis legem priuatis in aduersarios minimè liceret, sed tantummodò per iudices, & magistratibus, docet idẽ Augustinus in Psal. 108. vbi sic habet. *Reddere mala pro malis habet mali, vel mediocriter mali, vel mediocriter boni. Vsq; adeo, vt lex dederit vlciscendũ modum, oculum pro oculo, dentẽ pro dente. Quæ, si dici potest, iniustorum iustitia est. Non quia iniquũ est, vt recipiat quisque quod fecit, alioquin lex nequaquam id constitueret, sed quia vlciscendũ libidinis vitiosa est, magisque ad iudicem pertinet hoc discernere, quàm bonum hominem sibi expetere.* Hinc Tertullianus, cuius verba supra dedimus vers. 17. & 18. talionis legem non eò fuisse latam à Deo docet, vt faueret his, qui læsi fuerant, aliquam illis vlciscendũ licentiã indulgens, sed vt ipsos proximorum violatores compesceret, ac coerceret, damni dati restitutionem eisdem interminans; ad eum locum. Ex his ergo liquet nihil hic Salomonem contra eam legem discernere, nec scripturam sacram sibi contrariam esse.

129

Leuit. 2

Aug.

Tertul.

XXX. *Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti.*

XXXI. *Et ecce totum repleuerant vrtica, & operuerant superficiem eius spina, & maceria lapidum destructa erat.*

XXXII. *Quod cum vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam.*

Hi tres versus vnicam sententiam complent.

130 **P**ER agrum, &c. Hebr. *Super agrum hominis pigri transiui, & super vineam hominis carentis corde*, reliqua non dissonant. Chaldaeus. *Carentis intelligentia, & ecce effuderat se super ipsam sylua*, i. imputata syluescere coeperat. Septuag. *Tamquam ager vir imprudens, & tamquam vinea homo egens sensu. Si dimiseris eum desertus fiet, & syluescet totus, & fiet derelictus; sepes autem lapidum eius defodientur*. D. Ambrosius libr. 1. offic. c. 31. & Epistola 7. *Sicut agricultura homo insipiens, &c.*

Quod cum vidissem, &c. Hebr. *Vidi ego, & apposui cor meum, vidi. & accepi eruditionem*. Sept. *Postea ego penitentiam egi, adspexi ad eligendam disciplinam*.

Dubium est, an verba ista iuxta literam accipienda sint, vt sonant, de otio, ac desidia in agris colendis, aut in aliis externis negotiis peragendis, an potius ad internam animi culturam traduci debeant. Iansenius vtique, Rodolphus, Caiet. Vatabl. & alij in priorem sententiam pendent, atque pigri hominis incuriam obiurgari putant, subiicam eorum interpretationem, & quoad fieri possit illam alioqui inpolitam, expoliam. *Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam stulti*. Nimirum quia cum maceria esset diruta, liberum fuit in agrum, & vineam illius penetrare. Tum etiam quia dum ille penetrantibus, & transeuntibus diu non obstitit, agrum suum, atque vineam illi seruituti subiecit, vt cuilibet per illam transire aequum esset, haec enim duo augent magnopere pigri hominis socordiam. Subnectit.

131 *Et ecce eum repleuerant vrtica, & operuerant faciem eius spina*. Spinarum certe nomen commune est, ac nimis anceps. Pro spinis ergo in Originibus est *חרליל* Charulim, aliqui carduos restituunt, sed melius Caietanus, qui extremam clausulam sic extulit. *Et operuerat faciem eius rubi, aut rhamni*: existimo autem duas huius hemistychie partes sic distribuendas esse, vt prior de agro, posterior de vinea accipiatur, hoc sensu. *Et ecce totum* (s. agrum repleuerat vrtica (pro vrticis Heb. *קטשני* Kimsonim, nomen est commune quod tribulos, carduos, & vrticas, & quidquid ager incultus progerminat significare consuevit, & operuerat faciem eius spina, seu rubi, aut rhamni; vineam nimirum, quia scilicet (vt natura ipsa fert) deficiente cultura inter vites rubi, rhamni que adoleuerant, aut (si fas est ita dicere) vites ipse syluescentes in rubos abijisse dicuntur, non equidem mutata specie, sed similitudine ascita, Nam vites imputatae, syluescentibusque palmitibus hirsuta, ac perplexa, rubos inter se

A confertos, & implicatos referunt. Hinc nata translatio Chaldaica, *Et ecce ascenderat super ipsam sylua*. Hunc ad sensum allici potest Isaias ca. 5. qui de vinea populi sic ferit. *Non putabitur, non fodietur, & ascendent vepres, & spina*, id est, ipsa met vites ruborum, seu veprium in morem, hirsuta, atque horrida in syluam demutabuntur. Quid plura?

Et maceria lapidum destructa erat, haec est altera socordiae indicatio: maceria tota diruta iacebat. Nam cum vinearum maceriae in dies refici, & instaurari debeant, ne citius collapsa ruant, vir vtique incuriosus, ac deses, eam reficiendi, instaurandique curam deposuit, atque adeo totius sepe ruina consequuta est. Sed quid inde incommodi?

B *audi Psalmographum. Vt quid destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui praetergrediuntur viam?* &c. Sed quamuis verba praemissa, vt sonant, incuriam, desidiamque in agris, vineisque colendis inculcare videantur, ceterum mens Salomonis latius patet, & sub ea vineae similitudine omnem in vniuersum in quibuslibet rebus, aut negotijs transigendis socordiam, & pigritiam carpit. Similitudinem vero ab agrorum, vinearumque cultura ideo duxit, quia haec cum primis accurata, & diligens esse consuevit, & agricolam nullo tempore feriari prorsus, & otari sinit. Attextit ergo, *Quod cum vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam*, id est, agrum illum vineamque ob domini negligentiam, incuriamque perditam, ac dirutam, conspicatus, plane comperi in omni negotio curam, & diligentiam ferio nauandam esse, nihil enim est, quod ex incuria non pereat.

Sed tamen locum istum de externis causis, aut negotiis accuratè gerendis qui capiunt, mentem Salomonis assequuti non sunt. Melius ergo alij de interna animorum cultura interpretantur. Et quidem in hanc interpretationem impellit me auctoritas Septuaginta, quorum translationem supra dedi, & paulo post eandem excutiam. Ambrosius ergo libr. 1. Officiorum cap. 10. de gratitudine, & beneficiorum relatione locum exponit, sic enim scribit. *Vnde imitanda nobis est in hoc quoque natura terrarum, quae susceptum semen multiplicatione solet numero reddere, quam accepit, ideo est tibi scriptum, Sicut agricultura est homo insipiens, & tamquam vinea homo egens sensu si reliqueris eum desolabitur, &c.* (Vsurpant Ambrosius translationem Septuaginta) *Sicut agricultura ergo etiam homo sapiens, ut tamquam foenerata sibi maiore mensura semina suscepta restituat. Terra ergo aut spontaneos fructus germinat, aut cretitos vberiori cumulo refundit, ac reddit. Haec ille, quibus gratum, & ingratum hominem inter sese componit, & illum quidem cum agro exculto, & mollico, suscepta semina cumulatissimo faenore reddenti confert; illum vero agris, atque vineis similem esse dicit, quae quia non coluntur, & expoliantur, pro segetibus carduos, & pro vitibus rubos afferunt, eiusmodi enim sunt ingratiissimi quidam homines rustici quidem, & inculti, qui accepta beneficia non modo non restituunt, sed nonnumquam etiam officia maleficijs compensant. Et quidem iuxta mentem B. Ambrosij Salomon ingratitude rusticitati, & insipientiae tribuere videtur, dum ingratum virum cum agro inculto, & vinea syluescente comparat, & eundem insipientem vocat. Sic enim legis. *Tamquam ager vir imprudens, & tamquam vinea vir egens sensu*. Audi Senecam in Epistola 81.*

132

Psal. 79.

133

Ambros.

Seneca.

ad Lucill. Itaque negamus quemquam scire gratiā referre, nisi sapientem. Et infra. Nemo referre gratiā scit, nisi sapiens. Hanc verò thesim longa oratione confirmat, lege ibi multa, sed tūm maximè illud, quod ad finem Epistolæ subnectit. Beneficia qui insipienti dat perdit; Sylvestris rusticitas creditū semen restituere non potest, id est, quemadmodum sylva inculta commissam sibi sementem fœlici prouentu referre nequit, ita etiam à sylvestri, ac rustico ingenio accepta gratia officijs compensari non potest. Quæ sententia Ambrosij expositionem illustrat non parum.

134

Id verò quod suadet Sanctus doctor in referenda gratia terras æmulari oportere, ex Marco Tullio excerptis videtur, qui in primo etiam libr. Officiorum sic habet. In referenda gratia (si modo Hesiodo credimus) debemus imitari agros fertiles, qui plus multo adferunt, quàm acceperunt. Etenim si in eos quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt. Hanc Hesiodi, Tullij, & Ambrosij sententiam inculcantes aliqui, serò affirmant in beneficiis compensandis accepta dona officijs exæquari, non vinci debere. Si enim, inquiunt, æqualitas dati, & accepti ad iustitiam sufficit, cur non eadē ad gratitudinem suppeditet? Occurrit huic objectioni Seneca in ea Epistola 81. Ingratus, inquit, est, qui beneficium reddit sine usura, rationem autem talem subiungit, quia is, qui officio suo accepti beneficij quantitatem non attingit, planè deficit, atque gratitudinis mensuras non explet; qui verò beneficium æquali officio compensat, donanti quidem iniurius est: nam cum æqualitas in iustitia seruari soleat, qui ad eum modum parem restituit gratiam, innuit quodammodo eum, qui de ipso bene meritus est, non liberalem, & beneficium donatorem, sed creditorem potius fuisse, cui non ex gratitudine, sed ex iustitia restitutio fieri debeat. Quapropter is, qui gratitudinis numeros omnes explere vult, accepti beneficij mensurā suis officijs longo interuallo superare debet, ut ea ratione acceptā gratiam pendat, & bene de se merentem non lædat: ex quo fit eam telluris similitudinem meritò ab his vsurpari solitam, qui de gratitudinis natura probè sentiunt.

135

Neque solum similitudo isthæc gratiæ reddendæ modum, sed etiam beneficij conferendi rationem præscribit. Vir enim liberalis agricolam imitari debet: Nam quemadmodum agricola de prouentu incertus, semen tamen audacter iacit: sic etiam liberalis, quāuis ignoret ingratus ne, an gratus futurus sit ille, in quem beneficium existit, audacter nihilominus in illum beneficia sua collocare debet. Audi Senecam. Quid si nescis utrum gratus sit an ingratus: sic serimus, sic nauigamus. Quis enim pollicetur serenti prouentum? quis nauiganti portum? Quasi dicat, liberalis homo, agricolæ in morem, beneficiorum suorū semina in alios spargere debet, etiam si de illorum gratitudine nihil comperiti, & explorati habeat; aliter enim non liberalis donator, sed fordidus auarusque mutuator dicens esset.

Seneca.

136

Ambros.

Rursus idem Ambrosius eūm in locum istū iterum incidisset libr. 2. Epistola 7. accommodatam magis illius expositionem commentus est. Rescindatur, inquit, luxuries, delicia refectentur, & si quis fuit luxuriosus vale dicat superioribus. Rescissa enim vinea fructum affert, semiputata frōdescit, neglecta luxuriat: ideoque scriptum, Tamquam agricultura homo imprudens, & tamquam vinea homo egēs

A sensu, si reliqueris eū desertus erit. Colamus ergo corpus hoc nostrū, castigemus illud, redigamus ad seruitutem, non illud despiciamus: sunt enim mēbra nostra, arma iustitiæ, sunt & arma peccati. Itaq; Ambrosius lectionem Septuaginta inibi vsurpans, de castigatione corporis locum exponit. Potest autem hic sensus dupliciter institui, vel de castigatione, & afflictione proprij corporis cum Ambrosio, ait enim. Colamus corpus hoc nostrum, &c. vel de alieni, ita ut, de superioribus, aut præfectis hic sermo. Si ergo de proprij corporis afflictione sermo sit, tunc quidē istius vineæ vites, & propagines non alias esse dixerim, quàm sensus quinq; de quibus sic Philo Iudæus in libr. de plantatione Noë. Videamus, inquit, quomodo in homine minore mundo sapientissimus opifex Deus arbores quasdam condidit, primum in corpore nostro, tamquam in bono agro sensuum scrobes preparauit, in quas vinum quemque, tamquam mitem, utilemque vitem indidit: auditum in aures, visum in oculos, in naves odoratum, & suis quosq; locis cateros. Attestatur autem huic meæ sententiæ fatidicus Vates, qui in suis hymnis sic loquitur. Qui plantauit aurē non audiet. Redeat ergo Salomon. Tanquā vinea homo egēs sensu. Tamquam vinea scilicet sensuū varietate, seu vitibus quibusdam confita, quæ vites (vt Ambrosij verba resumam) Rescissa fructum afferunt, semiputata frondescent, neglecta verò luxuriat. Voluntaria ergo castigatione refecandæ nobis, & amputandæ sunt, ut eas utilem ad frugem traducere possimus.

Philo Iud.

Psal. 93.

Ad eundem sensum allicere licet nostram lectionē. Per agrum pigri hominis trāsui, & per vineam stulti, & ecce totum repleverant vitice, & operuerant super faciem eius spine, & maceria lapidum destructa erat. Nimirum contemplatus sum hominem fœcundem, otio, ac voluptatibus deditum, cui corpus tamquam agrum, voluntariæ afflictionis vomer diu non inciderat, & tamquam vineam, seuerior castigatio non refecerat, atque adeò prauarum affectionum cardui adoleuerant, ac bonæ vtilisque naturalium facultatum vites naturam demutantes, in steriles spinisque hirsutos rubos demigrauerant, & maceria, id est, custodia ac obseruatio eorundem sensuum prorsus coniderat. Quid inde? Quod cum vidissem, posui in corde meo, & exēplo didici disciplinam. Possunt hæc verba duplici sensu donari. Vel enim ad ipsam allegoriæ corticem referri possunt, quasi dicat; Cum aliquando per cāpos oberrans vidissem agrum, vineamque aliquam ad eum modum incuria domini desertam, atque dirutam, inde quidem ad mores similitudinem traduxi, atque in his corpus aliquod incastigatum contemplatus sum. Vel certè illa verba ad rem ipsam per allegoriam significatam pertinere dicenda sunt, ad hunc modū. Cum vidissem corpus hominis otiosi, & voluptatibus addicti, ob castigationis, afflictionisque defectum, tamquam agrum, vineamque incultam prauarum affectionum carduis, rubisque horrere, ac syluescere, inde quidem doctrinam traxi, & ad mores meos instituendos exemplum deriuavi; vterque sensus accommodatus est. Obseruauit hinc non insulsè nescio quis illud à Salomone extremo loco de industria additum fuisse. Et maceria lapidū destructa erat. Prius quippe vinea illa ob culturæ defectum in syluam abierat, deinde verò cum iam nihil boni fructus afferret, quod vallari, & custodiri opus esset, maceria, aut vi depulsa est, aut labi permissa: quod ad mores translatum (hæreo in eadem expositione) signi-

137.

ficat eos, quorum in corpore neglecta castigatio-
ne sensus nimia luxuria iam steriles esse cœpe-
runt, eorumdem curam, & custodiam, tamquam
inutilem abijcere solitos.

Altera verò interpretatio de alieni corporis af-
flictione præmissa verba sic concipit. Sequor le-
ctionem Septuag. *Tamquam ager vir imprudens,
& tamquam vinea homo egens sensu, si dimiseris
eum, desertus erit, & syluescet totus, & fiet derelictus.
Sepes autem lapidum eius defodiuntur.* Alloquitur
Salomon superiorem Patrem familias, & in uni-
uersum eum, ad quem aliorum cura pertinet. Quasi
dicat, vir imprudens ab agro nihil differt, aut à
vineâ, atque adeo, quæ admodum vinea aut ager, si
cultura adhibeatur, copiosas fruges, vberisque
fructus reddunt; si autem cultura omittatur, ea
negligatur, carduis, ve pribusque redundant: ad
eundem modum imprudentes, & stulti homines,
assidua superiorum castigatione, & correptione
exculti, sapius ad bonam frugem traducuntur;
ijde verò neglecti, ac derelicti, in deterius abeunt,
vitia, nouaque affectiones spontè germinant, ac
prærupta legum maceria in maximam licentiam
euadunt. Quid certius? Hunc ad sensum Vulga-
tam translatione in peculiari, ac proprio lepore
traducere æquum est. *Per agrum pigri hominis transi-
tui, & per vineam stulti, &c.* Duo quippe sunt
hominum genera, quæ excoli, & elaborari ne-
cessè est, pigri, videlicet ac stulti, seu insipientes, hos
enim cultura sapius emendat. Pigri igitur nihilo
dissident ab agro feriant, qui quamdiu nullum se-
men excepit, spinas, & tribulos spontè affert; Stul-
ti verò, & imprudentes, à vineis illis non abeunt,
quæ non purgantur, aut putantur. Nam sicut hæc
in dies magis, ac magis syluescunt, & naturam
quodammodò vertentes in labruscas discedunt:
ita etiam stulti neglecti, & inculti, magis, ac
magis indies desipiunt, & quodammodò etiam
humanam mentem, & mores exuentes, in bru-
torum naturam, & mores demigrant. Ait ergo
Salomon cum fortè pigrum hominem præuidis-
sem, illum quidem velut agrum desidem, ac nul-
lo excepto semine feriantem conspicatus sum,
atque adeo vitiorum omnium carduos tribu-
losque pullulantem: cumque alium stultum,
& imprudentem adspicerem, videre mihi vi-
debar vineam imputatam, & incultam, atque
adeo horridam, & syluescentem, ac diruta ma-
ceria cunctis peruiam. Ingenium ergo hominis
insipientis, nisi cultus accedat, rusticum magis, ac
sylvanum in dies efficitur, & tamquam vinea de-
pulso sepimento, omnibus dogmatibus peruium
redditur. Itaque in vtroque culturam desiderabam,
per quam rebar illos ad bonam frugem transferri
posse: Ideo subnectit, *Quod cum vidissem posui in
corde meo, & exemplo didici disciplinam,* non mo-
dò vt memetipsum assiduo excolerem, sed etiam
vt alios simili modo industria mea expolirè. Hæc
expositio reliquis, me iudice, præferenda est, si
Vulgatam lectionem sequamur.

139. Cæterum, si translatio Septuaginta rursus ad
trutinam vocetur, aliter sentio, nam illi extrema
huius sententiæ verba sic extulerunt. *Postea ego
pœnitentiam egi, adspexi ad eligendam disciplinam,*
quæ suadent vt integrum locum de pœnitentia,
& resipiscentia exponamus, ad quam interpreta-
tionem facem præfert nobis Diuus Gregor. Ma-
gnus, qui Moral. libr. 30. cap. 20. hunc Salomo-
nis locum sic enucleat. *Per agrum hominis pigri, atque
per vineam stulti transire, est cuiuslibet vitam ne-
gligentis inspicere, eiusque opera considerare, quam*

Gregor.

A *urtica, vel spina replent, quia in corde negligentium
prurientia terrena desideria, & punitiones pullulat
vitiiorum, quia scriptum est, In desideris est om-
nis otiosus. Maceria lapidum destructa erat, id est,
disciplina patris ab eius corde dissoluta erat, atque i-
deo protinus adiunxit; Quod cum vidissem posui in
corde meo, & exemplo didici disciplinam.* Itaque Diuus
Gregor. per agrum, & vineam, ipsam vitam, operaque
hominis locordis intelligit; per urticas, & spinas,
prava desideria, atque vitia, seu peccata confi-
cientiam vnus cuiusque pungentia accipit; quasi
dicat, vita, atque actiones humanæ nisi agri in
morem excolantur, & vineæ ad instar purgen-
tur, ac refecentur, syluescunt prorsus spinasque,
ac sentes conscientiam sauciantes ex se profe-
runt. Ad hanc vinearum, vitiumque similitudi-
nem adludens Philo Iudæus in lib. de plantatio-
ne Noë; pulchra admodum verba miscet. *Quo-
niam igitur is, qui ad virtutem introducit longè à
fine abest, merito postquam platur, iubetur auferri
à planta impuritatem; nam in mediis multa agnos-
cumur noxia, quæ necessariò sunt auferenda, ne of-
ficiant melioribus. An non dicemus mitem arborem
anime redditionem depositi? verum hac putatione
opus habet, & curiosiore diligentia. Quamam igitur
est ista putatio? nimirum hæc, depositum quod
accepisti à sobrio, nec ebrio, nec prodigo, nec furen-
ti, reddere debes. Et infra. Ergo sicut ab arbore, ita
ab actione quidquid impurum est auferas, mite fa-
cias quod alioquin abiturum erat in naturam syl-
vestrinam; in amicitia verò plantæ similes stolones
amputandi sunt. Stolones appellat impudicos,
libidinososque, motus, adulationes, & id genus alia,
quæ amicitie sinceritatem corrumpunt. Ac demum
ait. Resecanda ergo sunt eiusmodi res ab amicitia
planta, tamquam pestes agnata. Itidem sacrificia,
fœderaque, stirpes sunt pulcherrime sed quibus ad-
nascenti solet malum superstitionis, quod excidendum
priusquam coalescat firmius. Et postquam alia sub-
textuit, sic demum inquit. Oportet ergo talia cuncta ma-
gnam dampnum afferentia resecare, & tollere, sicut
oraculum disertè monet, Aufer impuritatem plantæ
pomiferae. Itaque Philo omnes virtutum actiones,
velut arbores, vitesque fructiferas, perurgadas,
& amputandas esse dicit, ne naturam suam mi-
tem, & lenem, in syluestrem, horridamque de-
murent, id est, ne ex virtutibus in vitia demig-
rent.*

Salomon ergo appositè ad hoc sic ait. *Per a-
grum pigri hominis transiui, & per vineam stul-
ti, id est, Cum aliquando forte fortuna per a-
grum, vineamque viri locordis, negligentisque
iter regerem, vidi vti que ob domini incuriam se-
mentem bonam, quam nuper in agrum spars-
erat, carduis, urticisque adnascentibus perem-
ptam; vites etiam imputatas, & infectas, in syl-
uestres labruscas conuersas, ac demum maceriem
ruina ingenti depulsam fuisse: ac tunc quidem ve-
nit in mentem propensiones, actionesque meas si-
mitem admodum ob negligentiam, & iniuriam o-
bortis peccatis, tamquam lentibus spinisque, suf-
focari, quæ mentem aculeis suis assiduo compun-
gebant, Rursus id comperi, quod si quid virtutis,
& honestatis nonnumquam acerbabam, dum agna-
tos vitiorum stolones non rescindebam, vitis ad-
instar quæ non putatur, aut purgatur ocuis sylues-
cebat, & in ipsam vitij naturam vertebatur: Ac
demum illud agnoui, animum meum, seu vineam,
maceria legis diruta, cunctis vitij peruium, &
proptululum fuisse. Quid inde? Postea ego, pœnitē-
tiam egi, adspexi ad eligendam disciplinam, id est,*

Philo Iud.

140.

Isaie 1.
Beda.

dum hæc considerarem, ac mecum ipse perpēderem, totius antea vitæ pœnitentia tenuit me, ac planè respiscens ad bonam frugem me recepi: vide an hæc verba ad extremam Salomonis pœnitentiam comprobendam aliud præstet? Et quidem aptè admodum pœnitentiam vsurpauit, qua omnib⁹ illis incōmodis occurreret; hæc enim peccatorum sentes conscientiam penitus sauciantes radicitus euellit, Sic Beda ad illa verba Isaiaë *Lanamin, & mūdi estote. Spinis, inquit, purga agrum tuum, & aratro etiam proscinde, & tunc seres in eo semen, unde gaudeas in futuro: desere, inquam, peccata, & plange illa per pœnitentiā, & tunc bonum facere cōsuesce.* Rursus pœnitentia succrescentes, noxialque vitiorum propagines excindit, purgat, amputat. Nihil enim animæ suorum scelerum pœnitentia tactæ magis ad simile, quàm vitis effectis sarmentis illacrymans, atque eo documento futuræ vindemiæ spem præmonstrans. Lege sacros interpretes ad illa verba Cantic. 2. *Tempus putationis aduenit.* Denique ad pœnitentiā quoque spectat materiæ ruinas instaurare, ac reficere, legem scilicet in eam sublimitatem attollere, vt illam deinceps nulla vitiorum irruētium vis transgredi, aut transilire possit, id enim futuræ emendationis propositum præstat, quod non minimam pœnitentia partem continet: vide quæ alibi diximus ad illa verba Isaiaë, *Lapides elegit ex ea, & sepem circumdedit ei, &c.*

A

XX XIII. *Parum inquam dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres, ut dormias.*

XXX IV. *Et veniet tibi, quasi cursor egestas, & mendicitas quasi vir armatus.*

B

Hæc verba absunt hîc ab originibus Hebraicis. Aliqui ergo existimant illa ex cap. 6. vbi ipsissima reperiuntur, hûc ascita, & superiori versui subtextâ, vt duæ sententiæ contra pigros ac desidios cohærent: non assentior. Imò potius existimo hanc sententiam in antiquis exemplaribus hoc etiam loco adscriptam fuisse; suadet hoc Septuaginta interpretum, Vulgatique concordia: nam facti Illi interpretes eandem hîc vsurpant. Nec mirum si eadem verba bis legantur, quandoquidem solemne est Salomoni in hoc libro vnam eandemque sententiam semel & iterum diuersis in locis inculcare, (vt alibi non semel animaduerti.) Cæterum quia locum istum supra ca. 6. vers. 10. & 11. longa interpretatione donauimus, frustra hîc plura.

C



CAPVT



CAPVT XXV.

SALOMONIS.



*H*æ quoque parabola Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechia Regis Iuda 2. Gloria Dei est celare verbum, & gloria Regum inuestigare sermonem. 3. Cælum sursum, & terra deorsum: & cor Regum inscrutabile. 4. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum. 5. Aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iustitia thronus eius. 6. Ne gloriosus appareas coram Rege, & in loco magnorum ne steteris. 7. Melius est enim vt dicatur tibi: Ascende huc; quam vt humilioris coram Principe. 8. Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio cito: ne postea emendare non possis, cum dehonestaueris amicum tuum. 9. Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reueles: 10. Ne fortè insultet tibi cum audierit & exprobrare non cesset. Gratia & amicitia liberant: quas tibi serua, ne exprobrabilis fias 11. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. 12. Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem. 13. Sicut frigus niuis in die mæsis, ita legatus fidelis ei, qui misit eum, animam ipsius requiescere facit. 14. Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens. 15. Patientia lenietur Princeps, & lingua mollis confringet duritiam. 16. Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud. 17. Subtrahere pedem tuum de domo proximi tui, ne quando satiatus oderit te. 18. Iaculum, & gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. 19. Dens putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustia. 20. Et amittit pallium in die frigoris. Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo. Sicut tineæ vestimento & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi. 21. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere 22. Prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus redat tibi 23. Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem. 24. Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa, & in domo communi. 25. Aqua frigida animæ sitienti, & nuntius bonus de terra longinqua. 26. Fons turbatus pede, & vena corrupta iustus cadens coram impio 27. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. 28. Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.



CAPVT XXV. SALOMONIS.

I. *Hæ quoque parabole Salomonis, quas transfulerunt viri Ezechie Regis Iuda.*



Hæ quoque, &c. Sept. Hæ sunt disciplina salomonis indistincta, quas descripserunt amici Ezechie regis Iudææ.

Dubium est, an isthæc verba ad contextum huius libri pertineant, vtrum scilicet à Salomone dictata, an potius ab aliquo alio hîc adscripta, & inserta sint. Plerique interpretes isthæc verba tanquam titulum sequentium Parabolæ ab aliquo præscripta, & præfixa fuisse autumant, hîc verò & non alium nisi Sobnam fuisse, ex coniectura Aben Hezræ docent non pauci, quem tempore Ezechie scribam fuisse memorat sacra pagina. Addunt etiam hunc vnà cum aliis Ezechie Regis familiaribus, reliquas huius libri sententias dispersas ex peruetustis membranæ collegisse, & compilasse. Itaque verbum illud, *transfulerunt*, non significat (inquiunt) parabolas istas ab vna lingua in aliam à viris illis conuersas, ac redditas fuisse; sed ex diuersis schedulis in hoc volumen transcriptas, ac superioribus adnexas. Caietan. autem addit sequentes Parabolas ad huius libri integritatem nequaquam pertinere: sed cum constet ex libr. 3. Reg. cap. 4. Salomonem tria Parabolæ millia dictasse, viros Ezech. ex his millibus, quarum pleraque interierant, paucas istas hinc inde conquisitas, & ab interitu vindicatas in hunc librum velut appendicem aliquam contulisse suspicatur.

Cæterùm vtraque suspicio (mea quidem sententia) suos fefellit auctores. Vt autem nostram coniecturam subiiciamus, memoria repetenda sunt ea, quæ supra in Isagoge huius Commentarij longa oratione discussimus: scilicet hunc librum esse Sapientie, aut Salomonis conuiuium, in quo Salomon seipsum, nec non Agur, seu Congregantem, Lamuelemque Regem loquentes inducit. Quemadmodum Plato etiam in suo conuiuio Socratem, Phædrum, Pausaniam, Eryximachum, & alios quosdam amoris laudes personantes: & Plutarchus in suo etiam epulo septem Græciæ sapientes de legibus perorantes induxit. Rursum etiam ibidem dixi Salomonem, qui primo loco dicit in hoc conuiuio à cap. 10. (vbi sic initio legis, *Parabola Salomonis*) sermonem ad vsque 24. capituli finem protulisse: tunc autem Agur, & Lamuelem suas inseruisse Parabolas, & problemata: ac demùm post illos Salomonem dicere iterum, & adorsum opus perfecisse. Ad hunc modum olim huius libri, seu potius conuiuij telam fuisse contextam suadet translatio Vaticana Se-

A ptuaginta interpretum, quæ Agur, Lamuelisque Parabolas sub finem huius capituli 24. inserit, & ad Salomonis parabolas rursus redit. Ergo viri Ezechie, cum librum hunc Salomonis conscriberent, vt parabolas, quas Salomon suo nomine dictauerat, in vnum conflarent, eas, quas post duos illos, Agur, Lamuelemque subiecerat, è suo loco in hunc transfulerunt, ac duorum, Agur videlicet, Lamuelisque, orationes post omnes Salomonis parabolas subscripserunt. Quapropter ita ego reor priora illa verba. *Hæ quoque parabole Salomonis*, ad textum ipsum sacrum pertinere, & ab ipso Salomone hîc adscripta fuisse: quemadmodum etiam supra cap. 10. decreuimus de illis, *Parabola Salomonis*, atque infra etiam idem iudicium feremus de illis, *Verba congregantis filij vomentis*, nec non de illis, *Verba Lamuelis Regis*: cuiusmodi enim præscriptiones significant personam, quæ in hoc conuiuio sapientie fari incipit. Ergo cum Salomon semel & iterum, iuxta veterem, germanamque huius libri seriem, sermonem haberet, semel quidem ante duos illos sapientes, & iterum post illos, priori quidem orationi hic titulus præfixus fuit: *Parabola Salomonis*, posterior autem sic inscripta est. *Hæ quoque parabole Salomonis*. Illa autem verba: *quas transfulerunt viri Ezechie Regis Iudææ*, non pertinent ad textum, sed ab aliis hîc adscripta sunt, & (mea quidem sententia) parenthesi claudi deberent: significant autem sequentes parabolas non ab vna lingua in aliam, nec ab schedulis in hoc volumen, sed ab vno loco in alium translatas, vt cum prioribus Salomonis parabolis nullo interstitio cohererent.

Hunc ad sensum vocanda est translatio Septuaginta, quæ præmissa verba sic extulit. *Hæ quoque parabole Salomonis indistinctæ, quas descripserunt viri Ezechie Regis Iudææ*. Græcè *ἡ ἀδιόκριτος, ἢ non discreta*. Hæ sunt (inquam) Salomonis parabole, quas olim amici Regis Ezechie indistinctas, & indiscretas conscripserunt: nam eas, quæ prius aliis interiectis discretæ fuerant, ipsi copularunt, & contexerunt. Hæc autem addita sunt à Septuaginta interpretibus, non quia ipsi duas illas Salomonis orationes similem ad modum copularint, aut contexerint (constat enim vtriusque secundum perantiquam huius libri formam ab illis separatam, & seclusam) sed vt rationem redderent, cur duas illas iam olim ab Ezechie temporibus coherentes, confertasque orationes duabus aliis interpositis ipsi merito se iungerent. Nimirum id obijcientes, quod eas Ezechie familiares indiscretas conscripserunt: cum tamen olim discretæ, & ab inuicem separatæ fuissent, iuxta genuinam, primæuamque libri seriem, ac methodum.

II. *Gloria Dei est celare verbum: & gloriæ Regum inuestigare sermonem.*

A verbū, &c. id est, Deus in summa gloria ponit ea dicere, quæ homines penitus callere debet aliorum secreta, & arcana cognoscere, quid scilicet amici, quid hostes moliantur, indecorum ratus aliquid ex his sibi non exploratum, & compertum esse. Piget alias eiusmodi incoherentes interpretationes adscribere.

Caietanus accommodatam magis expositionem contulit: præmisit autem in his verbis, *Gloria Dei*, loco *Dei* subesse nomen *Elohim*, quod secundum germanam significationem, *iudicem* sonat. Sermo igitur (inquit Caietanus) de Deo est, tanquam de iudice, & arbitro rerum omnium, hoc sensu, *Gloria Dei est celare verbum*, id est, cum Deus sit supremus iudex, & arbitrio suo cuncta admittret, magnam suæ gloriæ partem ducit suorum iudiciorum rationes, causasque occultare. Non ita Rex, aut Princeps humanus, *Gloria, n. Regis est inuestigare sermonem*. i. ad eius gloriæ, & splendorem pertinet nihil unquam agere, aut decernere, cuius rationem aliis indicare non possit. Quasi dicat. Reges suorum iudiciorum, factorumque rationes multitudini compertas esse in magna gloria ponere debent. Nam quoties iudicij à Principe lati, aut rei patratae ratione vulgus non assequitur, sapius illam damnat, & malam in partem vertit. Ratio autem huius discriminis, quod inter Deum, & alios Principes versatur, in promptu est: quia Deus iudicia sua occultans, cum iniustitiæ argui, & appellari non possit, reverentiam, & observantiam sibi consiliat: at Principem illum, qui decreti sui rationem multitudini non indicat, populi invidentia perstringit, vulgique temeritas condemnat. Nam in vulgi foro semper reus peragitur is, qui insons plane non agnoscitur, tantumque illi in omnes licet, ut etiam in Principes decernere, illosque arbitrio suo damnare, aut absolvere audeat. Hinc illa Cleomenis sententia apud Stobæum. *Vulgi arbitrium supra Principes est*. Id est, vulgus de Principibus etiam supremis iudicat, cumque nullum sit tribunal superius in terra, ad quod Regum causæ deferantur, vulgi tamen iudicio, & multitudinis arbitrio dirimuntur: hæc enim illos aut reos, aut insones declarat. Itaque secundum hanc interpretationem verba illa: *& gloria Regum inuestigare sermonem*, sic accipienda sunt. Decorum valde Regibus est suorum decretorum rationes vestigare, & in promptu habere, ut nunquam non calumniatoribus occurrere, & satisfacere possint. Sed licet hæc expositio communi aliarum vitio non laboret, tamen extrema verba præscriptæ sententiæ non sponte, sed coactè quodammodo inferunt.

Quapropter alia mihi facilior, ac lenior interpretatio succurrit ad hunc modum. *Gloria Domini est celare verbum*. Loquitur Salomon de subiecta materia: nam cum novum sermonem ab hoc cap. 25. auspicietur, eius naturam, stilumque in fronte præscribit. Et quidem sequentes parabola (ut Cardinalis Hugo hic observat) obscuriores sunt, quam superiores, & plures allegorias cohibent, quod cuilibet librum hunc perlegenti compertum erit. Salomon ergo sic ait. Ad gloriæ Dei maximam spectat, ea, quæ per suos Prophetas enuntiat mysteria, aut documenta, allegoriis tegere, aut ænigmatibus involuere. *Et gloria Regum est inuestigare sermonem*, id est, decorum valde Principibus est ea, quæ Deus ipse ad eum modum occultavit, retegere, & evoluerè, eo

4 **G**loria Dei, &c. Hebræa non dissonant. Chaldaus. *Gloria Dei qui celat verbum: & gloria Regum, qui inuestigat sermonem*. Septuaginta. *Gloria Dei celat verbum: gloria autem Regis honorat res*. In quibusdam etiam codicibus legitur: *gloria autem Regibus honorare præceptum eius*. Procopius habet, *gloria autem Regis honorare præcepta*. Nomen דבֿר Dabar, quod semel & iterum est pro verbo, aliquando etiam in scriptura sumitur pro re, aut factò, nihil certius; nonnunquam etiam præceptum adsignificat, Psal. 148. *Et spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*, & Psal. 102. *Facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonem eius*, & passim alibi. Hinc nata lectionum præmissa varietas.

Sunt etiam valde dissimiles istius loci interpretationes, sed parum accommodatæ. Hebræi insulsam expositionem commenti sunt: Aiunt enim illos Ezechiae Regis familiares magnam huius libri partem rescuisse, in qua erant sententiæ quædam arcana, quas in vulgus spargi, & effundi prophanum ducebant, ac pro his alias eiusdem Salomonis magis obvias hunc & inde collectas sententias subrogasse. Rationem ergo offerentes, qua inducti fuerant ad eam parabolarum partem celandam, subiiciunt. *Gloria Domini est celare verbum*, id est, ad gloriæ Dei pertinet quædam ipsius verba abscondere, & asseruare, ne in vulgus effluant. *Et gloria Regum inuestigare sermonem*, id est, gloriosum etiam nimis Regibus est, ut quædam noverint ipsi, quæ vulgus assequi non possit: nam ea verba, & documenta, quæ à multitudine abscondebantur, Regibus patebant. Caterùm hæc interpretatio mihi absurda prorsus videtur, quia hæc verba Salomoni adimit, quæ omnium interpretum communis calculus illi tribuit.

Occurrunt etiam aliæ non pauca interpretationes, quibus id vitij commune est, quod duas istius sententiæ partes ita ab invicem dirimunt, ut nulla inter utramque coherentia sit. Eiusmodi est expositio Hugonis Cardinalis. *Gloria Domini celare verbum*, id est, gloriosum est Deo, quod illius tum dicta, tum facta captum, & sapientiam humanam superent. *Et gloria Regum inuestigare sermonem*, scilicet ipsius Dei, si quoquo modo illum assequi, & capere possint. Friget etiam hæc expositio. Subdit aliam idem Cardinalis, *Gloria Domini est celare verbum*, id est, qui bona, quæ facit, aut dicit, ex demissione animi celat, absconditque, eam certè gloriæ, quam sibi non vsurpat, Deo reddit. Sed vide duarum partium incoherentiam. *Et gloria Regum inuestigare sermonem*, id est, gloriosum valde illi est legem perscrutari, atque illud Deuteronomij præceptum explere. *Cum sederit Rex in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuitica tribus, & habebit secum, legetque omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & ceremonias eius*. Eodem vitio laborat expositio Rodolphi, quæ sic habet. *Gloria Dei est celare*

Psal. 148.
Psal. 102.

Hugo.

Deut. 17.

Rodolph.

6
Caiet.

Stob.

Stob.

2.

Greg.

rūque arcanos sensus rimari. Itaque sequentium parabolarum formam describit Sapiens, in quibus pleraque difficilia, & perobscura sunt: & Reges, Principesque exacuit, vt in his perscrutandis operam libenter ponant, atque suos inde mores informant. Hanc expositionem amplectitur D. Gregorius Homil. 6. super Ezech. cuius verba emaculanda sunt: irrepsit enim illis mendum turpissimum, sic enim hodierni codices habent. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris, quia obscura est scientia in Prophetis. Sed Salomonis voce attestante audiuius, Gloria Regum celare verbum, & gloria Dei est inuestigare sermonem; quia honor est hominum eorum secreta abscondere, & gloria Dei est mysteria sermonis eius aperire.* Mendum habes, quod planè scripturæ textum corrumpit. Sic ergo locus restituendus est. *Sed Salomonis voce attestante audiuius, Gloria Dei est celare verbum, & gloria Regum inuestigare sermonem. Quia honor est Dei secreta sua abscondere: & gloria hominum mysteria sermonis eius aperire.* Et quidem appositè ad hanc sententiam è vestigio attexit. *Ipsa quidem perse Veritas discipulis suis dicit. Qua dico vobis in tenebris, dicite in lumine, id est, aperte exponite que in allegoriarum obscuritatibus auditis Magna verò utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, vt fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus. Habet quoque aliud maius, quia scriptura sacra intelligentia si in cunctis esset aperta, vilesceret. Atque adeò in quibusdam locis obscurioribus tantò maiore dulcedine inuenta reficit, quanto maiori labore fatigat animum quesita.* Iam vides quâ ratione ad Dei gloriam pertineat sermones suos ad eum modum obscuris quibusdam allegoriarum inuolucris conueltire: quia aliter (inquit Gregorius) si sacra scriptura in cunctis esset aperta, vilesceret, Salomon ergo cum pleraque sequentium capitum documenta ad Reges, Principesque destinaret, nec isthac si plana prorsus, & aperta essent, apud illos sordescerent, obscurioribus allegoriis eadem inuoluit: vtque ipsos ad ea discutienda excitaret, subiunxit *Et gloria Regum inuestigare sermonem*, id est, gloria est Regibus digna, vestigandis, perscrutandisque horum verborum sensus operam impendere.

8

Clē. Alex.

Quantum verò doctrinam commendat aliquis ipsius obscuritas, attingit etiam Clem. Alexand. lib. 1. Stromatum. *Continebunt, inquit, hi libri admixtam veritatem philosophia decretis, vel potius coopertam, & absconsam, sicut testa cooperitur id quod est in nuce esculentum: fidei enim semina, solis, vt opinor, seruari debent: fidei agricolis.* Quasi dicat, fidei mysteria non quibuslibet propalanda sunt, sed his tantum, qui, seu agricolæ, in proscindendis, vertendisque agris laborant: sic ipsi in euoluendis mysteriis assiduo defudant. At, inquires, decet Reges agricolarum similitudo. Accipe igitur aliam ex eodem Clemente à venatione ductam: hæc enim exercitatio Regibus decora simul, ac familiaris est. *Taceo, inquit, quod hæ nationes volunt ex arte celare semina cognitionis. Quemadmodum ergo qui studio tenetur venationis, postquâ quasit, inuestigauit, indicauit, canes, qui simul persequerentur, emisit, feram capit: ita etiam apparet verum dulcedine quesitum, & labore paratum.* Hæc ille. Vide ibi plura in hac sententiam.

Sed licet superiori interpretationi plus tribuam,

A aliam nihilominus subiiciam minimè insulsam, quam translatio Septuaginta nobis offert. *Gloria Dei celare verbum: gloria autem Regis honorat res, vel, vt alij codices habent, honorat precepta eius.* Pronomen eius, ad Deum referri debet, quasi dicat. Deus verbum, id est, præcepta sua, sic intimare, & insinuare solet, vt tamen rationes præcipiendi prorsus occultet: gloriosum enim ducit hominum non modò voluntates, sed etiam mentes, iudiciaque sibi substerni, & ad nutum obsequii. Ad eum modum cum præcipit Deus Sauli, vt Amalecitas, omnemque illorum substantiam perderet; rationem huius præcepti celauit: Rex verò eidem rationi magis consentaneum existimans pinguißimos greges Deo mactare, illos contra Dei præscriptum seruauit, quod ipsi ruinæ omen fuit. Salomon ergo ait. *Gloria Regum honorat precepta eius.* Id est, ad gloriam Regum pertinet Dei mandata acturum exequi, etiam si illorum rationes non assequantur: decorum enim valde Principibus est non suas modò voluntates, sed etiam mentes, iudiciaque Deo incuruare, ac demittere: vult enim Deus, vt non modò Rex ipse, sed id etiam, quod in ipso Rege regnat, imperatque, scilicet ratio, atque mens, sibi subdatur. Id verò obsequium Regem ipsum mirum in modum honestat: fit enim ea ratione, vt idem ipse Princeps sibi imperet (quo nullum est dignius imperium) dum eam sui partem, quæ maximè imperia detrectat, mentem videlicet subiugat, & Deo submittit. Ad hæc pendendum est verbum illud, *honorat precepta eius*; significat enim maximum splendorem diuinis præceptis accedere, & auctoritatem conciliari, cum non priuati solùm, sed etiam Reges illis parent. Et quidem vel ob eam causam Reges humanis legibus obtemperare oportere docet D. Isidorus: quia si ipsi latis à se iuribus non deferant, reliqui eadem facillè contemunt. Idem prorsus de legibus diuinis iudiciũ est: cum enim eas Principes temerè violant, in aliorum hominũ contemptum veniunt: cum verò illas iidem suspiciunt, ac magni faciunt, earum obseruantiam reliquis commendant. Nihil certius. Similem ad sensum Vulgatæ lectionem allicere integrum est, si nomine verbi, aut sermonis, præceptum capiamus. *Gloria Dei celare verbum.* Solet scilicet aliquando Deus sua mādāta non tam intimare apertius, quam insinuare occultius. *Et gloria Regis inuestigare sermonem*, id est, tunc quidem Regi decorum valde est diuinæ voluntatis nutum obseruare, & vestigijs omnibus persequi, vt illi semper obseruiat. Quasi dicat, Princeps supremus, si sapit, etiam tunc cum diuini imperij leuis aliqua significatio est, illi obsecundare debet.

Isidor.

III. Cælum sursum, & terra deorsum: & cor Regum inscrutabile.

Cælum sursum, &c. Hebr. Cælorum in altitudine, & terre in profunditate, & cordis Regum non est inuestigatio. Huius autem translationis sententiã postea dabo. Chal. Cæli sunt excelsi, & terra profunda, & cor Regum inuestigabile. Vatabl. Cor autem Regum imperuestigabile. lxx. Cælum sursum, terra autem profunda: cor autem Regis quod redargui non potest. Aquila, & Symmachus concinunt cum nostro interprete.

Non vna, sed multiplex huius loci interpre-

Rodolph. tatio. Rodolphus exemplariam lectionē sequutus sic locum edisserit. *Cælum sursum, & terra deorsum*, id est, cælū sublime valde est, ideò motus eius speculari difficile est: terra etiam depressa est, atq; profunda, atq; adeò quæ intra illius viscera penitus delitescunt, nemo assequi potest, cordis autem Regum non est vestigatio. Quasi dicat, cæli, terræque speculatio, & inuestigatio, Regibus minimè gloriosa est: vel non decet Reges in eiusmodi rebus specularandis, ac vestigandis versari. Debet autem locus iste iuxta hanc expositionem cum superiori consui ad hunc modum. *Gloria Regis est inuestigare sermonē*, id est, ad gloriam Regum spectat, leges, ac documenta practica quæcumque ad bonam Reipublicæ administrationem faciunt, studiosius, attentiusque peruestigare: at in scientiis merè theoreticis, & speculatiuis versari, ac tempus infumere, cuiusmodi est Astrologia, aut Geometria, non sic: nam istæ artes ad moderandam rempublicam nihil præstant.

ii Sed licet hæc interpretatio non incongruè contextui adaptetur; tam tamen Vulgata lectio non capit, atque adeò reicienda est. Reliqui ergo interpretes eandem ex hoc loco sententiam exprimunt, licet illam non eodem modo conforment.

Vatabl. Vatablus sic habet. *Cælum sursum, & terra deorsum*, scilicet in definito loco est, atq; adeò illam hominum studio, atque obseruatione metiri licuit: at cor Regis nulla disquisitione, & obseruatione comprehendi potest. Beda, Caietanus, Iansenius, Hugo, alique interpretes aliter sensum effingunt, *Cælum sursum, & terra deorsum*; illud scilicet præ altitudine, hæc verò ob profunditatem nullo studio comprehendi possunt. Ad eundem modum cor Regis inscrutabile. At quisnā (inquit) huius sententiæ scopus? Caietanus, & Iansenius existimant Salomonem hò tantum spectasse, vt illos, qui in perferutandis Regum consiliis versantur, vanæ cuiusdam curiositatis infimularent. Quasi dicat, quemadmodum cæli, & terræ speculatio partim impossibilis, partim vana, & nullius frugis est, & tamen eos, qui eis rebus contemplandis operam impendunt, maximopere distinet; totosque ad se rapit: ita etiam qui Regum consilia, cogitationes, motusque obseruant, rem quoque impossibilem, vanam, & inutilem meditantur, & tamen in his obseruandis, & explorandis toti hærent. Cæterum friget mihi hæc sententia.

71 Quapropter ego de istius sententiæ scopo aliter sentio, quem non vno modo collimare contendam. Primò quidem dici posset Salomonem Regum mores insectari, quia nunquam sibi similes sunt: nam in summa rerum omnium licentia; & potestate positus illis cum semper æquum sit exequi quidquid volunt, nunquam eadem aut volent, aut sentiunt. Ergo suadet Salomon ne in perferutandis Regum consiliis stultam operam teramus; quia quemadmodum cæli nunquam eadem facies est, ita etiam Regum mens animusq; nunquam idem, sed varius, & à seipso passim discrepans. Hoc sibi vult illud *Cælum sursum*. Sed cur statim addit, *& terra deorsum*? Ego quidem ita reor, vtramque cæli ac terræ comparisonem non esse vni Regi accommodandam, sed per cælum Regem, per terram autem priuatum hominem notari hoc modo. *Cælum sursum, & terra deorsum*. Nimirum Rex quidem maiestate sua nō aliter supra priuatos attollitur quam cælum ipsum supra terram; priuati etiam non secus in-

A fra Reges iacent, quam terra infra cælum. Ergo quemadmodum cælum ex terra speculari & metiri difficile admodum, tum ob distantiam, tum etiam ob ipsius cæli dissimiles facies atque instabiles motus; ad eundem modum difficile est, atque arduum priuatum hominem Regum consilia & cogitationes assequi siue ob longam vtriusque distantiam, siue etiam ob Regum mobilem instabilemque mentem.

13 Secundò aliter dici posset, Salomonem id priuatis suadere, ne propius ad Reges accedant, neq; in eorum gratiam sese infinent. *Cælum*, inquit, *sursum, & terra deorsum, & cor Regum inscrutabile*. Quasi dicat, mobile in primis est atque instabile cor Regum, atque adeò vir prudens eorum gratiæ sese permittere non debet, sed quoad fieri possit longè ab illis remouere & absistere. Reges enim cælum imitantur, quapropter, quemadmodum vicina omnia corpora motu suo impellit ac cõuertit, ita vt sola terra, quæ ab ipso remotissima est, quieta, immobilisque perseueret; ita etiam eos, qui Regibus ac Principibus proximè adherent, & eorum familiares sunt, ipsorum instabilitas agitat; illi verò, qui tanquam tellus à cælo, sic ipsi à Regibus longè distant, & priuatam omnino vitam degunt, inconculsi etiam, & immobiles perseuerant.

14 Tertiò potest etiam locus iste aliter aptius ediferi, si vtraque cæli & terræ similitudo Regi accommodetur. Dicemus ergo Salomonem priuatis omnibus suadere, ne Principum gratiā & fauorem sectentur, quia *cor Regum inscrutabile*, seu *imperuestigabile*, id est eorum voluntatem animumque peruadere, & penitus agnoscere difficultimum est, qui numquam idem est, ac sibi omnino similis, sæpius enim gratia in odium, fauorque in iram vertitur. Sensus ergo sic conformandus est: *Cælum sursum & terra deorsum, cor autem Regum inscrutabile*, id est, ita fert Regum mobile ac dissimile ingenium, vt sæpe illos, qui eorum gratiam inierunt muneribus amplissimis auctos ad cælum vsque sublimes leuent, ac rursus eosdem, vertente rota, è cælo deturbatos ad terram deprimant; quapropter eorum beneuolentiam aucupari valde periculosum est. Quasi dicat, cor, id est animus studiumque Principis, cælum inter ac terram medius quodammodo versatur, vt cum libuerit aliquem attollat, & in cælum inferat, & eundem rursus demittat, & ad terram deponat. Quid tamen, quomodo, aut quando velit, nemini exploratum est; nam cum ipsius voluntatem nihil obstringat, velle ac nolle ipsi valde liberum existit. Huc spectat etiam translatio lxx. *Cælum sursum & terra deorsum, cor autem Regis redargui non potest*. i. Regum potestas ac licentia in res omnes summa est, atque adeò siue hominem in cælum sublimem vehat, siue eundem ad ima deiiciat, siue hoc iure, siue iniuria faciat, nullus est superior iudex, à quo redargui & conuinci possit. Quasi dicat, quidquid vult impune facit, & nullus est, qui rationem facti exigat.

75 Cæterum quamuis ex præmissis interpretationibus aliquæ sint non incongruæ, tamen verba ipsa contextumq; attentius considerans in aliam inducot expositionem, quam cæteris facile præfero. Existimo ergo verba isthæc non ad subditos intendi, sed ad ipsosmet Reges. Nam cum antecedens ac subsequens versus ad Reges monendos spectet, eum qui inter vtrumque iacet eodẽ pertinere credendum est. Suadet igitur Salomon magnis Principibus, ne sua consilia & rationes

aliis temerè manifestèt, sed celent potius & asseruent. Nihil enim magis publicæ administrationis neruos elidit, quàm secreti aut mysterij Regij pro-palatio. Itaq; sic ait. *Cælū sursum, & terra deorsum & cor Regū inscrutabile.* vel, vt habent Origines. *Altitudinis cælorū, & profunditatis terra, & cordis Regū non est inuestigatio.* i. tria isthæc valde inter se consimilia esse oportet, cælum, terra, & cor Regum, ita vt quemadmodum nulla artis, ingenij, aut obseruationis vi, cælorum altitudinē certò metiri, & terræ profunditatem penitus rimari cuiquam licet: ita etiam Reges sic se gerere debent, vt eorum cor. i. consilia, & rationes, nullus indagare, nedum deprehendere possit: sic. s. vt quædam propter sublimitatem, alia verò ob nimiam profunditatem cunctos fugiant. Vbi etiam obiter Principes monet Salomon, ita illos sublimia & præalta mente agitare oportere, vt nonnumquam etiam ad humilia & inferiora mentem nutumque deijciant.

IIII. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.*

V. *Aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iustitia thronus eius.*

Aufer rubiginem, &c. Hebr. *Remoue scorias de argento, & egredietur argentario vas: Remoue impium à facie Regis, &c.* Chaldaus. *Colligite rubiginem de argenta, vt egredietur vas à conflatorio: Eiiciatur impius à facie Regis, &c.* lxx. *Percute argentum improbatum, & mundabitur mundum totum. Interfice impios à facie Regis, & recta procedet in iustitia thronus eius.* Symmachus. *Purga scorias ab argento, ויגמלן sigim,* quæ propriè quascumq; fæces metallorum sonat, siue ex permixtione ignobilioris materiæ (vulgò *liga*) siue aliunde contractas.

Beda literæ sonum secutus docet his verbis suaderi Regibus ne impietatem, seueritatem, minasque vultu præferant. *Qui enim, inquit, præsumt populis, si volunt firmum esse solium suum, semper hilaritate, & gratia plenos vultus exhibeant, ne per arrogantiam rigidiores effecti in inusitationem incidant populorum.* Sensus ergo huius loci sic conformandus est. *Aufer rubiginem de argento, &c.* id est, quemadmodum vas argenteum deterfa rubigine nitidum redditur, ac splendore suo oculos delinit: ita etiam vultus Regis seueritate detracta dignior & gratior est, omniumque ad se lumina animosque conuertit; atque ea ratione deuinctis subditorum animis solium regni sui stabilitate perpetua donat. Et quidem in vultu Principis hilaritatem & clementiam semper spectari debere pereleganti similitudine docuit Diogenes Pythagoricus apud Stobæum in sermone de Regno. *Non minus, inquit, quàm tibia & concentus bonus Regis intuitus animos ad se conuertit.* Quibus verbis obiter insinuat vim, quam habet Regis vultus hilaritate, ac clementia temperatus: sicut enim tibia concinnè personante chorus ad numeros saltat; ita etiam Regibus clementiam vultu moribus præferentibus, tota Respublica numerosè, & concinnè moue-

Atur. Subdit enim statim. *Eadem certè ratio est richmi ad motum, & harmonia ad vocem, & clementia ad communionem.* Et paulò superius dicit, diuinitatem quandam vultu præferre illum, qui regiam grauitatem hilaritate & clementia condire potest: innuens scilicet eam clementiam vultu exhibitam regiam dignitatem non extenuare, sed augere, adè vt eiusmodi Principibus veluti numinibus populi deferant. Atque hinc factum, inquit Diogenes, vt Ioui, Cæsari Augusto, Alexandro, aliisque Principibus diuinos honores populi decreuerint, quia illos clementia supra humanitatem venerandos reddidit.

Non minus elegans est Salomonis similitudo ad illam clementiam & humanitatem vultu ipso proditam notandam, scilicet vas argenteum, elimatis fordibus, deterfaque æruginè splendidum. Quia ex ira & furore vultus quodammodo situm & æruginem contrahit: sordidum. n. & rubigine infectum argentum à plumbo nihil dissidet. De vultu autem hominis irâ perciti sic Gregorius Nazianzenus in poemate de ira.

*Genæ (esse quales morte confectis solent)
Aliis rubentes, sunt quibus plumbopares
(Hunc nam colorem nunc, & nunc rursus genis
(Furibundus in dicit pictor & prorsum improbus.)*

C Illum igitur plumbeum ac sordidum colorè, quo ira faciem tingit, atque imbuat, hilaritas extergit atq; emaculat. *Et egredietur vas purissimum.* Sed quid inde? Certè ex deterfo ac splendenti vase amara etiam potio sine fastidio hauritur. ita etiam Princeps clementiam & humanitatē vultu præferens, multitudini adè pergratus est, vt ab illo, tanquam ex nitidissimo argenti vase, quamlibet amaram seuerissimarum legum, aut præceptionū potionem cum voluptate arripiant. Propterea subdit Salomō, *Firmabitur iustitia thronus eius,* quia humanus ille, ac clemens Princeps quamlibet legum seueritatem nullo negotio in populi mores inducet, & sublatis proditorum insidiis tutus erit. Hæc Bedæ sententia

D Reliqui interpretes per rubiginem argenti scorias intelligunt, quas igni traditum, & conflatum abiicit. Et quidem per eiusmodi scorias improbos legum otores accipiendos esse dicunt. Hæc. n. significatio in scripturis valde obuia est. Psal. 113. *Præuaricantes reputant omnes peccatores terræ.* Heb. *Tamquam scorias computaui omnes impios terræ,* id est, eos omnes, qui diuinas leges temerè violant, velut scorias, fæcesque aliorum hominum cogitaui. Sed tamen non vna ex causa improbi cum scorijs conferuntur. Num. 1. mali consiliarij cum Principibus collati scoriæ nomen ferunt. Et Isaia cap. 7. *Argentum tuum versum est in scoriam.* Neque verò totum argentum in scorias demutatum fuisse vult Propheta, sed illud scorijs, ignobilioribusque metallis admixtum: Subdit enim, *Principes tui infideles socii furū,* id est, ministros improbos sibi sociant, quibus adiuncti tanquam argentum scorijs immixtum, à dignitate, & splendore suo excidit. Appositè autem ad hæc attextit. *Et conuertam manum meam ad te, & excogam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum, & restituum indice: tuos, vt fuerant prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus.* Quasi dicat; Principes tuos ad antiquam integritatem, & probitatē transferam, improbos illis consiliarios auferens

Beda.

Stobæus.

17

Nazian.

18

Psal. 113.

Num. 1.

Isaia 1.

& iustissimos, integerrimosque tribuens.

Rursus tota multitudo ex probis hominibus improbisque coalescens cum argento etiam scoriis permixto contulit Ezech. 22. *Fili hominis versa est mihi domus Israel in scoriam; omnes isti aes, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis, scoria argenti facti sunt.* .i. multi improbi & exleges, probi autem atque pii vix pauci, atque adeo totus populus in scorias abiisse, & argenti vix aliquid reliquum videtur. Propterea hæc dicit Dominus Deus, eo quod versi estis omnes (id est plures) in scoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Hierusalem congregationis argenti, & æris, & stanni, & ferri, & plumbi in medio fornacis, ut succendam in ea ignem ad conflagrandum, &c. id est, furorem meum vobis immittam, ut improbis omnibus, tanquam scoriis eliquatis, & consumptis, probi tantummodo, ac pii reliqui fiant. Ad hæc ipsorum Principum iniustitia, malitia, improbitasque, scoria nonnunquam dicitur, illis, veluti argento, infusa, & permixta. Accipe verba Hieremiæ. *Omnes isti Principes declinantes, ambulantes fraudulentè, æs, & ferrum, uniuersi corrupti sunt, defecit sufflatorium; in igne consumptum est plumbum; frustra conflagruit conflator, malitia eorum non sunt consumptæ; argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.*

His ergo prælibatis, verba Salomonis triplicem ad sensum vocare licet. Primus est. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.* Rubiginem, inquam, id est scorias, & ignobilium metallorum faeces: quasi dicat. Excoque prius argentum, & faeces eius consume: cum autem ad modum defæcatum fuerit, licebit ex illo vas purissimum, ac nitidissimum efformare. *Aufer impietatem de vultu regis, & firmabitur iustitia thronus eius.* Vox illa, *impietatem*, capiendâ est, ut sonat, pro malitia & improbitate, sensusque iuxta tertiam scoriarum acceptionem talis euadet, id est, Deponat Rex omnem iniustitiam, & improbitatem; hæc enim illum, veluti scoria, corrumpit, & adulterat: sic enim deposita improbitate, & iniustitia, iustus, pius, & argenti instar defæcatissimus, splendidus, integer & incorruptus erit. Sed tamen, ut huius sententiæ leporem teneas, cogita iustitiam vulgò *integritatem* appellari; ducitur autem similitudo (ni fallor) ab auro & argento cum impermixta sunt, & nullis faecibus adulterata: sic etiam iudices muneribus aut gratia corrumpi, ab eodem auro & argento similitudine petita, dicimus, ut auctor est Cælius lib. 2. cap. 20. Nam quemadmodum aurum ex permixtione alterius metalli corrumpitur, & ex vero falsum redditur; ita etiam iudex aut Princeps, cum gratia, aut muneribus, vel alteri cuiuspiam corruptelæ locum fecit, quodammodo adulteratur, & ex vero falsus, & ex iusto iniustus efficitur. Hinc spectat Hieremiæ sententia, quæ sic habet. *Omnes isti Principes declinantes, uniuersi corrupti sunt.* Et Isa. cap. 1. duas rationes complexus est, ob quas Principes populi, argenti in morem, corruptionem traxerant, hæc sunt, impiorum societas, & munerum acceptio. Sic enim ait. *Principes tui socij fuerunt, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Itaque Principes iusti atque integri appellantur similitudine ascita ab auro, & argento percolato, & ad purum excocto, cui nihil scoriæ, aut faecis adhæret. Hinc ergo lux Salomoni affertur, qui appositè ad hanc similitudinem hoc docet, quod quemadmodum ex argento excoctis atque consumptis scoriis vas splendidum, atque pretio-

sum efficitur, ita etiam ex homine iusto & integerrimo, ab omni corruptelâ libero, præclarus, & numeris omnibus absolutus Princeps euadit, cui thronus iustitia, & æquitate suffultus diutius perseueret.

Secundus sensus, qui ex præmissa notatione colligitur, sic habet. *Aufer rubiginem* (id est scoriam) *de argento*, & tunc demum ex ipso egredietur vas purissimum. *Aufer impietatem de vultu Regis.* Solemne admodum est scripturæ sacræ vsurpare abstracta pro concretis; quem canonem sæpè aliàs inculcauimus; hinc ergo *impietas* accipi debet pro impio; ita suadent aliæ huius loci lectiones; nam Chald. sic habet. *Et ciatur impius à facie Regis*, &c. Et lxx. *interficite impios à facie Regis*, Ergo iuxta primam scoriarum acceptionem, quæ, ut supra animaduerti ex Isaia, improbos Regum consiliarios & ministros adsignificant; sententia est luculenta. Quæ admodum ex auro conflatis sordibus, & scoriis, quæ ipsi adhæserant, purum ac splendidum vas effingitur, sic etiam Princeps, qui improbos consiliarios & familiares, tanquam scorias, abiecit, & à vultu suo, id est ab amicitia, & gratia longè remouet, optimus erit; & rempublicam suam iustè administrabit. Obiter autem dum dicit improbos istos familiares sic à Principibus separandos esse, quemadmodum scoriæ ab argento, modum insinuat, quo isti à Principum gratia excidere consueverunt; nam sicut ignis scorias, faecesque separat, consumit, & in fumos diffiat, sic etiam Regum ira improbos amicos vnâ separat, & bonis omnibus exhaustos consumit, aliquando etiam vitam adimit. Vbi illud expende, pro illis nostræ lectionis verbis, *Aufer impietatem, vel impium, à vultu Regis*, apud lxx. legi, *interficite impios à facie Regis*: nam illi, quos Principes post vsu aliquem, & familiaritatem à se longius ex causa remouent, ocyus emori solent: atque adeo perinde est illos gratia atque vita simul, vnâque priuare.

Ad hanc expositionem alluci possunt lxx. qui locum istum sic extulerunt. *Percute argentum improbatum, & mundabitur mundum totum, interficite impios à facie Regis, & recta procedet in iustitia thronus eius.* Sensus est, vas ex argento immundo & necdum probato percutere, hoc est conterere, ac dirumpere oportet, vulgò *abollarle y hacarle pedajos*, ut denuo excoctum, & conflatum ex puro, & defæcato argento refingatur: sic etiam vniversam aulæ Regiæ familiam, cum fortè permixtis improbis hominibus, tanquam argentum scoriis, sordet, percuti & contundi à Principe necessum est, ut consumptis impiorum faecibus, ex probis, atque iustis clientibus instauretur. Hoc sibi vult illud, *Interfice impios à facie Regis.* (Sermo intenditur ad Principes.) Quasi dicat, id contendite, ut istiusmodi impij familiares perdantur, & tanquam scoriæ, separentur, & consumantur; vt fœlix, faustumque sit vestrum imperium. Quid certius?

Rursus potest etiam hic secundus sensus de adulatoribus capi: hi enim magnis Principibus, seu scoriæ, tantoperè adhærere solent, ut vix ab eisdem separari ac secerni queant, atque veluti scoriæ aurum, sic etiam illi iustissimos & integerrimos Principes corrumpunt, & adulterant. Hinc Plutarchus in moralibus semel adultores cum auro adulterino componit, & iterum cum Solis scoriis auro intermixtis. *Adulterina*, inquit, *splenderem ac nitorem auri tantummodo imitantur;*

sic adulator gratiam & amicitiam tantummodo A
 etiam simulat. Et rursus. Adulator Principi, seu scoria, tenacissime miscetur. Id est, velut plumbum cum argento permixtum vnius metalli massam efficere videtur: sic assentator Principi adherens, amicitiam, gratiam, & animorum vnionem mentitur. Cæterum quemadmodum eam plumbi, argentiue societatem ignis dirimere solet, sic etiam quælibet incidens aduersitas assentatores dissociat. Suadet ergo Salomon Regibus vti eiusmodi adulatorum scorias fæcesque ab se longius remoueant, ne, veluti argentum, cui plumbum adhæsit, falsi, & adulterini Principes sint, sed veri, & germani. At, inquit, quam demum ratione istiusmodi scoriam à Principibus separatam esse constet? lxx. interpretes id præscribunt. *Percute (inquit) argentum improbatum, & mundabitur mundum totum.* Rex, scilicet, qui falsos assentatores, vt scorias, hætenus admittit, veraces deinceps homines & libertate dicendi vtentes deligat, atque ipsorum ictibus, id est correptionibus, & obiurgationibus se subiiciat: exploratum enim est, atque vsu compertum, illud aurum, argentumve esse purum magis ac defæcatum, quod malleis fortius excussum non diffilit, aut dissipatur, sed in tenuiores laminas bractæasve ictibus complanatur. Ad eundem igitur modum tunc demum constabit Principem abiectis adulatorum scoriis purgatum esse, cum plures veracium hominum ictus, id est correptiones, & obiurgationes sustinerit. Possunt etiam hæc verba ad subditos referri. *Percute argentum, &c.* allusione scilicet facta ad vsitatum explorandi argenti morem, cuius puritatem declarat sonus & tinnitus, cum percuitur. At ergo Salomon, Princeps ille qui regnum suum firmum ac stabile manere vult, non prius aliquem ad familiaritatem suam debet excipere, quam ipsum, seu argentum, quasi percutiendo probauerit: atque ex verbis, tanquam ex sono, integritatem aut incorruptionem illius didicerit; sic enim fiet, vt nullos habeat adultores, sed contra veraces ac liberos & fideles omnes experiatur: hoc sibi volunt verba ista. *Et mundabitur mundum totum, &c.*

24

Tertius sensus, qui ex supra adscripta obseruatione fluit, sic habet. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.* scorias nimirum ab argento secerne, & ex eo vas purissimum effingere licebit. *Aufer impietatem* (id est impios) *de vultu Regis, & firmabitur iustitia thronus eius.* Sententia ergo isthæc iuxta secundam scoriarum acceptionem supra notatam sic concinnanda est. Suadet Salomon Regibus vt suas Respublicas, quæ, velut argentum admixtis scoriis, ferme ex probis improbisque coalescunt, consumptis fontibus expurgare nunquam desinant: nam sic demum fit, vt extincta impietate probitas vigeat, & regnum ipsorum, sublati infidiatoribus, perenne sit. Hæc interpretatio ex verbis Ezechielis supra exhibitis petita est, quæ huc etiam accersenda sunt, vt quod Deus in eo loco in populum decernit, id ipsum Principes in suas Respublicas statuunt: Atque hæc mihi cæteris præferenda videtur.

VI. *Ne gloriosus appareas coram Rege, & in loco magnorum ne steteris.*

VII. *Melius est enim vt dicatur tibi, ascende huc: quam vt humiliter coram Principe.*

NE gloriosus appareas, &c. Hebr. *Ne te decorum ostendas, aut facias.* Reliqui coherent cum Vulgatis. Chal. extrema verba sic extulit. *Ne deiciaris coram dominatore, quem viderunt oculi tui.* Itaque illa verba, quæ nos ter interpretis ad sequentem sententiam transtulit, Chaldæus cum ista copulauit. Et quidem iuxta hodiernam exemplarium Hebræorum disunctionem, ita etiam locus efferri deberet, sed tamen merito Vulgatus interpres prætulit lectionem lxx, qui etiam verba illa cum sequentibus contexuerunt; sic enim habent. *Ne gloriosè te ostentes coram Rege, neque in locis Principum steteris. Melius enim est tibi dici, ascende ad me, quam humiliare te in facie potentis.*

29

Huius loci sententia valde perspicua est, & cum ea omnino concinit, quam Christus dominus vsurpauit Lucæ 14. *Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & veniens n, quis te, & illum inuitauit, dicat tibi: da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. sed cum vocatus fueris, vade & recumbe in nouissimo loco, vt cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi; Amice ascende superius, & erit tibi gloria coram simul discumbentibus, &c.* Quod igitur ibi Christus de conuiuio, hæc Salomon de magnatum consensu & concilio præcipit. Nam in conuiuio olim ad symposiarcham spectabat loca conuiuantibus distribuere pro dignitate. Propterea suadet Iesus conuiuia, ac compotia, ne locum superiorem ab initio capessat, ne deinde si ita symposiarchæ placeat, penes quem est locorum distribuendorum ius, inde descendere, & alteri locum facere iubeatur. Quapropter satius est, inquit Dominus, extremum locum, & longè inferiorem, quam ipsius personæ dignitas postulat, ab initio occupare; ea enim animi demissio in causa erit, vt à conuiuio magistro conuiuia euocetur superius, ac digniori fortasse honestetur loco, quam illum aliàs ex decentia ferre oporteret. Ac demum Dominus mentem suam exprimens sic parabolam absoluit. *Omnis qui se exultat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.*

Luc. 14

Ad eundem modum Salomon à Dynastarum consensu, in quo Rex præsidet, ducta similitudine, humilitatem, & animi demissionem suadet. *Ne gloriosus, inquit, appareas coram Rege* (vel, vt habent Primitiua, *ne te gloriosum ostentes, aut facias*) *& in loco magnatum ne steteris.* id est, cum aliquando ad Principum, Heroune concilium accersitus fueris, in quo Rex præsidet, primum quidem si sapias, gloriam, & dignitatem tuam nequaquam ostentabis; omnis enim priuati hominis gloria & decor, dum maiestati obicitur quæ Rex fulgethebetatur, & tenebris offusa disparet. Deinde locum superiorem minimè inuadas, in quo supremi Dynastæ confidere consueuerunt. *Melius est enim vt dicatur tibi, ascende huc, &c.* id est, gloriosum magis erit tibi, si locum infimum captans ab ipso Rege digniori lo-

26

co honeste, quàm ut illum dignitati tuæ im-
parem prius occupans, ab illo indecorè pulsus
erubescere cogaris. Sed licet id aptè dictum sit,
ad istius sententiæ energiam aliquid aliud perti-
nere existimo: Nam Salomon (ni fallor) suade-
re vult priuatis hominibus neu supremas sedes &
magistratus apud Reges ambiant, sed ut inferio-
ri aliquo & medio dignitatis gradu contenti sint:
quia longè melius est in eo gradu honoris esse, à
quo possit tandem quis ad alium superiorem ho-
nestè euocari, quàm eum iam tenere, à quo
non possit quis nisi indecorè descendere. Cùm
enim rerum humanarum instabilis conuersio
sit, quando ascendere atque euehi ultra non li-
cet, descendere ac demitti necessum est. Pro-
pterea inquit Salomon. *Melius est ut dicatur ti-
bi, ascende huc, quàm ut humilieris coram Prin-
cipe.*

27

Quod si verba ut sonant, de loco ac sede in
confessu multorum capienda sermo sit; dicemus
quidem Salomonem id monere, ne similes simus
illis, de quibus Christus Dominus apud Lucam.
*Ne vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathe-
dras in synagogis, & salutationes in foro. Et
cap. 10. Attendite à scribis, qui volunt ambula-
re in stolis, & amant salutationes in foro, & pri-
mas cathedras in synagogis, & primos discubitus
in conuiuiis.* Et quidem locum supremum
nequaquàm esse affectandum suadet vetus illud
prologium, *Locus non nobilitat hominem, sed homo
locum.* Quod Aristippo tribuit Laërtius; nam
cùm Dionysius Syracusanus illi indignatus
extremum sedere fecisset, subiicit Aristippus,
*Hunc planè locum decorare, & illustrem reddere
voluisti.* Et de Agefilao puero etiam narrat Plu-
tarchus, quod cùm aliquando in loco patum ho-
nesto à ludi magistro collocaretur, sic ille occur-
rit. *Bene quidem est, dabo operam, ut ostendam non
loca viris, sed viros locis auctoritatem concedere.* Sed
longè elegantior ac venustior idem Plutarchus
in conuiuio septem sapientum, vbi eorum factum
coërcere volens, qui supremos in conuiujs disci-
bitus contendebant, appositè admodum indu-
cit Alexidemum Milesum Trasibuli tyranni fi-
lium de symposiarcha expostulantem, quod illi
honestissimum in eo conuiuio locum non asser-
uasset. Cui Thales illius conuiuij Princeps ad
modum occurrit. *Itane verò vereris ne sicut Aegy-
pti stellas, prout vel sublimius eleuata vel depresso
sunt, in locis, quæ permeant, euadere aiunt, quàm pro
natura sua meliores; ita etiam tu quoque ex loco
obscurior atque depressior fias. Profecto Lacone illo
vilius efficeris, qui in choro quodam ordine locatus
nonissimo à Praefecto chori. Recte, inquit, hoc com-
mentus est, quo & hic locus honoratus reddatur.* Ha-
ctenus Plutarchus, ex quibus conficitur de loco-
rum ac sedium conditione non esse curandum,
cùm isthæc nihil honoris, vel auctoritatis sedenti
comparent. Auget autem Salomon eam senten-
tiam docens, supremi loci ambitionem non mo-
dò nullam sedenti gloriam afferre, sed sapius
eandem prodere, ac traducere, dum quis sede
sua indecorè pellitur, ut alteri digniori locum fa-
ciat. Nihilominus tamen superior interpretatio
præferenda mihi videtur.

Laërtius.

Plutarch.

VIII. *Quæ viderunt oculi tui ne proferas
in iurgio cito: ne postea emendare non pos-
sis, cum dehonestaueris amicum tuum.*

Quæ viderunt, &c. inuehitur Caietanus in
Vulgatam lectionem, eamque ab He-
braicis originibus plurimum abhorere dicit, sed
tamen ipsius potius coërcenda licentia, qui plus
æquo Rabbini tribuens vulgatæ lectioni iuccen-
set. Itaque locum sic efferendum esse dicit, *Ne
egrediaris ad litem festinanter, ne quid facias in fine
eius cum pudefaciet amicus tuus.* At quis obitu-
ram, & insulam sententiam, pulchram, & eleganti
anteponat? Vulgatus quidem sequutus est trans-
lationem lxx. qui sic habent. *Quæ viderunt oculi
tui ne dic, & ne praeoccupas ad litem cito, ut non te
pœniteat in nouissimis.* Posteriorem clausulam ne-
cunt lxx. cum sequenti versu; sed de hac postea.
Chald. *Ne egrediaris ad iurgium cito, ut non conten-
das postea, quando exasperaueris amicum tuum.* Pro
verbo illo dehonestaueris, subest בְּהַחֲלֵם Beha-
chalem, ex radice חָלַם hiphil id est. *In pudefaciendo,
vel pudore afficiendo amicum tuum.* Hinc noster
interpretes valde appositè. *Cum dehonestaueris ami-
cum tuum, causam scilicet pudoris inueniens.*

Caietanus ergo iuxta suam illam translatio-
nem sic locum istum edisserit. *Ne egrediaris ad li-
tem festinanter, ne quid facias in fine eius cum pude-
faciet amicus tuus, id est, Ne temerè, & absque
consilio, litem alicui intentes, ne quid accidat vn-
de proximus tuus, contra quem litem mouisti, ve-
recundia te afficere possit; ne scilicet in lite ab ip-
so victus erubescere cogaris.* Rodolphus etiam
exemplaria Hebraica confectans plures inter-
pretationes coniecit in hunc locum; sed tamen
cùm omnes à Vulgata lectione profus abhor-
reant, audiendæ certè non sunt. Eiusmodi etiam
est illa expositio Aben Hezra. *Ne exas ad
litigandum, nisi prius causam expendaris, & eam
iustum esse apud te decreueris, ne malè audias apud
amicos tuos, & lucrum confestater appelleris.* Idem
iudicium est ferendum de interpretatione Rabi
Salomonis. *Ne litem contra amicum suscipias,
ne tandem pudore suffundaris quod leges ami-
citiæ violans cum illo ex iure agis, cui gratiam
omnem exhibere deberes.* Mitto alias his adsi-
miles expositiones, quibus illud vitium commu-
ne est, quod à Vulgata lectione quàm longissimè
abeunt. Addit præterea Rodolphus locum iux-
ta Origines legi posse ad hunc modum. *Ne egre-
diaris ad litem, sed festina ut finem imponas.* id
est, si nondum litem suscepisti, ne proficias, si au-
tem illam iam intentasti, ocuseidem terminum
imponere, & de concordia ac fœdere pacifcere. *Ne
pudefaciat te amicus tuus.* Ne scilicet si amicus
tuus te præoccupauerit, & pacis condiciones ob-
tulerit, pudore suffundat te, dum simultate depo-
sita prius ad benevolentiam inuitat.

28

Caietan.

Aben
Hezra.

Rodolph.

29

Sed tamen his omnibus valere iussis nostræ
lectionis sententia valde luculenta est. *Quæ viderunt
oculi tui ne proferas in iurgio cito, ne postea
emendare non possis, cum dehonestaueris amicum
tuum, id est.* Si quando tibi cum amico tuo con-
tentio aliqua, aut simultas, ut fieri solet, oborta
est, ne subito furore incensus, ea exprobes illi,
quæ cum ipso amico conuersans obseruasti;
nam eiusmodi subiti æstus ocus deferuere, ac de-
fauire solent. Si quid autem probri, aut contu-

melix in amicū ex tempore coniectum est, quod illius honorem læferit, id quidem reuocare, & conuertere non licet. Hūc spectat illa Diui Bernardi sententia in altero sermone ex paruulis. *Lenis*, inquit, *sermo* (loquitur autem de conuicio) *quia leniter uolat, sed grauius vulnerat: leniter transit, sed grauius urit; leniter animum penetrat, sed non leniter exit; leniter profertur, sed non leniter reuocatur.* Hūc spectant duæ similitudines quibus Plutarchus hanc uerborum irreuocabilem naturam significauit. *Veluti nauem*, inquit, *arreptam fluctibus anchora non licet sistere: ita nec uerbum in alium emissum.* Et iterum. *Vt procliue non est auem e manu emissam recipere, ita nec dictum semel ab ore profectum.*

Sed licet hæc interpretatio non sit inepta, tamen aliam esse existimo Salomonis mentem; affatur enim Sapiens (ni fallor) testes, qui in litibus, controuersisque forensibus testimonium dicunt: suadetque illis ad hunc modum. *Quæ uiderunt oculi tui ne proferas in iurgio citò; iurgium appellat litem civilem, aut causam criminis, quasi dicat. Ne in causa eiusmodi testimonium rogatus, ea quæ uidisti, temerè, & inconsideratè dicas. Quæ uiderunt, inquit, oculi tui.* His uerbis apertè innuit, testem oculatum esse oportere, qui ea tantum, quæ oculis obierit suis, apud iudicem contestetur. Addit etiam, illum ea, quæ uiderit, non citò, & ex tempore, sine delectu, & præuia meditatione exponere debere; nam id, quod testis in iudicio semel deponit, reuocari postea aut corrigi non potest. Id sibi uult illud, *Ne postea emendare non possis cum debonestaueris amicum tuum.* (amicum uocat proximum quemlibet;) hoc est, ne postquam testimonio tuo proximum reum feceris, & contumeliæ sempiternæ addixeris, damnum hoc ipsi allatum vitare & reparare non possis. Huc certè spectat translatio lxx. quæ licet à nostra non parum discedere uideatur, ipsi tamen proximè hæret. *Quæ uiderunt oculi tui dic, & ne præcurras ad litem citò, ne te pœniteat in nouissimis.* Id est, Tu quisquis testimonium apud iudicem dicis, ea tantum deponere, quæ oculis tuis aspexeris; & rursus ex his, quæ uidisti, ne quid celeriter, & imparatè in causa aliqua rogatus dixeris, ne fera te postea pœnitentia dictorum capiat, tunc, scilicet, cum reum liberare non possis. Itaque illud, *ne te pœniteat in nouissimis*, sic accipiendum est, quasi dicat, ne pœnitentia nouissima, fera scilicet atque inutilis, subeat. Itaque Salomon ex natura testimonij in iudicio prolati, colligit illud attentissimè, & candidissimè dicendum: nam ubi semel depromptum est fidem irreuocabilem facit. Nemo enim, etsi possit, & aliquando etiam debeat testimonium semel dictum rursus inficiari, & refellere, adduci unquam potest, ut id faciat, ne falsi testis infamiam sibi adspargat. Propterea monet Iuriconsultus, ut priusquam testis ad dicendum ex iure ueniat, seorsim instruat, & ad ueritatem enuntiandam confirmetur à iudice: nam si semel aliquid deprompsit, quamuis falsum sit, tenax dicti semper idem mordicè asseuerat. Verè etiam quidam affirmant propterea falsis testibus ex multarum gentium legibus, dentes extundi, ad eam tenacitatem puniendam, qua falsitatem mordicè affirmarunt; haud dissimiles quibusdam animantibus, qui ubi semel aliquid admordentes dentes defixerunt suos, vix unquam euellunt. Hæc sunt, *Crocodilus, Canis uenaticus, & alia quædam.*

A

I X. Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reueles.

X. Ne forte insultet tibi, cum audierit, & exprobrare non cesset.

Causam, &c. Hebr. *Litigium tuum litiga cum amico tuo, & secretum alterius ne reuelles.* Sic conuertunt Hebræi recentiores: sed restituendum potius est cum Vulgato, *secretum alteri ne reueles*, tùm quia nulla vis infertur exemplari, tùm etiam quia accommodatam magis sententiam reddit, ut infra dicemus. *Ne forte probri afficiat te audiens, & infamia tua non reuertatur* Caietan. *Et infamia tua non quiescat.* Vatablus. *Ne forte audiens subtrahat à te beneficentiam, teque infamet, quod amoliri non possis.* Chaldaus. *Causam tuam indica socio tuo in nouissimo, & secretum alteri ne reuelles, ut non exprobrat tibi audiens, & famam tuam non peruertat.* lxx. uerò interpretes superioris sententiæ partem huic adiungunt, atque locum integrum sic restituunt. *Cum te exprobrauerit amicus tuus, recede in posteriora ne contemnas; ne te quidem exprobrat amicus: rixa autem tua, & inimicitia non abierit, sed erit tibi equalis mortis.* Symmachus. *Vituperatio tua ne reuertatur.* Aquila, & Theodot. coherent cum Vulgatis.

Caietan. locum istum singulari interpretatione donat; nam cum sic legat, *Lis tua, lis socii tui, & secretum alterius ne detegas, nec exprobrat tibi, & infamia tua non quiescat*, id nobis suaderi putat, ut litem amici, causamque illius non alienam, sed nostram esse ducamus; id enim postulat lex amicitiae. Id uerò quod de secreto, & arcano minimè retegendo subdit, eodem modo accipiendum est, quasi dicat, secretum tibi ab amico commissum tuum esse reputa, atque ad eò nemini aperire debes, ne si aliquid contra hanc legem committas, amicus tibi iure optimo exprobrare id possit, & violatæ gratiæ reus infamia laborare incipias apud omnes, ad eò ut tuam cuncti amicitiam meritò repudient.

Secunda interpretatio, cuius meminit Vatablus, sic habet. *Causam tuam tracta cum amico tuo.* Id est, si quid causæ, aut litigij tibi cum alio est, ne iudicem statim adeas, sed, si fieri potest, amicus aliquis, cui te ac tua omnia credere possis, illam dirimat, & sedatis controuersis componat. Sed tamen consequens sententia cum hac expositione nexum habet difficilem; posset tamen sic innodari. *Et secretum extraneo ne reueles*, id est, controuersiam illam, quæ tibi cum alio est, si fieri potest, extraneus ignoret, & inter amicos finiatur: Nam ex causis, quæ ad iudices delatæ sunt, & publicè in foro agitantur, multa probra, contumeliæ, & diffamationes in actores ipsos redundare solent, dum alter alteri non parcat, sed semetipsos inuicem lædere, ac violare non cessant.

Tertia atque communis interpretatio, quam sequuntur Hugo, Dionysius, Iansenius, Arboreus, & alij passim, uerba accipit ut sonant, de arcanis in uniuersum seruandis. *Causam tuam tracta cum amico tuo*, id est, non omnino opprimere ac obruere res, & causas tuas debes; eas quidem cum amico aliquo conferre, & pertractare oportet, nemo enim sua in causa iudex integer existit. *Cum amico*, inquam, non cum amicis: nam vix vnus

Bernard.

arch.

30

31

Caietan.

32

Vatab.

33

est, cui secretum tutò committi possit. *Et qui* A
duobus arcanum suum credit, fidem utriusque soluit,
 ait Seneca, quia neutri violatæ fidei culpam inferre potest. Subdit statim, *Et secretum extraneo*
ne reueles, (loquitur autem de vitio aut crimine occulto.) in Primitiuis est, *Et secretum alteri non*
reueles. Amicus, ut vulgò circumfertur, est *alter*
ego: concordia amicos in vnum conflat: itaque
 ait, ei, qui utcumque alius à te fuerit, quia illum
 beneuolentia, & gratia necdum tibi prorsus ad-
 strinxit, & vnum eundemque tecum effecit, ne
 secretum committas tuum. *Ne fortè insultet tibi,*
cùm audierit, & exprobrare non cesset. Vel, ut ha-
 bent Origines, *& infamia tua non cesset.* Duo enu-
 merat incommoda, quæ ex arcani reuelatione
 euenire solent. Alterum est quod ab eo, qui se-
 creti conscius factus est, multa perpeti necessum
 est, ne læsus fidem violet, & commissum sibi ar-
 canum in vulgus spargat. Id sibi vult illud, *Ne*
forte insultet tibi cum audierit, id est, ne liceat illi
 tibi insolenter insultare, eumque quoquomodo
 insultantem tolerare tibi opus sit. Alterum est
 quod is, qui delictum secretum alicuius didicit,
 quando nulla, aut certè laxior amicitia intercedit,
 siquidem vel leuissimè ipse lædatur, illud pas-
 sim obijcere, & probro dare non cessat, sic enim
 habes, *& exprobrare non cesset.* Addo etiam ter-
 tium, & maximum incommodum, quod scilicet
 tandem aliquando leui ex causa secretum prodit,
 & publicè retegit; inde autem infamia & dedecus
 indelebile, de quo loquitur extrema illa transla-
 tio, *& infamia tua non quiescet,* vel ut alij lecti-
 tant, *non reuerteretur.*

Sed licet hæc expositio eo modo, quo à nobis
 præscripta est, accommodata videatur, tamen in
 aliam mens pendet, quam reliquis præferendam
 esse existimo. *Causam tuam tracta cum amico*
tuo pro causa. subest ריבך *Rebecha,* quæ vox pro-
 priè iurgium, aut litigium sonat. Itaque sensus
 est, si quando ab amico tuo læsum te, ac violatum
 putas, & inde inter vtrumque iurgium obortum
 est, id quidem cum ipso amico priuatè transige,
 & apud illum exoptula. *Tracta,* inquit, *cum ami-*
co i. ne ab illo abstineas, causas discordiæ apud te
concoquens, sed illum ocyus adi, & acceptas ini-
urias illi expone. Fiet enim sic ut ocyus in gra-
tiam redeatis. Et secretum extraneo ne reueles. id
 est, si quid arcani tibi amicus commisit, id iurgio
 perseverante ne indices; si enim secretum illius pro-
 dideris numquam amplius coibit amicitia, Huc
 spectat illud, *Ne fortè insultet cum audierit, &*
exprobrare non cesset. Quæ verba non ad extra-
 neum, sed ad amicum referri debent, ita ut sensus
 sit. Ne cum amicus creditum tibi secretum abs-
 te in palam datum acceperit, meritò tibi indigne-
 tur, aliquid nactus, quod nunquam non tibi pro-
 bro vertere possit. Et quidem amicitiam, quam
 secreti reuelatio distrahit, nunquam amplius soli-
 dè coalescere certum est. Ecclesiastici cap. 22.
 22. *Ad amicum, etsi produxeris gladium, non*
deperes, est enim regressus. Ad amicum etsi aperueris
os triste, non timeas, est enim concordatio. Excepto
conuitio, improprio ac superbia, & reuelatione my-
sterii, & plaga dolosa; in his omnibus effugiet ami-
cus. Itaque inter ea, quæ amicitiam ita dissol-
 ciant, ut concordiæ locus vltimè non sit, numerat
 Ecclesiasticus mysterij reuelationem. Idè Salo-
 mon id in primis cauendum esse dicit, cum aliqua
 discordiæ occasio incidit inter amicos, ne secre-
 tum violetur, nam alias iniurias amici sibi inui-
 cem faciliè condonant. Huc spectat illud Sene-
 cæ in libr. 3. de beneficiis. *Alia,* inquit, *vulnerant*
amicitiam, alia perimunt. In his est mysterij dete-
 ctio. Et quidem ea vulnus amicitiae inferre docet
 Seneca, quibus mederi, & cicatricem inducere li-
 cet, illa vero eandem perimere, quibus icta, & læ-
 sa amicitia nulla arte à morte vindicari, aut post
 mortem vitæ restitui potest.

Cum extrema hac sententia concinit pro-
 fus translatio lxx. quæ ad eundem sensum vocari
 debet. *Cum te exprobrauerit amicus tuus, recede in*
posteriora. Complutensis, & Regia. *Recede retro,*
 id est, cum amicus tibi indignari, & probra ex fu-
 rore iactare cœperit, noli contrà obistere, sed ter-
 ga eidem obuerte, donec ardor ille intepescat.
Ne contemnas, ne te quidem exprobrer amicus. Ne
 scilicet illum à te contemni, ac despici verbis si-
 gnifices, hoc est, ne accepta probra ex despicien-
 tia regeras; nam his denuò inflammatus aug-
 bit contumelias, & conuitia; eam vim habet re-
 petitio illa. *Ne te quidem exprobrer amicus,* id est,
 ne probra iteratò repetat. Sed quid inde? *Rixæ*
autem tua, & inimicitia non aberit, sed erit tibi
aqualis morti. Quia nimirum dum vicissim iniu-
 riæ recipiuntur, eo res deduci consuevit, ut ri-
 xæ, & inimicitiae tunc excitatæ, & conceptæ nun-
 quam amplius sedentur: & pernetus amicitia his
 confossa vulneribus intermoriatur. Sic intelligo
 extrema illa verba, *sed erit tibi aqualis morti,* iuxta
 Senecæ sententiam supra exhibitam. Nisi etiam
 velis separationem vtriusque amici per mortem
 notari; nam cum amicorum animæ ab his, quæ
 inanimant, corporibus, ad ea, quæ adamant,
 quodammodo demigrent, inde quidem per dis-
 cordiam diuelli, & abstrahi, mortis quædam
 imago est. Vnde August. lib. 4. cap. 5. Confessio-
 num, qualiter ob amicum amissum eius animus
 affectus fuisset, describit his verbis. *Ita miser*
eram, & habebam chariorem illo amico meo vitam
ipsam miseram; nam quamuis eam mutare vellem,
nollem tamen amittere magis quam illum; Et nescio
an vellem vel pro illo, sicut de Oreste, & Pygale tra-
ditur, si non fingitur, qui vellent pro inimico vel simul
mori, quia morte illis peius erat non simul viuere.
 Hæc ille de amico per obitum amisso; quæ de a-
 mico etiam per similitudinem diuulso accipere li-
 cet. Vel aliter, cum dixit rixam illam futuram mor-
 ti aequalem, significat Salomon similitudinem eius-
 modi non amplius componendam, sed ad ipsam
 vique mortem, & extremum obitum peruentu-
 ram esse. Hanc verò expositionem idè reliquis
 anteponendam dixi, quia cohæret cum versu se-
 quenti.

X. *Gratia, & amicitia liberant: quas tibi*
serua, ne exprobrabilis fias.

E *Gratia, & amicitia, &c.* Hæc verba deside-
 rantur in Primitiuis, sed leguntur apud lxx.
 hoc modo. *Gratia, & amicitia liberat, quam serua*
tibi, ne fias exprobrabilis: sed custodi vias tuas com-
positè. Extrema etiam huius translationis verba
 non respondent Vulgatis. Complutensis codex
 aliter ordinat hæc verba; nam priora illa, *gratia, &*
amicitia liberat, cum superiori versu contextunt;
 ex sequentibus autem nouam sententiam concin-
 nant ad hunc modum. *Ne fias exprobrabilis, sed cu-*
stodi vias tuas liber aliter. Alij, conciliabiliter. (Γρα-
 τία & φιλία δύνανται, ex verbo φιλία δύνανται i. pacifcor,
 contractus, aut commercia in eo) sed tamen in

Seneca.

34

Eccles. 22.

Seneca.

35

Augusti.

36

exemplari Græco sic iacent ista verba quemadmodum à me supra exhibitum sunt.

Sententia huius loci est valde perspicua. Nam cum Salomon in superiori versu suavisset lites, iurgique inter amicos oborta sedari, & componi oportere, ne amicitia prorsus dirimatur, subdit rationem, *Gratia, & amicitia liberant*, id est, amici, & familiares hominem protegunt, & à multis incommodis eripiunt. Verbum illud liberant additum est absolute; nec exprimitur aliquid, à quo liberum faciant, ut constet, nullum esse malum à quo hominem non vindicent amici. Ecclesiastici 6. *Amicus fidelis protectio fortis*. Nazianzenus oratione 6. ad Gregorium Nyssenum. *Amicum*, inquit, *fidelis protectio fortis, munus palatium*. Et infra. *Amicus fidelis solary portus*. Idem etiam alibi. *Asylum tutissimum vocat, nauemque contra omnes tempestates munitissimam*. Græcus Idorus amicitiam appellat *panopliam fortissimam*. & alii alia eiusmodi multa nomina amicitiae tribuunt, quæ significant illam ad omnia mala propulsanda perquam utilem esse. Hæc est communis explicatio.

Cæterum, ut bene obseruauit Iansen. verbum *liberat* si origines Græcas consulas, est *ἐλευθεροῦ*, quod non tam significat à malis, & incommodis quæquam exinere, quam eundem seruituti eripere, & liberum, ingenuumque reddere, atque ad eum sensus erit, *Gratia, & amicitia liberat*, id est, amicitiam colere generosi, liberalis atque ingenii animi est; vera enim amicitia hominem à seruitute eripit, non solum quia timores seruiles, atque degeneres tollit, quibus hi concuti solent, qui amicis destituti sunt, sed tum maximè quia ut docet Philosophus Ethicorum 4. & 5. libro, *vera amicitia est, quæ nihil ad suam ipsam utilitatem, sed omnia ad amici commodum refert*: quemadmodum ergo propriis commodis inferuire sordidum est, ac seruile, ita etiam his postpositis multa amicorum gratia facere liberale ac generosum est. Cum ergo Salo non in superiori versu præceperit iurgia atque lites componere, quæ ad leuiore causas inter amicos excitari solent, ne quis indecorum sibi putaret, illatas sibi ab amico iniurias non persequi, subdit, amicitiam, & gratiam esse honestissimas, & gloriofissimas res, easque obortis iurgiis, aut simulatibus dirimi turpius esse, quam aliquid iniuriam ab amico nonnumquam perpeti. Ideo subnectit. *Quas tibi serua, ne exprobrabilis sis*. Hoc est, imitam semel gratiam, & familiaritatem studiosè adserua, neque distrahi vsquam patiaris, ne tibi illud probro, & dedecori vertatur, quod amicitiam colere non satis possis, quod liberali atque ingenuo homine indignum est.

Attexunt lxx. *sed custodi vias tuas composere*, aut, *consociabiliter*. i. vitam, & mores tuos ad societates, amicitiasque plures copulandas, aptè institue; sic scilicet age, ut pactæ olim amicitiae tua causa non distraherentur; sed nouæ in dies coalescant. Appositè ad hanc sententiam Plutar. in libro de adulato-ribus vitandis, vites imitari iubet. *Vites* (inquit) *effusis palmitibus, proxima quæque arbusta clauiculis suis complexa latiores fiunt: sic plures per amicitiam sibi adiungere felicissimum est*. Et infra ad eandem sententiam polyphi similitudinem transfert, qui flagellis etiam suis proxima quæq; adstringit, & ubi arctius aliquid tenet, inde facile auelli non potest. Illum ergo consociabiliter vias suas instituere dicemus, qui vitam imitatus proximum quemque sibi deuincit, atque polyphi æmulus ubi cuiuspiam benevolentiam adhaesit, diuelli amplius non potest,

A
X 1. *Mala aurea in lectis argenteis verbum dictum in tempore suo.*

Mala. Heb. תפוחים *Taphuchim*. propriè poma significant, quæ ex arboribus leguntur. Cantic. 2. v. 5. & 7. v. 8. Quid verò per translationem hinc adsignificent postea dabimus.

In lectis. Hebr. במשכיות *Bemaschijoth*. De vocis istius significatione varium, & anceps interpretum iudicium. Plures referunt ad radicem שחב *sachab*, id est, *aspexit*, aut etiam *pinxit*. Hinc nata plurimæ lectiones. Pagninus. *In picturis argenteis*. Chaldaus. *In imaginibus argenteis*. Caietanus. *In casuris*, alij *in calaturis*. Rabbi Abraham. *In absconditis*, vel, *in thesauris argenti*. Vatablus. *In calaris vasis argenti*. Montanus. *In thecis transparentibus argenti*. Noster interpret (ni fallor) vocem illam *Maschijoth* petiuit ex radice שחב *sachab* duplicanti secundam, id est, *conquieuit, resedit*, idè *lectum* transtulit. Occurrit ipsissima hæc vox Ezechielis 8. ubi noster etiam cubiculum conuertit. Sic enim habes. *Vnusquisque in abscondito cubiculi sui*. משכתי *Maschitho*, ubi etiam transtulit Chaldaus, *Vnusquisque in cubiculis domus cubilis sui*. lxx. *Vnusquisque ipsorum in cubiculo abscondito suo*. Ex quo fit plerisque; temerè inuehi in vulgatum interpretem, quod hic *lectulum* conuertit, cum vox Hebraica eam etiam significationem capiat. lxx. hic à reliquis dissident: sic enim conuertunt. *Mala aurea in monili sardis*. Symmach. & Theodotio, *in conspicuis argenti*. Isidorus Clarius, *in cancellis*.

Verbum dictum in tempore suo. Heb. עלאפנא *Eualaphnau*, id est, *in rotis suis*, nam vox עלאפנא *opham*, rotam adsignificat, supra cap. 20. vers. 26. Ezech. 1. vers. 15. Exod. cap. 4. vers. 25. & sæpè alibi. Pagninus. *Cum modis suis*. Rabbi David. *Sicut vole eius*. Caietan. *Verbum ordinatum super rotas suas*. lxx. verò sic præcisè legunt. *Sic dicere verbum*: verbi autem modum non expriment. Chaldaus, & Vatablus. *Verbum dictum opportunè*. Symmachus, & Vulgatus. *In tempore suo*. Aliqui nostræ lectionis eam rationem reddunt, quia *rotas* temporis circulum, aut periodum adsignificet: non repugno.

His prælibatis multæ occurrunt huius loci interpretationes, quæ à Vulgata lectione quam longissimè abeunt. Caietanus integrum locum sic restituit. *Mala aurea in casuris argenteis verbum ordinatum super rotas suas*. Per casuras argenteas innui existimat foramina in argento incisa, in quibus poma aurea includerentur; sæpius enim auri quædam forma in argento includi solent, ut auri pallor, & argenti candor permixti pulchrius emicent. *Verbum autem ordinatum super rotas suas*, sermonem esse putat rhetoris arte ornatum, ac figuratum, insertis tropis, atque figuris elegantibus: itaque sensus est. Tropi atque figura peruenusta sic orationem pingunt, & exornant, quemadmodum poma aurea in argento ab aurifice artificiosè inclusa. Hæc autem rotarum acceptio à modo loquedi satis familiari non abhorret. Tullius de claris oratoribus, *Verborum*, inquit, *apta, & quæ arotunda constructio*. Et de Oratore. *Thucydides autè præfractior, nec satis, ut ita dicam, rotundus*. Et Iuuenal. *Aut certum sermone rotato Torqueat enthymema*. Iuuenal. Horatius. *Et malè tornatos incudi reddere versus*. Horat.

Secunda interpretatio est Vatabli, qui sic habet. Propriè vox Hebræa significat thecas, in quibus

Eccles. 6.
Nazianz.

Isidor.

37

Aristot.

38

Plutarch.

E

39

Ezech. 8.

40

Caietan.

Cicero.

Iuuenal.

Horat.

41

Vatabli.

quibus lapides pretiosi recluduntur, apud nostras **A** *engastes*, in quibus pars lapidis inclusi tegitur, pars etiam conspicua est. Hæc à Caietani expositione non longe abeunt, & de reliquo dissidium est. Vatablus enim integrum locum sic extulit. *Mala aurea in calatis vasis argenti, verbum dictum tempestive*, id est, sententia opportunitati adaptata nihil differt à malo quodiam aureo in pretiosissimo argenti vase apte, & eleganter incluso. Quasi dicat. *Vn buen dicho en su occasion es como una manzana de auro engastada en plata*. Opportunitas enim sententiæ splendorem maximum affert. Cæterum in hac atque superiori interpretati ne id plane difficile, quod poma aurea ad eum modum argenteis vasis impressa & infixæ parum elegantie inabere videntur. Quapropter si Salomon eam sibi sententiam proposuisset, longe melius & aptius à lapide aliquo pretioso in auro, vel argento incluso similitudinem duceret, atque adeo tanto Vate indignam sententiam istam reor.

42. Tertia expositio est eorum, qui vocem illam *Maschiigoth, cancellos*, aut *reticula* significare dicunt, qui locum integrum sic exhibet. *Mala aurea in reticulis, aut cancellis argenteis, verbum dictum super rotas suas*. Et idem iudicium est de his, qui legunt, *in transparentibus, aut in conspicuis argenti*; putant enim similitudinem duci ab auri massa solida in mali figuram tornata, quam argenti retia vndique ambiant, foraminibus hinc, & inde apertis, per quæ latens intus aurum conspiciere liceat. Putant ergo Salomonem, hic de parabolis ac proverbiis sermonem facere, atque adeo integræ sententiam sic conformant. Quemadmodum aureum pomum intra reticulum argenteum conclusum per subtilissimas illius rimulas attentius intuenti sese prodit; ita etiam in parabolis aurea quædam sententia, metaphora aut similitudine aliqua argentea vndeque tegitur: sic tamen ut subtilior intellectus delitescentem sententiam rimari possit. Hęc expositio petita est ex Moyse Hebræo, qui verba hæc sequenti commentario donavit. *Appone cor tuum ad audiendam expositionem huius rationis. Maschiioth sunt celatura reticulata, scilicet in quibus sunt loca cavata celature apta sculptilibus, sicut opus aurificum. Itaque ait Quod sicut est similitudo pomorum aureorum cum celaturis argenteis, quarum cancelli sunt nimis subriles, ita est verbum, quod dicitur duobus modis. Et scias, & intelligas quæ in suavis sit ista similitudo. Nam Salomon dicit quod omnis parabola habet duas facies, scilicet modum apertum, & modum occultum; & necesse est ut forinsecus sit pulchrum, ut ostendat inspicienti id quod est occultum, & absconditum: sicut malum aureum, quod est opertum reti, in quo sunt celature subriles. Et cum videtur a remotis ascendit in cor, quod est argenteum malum, & cum intuitus sit diligenter homo acuti visus, demonstrabitur ei id, quod intus latet. Hactenus hebræus ille. Quod si obicias, hanc expositionem in Vulgatam lectionem cadere non posse, occurrunt illius auctores, reticulum argenteum non insulse appellari lectum, quod in eo pretiosa alia materia quiescere videatur. Sed tamen ego huic effugio, non satis acquiesco, totamque interpretationem parum idoneam esse puto, quia nullum ornamentum eo artificio elaboratum vsquam vidimus, imo stultum esse auri solidam massam ad eum modum argento immergere, ac contegere: ut perspicacissimis tantum oculis per subriles rimulas sese proderet: credibile autem est, Salomonem hanc similitudinem ex vulgari aliqua, & artificiosa auri elaborandi ratione duxisse.*

Tom. 2. Part. 2.

A Quapropter siquidem præfatis illis lectionibus, *In cancellis, reticulis conspicuis, aut picturis argenti*, aliquid tribuendum esset, ego quidem metaphoram aliunde ex peruulgato auti expolienti artificio ductam dicerem. Succedant igitur memoræ ea quæ in cap. 1. Cantic. diximus, ad illa verba, *Muranulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*, vbi illius ornamentum structuram, & formam attentius examinantes decreuimus argentum ibi non ad metalli naturam, sed ad colorem referendum esse. Habes hanc argenti significationem Psal. 62. *Penna columba de argentata*, id est, albæ & candidæ, ut ad eum locum docent multi interpretes; Nam cum Hebræis non suppetat vox aliqua certa, quæ proprie significet candidum colorem, niuem, ebur, byssum, lac, & argentum pro candore sæpius vsurpant. De niue est illud eiusdem Psalmi. *Niue dealbabuntur in Selmon*. De lacte etiam subest illud canticotum 7. *Oculi tui sicut columba, qua lacte sunt lota*, id est sicut columbæ candido colore præditæ. De bysso quoque suppetit illud eiusdem libri ca. 5. *Crura eius columnæ marmoreæ*. Hebræa ad verbum *columnæ byssi*, id est, candidæ ex pario marmore. De ebore, ut alia dimittam, occurrit illud eiusdem capituli. *Venter eius eburneus*. Hebræa, *Venter eius nitor eboris*. Ergo per *argentum* tam hic, quam in eo loco Cantic. non verum argentum, sed id quod colore suo argentum imitatur, vulgo *esmalte blanco*, quo aurum expoliri solet, & quod vni auro adhæret firmius, & a reliquis metallis facile excidit. Itaque, illud *Mala aurea in celaturis, sine cancellis argenteis*, sic edissero. Per *mala aurea* ornamentum aliquod intelligo ex his quæ fœminis ex collo in pectus pendere solent, & apud Hispanos appellantur *Pomas de oro*, in quibus vnguenta, & aromata includi solent; id vero nominis propterea ferunt, quia pomorum figuram referunt, quæ apud Latinos olim *bulle* dicebantur. Rursus per *verbum dictum in tempore suo*, parabolam accipio, aut etiã sententiam opportunitati aptatam: nam (ut infra dicam) Salomon in hoc loco de illis parabolis, ac sententiis loquitur, quæ in conuiuio iactari olim consueverunt ad epulas condiendas, de quibus iam inde supra in Isagoge, & c. 9. v. 1. 2. & 3. & cap. item 23. v. 1. & 2. atque adeo sensus erit. Parabola aut sententia in conuiuio opportuna, & ad rem dicta. **D** Et semeiante à vna poma de oro es maltada. vel potius, es semeiante al esmalte que se assienta sobre el oro en vna poma hermosa. cui similitudini non leporis tantum, sed etiam significationis plurimum inest. Nam primo significatur eiusmodi parabolas, aut problemata accommodatissimè misceri in conuiuio. Quemadmodum enim vermiculatus labor, seu stigmata, aut notæ illæ candidæ, nimirum *el esmalte*, nulli metallo melius insident quàm auro, ita etiam optimum aliquod problema nusquam accommodatius iactatur quam in conuiuio. Vel, si in vniuersum de sententia opportuna dicta sermo **E** est, erit sensus eiusmodi. *Assi como el esmalte tiene su assiento en el oro, assi vn buen dicho en la occasion*. Et quidem, ex poma aureo prædicto artificio elaborato similitudo sumpta est, nimirum ex illo ornamento, quod ex collo supra pectus, & cor appenditur, ita enim decreuimus, illud à veteri bulla minime differre: sic certe versus iste cum sequenti pulchrè cohæret. *In auris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem*, dum in vno de pectoris aut cordis moniliis in altero vero de aurium ornamento sermo est. Et sane illud verbū *opportuna dictum*, cum eo monili,

Moyse
Heb.

Cant. 1.

Psal. 1.

Cant. 7.

Cant. 5.

aut bulla in cor pendente aptissime componitur, ad significandum verbum ad eum modum opportune depromptum, cor, animumque permouere, & excitare solitum. Atque adeo hæc sententia ad auxilium gratiæ, quo Deus animos ad bona opera excitat, non illepide accommodari potest; hoc enim vim ex opportunitate sumit, & ad cor permouendum à Deo immittitur, &c.

Ad hanc expositionem alluci debet translatio Ixx. quæ sic habet. *Malum aureum in monili sardij, sic dicere verbum.* Nam hi mali aurei nomine monile intellexerunt, non quidem aliud, nisi bullam in cor pendentem: (nulli enim accommodatius id nominis dari potest.) Existimo autem grauiissimos illos interpretes plane intellexisse *argentum* in hoc loco non sumi pro metallo ipso, sed, vt dictum est supra, *por elefmalte blanco*, quo aurum distingui solet; pro illo vero *sardium* lapidem ideo subiecit, quia eadem sic perseverabat sententia, & apertior reddebatur similitudo. Verba autem sic accipienda sunt. *Sicut malum*, seu, *pomum aureum in monili sardij*. In hoc loco latet figura illa Hebræis familiaris, quæ in regimine genitiui nominum casus permutat, de qua sæpe alias diximus, cuius præstantissimum exemplum occurrit Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, id est, nec vicissitudo obumbrationis. Quapropter in hoc loco ad hunc modum verba restituenda, & contextenda sunt. *Sicut sardius in malo aureo monilis, id est, como la piedra sardo engastada en la poma de oro en quese remata el collar, olacadena.* Quasi dicat, sententia temporis, & opportunitati aptata, similis est lapidi pretioso foramini suo apte coherenti, *como la piedra pretioso ensu engaste.* Cum hac sententia prorsus concinit Eccles. perelegans locus, qui cap. 32. de musica verba faciens, quæ in conuiuio per interualla misceri solet, quàm apte in illud tempus cadat eadem similitudine declarat. *Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio musicorum in conuiuio vini. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in iucundo, & moderato vino.* Quocirca, si de parabolis ac problematis in conuiuio propositis sermo est, vt statim dicemus, præclarus erit vtriusque sententiæ concentus.

Non prætereunda interpretatio Rodolphi, hæc enim inter eas, quæ à vulgata lectione discedunt, non caret elegantia, & lepore. *Mala aurea in retiaculis argenti* (sic ipse legit) *verbum dictum cum rotis suis*, nimirum verbum dictum in castigationem, aut correptionem amici. Vide tamen an Salomon adluserit hoc loco ad *Rotam*, tormenti genus, quo olim fontes cruciabantur, ita vt *verbum cum rotis suis*, admonitionem significet ad torquendum, coercendumque amicum accommodatam. Quasi dicat; licet nonnunquam ad corripienda amicorum vitia verba adhibere, quæ illum cruciare, & velut in rotam agere videantur: verba autem eiusmodi cum ab amico, & beneuolo animo proficiuntur, sunt equidem mala aurea in foraminibus argenti, quia nimirum in argenteo eloquio seueræ admonitionis, pretiosum charitatis aurum inclusum delitescit, quod attentius dispicienti satis proditur. Mitto alias interpretationes minus elegantes, & ad Vulgatam lectionem venio, nam ex præmissis expositionibus nulla est, quæ ipsi satis aptari possit.

Mala aurea in lectis argenteis, &c. Iansen. & alii recentiores interpretes, *lectos* accipiunt, vt sonant, pro thalamis. Ergo Iansen. sic habet. *Quem-*

A admodum mala aurea affixa lectis argenteis, vel ab ipsis cortinarum circulis pendentia, plurimum exornant lectos, & oculos intuentium oblectant; sic etiam verba temporis, & opportunitati accommodata, ei qui dicit, auctoritatem conciliant, & auditorem mirifice afficiunt. Supra vero per istiusmodi mala intelligere videtur tornatos orbes, qui supra lectorum columellas refigi solent, quæ apud nostrates vulgo dicuntur *manzanas, omanzanillas de la cama*. Nimirum sicut isthæc mala thalamos magnopere decorant, & eorum fastigia perficiunt, sic etiam verbum opportune prolaturum, decorum valde finem, exitumque causis, negotiis, discordiis, & aliis quibuscumque rebus afferre, vel imponere solet.

B Sed tamen, vt nostrum de hoc loco consilium subiiciamus, præmittere oportet id quod nuper attigimus, scilicet Salomonem de his parabolis, problematibus, aut griphis loqui in hoc versu, qui in conuiuio proponi, & obici olim consueuerunt ad torquenda conuiuiarum ingenia, de quibus multa diximus cap. 9. vers. 1. 2. & cap. 23. vers. 1. 2. plura tom. 1. in Isagoge huius commentarii. Itaque *verbum dictum in tempore suo*, parabolam intelligo in conuiuio iactatam, id enim tempus opportunum parabolis ferendis. In primitiuus est, *Verbum dictum cum rotis*, aut, *super rotas suas*. Pineda noster voluit formam verborum rotatam, & volubilem notari, quibus prouerbia cogi solent, nam fere partibus constant similiter sonantibus, quemadmodum illæ, quæ ob rhythmos similes ab Hispanis dicuntur *Redondillas*. Sed tamen vt dicam quod sentio, crediderim potius Salomonem in hoc loco ad rotam spectasse, quæ erat olim tormenti genus valde celebre, de quo sæpe alias in scriptura mentio fit. Vide multa, quæ nos contulimus supra cap. 20. vers. 26. ad illa verba, *Et deuoluit super eos rotam*. Ergo cum obscuriores illæ parabolæ & enigmata, ad perurgenda, & torquenda conuiuiarum ingenia proponi solerent, apposite admodum dicuntur *verba cum rotis*, verba scilicet quæ mentes, velut in rotam actas, mirum in modum cruciant, quoad difficiles eorum explicatus attingant. Secundo notandum est per *lectos argenteos* hic non thalamos ad cubandum accipi; lectos enim argenteos nusquam legimus nisi in conuiuio. Apud prophanos quidem passim in sacris vero Esther 1. *Lectuli quippe aurei, & argentei, super pauimentum smaragdino, & pariostratum lapide.* Nil certius. Lege Fuluium Ursinum in triclino Romano.

C Altera ergo expositio sumi potest ab his lectis tricliniaribus. Constat enim in his cum primis pedes aut columellas commendari solitos, quibus innitebantur. Obseruauit hoc Athen. qui lib. 1. adducit Platonem comicum quosdam inducentem, qui in lecto eburneis pedibus suffulto in cœnis cubaret; adducit etiam inibi lectos ἀργυρόπους. i. argenteos pedes habentes. Clemens Alexand. in Pedagogo χρυσιοτάκτους. i. auro insistentes appellat, scilicet aureis pedibus subnixos. Quid plura? Idem Athenæus, vt obseruauit illius Scholiastes Casaubonus libro 10. eiusmodi lectorum fulcra, aut pedes ἐδάρα appellat, id est, lenticulas, quia nimirum orbes erant, seu bullæ quædam in lentis figuram tornatæ: talis enim erat pedum forma. Subdit idem Scholiastes pedes istos ab aliis μήλα, id est mala nuncupari, vulgò *Manzanas*, atque inde lucem afferri putat translationi Vulgatæ. *Mala aurea in lectis argenteis*. Nec displicet ista interpretatio; potest enim inde non inelegans sensus elici

D

E

44.

Iacob. 1.

Eccles. 32.

45.
Rodolph.46.
Iansen.

Pineda.

Esther. 1.

Athenæus.

Clem.
Alex.

ad hunc modum. Sicut mala, lenticulæ, aut fulcra aurea, lecticulis tricliniaribus subiecta, illos non modo sustinent, sed etiam mirifice exornant; sic etiam verbum dictum in tempore suo. Hebræa habent, *Verbum dictum super rotas suas*. Obserua illud *super rotas*, ex quo apparet comparationis congruitas, nam verbum *super rotas* componitur cum lecto argenteo super mala, seu orbis aureos incumbente. Quasi dicat verbum elegans opportunè iactatum, sermonem longum perinde ornat & sustinet, id est, *honra y sustentava una larga conuersacion*, quemadmodum aurei orbis seu mala, reliquam lectorum structuram fulciunt. Quod ad eas parabolas translatum, quæ in conuiujs obiici solebant, aptius cadit. Trahitur enim similitudo ex re proxima, scilicet, ex ipsis tricliniorum lectis, in quibus conuiuæ discumbebant. Vel aliter si altius speculemur, a similitudine lectorum aureis pedibus incumbentium sententiæ veræ, ac solidæ fidei principiis innixæ notari possunt. Quasi dicat: super doctrinam aliquam ex verissimis fidei principiis deductam, & illis innixam perinde acquiescit, atque oblectatur animus, quemadmodum conuiuia super lectulum argenteum aureis pedibus suffultum discumbens.

49. Sed licet hæc non ineptè dicta sint, alia nihilominus occurrit interpretatio, quæ mihi ante alias probatur. Animaduertere autem oportet apud veteres olim in vsu fuisse, tricliniorum lectulos floribus omnigenis spargere, & inter flores etiam mala præsertim cydonia mittere: putabant enim florum atque malorum odore caput aduersus ebrietatem roborari, atque adeo conuiuæ floribus, ac malis vndique stipati, temulentie obfistebant. Vfus iste lucem capit ex Athenæo libro 3. vbi Stesicorum Poëtam inducit sic canentem. *Multa cydonia mala iaciebant in thorum Regi*, sic lego, non *currum*, vt alii conuertunt, quia mendosam esse eam translationem vel ex eo coniecit Casaubonus scholiastes, quia malorum cydoniorum missus, aut iactatus in currum, triumphatores non tam delinere quam fauciare posset. Sic ergo restituendus est locus iste. *Multa mala cydonia mittebant in thorum Regi, multa que myrti folia, rosarumque ac violarum elegantes orbis*. Ad hæc Timæus apud eundem Athenæum, inter alia conuiuii oblectamenta numerat, *unguenta, rosas, & mala*, & quidem hæc omnia amuleta erant contra ebrietatem. Vide plura, quæ nos contulimus ad illa verba Cant. 2. *Sicut malus inter ligna sylvarum* Et infra. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Vbi sponsam in thoro discumbentem, ac de more in sponsi brachia, & amplexu insinuatam ea postulare diximus, quibus ebrietati succurrere solent conuiuæ, flores videlicet, ac mala; languorem enim illum ad ebrietatem referendum esse ibidem decreuimus. Ex multis verò, quæ inibi collegimus, id tantummodo excepim, quod huic loco maxime proprium est, scilicet mala, seu cydonia, seu melina, aut camusina, odore suo caput contra ebrietatem firmare; docuit hoc Athenæus supra; qui ob eam causam mala olim Baccho sacra fuisse dicit, producitque testimonium Theocriti, qui conuiuam contra ebrietatem obarmatum describit his verbis.

*Mala sinu seruant Dionysii dulcia, frontem
Cui tegit Herculeu ramus, cui populus alba.*

Lege ibi plura. Ad hæc memoria recale id quod late disculimus in huius commentarii Isagoge ex

A Plutarcho, Platone & alijs; scilicet veterem morem philosophandi problemata, gryphosque iactandi in conuiujs ideo ab antiquis inuentum & celebratum fuisse, vt ebrietatem à conuiujs relegarent: nam cum ad soluenda, diluendaque eiusmodi ænigmata, & gryphos multo consilio, & mentis robore opus esset, ne mens ad respondendum, & disceptandum ex vino hebesceret, conuiuæ parcè admodum bibebant.

Iam intelligis quò tendam. *Mala aurea in lectulis argenteis*, &c. Per mala aurea, mala cydonia seu melina intelligo; hæc enim à colore aurea dicuntur. Virgilius Ecloga 3. *Aurea mala decem missi*. quæ verba non de citris aut medicis, sed de cydonijs capienda esse, optimis autem rationibus euincit noster Ioannes Luis de la Cerda in eum locum. Et quidem aurum nonnunquam ad pallorem notandum assumi in scriptura, quemadmodum argentum ad candorem, vt nuper dicebamus, exploratum est, euinciturque ex illo loco Psal. 62. *Penna columba deargentata, & posteriora dorsus eius in pallore auri*. Vbi describitur columba dorso auri, ac reliquo corpore argenti colorem imitans, alba nimirum & subpallida. Sunt etiam qui verba illa *caput eius aurum optimum*, ad capillorum colorem referant; aureus enim comarum color commendari solet. Virgilius. Ouidius etiam lib. 12. metamorphos. *Arca comam*, qui libro item 8. sic habet. *Flauentes aurospicas*, &c. At igitur Salomon: Quemadmodum mala aurea, id est, cydonia, aut melina, super lectos argenteos, id est, tricliniarum seu epularum, ad stipandos conuiuas missa, ebrietatem arcent, sic etiam verbum dictum in tempore suo, vel, *cum rotis suis*, nimirum problema aliquod obscurum opportunè inter epulas coniectum mirifice conuiuatum ebrietati succurrit, vel potius ipsam prohibet: nam ne mentes, obtusis mero capitibus, ad illud edisserendum ineptæ reddantur, nullus non temperanter bibit. Ideo autem verba de gryphis, ac parabolis conuiuialibus exponi debere affirmavi, quia sic illustris & accomodata magis est similitudo è re proxima desumpta. Quod si in vniuersum de sententiâ opportunè de prompta accipiantur ista verba, placet mihi coniectura Rodolphi, qui vt versus iste cum sequenti cohereret, docuit illum specialiter de amica, & beneuola morum correptione amico tempestiuè exhibita intelligi debere; atque adeo sensus erit. Quemadmodum mala, super lectulos triclinij argenteos coniecta conuiuæ temulentiam coercerent, & caput contra merum obfirmant, ita etiam beneuola, & amica correptio morum tempestiuè adhibita, hominem ita, aut alia vehementi affectione corruptum deebriant, ac sibi reddunt.

C D Ad extremum subiicio, ex recentioribus interpretibus aliquem seuerius, quam par erat, in Medicum quendam nostri temporis satis doctum inueni, qui locum istum edisserens, per *mala aurea* medica mala, seu autangia concipi debere affirmavit; & quidem ita ego censeo coactè admodum mala medica huic loco accommodati posse, si tamen visum est huic auctori hæc verba non posse intelligi de veris malorum fructibus, sed metaphoricè de re aliqua, quæ mali figuram referat, ipse mihi potius obiurgandus videtur. In primis enim vox originalis פרוחא Phucham, nusquam aliàs metaphoricè sumitur in scriptura, sed veros malorum fructus vbique sonat. Ad hæc Beda, qui locum istum spiritualem ad sensum vocauit, de fructibus interpretatus est, sic enim habet. *Sacra*, inquit,

eloquia rectissime lectis comparantur argentes, quorum lectorum ornatui mala aurea superaddit quisquis eadem diuina eloquia, spiritualibus plena sensibus, & mysteriis exponendo demonstrat, qui nimirum sensus apte mala vocantur, quia de arbore vita, id est, Dei sapientia sunt orti. Eandem sententiam mutatis verbis tradit Hugo Cardinalis & alij. Denique quidquid aliud dicitur, vel à vulgata lectione longe abit, vel insulfam satis sententiam continet.

XII, Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem.

INAVRIS aurea, &c. Hebr. Inauris aurea, & ornamentum obryzi arguens sapiens super aurem obedientem. Caietanus. Et monile auri solidi sapiens arguens. Vatabl. Torques auratus, & monile aureum est, &c. Chald. Inauris aurea, & vasa sunt smaragdina, correptio sapientis in aure obedientem. lxx. In auream in aurem etiam sardium pretiosum ligatum est, sermo sapientis in aurem obedientem. Lectio scholia. Inauris aurea, & poculum aureum, Has omnes lectiones pepetit ambiguitas vocum originalium: nam pro in aure, subest נזעם Nezem, quam vocem volunt aliqui quodlibet monile in vniuersum significare: sed tamen propriè atque germanè esse aurium ornamentum comprobatur locus Genes. 35. Et in aures qua erant in auribus eorum. & Exod. 32. Tollite in aures aureas de vxorum filiorumque, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. Illud certè ex duobus hisce locis excipere licet, nomen illud Nezem, ornamentum aliquod viris ac foeminae commune significare. Nam viros etiam olim apud Hebræos aures perforate, & circulos aureos inde suspendere solitos certò certius est. An verò hoc superstitiosum esset, & idololatriæ argumentum, non satis liquet. Rursus margariti fulgētis loco in exēplaribus est חליכתם Calichatem, vocem Chali, Vulgatus aliàs aliter conuertit. Osee 2. monile transtulit. Ornauit, inquit; se in aure sua, & monili suo, & Cantic. 7. Iunctura femorum tuorum sicut monilia. Nam cum de istius vocis significatione non satis constaret, modò hanc, modò illam pretulit noster interpretes. Hic enim pressit vestigia lxx. interpretum, qui etiam pretiosum aliquem lapidem illi voci in hoc loco subiici existimantes, sic restituerunt. Et sardium pretiosum ligatum. Itaque quatuor huius nominis significationes habes in hoc loco ex diuersis interpretibus, sardium videlicet, margaritum, monile, & vas, seu poculum. Ad hæc de radice חלח Calach, id est, infirmari & ægotare: atque ideo ornamenta id nominis tulisse dicunt, quod quædam essent aduersus ægritudines amuleta: Alii rursus deducunt ex radice חלל, id est, perforare aut perfodere, quia videlicet ex auribus perforatis penderent: & alii alia dicunt. Denique vox illa Chatem, non minus anceps est: Hebr. docent auri massam solidam, defæcatam, & puram eo nomine notari. Hieronymus tam hic, quam alibi, fulgorem, & nitorem rerum significari vult. Iob 2. v. 16. si verbum ex verbo reddas, sic efferendum est. Non estimabitur cum חכמתם Chatem ophir. Hieronym. autem transtulit. Non conferetur cum tinclis Indæ coloribus. i. cum nitidis ac splendidibus coloribus. Et Threnor. 4. Mutatus est, חכמתם optimus. Hieronymus Mutatus color (id est nitor

51.

Gen. 35.

Exod. 32.

Osee 2.

Cant. 7.

Iob. 2.

Hieron.

Thren. 4.

A optimus. Chald. verò tum hic, tum alibi smaragdum transtulit.

His ergo prælibatis de sententia huius loci vix aliquid dissidi est. Id tantum interest, quod alii volunt sapientem appellati eum, qui corripit: alii vero eum, qui audit correptionem. Itaque alii legunt, qui arguit sapiens, alii verò, qui arguit sapientem. Ab his verò lxx. & Chaldæus tantisper discedunt, qui, vt comparatio esset concinnior, non arguentem, & corripientem, sed ipsammet correptionem, & redargutionem in auri ad similem esse dixerunt. Id ergo tantummodò desiderabis in nostris interpretibus. s. huius comparationis illustrem aliquam rationem.

Beda. Hugo, & alii, duas similitudines distribuunt

B & seuerum præceptorem cū margarita, auditorem autem beneuolum cum in aure confecti docent. Sic enim scribit Beda in hunc locum. Recte humilis auditor in auri comparatur aurea, qui dum libenter increpanti, & arguenti aurem accommodat, iam se ad accipiendam claritatem celestis sapientia preparat: iam superna lucis visioni appropriat. Postea verò de doctore sic atexit. Recte doctor eruditus margarito fulgenti assimilatur, quia dum emendationem morū, dum supernorum scientiā desiderantibus, ac pie querentibus animis ostendit, quasi aureo ornatui maiore insuper gratioremque fulgorem gemma ardentis adnectit. Itaque Bedæ venerab. interpretatio luculentius explicata sic habet. Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem. Inauris aurea, & margaritum fulgens vna ex parte: doctorque seuerus, & auditor facilis ex altera, duo quidem cum duobus aptè componuntur: doctor vtique cum in aure aurea: auditor verò cū fulgenti margarito. Nam sicut margaritū præfulgidū in auri aureæ pulchrè admodum aptatur ita etiam doctor seuerus auditori beneuolo decantissimè accommodatur: hic enim illum mirificè exornat: nam quò seuerior est magister corripientis, eo gloriosius ac nobiliter est obsequium acquiescens discipuli.

Caietanus etiam alia ratione duas similitudines diuidit, sic enim legit. Inauris aurea, & monile obryzi arguens sapiens super aurem obedientem, sapiens, inquit, redarguens monili auri obrizi, & auditor facilis in auri aureæ ad similes dicitur, quia

D vterque valde pretiosus est: Iacet sanè Caietani expositio, Possent tamen aliquis (quandoquidem ista lectio non omnino displiceat) vtramque similitudinem doctori serio sic adaptare. Inauris aurea, & monile obryzi, monile hinc aliquod ornamentum significat è collo in pectus pendens, vt docet idem Caiet. Grauis ergo atque seuerus magister, auditoris obsequientis mores serio corripientis, inauris est, auribus inserta, & monile cordi appensum, quia nimium eius monita non solum aures discipuli imbuunt, sed inde etiam ad pectus descendunt, & intima viscera peruadunt. Quasi dicat, doctoris admonitio & correptio, cum auditorem difficilem, & proteruum nactus est, auribus tantummodò insonat, ad animum verò non pertingit: cum verò auditor beneuolus est, ac docilis, ab auribus in animum influit. Quod si duas similitudines inter doctorem, & auditorem partiri libeat, tunc quidem per monile obrizi, torquem guttur, faucesque ornantem accipere opus erit, hoc sensu: Auditor quidem auribus excipit correptionem, doctor vero gutture, ac faucibus eandem exprimit. Dicit ergo Salom. seueram admonitionem maximo vtiq; ornamento esse, doctori, atq; auditori: huic. n. quia illa auribus suis haurit, pro in aure aurea est: illi vero,

E

qui illam gutture emittit, pro torque, & monili A perueniſto.

6. Reliqui interpretes vtramque ſimilitudinem in-
auris, atque margariti, vni doctōri adſcribendam
putant: ſed tamen illarum vim, atque energiā
non ſatis exponunt. Hugo. *Inauris aurea, & margari-
ritum fulgens, qui arguit ſapientem, & aurem obe-
dientem* Id eſt, aureæ inauris, ex qua margaritum
ingentis pretii ſuſpēditur, ſimilis eſt doctōr ſeue-
rus, qui docilem auditorem commonefacit. Quia
quemadmodum inauris illa pretioſa auri decentiſ-
ſimè aptatur ita etiā doctōr grauis docili ac prom-
pto diſcipulo, nihil vltra interpretes. Sed tamen
huius ſimilitudinis vim attentius expendens ali-
quid vlietius ſubiicere libet.

57. Inauris ergo pretioſa aurem perforat, ac per-
tundit, perforatam pertuſamque exornat, ac deco-
rat. Non alia, inquit Salomon, eſt doctōris ſeue-
rè corripientis contentio, quæ acri correptione do-
ciliſ diſcipuli aurem perforare, ac perſtringere vi-
detur: ſi tamen hæc beneuolè excipiatur, eandem
autem mirificè decoram reddit. Præſtantiſſima. n.
aurium gloria eſt dociles eſſe, & ad audiendam diſ-
ciplinam promptas & faciles. Hunc ad ſenſum,
ni fallor, allici debent verba Pſalm. 39 verſu 7. *Sa-
crificium & oblationem noluiſti, aures autem per-
foraſti mihi.* Primitiua ad verbum, *aures autem per-
foraſti mihi*, vbi plane lxx. illi interpretes de præ-
miſſa aurium perforatione hæc verba intellexiſſe
videntur, cum ad ſuſpēdendas ornamenta gratia
inaures terebrantur auriculæ: id. n. expreſſerunt ea
voce *perforaſti mihi*, id eſt, adornaſti aures meas, in-
ſertis nimirum inauribus, decorem & ornatum eiſ-
dem comparaſti. Itaque ſenſus illius loci talis eſt.
Non ſacrificia, & hoſtias à me exegiſti, ſed doci-
les, promptasque ad obediendum aures: Tu igitur
præceptis ſeuerioribus, tanquam inaurium qui-
buſdam circulis, eas ſimul perforabas, & perſicie-
bas, ſeu ornabas, quia ego ſemper ad nutum pare-
bam. Subdit enim, *Holocaustum, & pro peccato
non poſtulatiſti, tunc dixi, Ecce venio. In capite libri
ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam, &c.*
Et quidem ad hunc locum exponendum facit, ni
fallor, id quod ſupra obſeruabam, ſcilicet non ſer-
minas ſolum, ſed etiam viros inauribus olim vti,
atque his religionem ſuam teſtari ſolitos, quia ni-
mirum deorum, quos colebant, imagines, notas,
aut nomina inauribus impreſſa geſtabant. Et qui-
dem Rabi Abraham veteres Hebræos aliquid ſem-
per de inauribus inſcribere ſolitos dicit, damnatque
illorum ſuperſtitionem, qui aliquid exarabant
permodum incantationis, aut orationis occultæ,
quemadmodum hodie in annulis à quibuſdam ſu-
perſtitioſè fit. Hanc noſtram ſuſpicionem com-
probant aliqua ſcripturæ ſacræ loca. *Gen. 25.*
vigefimo quinto, cum Iacob ſuos alloquitus hæc
dixiſſet. *Abiicite Deos alienos, qui in medio veſtri
ſunt, & mundamini, &c.* ſubdit ſacer textus eos
impetia perfeciſſe. *Dederunt ergo ei omnes Deos
alienos, quos habebant, & inaures, que erant in
auribus eorum: at ille inſodit ea ſubter terebinthum,
quæ eſt poſt urbem Sichem.* Itaque cum ipſis idolis
inaures obtulerunt illi, ex eo nimirum, quia in his
idolorum ſuorum, aut imagines, aut nomina im-
preſſa geſtabant. Itē in Oſeæ ſecundo, *Et viſitabo,*
inquit, *ſuper eam dies Baalim quibus accendebat
incenſum, & ornabatur in aure ſua, & monili ſuo,*
illos ſ. Deos colebat, geſtans illos in inauribus at-
que in monilibus ſuis, in antiquis exemplaribus.
Et ornabatur in aure ſua, in qua nimirum ipſi, aut
eorum nomina exarata erant.

Et quidem tantundem religionis inauribus in- 58.
eſſe exiſtimabant antiqui, vt ex his deorum ſuorum
ſimulachra conſtare ſolerent. *Iudic. 8.* Gedeon ex-
pugnatis Iſmaëlitis ſic populum ex præda redeun-
tem affatus eſt *Date mihi in aures ex præda veſtra,*
(inaures enim aureas Iſmaëlitiæ habere conſueve-
rant) *qui reſponderunt, libentiſſimè dabimus, ex-
pādentesque ſuper terram pallium, proiecerunt in
eo in aures de præda. Fecitque ex eo Gedeon Ephod, &
poſuit illud in ciuitate ſua Ephra, fornicatusque eſt
omnis Iſraël in eo, &c.* Rurſus *Exod. 32.* Aaron po-
puli tumultum conſtituo vitulo ledere volens, inau-
res etiam poſtulauit. *Tollite in aures aureas de vxorū
filiorumque, ac filiarum veſtrarum auribus, &
afferite ad me. Fecitque populus quod iuſſerāt, defe-
rens in aures Aarō: quæ cum ille accepſiſſet forma-
uit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conſtatilem.*
Et infra c. 35. cum Moyſes tabernaculum, veſtes, &
vaſa ſancta affabre conſtituere vellet, obtulit rurſus
populus in aures & armillas. Ergo iuxta ea quæ di-
ximus, Pſalmis verba exponenda ſunt. *Holocaustum
& oblationem noluiſti: aures autem perforaſti, aut
perfecuſti mihi. i. repudiatis holocaustis, obediē-
tiam, ac obſequium tibi à me exhiberi voluiſti: &
in eius rei argumentum memet pertuſis auriculis
inauribus decoraſti, in quibus nomen tuum exaratum
eſſet.*

Appoſite ergo ad hæc Salomon in hoc loco ſic 59.
dicit *Inauris aurea & margaritum fulgens, qui ar-
guit ſapientem & aurem obedientem.* id eſt, Magi-
ſter ſeuerus docilem auditorem naſtus, non aliter
illum ſibi honeſtè deuincit, ac mancipat, quam ſi
auream in aurem ſuſpenſo margarito auribus eius
inferuiſſet. Quæſi dicat non illum per correptionem
& ſeueram admonitionem in ſe prouocat, ſed conciliat,
& obſequentem ſibi reddit. Nam etſi correptio aurem
terebrate, ac perforare videatur, tamen eadem illam,
velut inauris, incluſo margarito, mirum in modum
exornat. Quid plura? Sui-
uiores equidem ac leniores adhortationes ad aures
quidem perueniunt, ſed non affiguntur, ideo faci-
lè excidunt: atramen ſapientis doctōris auſterior
correptio aures perſodit, atque illis inſixa, velut
inauris, nunquam amplius excidit, aut elabitur.
Rurſus, vt nuper dicebam ex Rabi Abraham, He-
bræis olim ſo. e. n. fuit, in inauribus, quas geſta-
bant, aliquid inſcribere, quo ſcilicet in memoria
ſemper vigere vellent. Salomon ergo fortæſſe huc
ſpectans, *Inauris aurea, & margaritum fulgens
qui arguit ſapientem, &c.* vel vt habent Septua-
ginta, *Sermon ſapientis in aurem obedientem.* id eſt,
ſeueræ doctōris cohortatio ſimilis eſt aureæ inauri,
id eſt, perinde hæcet memoriæ, ac menti obau-
dientis diſcipuli, ſicut ea, quæ aureis inauribus im-
preſſa, & incifa, ad memoriā excitandam afferri
ſolent. Ad hæc Apuleius ex Platone, & ex Apuleio
Cælius Rodiginus antiquarum lectionum lib. 3.
capite 15. docet, olim aureos circulos, ſeu inau-
res aureas, auriculis appendere nobilitatis inſigne
fuſſe. Atque adeo licebit ſic comparationem iſtam
inſtituere. Sunt quibus turpe & indecorum vide-
tur corripī, & corripientibus acquieſcere, ſed ta-
men falſa eſt eiufmodi exiſtimatio: nam correptionem
doctōris ſeueri beneuolè audire non eſt
turpe, aut indecorum: quin imo talis correptio
auribus inmiſſa, & obſequenter excepta, adinſtat
eſt inauris aureæ, quæ generoſos & liberales diſci-
cipulos mores inuit.

Denique conſulendus eſt Iob extremo capite,
vbi familiares ad eum conſalutandum venientes, &
ob recuperatam ſælicitatem illi congratulantes: 60.

Obrulerunt ei quem unam, & in aurem auream unam. At quorsum, inquit, Iob in aures donatae sunt ab amicis eo tempore? Vide, an veteris consuetudinis aliquid effulgeat in hoc loco: nam more comparatum olim fuit, ut natales amicorum dies, oblati inauribus, amicissimi quique concelebrent: ita docet ex Hebraeis Rabi Salomon. Quod spectasse etiam videtur Plantus in Epidico, ubi sic ipse Epidicus. *Non meministi me in aurem auream ad te adferre natali die: id est, quotannis solitum adferre.* Addit verò Plauti scholiastes, eos qui ab amicis per annum aliqua ratione læsi, aut violati fuerant, his doni placati, ac veterum iniuriarum oblitos in gratiam redire solitos. Atque hinc fortasse nata est vox illa Hebr. *Chali*, id est, *inauris*, quæ in hoc Salomonis loco occurrit, de qua sic Mercerus: *Sunt qui vocem hanc à precando dictam putent, quasi precatorium, aut placatorium dicas, quod ad demerendam gratiam adhibeatur.* Amici ergo illi, qui Iob ex pristina calamitate, velut è morte rediituum, aut denuò natum, editumque receperant, aureas in aures eidem afferunt, sic scilicet quasi natales ipsius dies celebrarent, & quem suis etiam contumeliis olim violauerant, illis muneribus placatum illatas ab illis iniurias obliuisci cupiebant. Liceat ergo hunc etiam per quandam accommodationem reliquis expositionibus inferre. *Inauris aurea, & margaritum fulgens qui arguit sapientem, &c.* id est correptionem morum ab aliquo doctore leuero profectam, is qui sapit, ac docili ingenio est, non ægè fert, sed placidè ac beneuolè excipit: ac, veluti is qui in aurem auream in natali suo ab amico donatam capit, inimicitias & similitates obliuioni committit, & veterum gratiam repetit: ad eundem modum vir sapiens correptionem sibi exhibitam boni consulens, quasi donum aliquod eximium in natali die sibi collatum æstimat: & non modò non irascitur, sed eo beneficio deuinctus placatur, atque doctorem suum ardentius amat, & omnium antiquarum similitatum obliuionem sibi ipsi indicit.

Libet etiam aliquid hinc asserere de interpretatione Chald. *Inauris aurea, & vasa smaragdina correptio sapientis in aure obediens.* Ad quam proxime accedit lectio Scholast. *Inauris aurea, & poculum aureum, &c.* Possset quidem aliquis dicere vasis, aut poculi nomine monile aliquod notari è collo in ventrem pendens, qui hanc suam suspicionem roborare posset verbis illis Cant. 7. *Vmbilicus tuus crater tornatilis non indigens poculis.* Vbi non pauci ex recentioribus interpretibus per craterem illum tornatilem, monile quoddam intelligunt, crateris similitudinem referens, supra vmbilicum pendens: atque adeo hæc lectio à superiori illa non discederet, *Inauris aurea, & monile obrizi* quam nuper expendimus. Quod si hæc speculatio non placeat, duplex illa comparatio inauris, ac poculi smaragdini: seueræ correptioni doctoris eruditi accommodari sic poterit. Increpatio actis viri sapientis docilem ac beneuolum auditorem naeta, similis est inauri aureæ: quia sicut hæc aures decenter exornat, ita etiam illa. Ad hanc priorem similitudinem pertinent omnia, quæ nuper diximus. Rursus eadem increpatio similis est vasi smaragdino, aut poculo ex auro solido conflato. Nifallor adludit hæc lectio ad perantiquum morem propinandi in conuiujs, quo amici amicos se se inuicem libatis pateris excipiebant in beneuolentiæ argumentum: de qua veteri consuetudine, quæ ad nostra vsque tempora viguit, multa diximus in Cap. 2. Cant. v. 4. ubi etiam obserua-

A uimus veteres illos calices quosdam valde pretiosos ad eiusmodi amicas inuitationes adhibere solitos, & ex his alterum fuisse illum, ob quem post epulas furti rei facti sunt apud Ioseph fratres eius, de quo Genes. 44. *Calicem, quem furari estis, ipse est, in quo Dominus meus augurari solet.* Cuius loci absolutam expositionem inibi habes. Mens ergo Salomonis hæc est: grauis & seria admonitio viri sapientis, cum docili & beneuolo auditori exhibetur, similis est vasi, aut poculo pretioso, quo in conuiuio propinationes fiunt: quemadmodum enim calicem à propinatore sibi destinatum nullus non excipit, ac boni consulit, quia id non paruam amoris significationem continere credit, ita etiam gratus & obsequens auditor correptionem sibi à sapiente exhibitam libenter excipit, quia non leue amoris argumentum æstimat suos mores ad eum modum coerceri, & perstringi. Hic autem obserua veterum propinationes in conuiujs sic institui solitas, alter præhibens, & salutem amico suo deprecans illum ad bibendum lacessebat, calicem eundem, quem hauserat illi offerens: ille verò euetus ea gratia eundem calicem siccabat, & reciprocas etiam salutes reddebat. Eandem esse dixerim præceptoris & discipuli legem: præceptor enim eam doctrinam, quam alteri propinat, prius ipse ebibere ac percolare debet, illam in semetipso exprimens: rursus dum illam auditori suo instillat, salutem ipsius sibi cordi esse argumentis pluribus insinuare: hinc verò eam gratus excipere, & salutes adhortatori suo mutuas referre omnino debet.

XIII. *Sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit illum animam eius requiescere facit.*

SICUT frigus niuis, &c. Hebr. *animam Domini sui reuerti faciet.* Quasi dicat, *Le uelue el alma alcuerpo.* lxx. *Sicut exitus niuis in messe, per æstum prodest, sic fidus legatus his, qui miserunt eum, animas eorum qui ipso vtuntur, inuat.* Chald. concinnit eum nostra.

Interpretes quidem in hoc loco verba ipsa capiunt, ut sonant, & legatum fidelem commendari dicunt, sed illorum energiam non satis expendunt. Aliquid ergo de sententiæ istius germana vi subiiciam. Sed tamen cum argumentum contineat à simili, prius similitudinè constitnere oportet. *Sicut frigus niuis in die messis*, de frigore aliquo niuali, qui subito messis tempore ingruit, nonnulli exponunt: non quia eo tempore tale quid euenire soleat, sed quia fingitur incidere. Quasi dicat: *finge tibi in maximo ætatis fetuore, niuem, glaciemque è cælo subito demitti, quandiu nihil tale speratur.* Quemadmodum ergo frigus hoc ante tempus incidens æstum temperatet, & corpora mitificet, reficeret: ad eundem modum legatus fidelis, qui mandata Domini sui ocys peragit, & prius ad ipsum confectis rebus redit, quam sperabatur, mittentis animum expectatione anxium, mirum in modum consolatur. Itaque secundum hanc priorem interpretationem nuntius commendatur eximie diligens, qui spem anxie expectantis sua celeritate vincit.

Secunda huius similitudinis accommodatio sic habet. *Sicut frigus niuis in die messis.* Iansenius & Rodolphus de messoribus exponunt. Messores ergo, inquit aliqui, æstu magnopere vtuntur, quia cum ardor ætatis illi accedat qui ex fatiga-

Plant.

Mercerus.

61.

Cant. 7.

Gen. 44.

62.

63.

64. tione, & labore excitatur, vehementissime incallescunt, atque adeo refrigerium impensius desiderant. Sed quia ad eiusmodi homines calore ac fatigatione nimium æstuantes reficiendos, aura aliqua mollior haud satis est, ideo si fieri posset, hyemem atque niues sibi euenire vellent, ut istum conceptum temperarent: ideo Salomon frigus niuis usurpauit. Hinc ergo sensus eiusmodi elici potest. Quemadmodum ad melleos ab æstu, & fatigatione nimium incallescunt reficiendos, non auræ molles sufficiunt, sed exæstantem illorum ardorem opinione nostra sola niuium atque hyemalis glaciæ frigora reficere possunt: ita etiam hominem alicuius rei magni momenti expectatione sollicitum, & anxiu, non famæ, aut rumoris aura incidens sedare potest: sed legato fideli, ac veraci opus habet, qui illum de re, quæ animum illius tangit, certiore faciat; hic enim tantummodo illius sollicitudinem temperare quiverit. Itaque iuxta hanc secundam expositionem, hominis de re aliqua grauiori solliciti anxietas extollitur, quæ non opinione, sed certissima rei denunciatione temperari potest.

Tertio aliter similitudo, & mea quidem sententia, longe melius conformari potest. Sicut frigus niuis in die messis. Frigus niuis appellatur non ex niue, quæ eo tempore è cælo decidat: hæc enim naturaliter æstate flagrante euenire non potest, sed frigus niuis dicitur illud, quod venti ab Aquilone, & mialibus montibus perflantes secum afferunt, qui sæpius æstatis ardores mitigant, & placidam tempestatem reddunt. Similitudine autem ad eum modum constituta sententia aliter institui potest. Sicut æstatis vehementis ardores frigidus ventus ab Aquilone, ac niuosus montium verticibus perflans, mitificè temperat: ita etiam animum de alicuius rei expectatione sollicitum denunciatio, & fama bona, à veloci nuntio, tanquam à celeri vento perlata, magnopere sedat. Iuxta quam interpretationem boni alicuius nuntii consolatio, & voluptas exprimitur: interim etiam legati celeritas cum vento non insulse confertur.

Quarto præfata comparatio alio sensu donari potest. Sicut frigus niuis in die messis, id est, sicut nix ad refrigerandum potum æstatis tempore adhibita. Nam constat etiam apud veteres sole mne id fuisse, ex Hieronymo de locis Hebræicis, ubi tradit montem Hermon perpetuis niuibus rigere solitum, atque inde Tyrum niues comportari ad æstiva pocula temperanda. Itaque sensus erit simplicissimus. Quemadmodum potus niue refrigeratus æstatis tempore viscerum calorem mitigat, aliquando etiam febri ardentissima laborantem ægrum valetudini restituit: ita etiam legatus fidelis, quando, re aliqua graui confecta, ad Dominum redit, illius animum curis, & sollicitudinibus æstantem delinit, ac sibi restituit, id sibi vult illud, *animam eius reuertit facit.*

65. Sed licet hæc non ineptè dicta sint, tamen, ni fallor, alia est Salomonis mens in hoc versu: non enim agit de legato obita legatione iam redeunte, & bona denunciante: sed de ipso met tunc, cum legatio illi demandatur, & res perficienda committitur, ita vt sensus sit: sicut vehementis æstatis ardores Aquilonares venti à nubibus inspirati temperant, ita etiam hominis de aliqua re alibi agenda solliciti curas & metus legatus quispiam fidelis imminuit, quia causam suam viro, cuius fidem compertam habet commissam apud se cogitans, curam & sollicitudinem omnem abiicit: eam vim habet clausula illa, *et, qui misit illum, quæ*

A significat solatium, ex ipso missionis tempore inchoari. Huc etiam spectat illud, *animum eius requiescere facit*, quia nimirum quoties rei peragendæ sollicitudo, & cura animum subit, recordatio fidelis legati cui res demandata fuit, tanquam aura quædam mollis, æstum animi refrigerat, ac recreat. Denique locum istum spiritualem ad sensum plures interpretes vocant, in his Bedæ. *Legatus, inquit, fidelis doctor est Catholicus, qui autem misit eum, Dominus. Porro dies messis in æstu, tempus est predicationis inter feruores persequentium, de quo dictum est, Messis quidem multa, operarij autem pauci. Frigus niuis in messe aliquantula est quies predicatorum à persecutione repugnantium: recte ergo dicitur, sicut frigus niuis in die messis, &c. quia sicut optabile est predicatoribus verbi, cum ab infidelium rabie forte aliquid refrigerij accipiunt, nec facultas docendi negatur: ita ipsi, qui ad predicandum eos misit, Domino gratum esse constat, cum susceptam ab eo legationem etiam inter aduersa obsequentium fideliter complent. Hæc ille, ex quo id assumere licet, legatum hunc esse Apostolum, Doctorem, & Ecclesiastem diuini verbi: quo posito procliuè admodum erit superiores expositiones à littera ad spiritum transferre.*

C XIV. Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens.

66. **N**VBES & ventus, &c. Hebr. *Vapores & ventus, & non pluuia vir se iactans in dono falsitatis.* Chald. *Dici nubium, & venti, in quo non est pluuia, similis est vir, qui gloriatur in dono falsitatis.* Vatabl. *Qui magnifice pollicetur, sed præstando fallit.* lxx. *Sicut venti, & nubes, & pluuia clarissima, sic qui gloriatur in dono mendaci.* Sic Complutens. & Regia, legunt enim *ἐμπροσθεν*, ita vt ad pluuia referatur vox ista. Codex tamen Vaticanus habet, *ἐμπροσθεν*, id est *clarissima*, aut (si licet dicere) valde *diaphana*, scilicet ob tenuitatem & leuitatem.

D Huius etiam similitudinis vis prius enucleanda est. *Nubes & ventus, & pluuia non sequentes.* Hæc comparatio triplici sensu donari potest. Primus est, veluti cum nubes excitantur, & ventus australis perflat, pluuia præsagium est. Sed tamen prognosticum istud fallit nonnunquam expectationem, iuxta illud Horatij.

*Albus & obscuro detergit nabilia cælo
Sape Notus, neque parturit imbres
Perpetuos.*

Horat.

E Hæc igitur est prima huius comparationis significatio: veluti si nubes, ventusque imbrem polliceri videantur, & tamen imber non consequatur. Secundus comparationis instituendæ modus, per ventum non aliquem natura sua imbriferum, sed quendam ex his qui nubila fugant, & cælum sudum, purumque reddunt, concipit, iuxta illud, *ventus Aquilo dissipat nubes.* Quasi dicat, veluti si nubes adsint imbrem spondentes, ac ventus aliquis vehementior, nimirum Aquilo, aut Eurus, eas subito impellat, atque toto cælo euertat, pluuia sponsonem fallens, &c. Tertius similitudinis sensus erit, si per se singula nubes, ventum & pluuiam accipiamus: hæc enim videtur mens lxx. qui hæc habent. *Sicut venti, nubes, & pluuia clarissima.*

Iudas.
Canon.

Nimirum, sicut ventus fugax, ac sese protipiens, sicut nubes prætenues, quæ ocyus disflantur ac soluantur, ex his nimirum, quas Iudas *nubes appellat sine aqua*: & sicut pluuiæ admodum leuiter perstillantes, & terram nequaquam infundentes. Vel aliter, iuxta nostram lectionem. *Nubes & ventus, & pluuiæ non sequentes*, extremum illud verbum *non sequentes*, non cum pluuiis tantummodò, sed cum vento ac nubibus copulari ac construi debet, ita vt sensum reddat, quem Caietanus his verbis expressit. Quemadmodum apparent quandoque futuræ nubes, futurus ventus, futuræ pluuiæ, & tamen non sequuntur neque venti, neque nubes, neque pluuiæ, &c.

67.

Ergo iuxta triplicem ipsius comparationis sensum diuersas interpretationes comminisci licet; Et quidem primò non sunt audiendi illi, qui verba hæc non de promissione alicuius doni, aut officii capienda esse affirmant, sed in vniuersum de spon- sione indolis, ingenii, industriæ: qui locum istum sic exponendum esse censent. Non pauci cum primùm magnas sui spes in aliis excitassent, quia scilicet eos aut sapientissimos ob ingenii præcocis signa, aut ditissimos ob industriæ prima argumenta, aut honestate & probitate insignes, ob indolis præmatura documenta futuros esse credebant, & tamen postea omnium expectationem fefellerunt: hi verò haud dissimiles sunt nubibus ventisque imbrem portendentibus, & tamen eum minime effundentibus. Hos ergo interpretes minime audiendos esse aliqui propterea dicunt, quia præmissa expositio non continet Ethicam & moralem doctrinam. Huic tamen rationi non acquiesco, quia dici potest carpi eos, qui leuioribus inducti argumentis de aliis magna sperare facillè audent. Aut etiam illos corripi, qui cum quædam bona frugis futuræ prælagia habeant, quæ de illis alios bene sperare iubent, propterea efferuntur, & alios præ se despiciunt, quorum factum pro meritis coercens Deus prælagis in diuersum conuersis, efficit vt conceptæ spei nequaquam respõdeant. In quos apte admodum quadrat hæc comparatio iuxta secundum illius sensum supra adscriptum *Nubes & ventus, & pluuiæ non sequentes vir gloriosus, & promissa non complens*, id est, veluti cum nubes pluuiam portendentes ventus Aquilo subito incumbens dissipat, ac dissoluit, & imbrem auertit: sic etiam accidit, cum aliquis ingenio, indole, aut industria magni aliquid in futurum designat, aut præmonstrat: si enim hic prælagis istiusmodi efferatur, ac turgeat, ipsa eius elatio ac tumor, tanquam ventus Aquilo, suscitatas spes distrahit, aliquando etiam in diuersum conuertit. Huc spectat illud Hieroclis apud Stobæum. *Bonam*, inquit, *adolescentis indolem fastus enecat, & frugem in herbis corrumpit*, qui ex simili alia comparatione à glacie petita, quæ herbescentem adhuc segetum luxuriam, futuræ mellis spem adurit, eandem sententiam perstruxit. Ego verò alia ex causa huic expositioni partum tribuendum esse dico, quia nimirum in Primitiuis pro illis extremis verbis, *Vir gloriosus, & promissa non complens*, subest, *vir iactabundus in dono mendacij*, quæ verba manifestè euincunt Salomonem loqui de promissione donorum fallaci.

Stobæus.

68.

Iudas.

Ob eandem rationem refellenda est illorum expositio, qui docent hic sermonem fieri de hypocritis, vt nimirum hæc verba omnino concinant cum illis, quæ Iudas Apostolus de iisdem hypocritis enunciauit. *Nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur*. Quia licet comparatio iuxta primum sen-

A sum supra exhibitum in hypocritas optimè etiam quadret, qui sanctitatem & probitatem non secus mentiuntur quam nubes, ventusque, cum imbrem vtraque fallaci significatione portendunt: tamen cum constet Salomonem de donorum ac beneficiorum sponsonibus loqui, præmissa expositio vim verbis infert, illud tantum do, ita verba per accommodationem quandam ad eam sententiam allici posse: exemplum habes apud Cassianum collatione 15. cap. 7. vbi sic scribit. *Quapropter nunquam Monachos probos, & morbo cenodoxie vacuos nostri maiores esse dixerunt, qui semetipsos exorcistas coram hominibus hanc, quam inuenerunt, gratiam iactantissima ostentatione diffamant, sed in cassum: sine dubio enim eueniet eis illud quod in prouerbis dicitur, Sicut venti, & nubes, & pluuiæ manifestissima sunt: ita qui gloriantur in dato falso, Ita si quis coram nobis horum aliquid fecerit, non de admiratione signorum, sed de ornatu morum debet apud nos esse laudabilis*. In quibus Cassiani verbis id animaduersione dignum est, quod verba illa, *in dato falso*, quæ ex translatione lxx. accipit, non de dono in aliis collato, sed de dono accepto exposuit, atque adeo illorum interpretum mentem hanc esse existimauit. Sicut venti & nubes, & pluuiæ manifestissimæ sunt, ita qui gloriantur in dato falso, id est quemadmodum manifestissimum, ac sensu ipso compertum, ex quam cœli plaga nubes impellantur, venti perflent, & pluuiæ influant, adeo vt id inficiantem conuincere non difficile sit: ita etiam eum, qui in dono aliquo à Deo accepto fallaci sui æstimatione perinde gloriatur, ac si non accepisset, confutare, & refellere admodum facile est: sicut enim ventos, nubes pluuiasque hinc vel inde regi & moueri exploratissimum est, ita etiam de donis ac beneficiis à Deo ne, an aliunde promanent decernere in promptu est. Nam sicut ventos, nubes largius terram infundentes, ab austro impelli nonissimum est: illi enim venti ac nubes, quæ ab aliis cœli plagis veniunt, vix aliquando pluuias emittunt: sic etiam quoties beneficiis donisque (liceat sic dicere) nos complari quodammodo videmus, ea quidem à Deo in nos proficisci pro certo habendum est, nihil enim veri boni aliunde fluere ac proficisci potest.

C

D

E

Sed si quidem in translationem lxx. incidimus, germanam eius interpretationem prius accipe. *Sicut venti, & nubes, & pluuiæ clarissima sunt*, sic lego non, *clarissima*, aut, *manifestissima*, sic qui gloriatur in dono mendaci. In primis autem illud constanter asserendum est, *donum*, aut, *datum falsum*, in hoc loco pro beneficio promisso, & non per soluto capiendum esse, ne concedamus lxx. interpretes, & ab originali, & à nostra lectione longe abire: deinde notandum vocem illam Græcam *ἐμφανισατα*, fluere à verbo *ἐμφανίζω*, id est, appa- reo, itaque apparentia significat, & (ni fallor) impressionem aliquam notat ex his quæ Philosophus in Meteoris *καταβόρα* vocat, quò nomine censentur apparentes in aère cometæ, nubeculæ etiam præaltæ, vulgò *arreboles*, & alia id genus, quæ serenitatem, aut pluuiam præmonstrant. Sensus igitur loci sic habet: sicut venti validè perflantes, & sicut nubes in sublimiores aëris plagas nimium euectæ, & pluuiam spondere videntur: nunquam tamen pluunt: *sic qui gloriatur in dono mendaci: sic scilicet illi qui se daturos arroganter & superbè iactant, nihil tamen vnquam donant: nam eorum pollicitationes factu plenissimæ (liceat sic dicere) venti sunt vehementes, & nubes nimium altæ, quæ fere aride, & impluuiæ sunt. Huc spectat illud*

Cassian.

69.

Aristot.

Threuerus Threueti in Apophthegmatis, quæ alio schemate, eandem sententiam venustè tradit. Cum cælum rutilans est, scilicet primo mane, tempestatem præflagit, & quàm minimum expectandum est ab eo, qui plurima arroganter promittit. Quæ verba hunc sensum reddunt, cum cælum mane primo nubibus atris offusum est, vespere quidem serenum effici solet, at eum petraris, rutilisque nubeculis splendet, vespere nimbum emittit: Sic etiam hi, qui multa promittunt, quàm minima donare solent: illi verò qui in promissionibus suis parci sunt, quàm maxima largiri consueverunt. Ad quam significationem alluci potest translatio Chaldaica, quæ sic habet. *Diei nubium, & venti, in quo non est pluuia, &c. id est, sicut nubes ab initio diem obtenebrantes tandem non pluunt, sic, &c.* Rursus similem ad sensum translationem lxx. vocare licet. *Sicut venti, & nubes, & pluuia clarissima, aut, splendidissima* (nam hoc etiam sensu Græcam vocem donare licet) quæ verba de nubeculis intelligo, quæ vespere rutilant, & sequentis diei serenitatem prænunciant, ita vt sensus sit. Sicut nubes occidente sole splendentes imbriferæ non sunt, sed futuri diei serenitatem præflagiunt, ita etiam qui non statim donant, sed magnifica promissa in diem spondent, ferè promissa fallunt, & beneficia nulla in alios collocant. Hæc de lectione lxx.

De nostra vero interpretatione aliud iudicium est: nam quamuis aliqua ex præmissis accommodationibus illi aptari possint, tamen aliæ sunt magis germanæ ipsius interpretationes. *Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes vir gloriosus, & promissa non complens.* Isidorus clarius hæc verba de his edidit, qui multa beneficia se in alios collocasse ex iactantia affirmant, quæ minime contulerunt: hos enim ventum arrogantia, parcitate autem, ac sordibus nubes impluuias imitari affirmat: quia dum se de aliis benemeritis iactant, ventosa verba profant: dumque nihil vnquam beneficii ab illis in alios proficiunt, nubes impluuias præ se ferunt. Sed tamen hanc expositionem non probo.

Alii ergo de superbis atque arrogantibus beneficiorum promissionibus verba accipiunt, vt sonant. His assentior. Similitudinis autem vis ex tribus supra præscriptis illius acceptionibus petendam esse puto. Primo, quemadmodum, cum Notus natura sua imbrifer, & nubes etiam atræ cælum offundentes, quæ præsentissima videntur pluuia præflagia aliquando spem fallunt, & imbres nullos perstillant, sic vir gloriosus, & promissa non complens, vit, inquam, qui ferè iactat munificè se daturum, & postea promissis stare non potest. Et quidem iuxta hanc expositionem illos existimo à Salomone his verbis carpi, qui ea pollicentur, quæ postmodum explere non possunt, quos vento, ac nubi, imbres quodammodo parturientibus, haud dispares esse dicit. Et sane istiusmodi dies attri, nubili, atque impluuii ferè molestissimi putantur, quia lucicandorem offundentes diem subitstem reddunt, & alioqui opportunioris pluuie spem conceptam non adimplent. Ad eundem modum hi qui magnificè promittunt, sed promissa non complent his, qui indigent eorum ope, grauissimi, & molestissimi esse solent, adeò vt eos, quibus nuntiando promittunt, sæpius infensissimos sibi hostes reddant. Hinc est illud glossæ in cap. 22. Ecclesiastici. *Sunt qui plura promittunt, sed pauca, aut nulla reddunt, atque adeo eos quibus promittunt, inimicos sibi faciunt.* Concinit illud Stobæi in libello de Moribus. *Præquam promittas delibera,*

A & cum promiseris facies, nam postea non facere fallere est, vide ergo ne quis merito tuo te oderit. Quapropter seruanda est ad vnguem illa Pythagoræ sententia apud Stobæum in sermone de virtute. *Age res præclaras, nihil magnificè interim promittens.*

Secundo aliter similitudo hæc nouo schemate conformari potest, iuxta comparisonem supra secundo loco traditam. *Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes, &c.* sic nimirum, Venti cum nubes imbriferæ cælum inuoluere incipiunt, sed tunc postea ventus Aquilo incumbens, illas distrahit, & pluuiam auertit; sic ille qui magnificè promittit, postea verò ex leuitate animi promissionis suæ petentibus illam non adimplet. Leuitas enim hæc, atque inconstantia mentis, apte admodum cum vento confertur, qui pollicitationū nubes diffilat, & beneficentiam expellit. Et quidem huic interpretationi præ cæteris tribuendum esse existimo, & comparisonem sic institui oportere iuxta germanum litteræ sensum teor. Potest tamen eadem comparatio contra superbos promissores aliter intendi, ita vt locum habeat Caietani expositio, aptius fortasse, quàm ipse cogitauit, sic enim scribit. *Quemadmodum enim apparent quandoque futura nubes, futurus ventus, & futura pluuia, & tamen non sequuntur: ita apparet donatio iactantis se donaturum, & non sequitur donum, ipsa enim iactantia, signum est quòd non implebit quæ promittit.* Hanc ergo sententiam ex præmissa similitudinis acceptione venustius elicere integrum est. Sicut noctes imbriferas Aquilo subito excitatus dissoluit, & pluuia locum non facit: ita etiam in magnificis ac splendidis promissionibus, si adlit arrogantia, & fastus, hæc, venti in morem, pollicitationes ipsas, & donandi voluntatem auferre solent. Ratio autem est in promptu, quia arrogantia id efficit, vt superbi maiora promittant, quàm præstare possint, atque adeo promissionem ipsam abnegare coguntur. Huc spectat non inelegans Plutarchi sententia in Apophthegm. Græcis. *Quemadmodum, inquit, compressus arbor sublimis, compositoque in conuermice procul egregium quiddam polliceri videtur, at vix vlla sterilior est: tales sunt illi, qui splendida de magnificè iactant se daturum, hi enim nihil re ipsa præstant, quia nimirum cū ea quæ sponponderunt, difficili admodum, aut nullo modo explere possint, verba sua redimere, & fidem liberatè quomodolibet contendunt.*

Tertio, præmissa comparatio secundum tertiam illam acceptionem, quam initio dedi, aliter accommodari potest, sic nimirum, vt tria illa per se singula sumantur. *Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes, &c.* iuxta expositionem Caietani nuper adscriptam. Quemadmodum cū n ex coniecturis temporum, quæ ab Astronomis obseruantur, nubes, ventum, ac pluuias euenturas esse speramus, quæ tamen frustratis indicationibus sæpius non eueniunt: ita etiam aliquos videre licet, à quibus magnæ illorum pollicitationes magna sperare iubent, tamen sæpius promissa fallunt. Admonet autem Caietanus tribus illis similitudinibus Salomonem omnes complexum fuisse, quotquot de aliis optime mereri possunt; sic enim addit. *Per hæc autem tria intendit vniuersa dona, vniuersosque fallaciter pollicentes comprehendere, nubes ab ascendentibus vaporibus apparentes, dona ab inferioribus, pluuia descendentes, dona à superioribus, & ventus lateraliter venturus, dona ab equalibus significat.* Ceterùm hæc leuiora sunt, si tamen id Caietano permittamus (quod ego certe non probo, scilicet singula illa, nubes, ventum & plu-

Eccl. 22.

Stobæus

Caiet.

Plutar.

72.

Caiet.

uiam per se seorsim diuersam similitudinem exhibere) poterant certe tres similitudines ad hunc modum aliter accommodari. Promissiones suas duplici ratione fallere quibus potest, vel nihilo omnino eorum, quæ pollicitus est, donans, vel non tantum præstans quantum promisit. Rursus is qui nihil donat, aut ideo fidem violat, quia facultas non suppetit donandi, aut quia ex leuitate animi sententiam mutat. Has igitur tres hominum promissiones suas fallentium species, tribus illis similitudinibus complexus est Salomon. *Nubes & ventus, & pluuia non sequentes.* Nubes scilicet prætenues, ventus instabilis, & pluuia parca admodum perstillantes, nam hæc tria sic exponi posse supra diximus. Nubes ergo tenues & graciles sunt illi, qui propterea non stant promissis, quia facultas deest: quemadmodum enim tenuitas & gracilitas in causa est, ne nubes illæ in pluias cogi, & in imbres solui queant, ita etiam tenuitas, angustia, & penuria efficit, ne hi suas promissiones adimplere possint: his ergo ita consulere oportet, ne temere ex iactantia quadam promittant ea, quæ postmodum præstare non valeant. Rursus ventis ad similes sunt illi, quibus suppetit certe donandi facultas, sed tamen ex sola animi leuitate fidem datam violant, in quos quadrat illud Nasonis.

Ouidius.

*Mobilis Æsonide, vernaque incertior aura,
Cur tua polliciti pondere verba carent?*

Qui certe admonendi sunt, vt quandiu promiserint, sua promissa serio adimpleant, maxima enim fidei data vis est. Denique pluuia parca admodum stillantibus haud disparis illi sunt, qui magna spondentes parua reddunt, quibus id etiam suaderi debet, vt promissa non modo seruent, sed etiam expleant, vel si id ægre admodum ferunt, monendi sunt, ne in promittendo largi admodum ac profusi sint; ne vulgari illo errore sese obstringant, qui apud perfidos magnam habet autoritatem.

*Promittas facito, quid enim promittere læsit?
Pollicitis diues quilibet esse potest.*

XV. Patientia lenietur Princeps, & lingua mollis confringet duritiam.

74.

Patientia &c. Hebr. *In longitudine narium persuadetur gubernator, & lingua mollis confringet os.* Pagninus. *In longanimitate flectetur Princeps.* Chald. *In patientia spiritus lactatur Princeps, & verbum molle confringit os.* Vatablus. *Longanimitate suaderetur Princeps.* lxx. *In longanimitate prosperitas Principis, lingua autem mollis conterit ossa.* Aquila. *Lingua autem simplex, aliàs, lingua tenera.*

De sententia huius loci anceps est interpretum mens. Quidam enim officii sui Principem admoneri dicunt; alii ad priuatos sententiam intendi asseuerant. Ex his ergo, qui Principem edoceri volunt, Caietanus, Iansenius, Rodolphus, & alii non pauci sic exponunt. *Patientia lenietur Princeps.* Hebr. *longitudine narium,* Græcè *μαρτυρία,* id est longanimitate aut magnanimitate: id est, Princeps cum non statim iræ acquiescit, & vindictam expetit, sed iram suam per longanimitatem diutius ducit, tandem aliquando furor deseruet, & iracundia desæuit. Nam cum Regum ira seuire ac furere nimium soleat, ipsosque in multa flagitiosa & immania scelera præcipites agat; his quidem merito suadetur, vt subitos illius impetus coercerent, nam furor dilatus sponte sua paulatim

A sedatur, ac mitior redditur. Quam verò Regium ac magnificum sit iram longanimitate domare alibi diximus. Rodolphus, & ex hoc Iansenius, & alii, exemplum huius rei producant ex historia tripartita libr. 7. cap. 3. & Theodoro lib. 5. cap. 8. qui narrat Theodosium Imperatorem aliquando ira correptum ingentem cædem in Thessalonicenses ciues edidisse, re autem ad Ambrosium delata sanctissimus Antistes Imperatoris scelus seuerè corripuit, & hanc demum legem illi indixit, vt non nisi post aliquot dies sententia à Principe lata executioni mandaretur, vt scilicet interim, si quid præceps iracundiæ impetus immane decreuisset, sedato animo deliberationi & reuocationi locus esset. Huic expositioni venustè aptatur lectio Originalis. *In longitudinem narium lenietur Princeps.* Et sanè quidam huic lectioni accommodant Elephantum exemplum, cui præ cæteris animalibus oblongus est nasus, ac naso longior patientia & tolerantia. Narrat enim Plinius, & alii historiarum naturalis scriptores illum non statim ira concepta ad pugnam venire, sed longo sæpe interuallo semetipsum cohibere, & iram proflare: adeo vt antiquis monumentis consignatum sit, Elephantum quendam post annum in magistrum, qui illum grauiter læserat, iram effudisse. Quod narrans Conradus, *Æqualis, inquit, proboscidi eius ira; nimirum eadem longitudine prædita.* Et quidem ita reor superiorum iram Elephantum oblongam proboscidem imitari oportere nam reliqua animantia nasum rigidum habent, Elephantum vero nasus lentus & flexibilis, quem nunc comprimit, & in angustum cogit, nunc etiam exerit, & in longum producit, atque, vt libet, in omnem vsum exercet. Talis esse debet Principum indignatio, non rigida, sed lenta, quæ scilicet coerceri & extendi, leuari & demitti pro nutu possit: vel, liceat sic dicere, talis esse debet Principum nasus, longus latusque, qui iram proflare, & diutius continere valeant. Subdit Sapiens.

Plinius

Conradus

D *Et lingua mollis confringit duritiam.* Hæc verba ad superiorem sensum trahere non est admodum procliuè; Sed tamen dici posset moneri Principes ne suos verbo percellant, ne contumelias & conuitia fastuosè in ipsos iaciant, ne etiam aduersus illos seuerissimas sententias ferant: nam mites blandique Principum sermone longe fortiores ac validiores sunt, vt subditorum proteruiam & indociles mores doment, & ad excipiendum seruitutis iugum rigidas ceruices flectant. Sic intelligo lectionem Originalem, *& lingua mollis flectit os,* os enim hic anconomastice appellatur spina dorsus, hæc enim rigida & erecta subditorum indocilem, & inobsequentem proteruiam adumbrat; deflexa verò & demissa, eorundem obsequium & obedientiam innuit, atque adeo sensus erit, *Et lingua mollis flectit os,* id est dorsus spinam, nimirum ceruicem, iugo legum ac mandatorum summittit, & dorsum tributorum ac vectigalium oneribus inclinat.

75

E Secunda interpretatio est aliorum, qui nomine Principis non eum intelligunt, qui aliis, sed qui sibi imperat, ita vt sensus sit. *Patientia lenietur Princeps,* vel vt est in Primitiuis *longitudine narium,* aut *longanimitate.* Quasi dicat is qui sui ipsius Princeps est, atque adeo iram coercet (hæc enim præstantissima & dignissima istius priuati imperii pars existit) dum conuitia, probra, iniurias & alia eiusmodi æquo animo fert, in dies magis ac magis mansuescit & eum mitiorem lenioremque subterentia ipsa reddit. Pro *Princepe* subest hic *πρ*

76

Katsin: Regia, gubernatorem conuertit, qua voce ex Hebraeis aliqui nauclerum notati volunt, ex radice $\chi\pi$ *Katsan*, quæ iam nunc in defuetudinem abiit, olim vero significabat nauim regere: conferrunt autem hanc cum radice $\chi\pi$ *Katsaph*, quæ ducta etiam à mari similitudine significat ira efferuere, & ebullire; quasi is demum petitus sui ipsius gubernator sit, quisquis inter efferuescentes, tumentesque iræ æstus, & vndas nauim suam naufragio ereptam in portum regit. Audi Plutarchum apud Stob. in serm. de ira, hanc eandem similitudinem venuste accommodantem. Proinde rationem oportet agendorum gubernatorem, & nauclerum constituere, atque ita demum rationes vitæ aggredi, iram interea contingentem semper castigando, vt naucleri fluctus ingentes. Est enim sane non minor metus, ne iraniminum aduersa, seu prora fluctus, & sui autorem & familiam funditus perdat, eueriatque, nisi quis per industriam præternaviget. Hoc est incidentem iram, velut irruentes fluctus nauis in diuersum acta superot. Accedat Chrysof. Hom. 7. de fide Annæ, vbi sic scribit. Hanc vero fammam (id est Annam) non anxietas modo ab sterilitate proueniens, verum & aliud quiddam obsidebat malum, ira videlicet, propter emula opprobria. Et quemadmodum ventis inter se cõcurrentibus medianque scapham, dum inter se depugnant, corripientibus, ac multis fluctibus partim a prora, partim a puppi insurgentibus, gubernator clauo assidens, seruat nauim, vndarum incursum gubernandi prudentia depellens: sic mulier illa cum ira & angor in animum ipsius facerent impetum, rationem illius perturbantes multosque fluctus excitarent, fortiter pertulit tempestatem, nec passa est rationem demergi. Si quidem Dei timor, tanquam nauclerius, gubernaculis assidens persuasit, eam tempestatem magno animo perferendam esse; nec prius desistit mentem illius gubernare, donec in tranquillum adduceret portum onere plenam, hoc est vterum pretioso thesauro onustum, &c. Denique Maximus monachus in serm. de ira sic habet. Vt naues egregie sunt non quæ sereno cælo nauigant, sed quæ tempestatem resistunt, & in portum euadunt, sic homines ira ac furori resistentes magni sunt atque fortes. Ergo appositè ad hæc Salomon, In patientia lenietur gubernator, i. qui se in ira, seu gubernator vel nauarchus in tempestate, gesserit, dum incidentes vndas æstus furoris patientia, & sufferentia malorum præterlabitur, in tranquillum mansuetudinis portum tandem appellit. Et quidem mansuetudinem ac mititatem portum esse tranquillissimum, docet Chrysof. Homil. 34. in Gen. Mansuetudo, inquit, anima nostram in perpetua tranquillitate, & quasi in portu constituit, & omnis recreationis ac quietis nobis occasio est. Quid enim beatius, quam intestino liberari bello? Nam quamuis plurima pace externa fruamur, si intranos irarum nascatur tempestas, tumultus, & seditio, nihil externa pax proderit.

Difficile etiam est sequentem clausulam ad hunc sensum accommodare. *Lingua mollis confringit duritiam*. Potest autem sic explicari. Qui iram domuit suam ad eum modum ad mititatem, & lenitatem traductus, verbis vtitur mollioribus ac mitioribus, quibus quamlibet suorum aduersariorum duritiam lenit, & hostes implacabiles ad beneuolentiam traducit.

Sed licet hæc non inepte dicta sint, cenfeo nihilominus aliam esse Sapientis mentem, ac primùm id constituo, sententiam istam ad priuatos intendi, deinde dico illos edoceri à Salomone, qua demum ratione Principum gratiam inire, & inferiorum beneuolentiam conciliare, & odia extinguere pos-

sint. Asserit autem Principes patientia, inferiores autem mollibus verbis ac blanditiis conciliari. Itaque ait, *Patientia lenietur Princeps*, Hebraicè *latatur*, id est, Principum gratiam subditorum patientia promeretur, atque adeo hi, qui illam assequi volunt, multa sufferentia opus habent, vt illorum fastum, & difficiles mores, aliquando etiam probra, & conuitia perferant, ac sic demum illos sibi deuinciant. Et *lingua mollis confringit duritiam*, scilicet inferiorum, hos enim blanditiæ, & lenocinia magnopere obstringunt. Illud vero quod est in exemplaribus, *Lingua mollis effringit os*, intelligi debet, vt supra diximus, de spina do: si, vt sit idem sensus quem nuper dedimus; nam inferioribus ac subditis accommodatissime aptatur. Hanc vero expositionem ideo præfero, quia & in verba ipsa aptius cadit, & cum sequenti versu pulchrè nectitur, vt statim patebit.

De translatione lxx. ad extremum id dico, verba illa, *in longanimitate prosperitas Regis*, aut sic esse accipienda, vt vox illa, *prosperitas*, non significet secundam ipsius Regis fortunam, sed eorum, qui Regis gratiam adepti apud ipsum fortunati sunt, est enim Græce *εὐδία*, id est, *bona via*, ita vt sensus sit: patientia, longanimitas, & sufficientia præclara via est ad inuendam Principis gratiam: est enim tùm uertior, tum etiam breuior, tamen si difficilis, & accliuus: ita enim necesse est difficilem, accliuem ad fastigia summa uiam esse. Vel

aliter, si ipsius regis felicitas eo nomine significetur, sensus erit facilis. *In longanimitate Regis prosperitas*, seu *εὐδία*, i. *bona via*, quasi dicat, nimia Principis seueritas aut immanitas, ardua, salebrosa, difficilis uia est; longanimitas autem bona, facilis, ac procliuus uia existit: hæc ad felicitatem, illa in exitium, & perniciem. Priorem tamen interpretationem huic antepono, quia cum nostra lectione melius cohæret.

XVI. *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus euomas illud..*

MEL inuenisti, &c. Hebr. comede sufficientiam tuam, reliqua conciuunt. lxx. *Mel inueniens comede quod sufficit, ne forte repletus euomas*, de cæteris nullum est translationum dissidium.

Primo Caietanus, Strabo, imo etiam Beda, hæc uerba consuunt cum sequenti versu, nexus autem non est inuocandus. Si quando, inquit, inuenisti gratiam, mellis in morem, dulcè, & suauem apud amicum, ne immodice uaris ea gratia, illum sepius adeundo quam pat est, quia sicut mel immoderate sumptum in bilem uertitur, ita etiam amicitia, & familiaritas si modum non habeant, in inimicitias abire solent. Nam nimius usus, & conuersatio nimia amicorum, eorum despectum, ne dicam nauisam, & fastidium adducere solet, unde fit ut sese inuicem ex tædio, & (si fas est ita loqui) ex nauisam euomant. Hinc est illud Comici. *Nimia familiaritas contemptum parit*. Quapropter si sapias, inquit Salomon, subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando satiatus oderit te. Hanc interpretationem, vt à me præscripta est, cæteris libenter præferrem, si crederem in hoc sequenti versu sermonem esse de amico & familiari. Sed tamen puro Salomonem loqui de omni proximo, Nam in Primitiis habetur, *Rarum*, aut *pretiosum fac pedem tuum n. domo proximi tui*. Hæc

Stob.

Chrysof.

Maxim.

Chrysof.

77.

autem lex nimium seuera est inter amicos, quibus id maxime cordi est, vt inuicem perfrui possint.

79.
Gregor.

Secundo Diuus Gregorius lib. 15. Moral. c. 3. sic habet. *Mel quippe inuenire, est sancti intellectus dulcedinem degustare* (scilicet in scripturis sanctis) quod tunc sufficienter conceditur, quando nostra intelligentia iuxta mensuram sensus sub moderamine tenetur. Nam satiatus mel euomit, qui plus appetens penetrare quam capit, illud perdidit unde potuit nutriri. Eundem sensum elicit Beda paucis mutatis, & Origenes in Isaiam Hom. 2. vbi sic habet,

Origen.

Mel, inquit, inueniens comede quod sufficit, ne forte plenus euomas. Non curauit spiritus Sanctus de melle isto, quod notum est, ne forte plus comedamus? Sed sciens utique spiritus sanctus mel spirituale, de hoc melle ait, Mel inueniens, &c. Sed quid sentiens spiritus sanctus precepit, vt si inueniremus mel, comederemus, illud: Vade ait, ad apem, & discite quomodo operaria est. Inueniuntur propheta apes esse, singunt siquidem ceras, & mella conficiunt. Et si mihi expedit dicere, fau eorum scripturae sunt, quas reliquerunt, & in his fauis inueniuntur mel. Et infra sic attextit. Si quis meditatatur eloquia diuina, & nutritur sermonibus scripturarum, complet mandatum diuinum, lege ibi plura. Ad quera referri potest Clementis non inelegans sententia lib. 1. Pedag. cap. 11. Atque mel, inquit, cum sit dulcissimum, bilem generat ad eum modum quod bonum est, contemptum, quod quidem causa est peccandi. Loquitur autem de verbo Dei, atque sensus est. Sicut mel intemperanter sumptum in bilem vertitur, & nauseam fastidiumque adducit: ita etiam Dei verbum si absit temperantia, & sine delectu passim adhibeatur parit contemptum, & sui nunquam tedium immitit.

Clem.
Alex.

80.
Bernard.

Tertio Diuus Bernardus in sermone quodam ex paruulis, mellis nomine laudes humanas intelligit, atque sic scribit. *Meritoque non ab omni, sed ab immoderato mellis edulio prohibemur. Est enim cum utiliter humanas laudes recipimus, fraternae duntaxat intuitu charitatis, & ad salutem eorum, qui nobis propterea facilius acquiescunt. Haec ergo parcitate seruata mellis huius moderata comestio non nocebit. Si quid vero amplius est, de malo est, & in perniciem conuertitur. Inuenio enim melle immoderatus vescitur quisquis apponens omnino cor suum favore humana laudis inflatur, incrassatur, impinguatur. Et paucis interiectis ad extremum sic attextit. Vis nosse quando euomat immoderatus epulator mellis edulium, quod vsque ad satietatem sumens modum parcitatis excessit? Tunc sine dubio laudes, quibus satiabatur, non alium fructum querens, sed favore ipso contentus humano, tunc, inquam, multa cum satietate euomit, quod cum perniciose delectatione comedit, quando alium quemlibet laudari audiens inuidia conturbat. Mens enim dedita vanitati, & arrogantia tumens, laudem alterius suam reputat vituperationem. Haec tunc Bernardus, qui mellis nomine laudes humanas propterea accepisse videtur, quia sicut mel, teste Galeno, flatum creat, inflaturque ac distendit ventriculum, sic illa animum fastu, & arrogantia complent.*

81.

1. Tim. 6.

Quarto alii mellis nomine diuitias & fortunas intelligi malunt; haec enim bona sunt cum parca, & ex iure quaeruntur ea mensura, quam Paulus definiuit 2. ad Timot. 6. *Est autem questus magnus pietas cum sufficientia, habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Itaque sensus est. Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, &c. id est diuitias, & fortunas nactus ex his quidem tantumdem sume quantum conditioni tuae, ac mo-*

ribus satis sitis vel quantum iuste, & sine iniuria potes: ne si iustitiae modum excedas, id quod ultra sumpsisti, quasi per vomitum extrudere postea cogaris. Accedit proxime ad hanc expositionem Plutarchi sententia, qui in tractatu de virtute, & vicio sic ait. *Congere aurum contra fas, contrabe argentum, extruere ambulationes, comple domum seruitiis, urbem nominibus, vinum roganti febricitanti, & bilioso mellis copiam tribueris, unde non confirmetur, sed maxime opere ledatur.*

Plutarch.

Quinto plures per mel, voluptatem & delicias, in vniuersum accipiendas esse putant, & sensum eiusmodi conformant. *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi*, id est, si voluptatum, & deliciarum mel affatim supetat tibi eas parca deliba, & ex his tandundem carpe, quantum ad honesta solatia huius vitae satis esse videatur, ne forte satiatus euomas illud, ne scilicet si voluptatibus plus aequo indulgeris, quemadmodum mel in bilem, & amaritudinem transit, sic etiam deliciae in merorem & animi acerbicatem conuertantur. Huc spectat Chrysostomi sententia Homilia 2. in Marcum, vbi rationem offerens propter quam in sacrificiis olim mel non libaretur, sic ait. *Mel penitus non offertur* (inquit sermo diuinus), *& quodcumque contigerit immundum erit. Mel sane voluptatis indicium est, & suauitatis, semper enim voluptas mortificat, semper voluptas Deo non placet. Mel quidem ipsum, videtur dulce esse, & sensum suauitate demulcens, sicut & voluptas, sicut & libido, sicut & lasciuia. Mel videtur hinc inde confectum esse de floribus, sed si respicias inter ipsos flores, & cadauera, & putredines habere* (quia nimirum saepius in fauorum cellis iacent demortuae apes, & fordes illae, quae vulgo appellantur hamago, acerbis admodum austerique saporis) *Mel igitur non solum de floribus, sed de quocumque voluptuoso est, videtur quidem suauis esse, sed si discrimen respicias, mortiferum est. Id vero dicit Chrysostomus propter quasdam apes, quae tenaci mellis adipi adherentes, atque inde emergere non valentes, saepius operi suo immoriuntur. Ita que mens sanctissimi illius doctoris haec est; voluptates & deliciae nimiae cauenda in primis sunt, quia mellis admixta obtinent, & quemadmodum in fauis cum melle pariter putredines sunt austeri admodum saporis: ita etiam voluptatibus multi insunt acerbis, & amari angotes, qui dulcedinem illarum corumpunt. Rursus quemadmodum saepe apes ipsae meli tenacissimo inuictae pereunt; ita etiam saepius homines voluptatibus dediti, iisdemque ingurgitati miserimum interitum sibi accersunt. Quae sententiae ad Salomonis doctrinam non parum faciunt.*

82.

Chrysost.

Sed licet haec non inepte dicta sint, tamen duas alias interpretationes subiciam, quae mihi accommodatae magis videntur. Mel utique teste Galeno in libro tertio de dieta, fastidium creat, bilem auget, & vomitum incitat, id ipsum tradit in lib. 3. de portentis naturalibus, nescio an alibi. Cui accinit etiam Plinius lib. secundo capite vigesimo quarto. Salomon ergo per mel omne delectabile in vniuersum intelligere videtur. *Mel, inquit, inuenisti, comede quod sufficit tibi*, id est, si qua exercitatio aut occupatio suavis, si qua familiaritas, aut amicitia dulcis, si quis vsus aut conuersatio delectabilis, si quid denique quomodolibet iucundum tibi suppetit, dum perfrueris modum serua, & mensuram quandam necessitatis, aut honestae voluptatis tibi ipsi indicito, ne satiatus euomas illud, ne si his delectabilibus nimium indulgeris,

83.

Galenus.

Plinius.

indulferis, eadem ocyus desipere, & sui tædium, & fastidium adducere incipiant. Hæc enim est natura rerum delectabilium huius vitæ, moderatè sumptæ, deliniunt; si modus absit, sui fastidium, & nauseam citò creant. Itaque vel ex eo delectabilibus parè admodùm vtendum esse docet Salomon, vt eorum suauitas perpetua, & constans sit; ac ne demum tædium sui immittant. Et quidem mel, atque in vniuersum omnia dulcia, laxant ventriculum, & immoderatè sumpta non sui modo, sed altarum etiam vtilium epularum nauseam afferunt: eadem delectationis immodicæ natura est: quia dum animum intemperantia sua dissoluit, sui, atque omnium aliarum vtilium actionum, & exercitiorum fastidium generat. Septuaginta ergo de industria, abstinent à pronomine *illud*, legunt enim, *ne fortè repletus euomus*. Vt notent hanc nimix delectationis vim, quæ non sui tantùm, sed cunctorum bonorum fastidia parit.

Rursus aliter locus iste exponi potest, si cum superiori versu confluatur, ad hunc modum. Salomon in præcedenti carmine docuerat Principum gratiam patientia, & tolerantia iniri solitam, *Patientia lenietur* (aut) *lactabitur princeps*. Nunc ergo illum, qui diurno labore, & patientia eam gratiam adeptus est, sic idem affatur, *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi*, id est, gratiam apud Principem nactus es (hæc enim mel satis aptè dicitur, præsertim si apum ciuilem vitam consideres, quæ mella sua sub vno Rege ac Principe conficiunt, atque eo desiderato non amplius mellificant. Ita docent Ambrosius, & Basilius in Hexam.) Si igitur mel istud, aut gratiam apud Principem nactus es, parè vtere, & ex ea id tantùm sume; quod tibi, i. tuæ conditioni, & statui opportunum videbitur, *Ne fortè satiatus euomus illud*, ne si ea gratia ad satietatem vsque abuti velis, tanquàm mel acefcet, & in bilem abeat, nimirùm ex gratia in odium commutetur, adeò vt illam, quasi per vomitum, magna vi extrudere cogaris. Sed tamen præferenda est (me iudice) superior interpretatio.

XVII. *Subtrahere pedem tuum de domo proximi tui, ne fortè satiatus oderit te.*

Subtrahere pedem tuum, &c. Heb. *Pretiosum fac pedem tuum à domo proximi tui*, vel, *rarum*; nam pretiosum pro raro in scripturis passim occurrit. lxx. *Rarum introduc pedem ad tuum amicum, ne fortè satiatus oderit te*. Sym. *cohibe*, aut *contine pedem tuum*. Chald. *Prohibe*. Vatab. *renoca*. Hebr. *קִיָּה* *Hokar*, ex radice *קָר* *Takar*, est autem pretiosum haberi, aut magni æstimari, sed in Hiphil significat, *prohibere*, aut *pretiosum*, aut *rarum facere*.

Duplex omnino huius loci expositio reddi potest. Prior est vt Salom. doceat perraro adeundam esse amici domum; altera verò vt omnino aditum illius interdicit. Posteriolem hanc expositionem qui sequitur, existimat Salomonem id cauisse, ne amicus in amici domum pedem inferat, ne aliquam sui suspicionem illi immittat, quod prætextu amicitix, vt fieri solet, vxorem illius ambiat. Itaque illud, *subtrahere pedem tuum*, perinde esse putat ac si dicat; contine omnino, ne fortè satiatus oderit te, ne scilicet illi suspectus esse cœperis, & tuam familiaritatem pertæsus odio habeat te, & ex odio aliquid in tuam perniciem tentet.

Sed licet hæc interpretatio non sit absurda, tamen communem expositionem probo. *Subtrahere pedem tuum à domo proximi tui*: vel vt habent lxx.

A *rarum introduc pedem ad tuum amicum*, id est, si fortè amicum aliquem nactus es: ne illi plurimum assuescas, neque illum frequenter adeas, sed vt ere illo parè, *ne fortè satiatus oderit te*, ne scilicet nimio vsu tuo satur te fastidire incipiat, & gratia in odium vertatur. Originalis lectio peculiarem energiam habet. *Pretiosum fac pedem tuum*, id est, sic age vt per rarum tuum ad amicum accessum ipse magnificat: & dum post moras aliquas ad ipsum venis, tui desiderium, & famem in ipso excites: ne, si te sæpius ingeris, vsu tuo exsatiatus abstineat deinceps à te. Itaque docet Salomon, famem sui, non satietatem in amicis creare oportere, illa enim amorem exacuit, hæc odium immittit. Huic adsimilis est altera Ecclesiastici sententia. *Aduocatus à potentiore discede, ex hoc enim magis te aduocabit*, loquitur de inuitatione ad conuiuium; & sensus est, vocanti te ad conuiuium potentiori ne facile acquiescas, sed enixè petenti tantisper renitere; sic enim ille magis, ac magis instabit, ac perurgebit.

Sed (ni fallor) ad communem interpretationem aliquid addere oportet, vt acrior sententia euadat; puto enim Salomonem non tam frequentem illum aditum ad domum proximi, aut amici interdicerè voluisse, qui sit familiaritatis, & benevolentix testandæ gratia (hunc enim tantam amicitix commutationem in odium vix efficere posse credo) quàm eum qui sit aliquid petendi causa, cui expositioni adstipulatur anagogia Nili Abbatis, quam statim subiiciam, ita vt sensus sit. *Subtrahere pedem tuum à domo proximi tui*, id est, ne illum frequenter adeas, liberalitatem eius crebris petitionibus exhauriens, *ne satiatus oderit te*, ne scilicet gratia in odium vertatur, sic enim fieri solet, vt hi, qui amicos nimium emungunt, eosdem contra se conuertant. Vel quod verius reor, Salomon non loquitur de amico, & familiari, hæc enim nimium seuera lex esset inter amicos, vt perrarò se iniucem adirent, sed in vniuersum de quocumque proximo homine verba facit, id suadens ne alienas domos sæpius adeamus, id enim molestum valdè ac fastidio plenum esse solet.

Ad extremum subiicienda est expositio spiritualis Nili Abbatis in Ascetico, *Multiplici*, inquit, *pedum numero mouetur qui rebus corporeis circumagitur*. Idcirco sapiens ille prouerbiorum auctor ne duos quidem hominem sapientem habere vult pedes, sed vnum tantùm, eumque rarò ad res corporeas mouere. *Raro*, inquit, *infer pedem ad amicum tuum, ne fortè, &c.* Si enim rarò ad spiritum accesserit res obsecrans corpori necessarias amicus erit, sin frequentius, & nihil aliud spectans quàm res corporeas, iniusus erit. *Quid enim exorabit, aut quomodo non erit detestandus, qui rebus eiusmodi semper intentus nunquam ad rectam viuendi rationem animum excitabit*. Propterea quod cura super pedes non habet, quibus se è terra possit erigere. *Quemadmodùm enim cura toto corporis onere in se suscepto terra parumper appropinquans, statimque illud tollunt in sublime: ita ratio rerum natura index, simulatque ad ea, quæ corpori necessaria sunt comparanda, sese deiecerit, celeriter sursum leuem ad caelestia mentem tollit, & nihil terrenis è rebus secum affert: nam habere cura omnino rigida conuenit cum illis, qui delitiis valdè sunt dediti, atque adeò semper iacent*. Hæc Nilus, qui hic ad elephantis cura rigida respexit, quem vertebris circa cura catere aiunt, ac propterea si quando deiectus iacuit, rursus erigi, & eleuari non potest.

XVIII. *Iaculum, & gladius, & sagitta acuta, qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.*

87

Iaculum, &c. Heb. *Mallens, & gladius, & sagitta acuta* respondens in socium suum, testimonium falsitatis, Pro iaculo. Hebr. est מֵפִיטִים *Mephits*, ex radice פִּיטִים *Phuts*. i. *disperfit, contriuit, confregit*, Hebræi docent eo nomine significari, *clauam*, qua vtuntur equites grauis armaturæ. Alij rursus *malleum* esse dicunt, quo petrae conteruntur, vulgò *almadena*. Montanus sic transtulit. *Dispergens gladius, & sagitta acuta*. Atque tres comparationes in duas coëgit, Pa. inus, Vatab. & Caiet. Chald. paraphrasim fecuti, *malleum* conuertunt. LXX. *Claua, gladius, & sagitta acuta*. Hieronym. contra Rufinum, & *sagitta perniciosissima*. Ambrosius lib. 3. Offic. cap. 16. *sagitta ferrata dans falsum testimonium contra amicum suum*. Noster verò, *Iaculum* transtulit, nimirum pilum vel lanceam, vt quibusdam videtur.

Hieronym.
Ambros.

In primis decernere oportet quisnam iste sit, qui falsum testimonium contra proximum loqui dicitur. Plerique docent, de falso teste, qui in iudicio contra proximum deponit, hæc verba capienda esse; non pauci etiam de illo in vniuersum, qui aliquid falsò imponit socio extra iudicium, illis assentior, ab his discedo. Ergo illi, qui de falso teste iatelligunt, & Regiam translationem tenent, sic locum edisserunt. *Dispergens gladius, & sagitta acuta qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium*, id est, qui rogatus in iudicio contra proximum falsum testimonium profert, similis est gladio atque sagittæ. Sed quænam, inquires, vtriusque similitudinis vis, & energia? Interpretes vulgò hanc energiam in eo ponunt, quod quemadmodum gladius, & sagitta mortem homini inferunt, ita etiam falsus testis præsentissimam in fonti perniciem adducit. Caterùm si duæ tantummodò similitudines sint, gladii videlicet atque sagittæ, non inelegantem accommodationem excogitauit Montanus. *Gladius enim, ait, cominus ferit, sagitta verò eminus iaculata hominem transfuerberat*. His ergo falsus testis adsimilis esse dicitur, quia cum absente reo rogatur, & conuenitur, illum veluti sagitta eminus configit, cum autem reus illi sistitur, & obiicitur, vulgò dicimus, *Quando le carean con el delinquente*, tamquam gladius cominùs illum confodit. Itaque falsi testis summa libertas, & licentia his verbis notatur; qui non absentem solùm damnare, sed etiam præsentem audacter accusare, & conuincere audeat.

88

Reliqui interpretes cum Vulgato tres similitudines agnoscunt, sed tamen, quod ad sententiam attinet, à superioribus non discedunt. In his Ianfenius translationem lxx. præferens sic ait. Tria Salomon enumerat, *clauam, gladium, & sagittam*; & quidem claua caput contundi, & effringi, gladio iugulum peti, sagitta cor transfigi solet. Ergo ait, *Claua, gladius, & sagitta acuta, qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium*. Quia perinde facit ac si caput hominis claua contunderet, & gladio iugulum rescinderet, & sagitta cor transfuerberaret. Sed quorsum hæc? Ianfenius & Caietanus non insulse dicunt multiplex armorum genere multiplex nocumenon notari, quod à falso teste in eos proficiscitur, contra quos pro-

Anunciat; & quia hæc nocumenon ferè tria sunt, scilicet corporalis pœna, honoris violatio, aut pecuniarum mulcta, eapropter triplex illud instrumentum ad vulnera danda idoneum præscripsit Salomon. Sed licet hæc non inepta sint, tamen de hac armorum diuersitate aliquid vterius dicam. *Claua, gladius, & sagitta acuta, &c.* Illud verò sumo ex Ianfenio, claua caput, gladio iugulum, sagitta cor percuti. Puta ergo his similitudinibus falsi testis miram versutiam, & simulandi artem notari, quippe qui tanto artificio testimonium suum confingit, vt caput eius, cui perniciem parat, claua primùm percellat, id est, mentem atque rationem obtundat, ita vt modum, quo quis ab illius calumnia tandem euadat, excogitare non possit: deinde guttur gladio confodiat, ita vt ne verba quidem suppetant, quibus impositi sibi criminis falsitatem reuincere queat: ac demum sagitta cor, pectusque transfuerberet, aded vt si quid etiam profundo corde celabat, id quoque enunciare cogatur. Accidit enim per sæpè in iudicio id quod vulgò dici consuevit, *mendacium nonnumquam veritatem exsculpsit*, id est, *diras mentira y sacaras verdad*. Sed tamen alia digniora subiiciam.

BMihi enim literæ sensum attentius perscrutanti duæ interpretationes succurrunt, quæ accommodatæ magis videntur. Præmittere autem oportet Ianfenium, & alios, qui docent in Vulgata lectione, *iaculum, & sagittam*, permisceri ac confundi, atque duas omnino similitudines relinquere, minimè audiendos esse: quia armorum illa diuersitas vim maximam huic sententiæ conciliat. *Iaculum* ergo, vt nuper dicebam, pilum aut lanceam adsignificat apud Vulgatum; atque aded à *sagitta* omnino differt. Siue autem *lanceam*, cum Hieronymo, siue *clauam*, cum lxx. legamus, sententiæ eadem euadit. Altera igitur expositio sic habet. *Iaculum, gladius, & sagitta acuta*, seu, *claua, gladius, &c.* complectitur Salomon instrumenta, quibus lata sententia sceleratis, & flagitiosis hominibus capite damnatis nex inferri consuevit; illos enim, qui delinquebant in bello, militum lanceis confodi olim mos fuit: & his, qui in vrbe transgressi fuerant, gladio iugulum excindi; qui verò extra urbem facinus perpetrauerant, sagittis configi consueverunt: illud etiam non insolens fuit apud veteres, fontes malleis, aut clauis ad necem vsque tundi. Hæc, & alia suppliciorum genera cogit Iustus Lipsius in libello de Cruce. Ait ergo Salomon. *Iaculum, gladius, & sagitta acuta, qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium*, id est, cum iaculo, gladio, aut sagitta arbitrio iudicis homini innocenti, & in fonti mors infligitur, falsus testis, qui iudicem ad sententiam capitalem in eundem ferendam impulit, hæc omnia, scilicet iaculum, gladius, & sagitta esse dicitur, quibus ipso auctore, innocens homo perit.

89

EPosterior interpretatio, quam priori libenter præfero, sic habet: enumerat Salomon armorum genera dissimilia, *iaculum, aut, lanceam, malleum, aut clauam* (nam ego ita reor nomen illud מֵפִיטִים *Mephits*, communem quandam esse vocem, & pleræque arma complecti) *gladium, & sagittam*, atque falsum testem hæc omnia esse dicit, vt significet, ei, qui illo vtitur, ad nutum obsequi, & ad proximum lædendum pro quolibet armorum genere esse, pro lancea, claua, gladio, aut sagitta: nam quidquid dicere iubetur, id assenerat, & voluntati obseruiens illius, qui illum adhibet, scelus quodlibet innocenti imponit, seu iaculo, seu gladio, seu sagitta dignum. Itaque significat Salo-

90

mon his verbis testem quemlibet falsum, non ad vnum quid, sed ad omnia promptum esse: adeò vt pro natu eius, qui illum adhibuit, nunc claua, nunc lancea, nunc gladius, nunc sagitta, nunc quidlibet aliud sit ex his, quibus homo contra aduersarium suum vtj possit. Vel, si placet, notatur his verbis falsi testis inconstantia & mutabilitas, cuius falsitas explorata facillè deprehenditur, dum per vices quasdam, ait, negatq; iuxta vulgarem apud nostros paræmiam. *Vna vez cesta yotra vallesta.* Id sibi vult illud, *Iaculum, gladius, & sagitta acuta*, id est, falsus testis non semper idem, modò claua, modò gladius, modò sagitta est, quia falsitas illum in omnes formas cõpellit. Pergo ad alia.

XIX. *Dens putridus, & pes lassus qui sperat super infideli in die angustia, & amittit pallium in die frigoris.*

Dens putridus, &c. Hebr. *Dens contractus & pes luxatus fiducia prauaricatoris in die angustia.* Pagn. *dens fractus, & pes labens, Vatabl. dens fractus, & pes non insilens suo vestigio.* Caiet. *& pes dimicus, Chald. Dens malus, & pes lapsus.* lxx. interpretes longè aliter, *via mali, & pes iniqui peribit in die mala.* Sic habet codex Vaticanus. Regius tamen & Complutensis legunt. *Dens mali, & pes iniqui*, quia nimirum non *edds*, sed *ids* in exemplaribus legendum putarunt: & quidem facilis erat vnus vocis cum altera commutatio. Itaque pro voce illa *putredo*, alij *contractum* alij *malum* restitunt, subest enim רעה *Roghah*, quam vocem alij referunt ad verbum רעה *Raghab*, id est, fregit, cõtriuit: alij ad רעו *Rangh*, id est, malum esse. Hieronymus autem pro *malo*, accommodatissimè *putridum* vertit. Rursus pro voce illa *lassus*, subiicitur: מוגדאדו *Mughadeto*, ex radice *Magdah*, quæ pedibus sæpius tribuitur. Psalm. 17. *Non sunt infirmata vestigia mea*, & Iob. 12. pro illis verbis *Parata ad tempus statutum*, in Primitiuis est. *Parata nutantibus aut vacillantibus pede*, & Psalm. 37. *Non supplantantur gressus mei.* Semper autem apud interpretes anceps est, an eo verbo significetur aliquis pedum morbus, nimirum luxatio neruorum, aut offisum emotio, vel aliquis alius ex his qui pedes afficere solent: an lapsus tantum & nutatio. Hinc nata translationum diuersitas.

Et amittit pallium in die frigoris. Hæc verba, si Origines consulamus, iuxta disunctionem hodiernam cum sequentibus conseri debent: nam in fine superioris clausulæ adest accentus Soppasuch, cuius est periodu vnã ab alia distinguere. Sed tamen præferenda est absque sũbio nostra translatio, quia similitudo amittentis pallium in die frigoris, vix sequenti sententiæ aptari potest, cum in hanc minuscè quadret. Heb. *Remouens vestimentum in die frigoris.* Caietanus. *Parans sericum in die frigoris.* Ex quibus autem Originibus non satis calleo.

De sensu horum verborum vna est interpretum mens, solum dissidij esse potest, an denti fracto, & pedi lasso conferatur infidus socius, an potius ille ipse, qui in illo fiduciam locauit, an denique spes ipsa, aut fiducia in eodem reposita. Nam duæ similitudines præmissæ diuersis diuerso modo accommodari debent. Plures ergo dicunt, cum dente putrido, & pede lasso, aut luxato, amicum infidum componi à Salomone. Nam quemadmodum Christus amicos, & socios, oculos, ac manus,

A ac pedes compellauit. Matth. 5. *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proice abs te.* Et infra, *Et si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proice abs te.* Marcus etiam cap. 9. pedem addit. *Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum, &c.* Sic etiam Salomon hinc *dentes, ac pedes*, nominat. Et quidem apta est vtraque similitudo, nam primò dentium atque amicorum non dispar conditio est. Plutarchus in Moral. *Amicum tollere est dentem excutere*, nimirum vtrumque æquè molestum ac graue existit: nã sicut dens, qui gingiuis profundè infixus est, maximo cum dolore euellitur, ita etiam amicus, qui nobis per intimam familiaritatem adhæret, dum separatur aut eripitur, ingenti nos cruciatu & dolore afficit. Salomon ergo dentem putridum appellat infidelem amicum: primò quia vt dens cum primò putrescere incipit, statim mouetur, & male fixus vacillat, atque adeò præproperè eximi debet, iuxta Hipocratis sententiam in libro de affectionibus, *Si corrosus fuerit dens & mouetur, illico eximatur.* sic etiam amicus, cuius fides corrumpitur, mirabili quadam inconstantia nutat semper ac vacillat, & dentis in morem tabidi, per dies singulos dolores ingentes affert, donec tandem euellitur, & dolor cessat. De hoc ergo amico sic Salomon. *Dens putridus, qui sperat super infideli in die angustia.* Quia sicut dens putridus mouetur, ita etiam infidelis amicus mobilis & inconstans est. Et quemadmodum etiam dens mobilis ac nutans, cum durum aliquid premere, seu terere necesse est, excuti aut excidere solet: ita etiam amicus ille, cuius fides vacillat, in duris, asperisque rebus à gratia & amicitia excidere conuenit.

C Appellatur etiam iuxta præmissam expositionem infidelis ille amicus, *pes lassus*, vel *luxatus*, ob similem rationem: quia quemadmodum eiusmodi pes ex fatigatione lassus, vel ex morbo latus, cum cliuum aliquem, aut præruptum montem, si ascendere opus est, prorsus deficit, & fractis viribus procumbit: ita etiam amicus, qui iuxta præmissum Christi Domini testimonium homini pro pede est, si illum infidelitas luxauit, aut dissoluit, tum cum res arduas, difficilesque nimium superare oportet, concidit statim ac proruit: id sibi vult illud, *Pes lassus qui sperat super infideli, &c.* Præpositio autem illa *super*, hanc priorem interpretationem commendat, quia perinde est ac si dicat, is cuius spes infideli amico, tamquam pedi, insiluit atque innititur: pedes, cum ægri sunt postulant discubitu & quietem, aliter ex motu deficiunt, atque indies deterius habent. Monet hoc Hipocrates in libro de Chirurgiæ officina. *Conducit, inquit, hoc tempore (cum scilicet pedes male habent) decumbere: totum enim corporis pondus pedes vehunt.* Eadem natura amici infidelis, qui pedis adinstar ægri, in aduersis iaceat necesse est, aut ponderis impatiens procidit. Cæterum, *pes luxatus*, vt supra dicebam, pedem significat propriè, cuius ossa aut articuli è loco suo mota sunt: & quidem pedi ad eum modum luxato insistere non licet, & semper claudicare necesse est.

E Huic adsimilis est perfidus amicus, qui per gratiam non satis cum familiari suo cohæret, atque adeò illi per fiduciam insistere, & inniti non est integrum, vel, si alia desint, talem amicitiam claudicare necesse est: quia infidelium amicorum fœdera vtilitas aut voluptas semper adstringit. De eiusmodi verò amicitia sic Tullius in libro primo de Finibus. *Sunt, inquit, qui meritis verentur, ne si amicitiam propter utilitatem expectandam*

Psal. 17.
Iob. 12.

Psal. 37.

92

putemus, tota amicitia quasi claudicare videatur. Aptè igitur Salomon, *pes, inquit, luxatus qui sperat super infideli in die angustia*: quia infidelis amicus qui gratiam voluptate aut vtilitate metitur, tamquam pes, cuius nervi elisi aut soluti sunt, reflante fortuna, statim claudicat, & tota amicitia stabilitas vacillat.

94

Secunda interpretatio, quam Iansenius, Rodolphus & alij tucitur, his similitudinibus dentis exesi, & luxati pedis, ipsammet fiduciam, quæ in homine perfido collocatur, adumbrari putant: nimirum quia sicut dens putredine arrosus ferme nutat, ac mouetur: nam gingiuis haud firmiter inhæret: ita etiam spes in perfido reposita non est solida, sed mobilis & infirma. Quapropter sicut dens ille, vbi durum aliquid premendum aut terendum occurrit, luxatis gingiuis protinus excutitur: ita etiam spes ista, vbi aduersi aliquid contingit, dissoluta amicitia actutum excidit. Itaque spes denti putrido, infidelis autem amicus laxus & infirmis gingiuis confertur, iuxta præmissam expositionem, quam non parum illustrat Galenus de partibus affectis, vbi gingiuas *fideles, atque infideles*, non semel appellat, fideles autem dicit eas, quæ solidè dentes continent, infideles verò eas, quæ laxæ cum sint, & decarnatæ, dentes faciliè abiciunt. Quem loquendi modum habes apud Isaiam 22. *Figam illum paxillum in loco fideli*. Et infr. *Et auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli*, id est, pariete firmo, ac solido, qui defixum clauum non facile abiicit.

alenus.

Isa. 22.

Pedi etiam lasso, aut laxo, confertur spes illa infirma: quia quemadmodum si corpus pedi luxato incumbit, aut insistit, statim procumbit ac concidit, ita etiam quidquid huic imbecilli admodum spei imponitur, protinus corrui: & quidem pes rectus, erectus, ac robustus spei firmitatem & constantiam notat. Sic Chrysostomus in Psalm. 25. ad illa verba. *Pes meus stetit in directo, in Ecclesis benedicam te Domine*. vbi inter alia sic ferit. *Pes vester, id est, spes vestra non extollatur in prosperis, & in aduersis non deiciatur, sed clamate cum Propheta dicentes, Pes meus stetit in rectitudine, id est, restus constitit, nec unquam imposito onere claudicauit*. Aptè igitur Salomon, *Pes laxus qui sperat super infideli in die angustia*, quia nimirum spes illius adinstar obtinet pedis luxati, atque adeò aduersitatis onus illum protinus opprimit, aut claudicantem reddit.

Chrysof.

95

Aliter etiam vtraque ista similitudo cum spe, quæ in amico parum fideli ponitur, componi potest. Ergo per lasso pedem eum intellige, qui ex nimia fatigatione lassescit: id enim verba Vulgata sonare videntur. De putrido autem dente aliquid etiam concipe: scilicet dentes tunc maxime putredine exedi consueuisse, cum otiosi sunt, & cibos non terunt. Hinc fit, Galeno auctore in li. de partibus, vt in his, qui alteri mandibula cibos terendos semper mandant, dum quæ ex aduerso est, otiosa manet, molares dentes ocyus tabescant, & putrescant. Dentique per *angustiam*, in hoc loco paupertatem aut penuriam accipe, hæc enim angustia significatio valde familiaris est scripturæ sacræ. Nec desunt etiam qui in hoc loco ita verterint. *Dens putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die penuria*. His autem positis mens Salomonis sic habet. Qui in paupertatis angustias reductus, auxilium, & opem ab infideli amico sibi exhibendam sperat, hic sanè frustra sperat, quia quemadmodum dens inedia putrescit, & correptionem contrahit, sic etiam ipse inedia

Galenus.

A contabescet. Aut certè *dens putridus* dicitur, accepto singulari numero pro plurali: id est, dentes putridi, quia nimirum dentes eius nihil ciborum mandentes, aut terentes, putredine exeduntur, & *pes lassus*, id est, *lassi pedes*, quia dum sæpe ac sapius amicum adit ad flagitandam illius opem, pedes lassescunt, ac deficiunt. Quasi dicat: vir inops ab eiusmodi amico nunquam obtinebit cibum, quo tenuitatem suam subleuare possit, ac demum dilata ope lassus ac fatigatus ab spe excidit. Vel aliter, spes ipsa viri tenuis in perfido amico locata, *dens putridus*, aut *pes lassus* esse dicitur, quia veluti dens nihil cibi carpens putrescit, postquam verò putredinem contraxit citius excidit: ita etiam spes hominis ad angustias reducti, dum ab amico infideli nihil obtinet, tabescit, ac demum sponte sua ruit: & sicuti pes longo tempore stare non valens lassescit tandem ac deficit: ita etiam spes in perfido posita dum differtur nimium ac trahitur, tandiu perstare non potens, quasi ex nimia lassitudine corrui.

B

Sed licet hæc non ineptè dicta sint, tamen, ni fallor, alia est Salomonis germana sententia. Præmittere autem oportet, dentibus putridis, ac luxatis pedibus id maxime proprium esse, vt temporum differentias in se expriment: nam sereno, & candido cælo valent, cum autem tempestas vertit, & cælum nubibus obduci incipit, tunc quidem dolere solent, adè vt hi, qui dentem exesum, aut pedem contusum, seu languidum habent, ex horum valetudine, certissimo quodam præfagio pluuias, & nimbos pridie, aliquando etiam longius conicere ac diuinare soleant, quod quia experientia ipsa compertum est, probatione non indiget: inde autem sensus elicitur facilis, si per dentem putridum, & pedem laxum, infidelem amicum accipiamus, sicut enim eiusmodi pes vel dens nubilo tempore dolent, atque alter ad ambulandum, alius verò ad cibos terendos ineptus redditur, ita etiam infidus sodalis reflante fortuna, & aduerso tempore deficit, & amicum deserit. Huc spectat illud peruulgatum.

C

Cum fueris felix multos numerabis amicos, Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Cæterum quamuis hæc interpretatio apposita sit, tamen aliquid vltius desideratur. Dico ergo dentem putridum, & pedem lasso, aut laxum in hoc loco non amicum infidelem, non spem ipsam infirmam, & vacillantem notare, sed eum potius, qui tali amico confidenter vititur, tum quia ita suadet ipse textus, sic enim habes, *Dens putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustia*, & quæ huic adnectitur clausula, id etiam conficit. *Et qui amittit pallium in die frigoris*. (Nam cum posteriorem similitudinem amittentis pallium illi in recto adscribere necessum sit, qui amico vititur infideli, idem iudicium ferendum est de duabus prioribus) tum etiam quia illustrior euadit sententia. Salom. ergo sic ait. *Dens putridus & pes lassus*, &c. is scilicet qui in perfidum amicum spem suam contulit, denti putrido & pedi lasso, aut languido adsimilis est: nam sicut eiusmodi dens atque pes, cælo sereno bene habent, nubilo autem cælo dolent maxime ac languescunt: ita etiam ille, cum po spera adflat fortuna, amico suo iucundè fruitur, gaudet, ac validus est: cum verò eandem reflat & serenitas in nubilum vertitur, amico fugiente dolet plurimum & angitur.

E

Vtramque expositionem commendat obseruatiuncula non inuisa noui auctoris, qui notat aduersam fortunam, *diem angustia* appellari. In

96

Primitiis enim pro *angustia*, subest צָרָה *Tsara*, A quæ vox si referatur ad radicem צָרָר *Tsarar*, nubium conglobationem sonat. Itaque, *dies angustia*, in hoc loco perinde est ac dies nubilus: & sanè vix aliquid occurrit quod fortunæ commutationes melius adumbret, quàm cæli facies, cum solita vicissitudine ex serena in nubilam, & ex candida in atram demutatur. Quemadmodum ergo omnes has temporum varietates affecta & languida membra, ut pote *dens putridus* & *pes lassus*, excipere, & earum vicissitudinem sequi solent, sic etiam amici, cum familiaritas non satis valens ac firma est.

97

Vel si placet, licebit etiam duas illas similitudines inter vtrumque partiri, ita nimirum ut *dens putridus* is dicatur, qui in perfidum amicum spem conicit, *pes autem lassus*, perfidus ipse atque inconstans amicus: accommodationes verò ex superioribus peti possunt. Subdit Salomon.

B

Et qui amittit pallium in die frigoris. Huius similitudinis vis atque energia perspicua est, interpretes quidem per *diem frigoris*, aduersam etiam fortunam intelligunt. Cæterum his non satis acquiesco, malum enim odium aut simultatem aliquam inter amicos subortam per frigus notari, nam hæc frigoris significatio celebris est. Sicut enim calor amorem, ita etiam frigus, & glacies odium adsignificat. Hinc est illud Christi Domini, *Refrigescei charitas multorum.* Illi ergo, qui frigoris nomine aduersam fortunam capiunt, præmissam similitudinem sic accommodant. Qui in amico infideli spem reponit, similis est viatori, qui cum lacernam bonam ad pluias & frigora arcenda secum domo exportasset, eam quidem in die illa, in qua maximè frigus vrgebat, amisit, atque adeo frigoris vim, detecto corpore, excipere coactus fuit. Simili ratione in aduersa fortuna infidelis ille amicus eum deserit, qui in illum spem coniecerat suam, tunc cum maximè fortunæ iniurias & incommoda ab eodem depellere debuisset. Translatio autem Caietani lepida est ad hanc sententiam. *Parans sericum in die frigoris*, id est, eiusmodi homo qui amico vitur infideli, perinde facit, ac si vestem sericam & prætenuem in diem frigoris comparasset: nam velut hæc vestis frigoris inclementiam arcere non potest, sic etiam infidelis socius incidentes calamitates, & molestias depellere non valet.

Matt. 24.

C

99

Sed tamen cum duo sint, quæ infideles amicos diffociare, & amicitiam eorum parùm solidam dirimere soleant, scilicet alterius infelicitas, atque incidens temerè similtas, vel oborta discordia, vtrumque, mea quidem sententia, complexus est Salomon hoc versu: nam per *diem angustia*, aduersam fortunam innuere voluit: per *diem verò frigoris*, discordiam aut simultatem. Ex eo autem in vtraque huius sententiæ parte *diem* vsurpauit, ut significaret amicitiam, quæ cum infideli socio copulatur, adeo infirmam esse & imbecillem, ut illam vna tantum infelicitatis, vel discordiæ dies omnino distrahere possit. Sensus ergo posterioris hemistichii sic habet. *Et qui amittit pallium in die frigoris*, id est, qui amicum perfidum fortitus est, oborta similtate aliqua ex his, quæ inter amicos euenire solent, similis est ei, qui in die frigoris pallium amisit: quia sicut is iniurias temporis absque aliquo integumento sustinere cogitur: sic etiam illum à perfido amico multa perpeti necessum est, quæ refrigescente charitate in ipsum effundet, ita ut illa nulla industria arcere possit, quia nimirum illum sine pallio, hoc est detectum, & a-

peritum frigus inuasit, quippe qui animum suum nudauerat amico suo, & omnia arcana atque secreta ei patefecerat, atque adeo eiusdem iniuriis & probris maximè expositus est.

100

Quod si cum aliis velis eum, *qui pallium amisit*, non illi adsimilem esse, qui confidit in perfido socio, sed ipsimet infideli amico, ut cohæreat hæc pars cum superiori, iuxta magis communem illius interpretationem, sensus idem euadere poterit. Quasi dicat, perfidus ille socius eum imitatur, qui pallium amittit in die frigoris: nam sicuti hominem istum detecto corpore iniurias temporis excipientem plurimum frigescere, ac rigere necessum est, ita etiam socius ille parum fidelis subeunte quarumlibet discordiarum ac simultatum rigore, pulsoque amoris, & benevolentia calore, ab odij atque inimicitia frigore congelari opus est: utpote qui caret pallio, id est tolerantia & sufferentia, quæ amicitiam colentibus pernecessaria est: sicut enim pallium temporis iniurias & inclementias arcet, sic etiam hæc tolerantia amicorum tam iniurias, quam asperitates, quæ inter familiares etiam euenire solent, depellit. Cum ergo eiusmodi careat pallio infidelis amicus, vel leuiter læsus, ac violatus, odio plurimum frigescit. Huic interpretationi interuit lectio originalis, quæ verbum ex verbo sic reddit. *Remouens pallium*, aut, *vestimentum in die frigoris*, quæ verba in simulatum amicum optimè quadrant, qui oborta discordiæ aut similtatis causa, ea, quæ odij atque inimicitia frigus excutere possint, detrectat omnino, ac refutat, scilicet rationes omnes, quæ amicitiam sua tere, & quidquid benevolentiam commendare, fouere, ac defendere possit, prorsus excludit. denique non ineptè ad hanc interpretationem vocatur Caietani lectio. *Parans sericum in die frigoris*, talis enim est simulatus amicus, qui quemadmodum serico gracili ac tenui vestitus, frigus, & alias temporis iniurias depellere non potest: sic ille quascunque simultatum atque discordiæ causas arcere non valet, quominus ab odij frigore animus illius rigescat.

105

Ad extremum de translatione lxx. aliquid subiicere libet. *Dens mali*, & *pes iniqui peribit in die mala*, quæ verba ad superiores expositiones facile alluci possunt, nam *dens mali*, & *pes iniqui*, dentem malum, & pedem iniquum sonant: *dens* autem *malus*, ut supra dicebam, perinde est ac *dens putridus*: cum verò pedem iniquum audis, Græc. *μακάριον*, puta vocem hanc non ad morum improbitatem referendam esse, sed ad ægritudinem, ita ut *pes iniquus*, perinde sit, ac pes inæqualis: inæqualitas verò claudum pedem reddit, atque adeo sensus est. *Dens putridus* & *pes claudus*, verba autem sequentia, *in die mala peribit*, ad superiores interpretationes facile vocari possunt. Quod si aliter legas, ut in Vaticano exemplari habetur, *via mali*, & *pes iniqui in die mala peribit*, alium ad sensum transferendus est locus iste. Puta autem vocem illam *via seen*, quæ hinc subest, & pro qua noster Vulgatus, & alii interpretes, *dentem* restituerunt, non dentem solum, sed rupem etiam excelsam, & præaltam significare, atque adeo fieri potuit ut Septuaginta interpretes hæc comparisonem sic efficerint: sicut pes claudus ineptus est ad rupem excelsam conscendendam, ac propterea verterint, *via mali*, id est, via mala, aspera videlicet ac difficilis, & *pes iniqui*, id est, pes iniquus, inæqualis scilicet, ac claudus. Quasi dicant, veluti claudus per cliuum scopulosum, aut per scopulum accliuem, sic amicus infidelis in

die angustia peribit, id est, deficiet. Sensus autem est: quemadmodum pes claudus per excelsum & incomptam rupem viam regens deficit, & ultra conscendere non valet, ita etiam infidelis amicus tempore aduersitatis, cum arduum aliquid ac difficile superare opus est, veluti pes elisus, concidit. Quae similitudo inter alias supra adscriptas non infimum locum habere debet.

XX. Acetum in nitro qui cantat carmina cordi pessimo.

102

A Cetum, &c. Hebraeus codex, quemadmodum hodie dispunctus est, extremam superioris sententiae partem hunc ad versum euocat, sic enim habet. *Remoues vestimentum in die frigoris, acetum super nitrum, & cantans in canticis super corde mali.* Sed tamen, ut iam inde supra animaduerti, lectio ista refutanda est, & cum Hieronymo sentiendum, qui eam comparationem amittentis pallium in die frigoris superiori sententiae adnexuit. Ergo ab illius verbis exorfi. *Acetum in nitro, &c.* Caiet. sic vertit. *Acetum super saponem.* Chal. longè aliter. *Sicut qui proicit acetum super nitrum, ita probat corda dolor.* lxx. *Sicut acetum trahit inutile, sic accidens passio in corpore contristat.* Sym. proximè ad Hieron. accedit. *Sicut acetum in nitro, qui cantat in canticis ad cor triste.* Hanc translationum dissimilitudinem peperit primum vox נתר *Nether*, nam quidam vocem hanc deriuant ex radice נתר *Nathar*, id est, abundauit, sed perperam, quid enim nitro cum abundantia? Alij ergo melius petunt ex נתר *Nathar*, id est, traxit, expressit: & apud lxx. *strallauit, defluxit*, quia nitrum quaedam terrae expressio aut defluuium est, ut postea dicemus. Occurrit hæc vox iterum Ierem. 2. *Si laueris te nitro*, vbi etiam lxx. nitrum conuertunt. Sed cur hæc aliter restituerint non facile est constituere: sic enim habent. *Acetum trahit inutile.* Quidam putant vocem illam, *inutile*, positam, *pro nitro*, & Martinus noster rationem huius translationis nequaquam se assequi ingenue fatetur. Mihi verò aliquid occurrit, censurae tamen aliorum stabo: existimo ergo lxx. qui puncta seu apices literarum Hebraearum non agnouerunt, ut saepe aliàs docui, hoc in loco non quidem נתר *Nether*, nomen. i. *nitrum*, sed נתר *Nathar*, ipsam verbi radicem accepisse. Quapropter verbum verbo respondere puto, *Nathar*, scilicet verbo *trahit*, vel *exprimit*, hanc enim esse illius radicis vim iam præmonui. Cumque oratio illa imperfecta videretur, ipsimet lxx. de more suo compleuerunt eo modo. *Acetum trahit, aut, exprimit inutile.* Existimo autem his verbis significari propriam quandam aceti proprietatem, quod in tellurem effusum latentes fordes ac faeces in superficiem trahat. De qua aceti vi non nihil postea subiiciemus.

Hierem. 2.

Ezech. 2. & 27. & 32.

Rursus quid, inquires, in causa est, quod in sequenti hemystichio alij, *carmina*, alij *accidentes passiones*, reddiderint? Dicendum est in Primitiuis esse שרביים. i. *Sarbarivim*, *carmen cum carminibus*, carmen autem in scriptura non cantica solum iucunda, & læta, sed etiam tristitia, & lugubria significat, Ezech. 2. *Lamentationes, & carmen, & vae*, & c. 27. *Assument super te carmen lugubre*, & c. 32. *Fili hominis cane carmen lugubre*, & c. lxx. ergo hæc passionem restituant, nomine carminis lugubre aliquid notari existimarunt, vel certè non

A 7w, sed 7x. i. *angustiam*, aut, *dolorem*, legendum putarunt, nam duarum literarum w & x frequens permutatio est, ut aliàs non semel obseruauit. Hæc de variis huius loci translationibus.

Iam nunc discernere oportet, quid *nitrum*, quæve vsus habeat nitri & aceti permixtio. De nitri natura & proprietatibus differuit Georgius Agricola de re metallica lib. 12. vbi nitri conficiendi modos omnes cogit. *Nitrum*, inquit, *fieri solet vel ex aqua nitrosa, vel ex diluto, vel ex lixiuio.* *Aqua etiam Nili in nitrarias deriuata, & eodem ardore solis detosta, vertitur in nitrum. At dilutum, ex quo conficitur nitrum, fit ex aquis dulcibus terra nitrosa*

104

Greg. Ag.

B *percolatis.* Deinde verò subiicit modum quo ex nitro fit chrysolocolla, *Decoctum nitrum* (inquit) *infunditur in cuppas, in quibus sunt fila aenea, quibus adhærescit & fit chrysolocolla.* Dicitur autem chrysolocolla eiusmodi nitrum, quia eo interfuso, aurum auro, & argentum argento copulatur. Huius verò nitri alter vsus est ad maculas eluendas, nam ex illo lixiuium, & ex lixiuio etiam nitrum conficitur, ut ex verbis Georgij supra adscriptis constat. Hoc verò lixiuium nitro confectum feminæ olium adhibebant, ut caesariem flauam, & auream redderent. Hinc nata præmia illa Vulgaris, *Caput asine ne laues nitro*, i. ne sumptus aut laborem nimium in rem inutilem impendas. Hodie etiam præcipuus nitri vsus ad puluerem tormentarium compingendum in medicinis verò, verba sunt Plinii l. 31. c. 10. *calfacit, extenuat, mordet, spissat, & exulcerat.*

C De nitri autem acetique mixtione aliquid etiam præmittendum est, illud verò obseruatione dignum, vocem חמץ *Chemeth*, quæ hæc subest, non acetum modò, sed etiam fermentum significare, atque ad eò conuerti posse. *Fermentum in nitro*, &c. quid verò fermentum in nitro possit, docet Plin. supra, *In nitro*, inquit, *optimum quod tenuissimum, & ideo spuma melior.* Et infra. *Spumam nitro, quæ maxime laudatur, antiqui negabant fieri, nisi cum res cecidisset prægnantibus nitrariis. Alij verò operium fermento gigni estimauerunt.* sic lego, non *operimentum*, ut mendosi codices habent. Ita

Plin.

105

D que fermentum vi sua spumam nitri exprimit, quæ est nitri maximè acris & austera pars, ad eò ut detracta & expressa eiusmodi spuma quod reliquum sit nitri, acrimonia profus careat. Sed de aceto dicamus.

Primo acetum in terram nitrosam effusum nitrum confestim exprimit, & foras trahit: id quidem egomet experientia comperi, & ex Plinio etiam colligitur loco citato.

Arist.

Secundò Aristoteles Meteor. lib. 4. c. 6. docet nitrum oleo nequaquam solui aut dilui, aqua verò & quolibet humore alido facile solui. Docet autem Galenus lib. 3. de medic. comp. nullo liquore citius solui, quàm acri-vino, seu aceto.

Galenus.

E Tertiò nitrum aceto infuso, calcis in morem viua, efferuescit, & exaestuât. Beda in hunc locum. *Acetum*, inquit, *si mittatur in nitrum, efferuescit nitrum protinus atque ebullit, & calcis in modum viua, crepitat.*

Beda.

Quartò acetum non solum nitrum soluit, ac diluit, sed etiam acrimoniam illius temperat. Plin. supra. *Quidam*, inquit, *in hoc vsu accensum vino austero restingunt, atque ita trito in balneis vtuntur.* Quemadmodum autem acetum nitro infusum eius vim & acrimoniam mitigat, ita vicissim nitrum in acetum missum ipsius aceti austeritatem demulcet: atque ad eò sicut medici cum nitrum adhibent, illud aceto restingunt, ita

106

Plinius.

etiam cum acetum infundunt, illius acrimoniam nitro macerant. Hinc alius istius mixtionis vsus, nam acetum pulveri tormentario infusum, illius celerem vim retardat.

Quintò cum nitrum acetumque permixta alter alterius acrimoniam hebetet, tamen quod ad vim purgatiuam attinet, sese inuicem iuuant plurimum; nam cum vtrumque purgandi ac detergendi facultate præditum sit, alter vtiq; alterius vim exacuit, adèò vt metallorum rubiginem aut æruginem hæc permixtio facillè detergat, eamque hodie aurifices ad eluendas auri & argenti fordes adhibere solitos compertum est.

107
Dioscor.

Galenus.
Plin.

Sextò in medicinis plurimus istius mixtionis vsus. Primò Dioscor. lib. 5. c. 86. ita scribit. *Nitrum purulentas aures & sonitus earum sanat, fordes expurgat cum aceto instillatum.* Idem docet Galenus in libr. 3. de compositione medicam. Plinius etiam lib. 31. c. 10. *Auribus purulentis vino liquatum infunditur, serdes eiusdem partis erodit ex aceto, sonitus & tinnitus discit, si cui additum.* Secundò vitilignes curat. Plin. ibidem. *Nitrum vitilignes altas ex aceto in sole illitum emendat.* Dicuntur autem vitilignes macule extense per totum corpus resperse; quæ & si nullum homini periculum creent, tamen deformes admodum ac turpes sunt. Verba sunt Celsi. Tertiò serpētum puncturis, & aliis etiam vlcerebus, quæcunque serpunt, occurrit Plinius *Serpentum*, inquit, *morsibus, phagedenis* (sic appellantur vlcera carnes celeriter depascentia) & *aliis vlcerebus, quæ serpunt aut putrescunt, ex aceto illitum aduersatur.* Quartò lassitudines membrorum depellit. Plinius. *Resicit lassitudines cum oleo ex aceto per vntorum.* Quintò ictericos sanat. Plinius. *Comprimat & pruritus suffusorum felle, maximè cum aceto datum.*

Celsus.

Plin.

108

His prælibatis facillè admodum est verba Salomonis diuersis interpretationib⁹ donare. Ex multis aliquas perstringam, & lectori alias atque alias adinueniendi relinquam locum. Cogita igitur, *carmina* in hoc loco vocem esse valdè ancipitem apud interpretes. Beda per *carmina*, increpationes & correptiones morum in lenitate adhibitas notari voluit, qui etiam, *cor pessimum*, cor intelligit prauum, & ad scelera propensum. Caietanus nomine *carminum*, verba consolatoria accipi debere existimat, & idem per *cor pessimum*, cor triste intelligendum putat. Rodolphus & Iansenius musicam & concentum suauem significari volunt, & sub his prædicationem, aut scripturæ sacræ eloquia. Denique plures sunt, qui per *carmina*, lugubre aliquid notari existimantes, iuxta ea, quæ nuper dicebamus, vt aceti austeritas insinuetur, correptiones peracres & seueras adhortationes, aut verba luctifica, & lacrymas suadentia, significari docent. Missos facio lxx. qui non *carmina*, sed internam aliquam passionem, seu angorem animi conuertunt. De his enim postea dicemus. Iam vides quantam & quam vberem sententiarum fetetem hæc verba parturiant. Nam si iuxta omnes prædictas carminum acceptiones, & diuersas nitri aceto perfusi facultates, ac virtutes versemus, vix aliquis expositionum excitandarum finis erit. Sed ex omnibus paucas seligam, quæ mihi magis accommodatæ visæ fuerint.

109
Caiet.

Prima interpretatio est Caietani, qui aliquid sua obseruatione se comperisse dicit, nitrum scilicet, quod natura sua ad vestes eluendas idoneum est, aceto infuso non tam eluere ac mundare, quam maculis respergere, quæ vix postea

elui possint, atque adèò sic locum edisserit. Quæ admodum acetum nitro infusum non eluit, sed inficit laneas, aut lineas vestes; sic etiam carmina, id est, consolationes importunæ, cum cordi mœrenti, aut dolenti adhibentur, tristitiæ sordes non emundant, sed augent: nam & si carmina & consolationes, nitri in morem, ad detergendas animi fæces, id est, quæ ex tristitia fluunt passionibus, per se valerent, tamen si in animum valdè amarum incidant, ipsa mœroris amaritudo & acerbitas, aceti in morem, efficit, ne per illas animus eluatur, sed magis ac magis sordescat. Itaque iuxta hanc interpretationem, *nitrum*, consolationes significat, *acetum*, verò animi angorem & mœrorem, suadetque Salomon consolationes tunc intempestiua, & sine emolumento adhiberi, cum animus nimis amarus est, atq; adèò expectandam semper consolatori opportunitatem, vt aliàs non semel diximus; atque adèò concinit hæc sententia cum illa Ecclesiast. 22. *Musica in luctu importuna narratio.*

Eccles. 22.

110
Valesius.

Secunda interpretatio est Valesij de Sacra Philosophia cap. 60. qui loci huius sensum ex Medicina petiuit; nam postquam præmisit aurium fordes & purulentiam nitro in acetum infuso expurgari, & earundem tinnitus sonitusque sanari, vt ex Galeno, Dioscoride, ac Plinio supra decreuimus, sic statim attextit. Quemadmodum nitrum cum aceto instillatum in aures, earum fordes eluit, & tinnitus sanat: ita exhortationes sanctæ sapius auribus instillata, fordes animi eluunt, & eius perturbationes, quæ velut tinnitus quidam aurium, veritatem audire prohibent, sanant prorsus. Et quemadmodum etiam nitrum acrimoniam suam exulcerata mordet, ita etiam sanctæ illæ adhortationes mordent quidem aures, & non sine ingenti molestia ab ægris animis excipiuntur donec sanantur vlcera, & obducta cute occalescunt. Hæc ille non ineleganter. Sed quandoquidem ex medicina lux Salomoni afferenda esset, si alias huius facultatis obseruationes supra adscriptas huc accersamus, aliquid etiã boni sensus præbebunt ad eam quam significari diximus morum correptionem austeram accommodatæ.

Nam primò nitrum infuso aceto vitilignes, maculas scilicet externas, corpus non parum deturpantes præsentissimè sanat. Correptio etiam tum maximè locum habet, cum delicta sunt externa, & publica, & scandalum proximis præbentia. Ad hæc nitrum aceto maceratum *Phagedenis* & aliis vlcerebus, quæ serpunt, adhiberi solet. Eadè correptionis ratio est; nam tunc maximè increpanda sunt delicta cum in futurum pendent, & velut vlcera serpentina in deterius abitura in dies sperantur.

111

Rursus acetum nitrumq; ictericos mixta sanant. Ictericus autem sunt hi, quibus fel intimum è vase naturali effusum ad externam cutem fluit: atque his adsimiles sunt, qui iras & intestina odia non cohibent penitus, sed foras in proximos effundunt, & publicas inimicitias gerunt: quos etiam quia scandalo alijs sunt, serio corripere, & seueris increpationibus coercere necesse est. Quid plura? nitrum aceto immersum lassæ & deficientia membra reficit, & valetudini restituit: similis adhortationi & correptioni vis est; nam sæpe eos qui lassam deficientem, ad laborem instauratis viribus exacuit. Quod si hæc non placeant, huius medicamenti dissimiles curationes alio modo versare, & alias tu te tibi interpretationes fingere poteris.

K- iiij

112
Beda.

Tertia expositio est Bedæ, Hugonis & aliorum, quam ex tertia nitri in acetum missi proprietate petunt. Beda sic habet. *Acetum si in nitrum effundatur, effervescent nitrum protinus, & ebullit: sic & peruersa mens quando per increpationem corripitur aut ei per predicationis dulcedinem bona suadetur. De correptione enim fit deterior, & inde in murmurationis iniquitatem succenditur, vnde debuit ab iniquitate compesci.* Quæ verba petita sunt ex Greg. Magno in cap. 3. Ezech. Hugo autem sic addit, *Effervescent atque ebullit irascendo, crepitat murmurando.* Hæc illi de corde prauo. Si verò per *cor pessimum* cor triste ac mœrens accipiamus, non insulsa euadet sententia ab eadem similitudine petita: sicut nitrum in acetum missum effervescent ac crepitat: ita etiam verba, nitri in morem, austeram, si in animum tristitiæ acerbitate amarum incidant, tùm certè non corrigunt aut emendat, sed magis ac magis laceffunt, & ad iram & indignationem maximam prouocant. Itaque sententiæ scopus erit, austeram documenta nimium mœstis ac tristibus animis instillanda non esse, quia hæc in tristitiam, velut in acetum, immisla, iræ feruorem, & obrectationis crepitem mouent.

113

Aristor.

Huic adsimilis est quarta expositio ex secunda nitri aceto permixti proprietate deprõpta: nam vt ex Aristotele ibi obleruatum est, nitrum oleo infusum non illiquatur aut diluitur, aceto verò immerfum breuissimè soluitur. Puta ergo acetum, vt res ipsa postulat, acerbam morum correptionem denotare. Nam illud prouerbii loco, circumfertur *aceto perfundere*, id est aliquem seuerius obiurgare. Hinc Plautus in Bacchide, vt patrem ad filium corripendum pædagogus exacuât, sic addit. *Nunc experiar si me aceto tibi cor acre in pectore.* Et iterum in Pseudolo. *Ecquid habet hic homo aceti in pectore?* Horatius 1. Serm.

Horat.

At Græcus postquam Italo perfusus aceto.

Persius.

Quibus accinit etiam Persius. *Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.* Mitto alia. Ait igitur Salomon. *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo.* Per *carmina* seueram increpationem, aut amaram orationem intelligo, iuxta ea quæ nuper dicebam. Itaque sensus est, Vir prauus non leni & suauis oratione, sed acri & acerba correptione opus habet; nam suauius ac mollis oratio, olei in morem ipsi instillata, ipsius proteruiam & animi duritiam soluere & eliquare non valet. At verò seria & seuera morum obiurgatio, aceti in modum, sua acerbitate eiusdem duritiam emollit, ac diluit, & ad virtutem, ac pietatem facillè transfert.

114

Greg.

Quod si per *cor pessimum*, intelligamus cor mœstum, ac triste, alia erit huius sententiæ energia. *Acetum in nitro*, &c. quasi dicat: Cor triste, nitri in morem, non est imbuendum aceto, nam quemadmodum acetum in nitrum decidens, illud quam primùm soluit, ac diluit; ita etiam amara acerbique obiurgatio, si in cor, alioqui mœstum ac triste, effundatur, protinus illud dissoluit. Quapropter mœstis ac dolentibus animis non acetum amaræ correptionis, sed oleum blandæ admonitionis instillandum est, quia sicut oleum nitro infusum non illud diluit, sed potius continet ac conseruat; ita etiam blanda admonitio aut consolatio, cor triste reficit atque oblectat. Qualis autem oratio haberi debeat ad tristes, eleganter docet Diuus Gregorius Pastoral. curæ libr. 3. adm. 4. *Aliter*, inquit, *admonendi sunt lati, aliter*

A *verò tristes, lati videlicet inferenda sunt tristitia & amara, que sequuntur ex supplicio, tristibus verò inferenda sunt lata, que promittuntur ex regno.* Discant lati ex minarum acerbitate quod timeant, audiant tristes premiõrum gaudia, de quibus presumant. Quasi dicat, illis acetum, his oleum infundendum est. Rationem verò proximè attingit his verbis. *Habent enim lati ex propinquo luxuriam, tristes iram.* Quasi dicat, tristes si minarum & acerbæ obiurgationis aceto infundantur, ad indignationem concitantur, quæ tristitiæ valdè affinis est.

Quinta interpretatio desumenda est ex quarta nitro aceto perfusi proprietate, constat enim ex supradictis nitrum aceto macerari, & suam austeritatem abiicere, nec non aceti acerbitem nitro emendari, ac temperari. Puta ergo per *carmina corde pessimo decantanda*, lenem ac minimè seueram correptionem notari, vt sentit Hugo. Tunc autem correptio leniri dicitur, cum obiurgatio, quæ per austeram est, verborum lenociniis, vrbannitate, salibus, & gratia obiurgantis demulcetur. Ait ergo Salomon. *Acetum in nitro*, &c. id est, sicut aceti acrimonia refuso nitro obtudi solet, sic etiã seueritas & asperitas correptionis, sale & gratia obiurgantis temperari conuenit. Hac ergo correptione admodum verborum blanditiis temperata vti debet, quisquis pessimum hominem commone facere volet. Id suadet Salomon cum ait. *Acetum in nitro qui cantat carmina cordi pessimo* i. qui seueram prauis hominis correptionem sic temperat, quasi cationis cuiuspiam modulis illam inuoluat, qui. s. monita austeram sic infert, vt non fremere ex ira, sed quasi ex voluptate cantare videatur, similis est ei, qui aceti acerbitem nitro infuso coeret. Iuxta quam interpretationem nomine aceti acerbitem correptionis notatur: per nitrum autem lepida, gratiosa, atque salua verba intelliguntur, quemadmodum etiam per sal. (nam nitrum, teste Plinio supra, salis quedam species est.) Puta ergo per *cor pessimum* cor significari ad iracundiã procliuem: nã vox Originalis *רָגַח* Rangh, quæ hîc subest, sæpè aliàs iracundiã significat in scriptura: euaditque non insulsa interpretatio. *Acetum in nitro, qui cantat carmina corde pessimo* i. qui hominis iracundia perciti, atque furentis, acerbitem, lepidis, ac gratiosis verbis eludit, ac temperat (hæc enim carmina valdè appositè dicuntur) similis est ei qui aceti austerum saporem nitri aut salis adspersione demulcet. Et quidem subitos furentium impetus lepidis verbis optimè mitigari docet Nazianzenus in pœmate de ira.

115

Ira torridum iocis pete:

Aduersus iram nam ioco nihil fortius, &c.

E Quod si dicas, nitrum è conuerso aceto infuso restingui, atque illius acrimoniã hebetari: tunc quidem per *cor pessimum*, cor tristitia atque mœrore oppressum, per *carmina* etiam lugubrem ac flebilem orationem capere oportet: nam, vt supra obseruabam, *carmen* in lacris litteris non semel lugubre aliquid sonat. Itaque sententia hæc continet alterum documentum, quod Paulus habet ad Romanos 11. *Flete cum flentibus*, quasi dicat: *Acetum in nitro qui cãtat carmina cordi pessimo* id est, quemadmodum acetum in nitrum effusum ipsius nitri austeritatem retundit, ita etiam nihil est quod luctuosi hominis angorem æquè demulcet, ac delinuat, sicut consolatoris lacry-

116

Rom. 11.

eg. mæ ac fletus. Audi Gregorium lib. 3. Moral. cap. 10. Ordo, inquit, consolationis est, ut, cum volumus afflictum quempiam a mœrore suspendere, studeamus prius mœrendo eius luctui concordare: dolentem namque non potest consolari qui non concordat dolori, quia eo ipso quod a mœrentis afflictione discrepat, minus ab illo recipitur, à quo mentis qualitate separatur. Sed emolliiri debet animus prius, ut afflictio congruat, congruens inhereat, inherens trahat. Neque enim ferrum ferro coniungitur, si non utrumque exustione ignis liquetur, &c.

117 Sexta interpretatio ex quinta nitri acetique permixti proprietate supra adscripta depromenda est, quia nimirum hæc se inuicem iuuant, & vim purgatiuam exaccunt, aded vt metallorum aruginem facile detergant, & vasa vel aurea, vel argentea suo splendori restituant. Ergo per carmina seueram morum correptionem, & per cor pessimum prauum & flagitiosum accipe: tunc sic locum ediffere. *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo*, id est, quemadmodum acetum nitrumque permixta & confusa, sordes, quæ metallis etiam durissimis adhærescunt, vi sua emaculant & detergunt, ita etiam seuera obiurgatio & increpatio doctoris proteruissimorum hominum delicta expurgat, & illos ad honestatem pietatemque traducit. Et quidem duo sunt quæ vulgò circunferuntur, & adagiorum locum habent. *Aceto perfundere, & sale defricare*, quæ per se singula ad significandam seueram, & austeram morum obiurgationem assumi solent: utrumque verò copulat Salomon in hoc loco, acetum scilicet, ac nitrum, seu sal (nam salis ac nitri vicina valdè natura est & proprietates consimiles.) Et quidem, ni fallor, ad hanc expurgandorum metallorum vim, quæ pollent acetum nitrumque permixta, respexit Chaldaus Paraph. qui locum istum sic extulit. *Sicut qui acetum in nitrum proicit, ita probat cor dolor, sicut argenteum vas*. Verbum illud *probat*, non significat hic, vt sæpè aliàs, constationem igneam, sed purgationem: nam argentum cum sordidum est ac rubigine oblitum, vix argenti speciem retinet. Itaque sensus est, sicut nitrum aceto dilutum argenteum vas emaculat, & deterfis sordibus argentum esse demonstrat, quod argenti speciem amiserat: ad eundem modum dolor, & labor, viri probitatem & honestatem, quæ otio atque indolentia multas vitiorum sordes contrahere solet, velut argenteum vas deterfa rubigine splendori ac nitro suo reddit. Id ergo quod Chaldaus de dolore, atque labore, Vulgatus noster de austeritate, atque seuera morum correptione satis aptè pronuntiat, eiusq; vim ad extergendas vitiorum maculas, si quæ proteruius animis adhæserunt, apta comparatione commendat.

218 Quod si per *cor pessimum* cor triste intelligamus cum aliis, sensus alter non inelegans conformari potest. *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo*, id est, tristi atque mœsto: Tristitiam vtique *cordis rubiginem* appellauit Cassian. lib. 10. de spiritu acedia: quia sicut metalla, quæ vsu non teruntur, aruginem trahere solent, ita etiam eo otio acedia, & tristitia euenire solet. Aptè igitur Salomon, sicut nitrum aceto dilutum argenti, aut cuiuslibet alterius metalli aruginem tergit, ita etiam verba cōsolatoria tristitiam expurgant, quæ cordis quædam rubigo est. Ac ne sordeat hæc interpretatio illud vltimas addendum est, consolationem illam, quæ ad expurgandam mœroris rubiginem idonea esse dicitur, cum nitro

A acetoq; permixtis aptè conferri: debet enim hæc consolatio mœrore ac latitia constare: prius enim cum flente flere, deinde ad latitiã sua latitia mœstum animum excitare opus est: mœror autem letitiæ sociatus nitri & aceti mixtione aptissime notatur, acetum enim mœrorem adsignificat, nitrum verò latitiam & voluptatem (nam nitri atque salis, vt iam dixi, affinis admodum natura est) sal autem voluptatis simulacrum existit apud Philonem, quia quemadmodum sal epulas, ita voluptas omnes actiones condit, & suaves reddit. Mœrorem autem simul cum latitia in mœstorum cōsolatione adhibendum esse docet Nazianzenus apud Antonium Monachum in Meliss. *Magnum*, inquit, *remedium tristitiæ offerunt a condolentibus: nam qui equali afflictione laborant, plus solatis patientibus exhibent, cum inter dolendum causas latitiæ inueniunt, aut offerunt*. Ad hunc modum alias atq; alias huius loci interpretationes comminisci licet ex supra scriptis nitri acetique proprietatibus: in his enim, quas hæctenus contulimus, modum tantum ac viam alias adinuicendi aperuimus.

Ad extremum aliquid dicendum est de translatione lxx. *Sicut acetum trahit inutile, sic accidens passio in corpore cor contristat*. Hæc lectio (ni mea me fallit coniectura) ad primam illam aceti in terram nitrosam effusi proprietatem referenda est: Constat enim acetum ea ratione in tellurem missum nitrum exprimere, & foras trahere, nitrum, inquam, quod terram sterilem & infecundam omnino reddit: ided enim à lxx. *inutile* appellatur: quod aded verum est, vt inter alia quibus exploranda est terra fecunditas, sic Columella de re rustica. *Acetum super faciem terra effusum, vtrum nitrosa & sterilis sit declarat*. Itaque sensus est: sicut acetum in tellurem nitrosam effusum, nitrum, quod illam sterilem efficit, acrimonia sua extrahit, & in superficiem euocat, atque eo argumento inutilis prorsus ac infrugifera deprehenditur: sic etiam labor, calamitas, infortunium, aut dolor quiuus in hominem imbellem, ac infirmum incidens, cor illius consternat, & tristitia implet, nec non etiam imbecillitatem & infirmitatem, aliaq; interna vitia, quæ nitri in mœrem, illum ad omnem bonam frugem inhabile reddunt, manifestare cogit. Vel aliter, per *accidentem in corpore passionem*, pœnam aut supplicium corpori inflictum accipere licet: ita vt sensus sit, *sicut acetum trahit inutile*, &c. id est, sicut acetum in tellurem effusum nitrum exprimit, quod illam sterilem efficit, ita etiam supplicium corpori fontis inflictum exultantes illius passiones, & vitia penitus insidentia extrahit, & cor maceratum & emendatum ad bonam frugem adducit. Sed. n. r. hanc, quam superiorem interpretationem lectioni Vulgaræ accommodare integrum est, si quidem *nitro* nomine terram nitrosam & salis, & per *carmina*, seueram morum correptionem intelligamus.

Quod si per *carmina* consolatoriam orationem, aut sacræ Scripturæ verba accipere libeat: licebit tunc non ineptam interpretationem instruere, dummodò, *cor pessimum*, idem sit atque cor triste. Nam de tristitia Diuus Antiochus Homilia 25. *Damon*, inquit, *insillat cordi importunam tristitiam, vt mentem à proposito auocet, ac proinde hominem ipsum infrugi reddat atque inutilem*, sic scilicet quemadmodum nitrum tellurē infrugiferam reddit. *Acetum*, ergo, *in nitro qui cantat carmina cordi pessimo*, id est, tristi ac mœsto: quæ

admodum enim acetum in nitrosam terram effusum, illam à nitro expurgat, & habilem fatū reddit, ita etiam oratio consolatoria, aut quæcunq; doctrina spiritualis ex sacris literis petita, tristitiā animi, quæ illum, nitri in morem, infrugi & inutilem reddebat, prius exprimit, & ad excipienda virtutum semina comparat. Frustra hinc plura; esset enim valde prolixum omnia persequi, & inter tot expositiones aliquam feligere, ac cæteris præferre non facile.

XX. *Sicut tineæ vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.*

121

Sicut tineæ, &c. Hæc verba desiderantur in Primitiuis, & ob eam causam à sacro textu expungenda censet Hebr. apud Caietanum pro sua in Vulgatam lectionem licentia. Cæterum cum Vaticanus textus illa retineat, pro canonicis habenda sunt. Accedat etiam auctoritas lxx. interpretum, & paraphrastis Chaldaei, qui eadem verba in suis codicibus inferunt, lxx. quidem (vt iacent in Vulgatis) Chaldaeus verò ad hunc modum, *Sicut tineæ in ligno, sic soliditas irritat cor hominis.* Alteram enim tineæ vestem perrodentis similitudinem omittit: missam quoque facit illam Origenes in Mathæum, sic enim habet. *Quemadmodum in ligno vermis, sic dolor viri ledit cor.* Hieronymus contra Iovinianum lib. 1. aliter extulit locum istum. *Sicut in ligno vermis, ita perdit virum suum vxor malefica.* Sed de mente Hieron. aliquid ad extremū dicemus, August. de Ciuitate Dei lib. 12. c. 9. *Sicut tineæ vestimentum, & vermis lignum, sic mæror excruciat cor viri.* Sed quævis lxx. interpretes, quos Prophetarum munere functos nō semel dixi, hoc iure vsi quædam sententias inseruerint, quæ in Originibus non erant, ex quibus non paucas in hoc libro supra obseruaui, tamen de hac sententia aliud iudicium ferendum est: puto enim illam olim etiam in Primitiuis Hebrais extitisse, quod lxx. interpretum & Chaldaei concordia satis declarat. Quapropter alias aliorum de his verbis censuras minus accommodatas silentio obruere decreui.

Origenes.

Hieron.

August.

122

Adscribam prius verba Patrum, quibus locum istum illustrarunt, & ex his, si quid diuersi sensus occurrit, excitabo, Cassianus libro 9. de spiritu tristitiæ. *Sicut enim, inquit, tineæ vestimento, &c. Satis euidenter, ac proprie, vim noxi huius ac perniciosi vitii spiritus diuinus expressit: vestimentum namque tinearum esu atrectum nullius pretij, vel honesti vsus poterit ulterius habere commercium. Itidem & lignum vermibus exaratum non iam ad ornatum vel mediocris adificij, sed ad combustionē ignis merebitur deputari: Ita etiam & anima, quæ edacissimis tristitiæ morsibus deuoratur, inutiliserit, vel vestimento illi pontificali, quod unguentum Spiritus sancti de cælo descendens prius in barbam Aaron, deinde in oram suam solitum defluere sancti Dauid vaticinio perhibetur: secundum illud; Sicut unguentum in capite, &c. sed neque ad struendam templi illius spiritualis atque ornatum poterit pertinere, cuius Paulus architectus sapiens posuit fundamenta dicens: *Pas estis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis: cuius qualia sint ligna, sponsa describit in Canticis Canticorum Tribes, inquiens, nostra cypressina & tigna domo-**

Cassian.

Rom. 8.

Cant.

Arum nostrarum cedri. Et iacirò huiusmodi ad templum Dei lignorum genera deliguntur, quæ sunt & bona fragrantia, & imputribilia. quæque nec corruptela vetustatis, nec esui vermium valeant subiacere. Hactenus Cassianus, qui planè per tristitiā mærorem & angorem animi accipit, & ad hunc locum spectans sanctus Antiochus Homil. 25. de tristitia sic ait. *Tristitia vermis est cordis suammet exedens matrem.* Et infra. *Quod si mens inertia animi eneruetur, mox tristitia arrodere incipit hominis cor, iuxta sententiam superiorem, seu affolet pallium exedere tineæ, vermis lignum in ligni quasi ossibus prognatus.* Tristitiæ immanitatem exprimere vult Antiochus, quæ cum ex corde nascatur, ipsummet cor morsibus suis depascitur, ac dilacerat, quemadmodum vermis ex ligno prognatus ipsius ligni viscera perrodit, ac terebrat. Sed quanta immanitate tristitia animum conficere soleat elegantissimè Chrysoctomus epistola 3. *Mæror, inquit, graue animorum tormentum est, siquidem pestiferum vermem imitatur, non carnem dumtaxat, sed etiam animam perstringens: ac tineæ est, non ossium tantum, verum etiam mentis: & perpetuus carnifex non latus sodiēs, verum animi vires labefaciens.* Hæc est prima atque verior huius loci expositio de mærore ac tristitia, quam plerique libenter amplectuntur: sed comparationis energiam iuxta literam vestigare oportet.

Antioch.

B

B corde nascatur, ipsummet cor morsibus suis depascitur, ac dilacerat, quemadmodum vermis ex ligno prognatus ipsius ligni viscera perrodit, ac terebrat. Sed quanta immanitate tristitia animum conficere soleat elegantissimè Chrysoctomus epistola 3. *Mæror, inquit, graue animorum tormentum est, siquidem pestiferum vermem imitatur, non carnem dumtaxat, sed etiam animam perstringens: ac tineæ est, non ossium tantum, verum etiam mentis: & perpetuus carnifex non latus sodiēs, verum animi vires labefaciens.* Hæc est prima atque verior huius loci expositio de mærore ac tristitia, quam plerique libenter amplectuntur: sed comparationis energiam iuxta literam vestigare oportet.

Chrysoct.

C

C Sicut tineæ vestimento, & vermis ligno, &c. Diuus Antiochus immanitatem tristitiæ notari existimauit, quæ ipsum cor, cui innascitur, assidue conficit. Cassianus verò comparationem eò deriuauit, vt hominem tristitia confectum ad omnia inutilem esse monstraret, quia neq; vestis in morem, Christum induere, nec, tanquam lignum ad templi spiritualis fabricā veniri potest: vtrumq; satis verum est. Sunt tamen qui has duas similitudines aliter expendunt. Vestis, inquit, ornamentum est, quo in publico vtimur, ligno autem ædium fabrica sustinetur. Quemadmodum ergo vestis tineæ exesa non potest decorè in publicum produci, & lignum vermibus pertusum ædium molem sustinere non valet, ita etiam homo tristitia, & mærore confectus, neque in publicum decenter prodire, & publicas res agere, nec domesticas curas, & onera infractus perferre potest, ad vtrumq; planè inhabilis, ad publica & ad priuata.

123

D

D Cæterum ego potius dicere his similitudinibus duas mæroris præcipuas causas Salomonem adnotare voluisse: hæ sunt, otium, & sui ipsius amore. Has. n. duas tristitiæ radices esse docet Bernardus de interiori domo: Et quidem amanti sui hominem qualicumq; molestia facile contristari, & angere certo certius est: ex otio verò tristitiā euenire vel ex eo constat, quia, vt docet Cassianus supra, *Acedia tristitiæ mater est.* & Antiochus homil. 26. sic habet. *Acedia planè intolerandus demò, & nihilo dispar ab spiritu tristitiæ.* Et postquā plures acedia affectus enumerauit, sic demum inferit. *Cuncta hæc quid aliud operatur quam iners otii ac socordia animi lente scētis?* Has igitur duas causas, seu radices mæroris complectitur Salomon præmissis verbis. *Sicut tineæ vestimento.* Hæc similitudo eam tristitiā denotat, quæ ex otio & acedia fluit. Quasi dicat: sicut vestimentum in arca inclusum, quod vsu frequenti non teritur, cosum ac tineam alit, quæ ipsum morsibus suis pertundit: ita etiam cor otio torpescēs tristitiā gignit, quæ ipsum assidue depascitur. Hinc spectauit Antio-

124

Antioch.

chus supra cum dixit. Quod si mens inertia animi A enervetur, mox tristitia arrodere incipit homini cor, seu affolet pallium exedere tineas, &c. Subdit aliam similitudinem Salomon. Et vermis ligno: quæ mœrorem illum præclare adsignificat, quem amor sui impressus parere consuevit. Plinius lib. 16. c. 41. *Teredines, inquit, nasci prohibet, in aliis amaritudo, ut cupresso, & oleastro, & cedro: in aliis durities, ut buxo.* Itaque his lignis teredo innascitur, quæ mollem, dulcem & minime austeram materiem habent: hæc autem mollium, ac sui amantium hominum mores præclare notant: illa verò seuera & rigida ingenia pulchrè innuunt. Hinc non iniucundè ille alius de adulatione ferens. *Cupresso, inquit, non innascuntur teredines propter amaritudinem, neque buxo propter duritiem: ita pestis adulationis fugit seuera, & rigida ingenia, mollia captat, & facilia.* Ad eundem modum Salomon de tristitia & mœrore. *Sicut vermis, inquit, in ligno, ita tristitia viri nocet cordi;* id est, sicut vermes ea ligna, quæ molliorem ac dulciorem habent materiem, perforare solent, amaris autem, & austeris lignis patunt: ita etiam tristitia mollia, & facilia amatorum sui ingenia morsibus suis peruadit: eorum verò, qui etiam in seipso seueri, & austeri sunt, animum non attingit.

125 Aliquid præterea ex Chaldæo paraphraste ad hanc priorem interpretationem faciens subscribere licet. Nam licet illa verba, *sicut argenteum vas,* superiori sententiæ adnectenda esse supra decreuerim, tamen alij putant cum hac copulanda hoc modo. *Et probat corda dolor, sicut vas argenteum: & sicut teredo ligno, sic stoliditas irrat cor hominis,* ita ut illud, *vas argenteum,* vices agat illius clausulæ, *sicut tineas vestimento.* Sed quis sensus? non morabor. Duplex tristitia est, alia utilis, & alia nociua: quæ igitur utilis, bona, & secundum Deum est tristitia, animum expiat, atque ad eum cum igne confertur, quod argentum purius atque nitidius reddit: quæ verò noxia est, animum consternat, & idè cum teredine componitur, quæ lignum pertusum, corruptumque penitus vitiat. Et quidem vtramque tristitiam à conflatoria arte non discedens præclare describit Antiochus loco supra citato. *Quemadmodum, inquit, conflatoria ars ex plumbi natura detrahit ingi constationem & imminuit, ita etiam tristitia mundi istius mentem assiduè conficit, atque atterit, & veluti argentum a lioqui reprobum eadem conflatoria illustrat ac purius reddit: sic tristitia, quæ secundum Deum est, cor expiat, licet valde occalluerit peccati scoria.* Eadem prorsus est sententia Thargumi, nisi quod pro similitudine ex conflatione plumbi petita, aliam subrogat à teredine lignum perforante ac terebrante simili accommodatione deductam.

126 Secunda interpretatio peti potest ex Nazianzeno oratione prima Apolog. qui de curis ac sollicitudinibus, quæ publica Ecclesiæ administratio continet, verba faciens, sic scribit. *sed fortasse tantum est hoc opus, tamque molestum & laboriosum cordi sensu prædito, & mœrenti: ac verè tineas osium viro prudenti.* Putat autem eius scholiastes Nazianzenum ad hæc Salomonis verba adspirasse, atque ad eum tristitiam in hoc loco non priuatorum hominum mœrorem, sed Principum ac Præsulum angorem notari: quem curæ ingentes publicarum rerum afferre solent. Et sanè curas publicas tineam esse, aut vermes animum vehementer arrodentes docuit idem Nazianz. in carmine 9. de vita Christo digna.

Difficiles etenim curæ, densaque ruentes

Agmine, rodentes animum, resolutaque membra

At totum in terram, de qua mortale creatum Est genus, assiduè voluunt, miserèque fatigant.

Et supra easdem curas infectans ait.

Nec granium nostram perturbent agmina mensum

Curarum, quas hic mundus, mundi que tyrannus

Excitat innumeras miseris mortalibus: intus Diminam effigiem rodens absumere ferrum Scabra velut rubigo solet, &c.

Ergo si hæc non displiceat interpretatio, verba Salomonis sic replicari poterunt. *Sicut tineas vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi,* per virum, Principem intellige (ut aliàs non semel in hoc libro.) Principum insigne præcipuum est purpura: nullum autem est vestimenti genus, quod tinearum iniurias magis sentiat quàm purpura, teste Plinio lib. 5. cap. 27. quia alij colores austeri tineas arcet: coccineus verò color dulcis est, atque ad eum tineas excipit alitque. Sit igitur hic sensus. *Sicut tineas vestimento, &c.* id est, sicut tineas vestes quilibet arrodunt & pertundunt, sed tùm maximè purpureas, ita etiam curæ priuatos tangunt, sed Principes, ac præfules cum primis angunt. Quemadmodum enim purpura plures tineas, sic etiam Principatus plures & grauiiores curas gignit. Subdit, *& vermis ligno.* Experientia etiam constat ea ligna, quæ ædium fastigia sustinent, teredinem citius sentire solita, siue quia pluuiis perstillantibus vitiantur, siue aliam ob causam. Hinc spectauit Plutarchus in Moral. *Sicut ligna, quæ in rebus ædium sunt, vermes; sic principatus inuidiam alit.* id est, quemadmodum his lignis, quæ summa domorum testa sustinent, potius quàm aliis vermes innasci solent: ita etiam Principes atque fortunati omnes, inuidios potius habent, qui eorum felicitatem corrumpere satagunt. Hæc igitur sententia ad curas transferenda est eodem argumento: sicut ligna, quæ fastigia domorum continent, teredines peruadere, ac terebrare solent, ita etiam curæ grauiiores ac molestiores, eorum animos mordere & conficere solent, qui dignitatum fastigia tenent. Itaque Salomon iuxta hanc interpretationem, dignitatum purpuras, & fastigia minimè affectanda, aut petenda ex eo conficit, quia grauissimis, ac molestissimis curis, & angoribus redundant.

127 Tertia interpretatio per tristitiam, inuidiam, atque liuorem concipit. Inuidia enim nihil aliud est quàm tristitia de aliena felicitate concepta. Itaque ait Salomon. *Sicut tineas vestimento, & vermis ligno, sic tristitia viri nocet cordi.* Sensus est luulentus: similitudinem illam, quæ à ligno ducitur, vsurpauit Chrysostomus Homilia 45. ad populum. *Talis, inquit, est huius vitij malitia, ut se parientem prius offendat, & sicut vermis de ligno nascens, ipsum prius absumat: sic & inuidia illa prius, quæ se peperit, animam corrumpit.* Et infra. *Antequam ab externis hostibus ab ipso obsessus vitio tantum non consumitur, & tanquam occultis depastus deusibus, ita clanculum, ut ita dicam, absumptus remanet.* Eandem sententiam similitudine non valde dissimili inclusit Bias Philosophus apud Laërtium lib. 1. cap. 6. *Ut ferrum, inquit, rubigine absumitur, ita inuidus suo ipsius vitio contrahescit.* Nimirum id dixit, quia ferrum ex se ipso rubiginem gignit, quæ illud exerit, ac vitiat. Legimus

Plin.

B

C

D

E

Antioch.

Plin.

Plutarch.

Chrysost.

Bias.

Periander. eandem sententiam apud Periandrum, quæ ex Græcis fideliter reddita sic habet. *Quemadmodum arugo ferrum, sic inuidia animum illius, in quo inest, conterit.* Accedit etiam diuus Basilius Homilia in aliquot scripturæ locos. *Hic est alius morbus vite hominum peculiaris, & animis nostris à natura insitus, & corda magis consumere aptus, quam rubigo ferrum.*

Basil. Sed vt lectioni nostræ aliquid splendoris accersam, subiucio, duabus præmissis similitudinibus eorum mores notari, quos inuidia potissimum admordet. Nam duo sunt vitia ex quibus inuidia gigni solet, vt docet passim Augustinus, superbia, & stoliditas: de hac extat illud Iob. 5. *Paruulum occidit inuidia*, id est insipientem, ac stolidum hominem. Hinc autem lux paratur translationi Chaldaicæ, quæ extrema verba sic extulit. *Et sicut teredo ligno, sic stoliditas in corde viri.* Stoliditatem autem pro inuidia de industria supposuit, quia illius parens est. Augustinus etiam de verbis Domini sermone 53. *Non potest, inquit, superbus esse non inuidus: inuidia filia est superbia, sed ista mater nescit esse sterilis, vbi fuerit continuò parit.* Ergo si per tristitiam hinc liuorem capiamus, sensus erit eiusmodi, *Sicut tinea vestimento, &c.*

Augst. Succedat memoriæ id quod diximus, præ cæteris vestibus purpuram, quæ superbiæ ac fastus simulacrum gerit, tineam alere, & ab ea perrodi, vt constet superbos animos liuore potissimum corrumpi. Subiungit Salomon, *Et vermis ligno*, alteram inuidiæ causam insinuans: hæc est vecordia ac stoliditas. Non pigebit hinc aliquid adscribere ex Hectore in cap. 19. Ezechiel, vbi sic habet. *Quemadmodum tinea non nascitur in cedro odorifera, & eius ligna cariem non sentiunt, sic inuidia non gignitur in corde hominis sapientis.* Et quidem Plinius, vbi supra, docet teredines in his lignis procreari quorum materies non acris, sed nullo, aut fatuo sapore prædita est, *sed potissimum in his, quæ facuum sapiunt*, vt in pinno, abiete, &c. vt vel sic constet ad eundem modum inuidentiæ cariem in fatuis, ac vecordibus mentibus progigni.

Hector Pintus. Quartam interpretationem exhibet nobis Augustinus de ciuitate Dei libr. 21. cap. 9. vbi per tristitiam illam, quæ cor viri tantoperè excruciat, peccati conscientiam intelligit, quæ tineæ aut vermisi in modum, reprobos animos apud inferos sine intermissione depascitur, iuxta illud Mar. 9. *Et vermis eorum non morsetur, & ignis non extinguetur.* Cum Augustino concinit Hieronymus in cap. 66. Isaïæ, vbi sic scribit. *Vermis autem, qui non morietur, à plerisque conscientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in suppliciis constitutos, quod vitio suo atque peccato caruerint electorum bono, iuxta illud quod dicitur: Versatus sum in miseria, dum insigitur spina. Et in Prouerbiis, Tinea osium cor intelligens: & iterum sub oleo: Sicut tinea vestimentum, & vermis lignum, sic mæror excruciat cor viri.* Sed licet sanctissimi isti patres de dånatis apud inferos Salomonis verba acceperint, possunt tamen in vniuersum de his intelligi, qui delictorū conscientia punguntur: quorum animos ipsamet delicti conscientia perinde mordet, & arrodit, sicut vestes tineæ, & ligna teredines. Frustrà hinc multis de verme conscientiæ: id tantummodo dicam iterum quod nuper adscripsi, ligna, quæ austerum & acerbum habent saporem, cariem non sentire, sed illis inuasci potissimum, quorum materies dulce sapit. Aio igitur malæ conscientiæ cariem ac teredinem, animos illos nequaquam

A sentire, qui internæ compunctionis amaritudinē acidi semper sunt & austeri. (Hinc spectat illud Isidori lib. 3. de summo bono. *Semper conscientia serui Dei humilis esse debet, ac tristis, vt per humilitatem non superbiat, & per utilem mærorem cor ad lasciuam non feratur.*) sed voluptatum amatores, molles ac delitiosos. Hinc est illud Bernardi de interiori domo, *Mala conscientia deliciarum & voluptatum assiduus vermis est*, non solum quia omnem earum suauitatem exedit, sed etiam quia animum voluptatis delinitum assiduo mordet ac rodit.

B Nonnihil etiam de vestimento dicam. Plinius lib. 28. cap. 3. aliquid admiratione dignum scribit: nam cum præmississet, ictos aliquando ab scorpione nunquam amplius ab apibus, vespis, aut crabronibus peti solitos, sic statim alluit. *Minus hoc miretur qui sciat vestem à tineis amplius non attingi, quæ fuerit in funere.* Quorsum hæc succedat memoriæ Ambr. sententia alibi à me obseruata, qui inter alia, quibus malæ conscientiæ vermis arcetur, numerat mortis ac funeris assiduam meditationem: nullum enim contra peccata, & eos qui ex peccatis oboriuntur, conscientiæ aculeos, præsentius remedium est. Ergo Salomon ait. *Sicut tinea vestimento, sic tristitia viri nocet cordi: tristitia scilicet, quæ mens alicuius sceleris sibi conscia vrgetur: hæc enim non aliter mentem conficit, quàm vestem tinea: sed tamen quemadmodum illa vestis tineam nunquam sentit, quæ in funere aliquando fuit: ita etiam ex animis illi malæ conscientiæ morsus non experiuntur, quibus mors, ac funus semper obuertatur. Subiuciam denique aliquid non infulsum, vestis sanè, quæ in publico vtimur, bonam famam adsignificat, non solum quia per illam, tanquàm per vestem, quis erga proximos suos bene ac decenter se habet, sed etiam quia, vestis in morem, protegit ac fouet. Caterum vt fama ad eum modum hominem exornet ac foueat, bona conscientia opus habet. Gregorius in Ezechielem Homil. 9. *Quid enim prodest si omnes laudent, & sola conscientia accuset?* Et Bernardus in Cantic. *Omnino sufficit aduersus os loquentium iniqua, bonorum opinio, cum testimonio conscientia.* Opinio enim bona sine conscientia suffragio, non sufficit. Aptè igitur Salomon, *Sicut tinea vestimento, sic tristitia*, &c. id est, sicut tinea vestem pertundit, sic etiam malæ conscientia vermis bonam famam corrumpit, ita vt, vestis adinstar, ex tineæ morsibus exesæ, ac laceræ, hominem fouere, & exornare nullo modo possit. Habes non paucas huius loci interpretationes ex Patribus petitas, quarum delectum tibi permitto: ego enim omnibus multum tribuo.*

C **D** **E**

XXI. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere.

XXII. Prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.

Si esurierit inimicus tuus, &c. Heb. *Ciba Sillum pane, & si sitierit, propina illi aquam.* Pro pane autem subest vox לחם *lachem*, quam ad omne alimenti genus notandum assumi in sacra Scriptura non semel aliàs obseruati: idèò absolutè

Isidor.

Bernard.

130 Plin.

Ambros.

Gregor.

Bernard.

137

absolutè conuertit, *Ciba illum*. Sic etiam habent A lxx. & Paulus ad Romanos 12. Hoc tamen interest, quod lxx. sic extulerunt *τρεπε αυτων*: est autem verbum *τρεπω*, *nutrio*, aut *cibo*, in vniuersum. Paul. verò habet *δωμω αυτων* quod propriè est *concidere*, aut, *in frustra diuidere*: dicitur autem propriè de aibus, quæ pullos suos alunt cibo rostris conciso, & minutatim in os missò: & de iis qui in conuiuuiis incisis carnibus fercula cuique assignant, vulgò *trinchantes*, aut etiam de his, qui ad cuiusdam benevolentia significationem ad morsos cibos familiaribus suis in conuiuuiis destinant, vt postea dicemus. Rursus lxx. extrema illa verba *da ei aquam*, sic absolutè extulerunt. *Potum da illi*. Paulus etiam concinit: in vtroque textu est *πιση αυτων*, id est, *potum illum*, vel, *propina illi*: sicut enim panem pro qualibet esca, ita etiam *aquam* pro qualibet potione accipi existimant lxx.

Prunas enim congregabis, &c. Heb. *Quia prunas tu capies super caput eius*. Nimirum aliunde captas prunas, capiti illius impones, subest. n. verbum *קחת* *Cohab*, ex *Chathab*, quod significat, *accipere*, aut, *corripere*: quod aliàs igni sapius accommodatur. Isaia 30. *Qua portatur igniculus de incendio*. Hebraicè. *Ad capiendum ignem de incendio* Et supra cap. 6. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo?* Hebr. *Nunquid capiet vir ignem*, &c. Leuit. 16. *Assumptoque thuribulo quod de prunis altaris impleuerit*, &c. Mitto alia. Caietanus aliter reddidit. *Prunas dilatabis super caput eius*. Vatabl. *Prunas incendes*. Cyprianus. *Carbones superfundes*. eodem sensu.

Hunc locum Caietanus singulari interpretatione donauit, nam cum sic legisset, *Si esurierit inimicus tuus, da illi panem: & si sitierit, da illi aquam bibere, carbones enim dilatabis super caput eius*, &c. sensum eiusmodi comminiscitur. Sermo, inquit, est de inimico ad extrema necessitatis angustias redacto, idè panem, & aquam, non autem alia delicatiora obsonia illi donare præcipit, quod vel ex eo licet colligere, quia explicat necessitatis articulum, esuriam videlicet, ac sitim. Sed quid sibi vult illud, *Carbones dilatabis*, &c. Nihil, inquit, aliud est, *prunas dilatate*, nisi illas salapello mouere, & expandere, vt excusso cinere magis ac magis splendeant, & calor roboretur. ita vt non ad inferiora membra tantum, sed ad caput ipsum calefaciendo pertingat. Itaque illud *super caput*, non significat prunas vertici impositas, sed præpositio, *super*, ponitur pro, *ad*, vt sæpè alias in scriptura, id est, *ad caput* vique. Duplicet aliis hæc similitudinis constitutio, sed tamen mihi non admodum inepta videtur, dum modò pro verbo *dilatabis* (quod hîc perperam assumitur) subiiciamus verbum *congeres*, aut *congregabis*, vt est in Vulgatis, ita vt significetur, prunarum cumulus ignitus: nam fortius agunt multi carbones ad eum modum conglomerati, quam pauciores explicati & diuisi. Itaque ex tribus, quæ Caietanus in sua expositione commentus est, duo refellenda omnino sunt, nimirum id, quod docet agi hîc de aduersario ad extrema redacto: nam, vt infra conficiam, longè diuersa est Salomonis mens, & id etiam, quod de mouendis dilatandisque prunis adnectit. Alterum verò quod ait non significari hîc prunas capiti impositas, sed eas, quæ vi & actione sua ad caput faciemque calefaciendam perueniant, non est absurdum. Nam comparationes illæ lepôris habent plurimum, quæ duci solent ab aliqua re

Tom. 2. part. 2.

in vsu posita: atqui prunas super caput spargere inauditum videtur. Quod autem ait, præpositionem, *super*, capi pro, *ad*, non satis probo, nam potius dicendum accipi. pro *ante*, aut, *iuxta*, non enim insolens est vsus iste. Ezechiel. 31. perbreui quadam periodo ter Propheta præpositionem *super*, vsurpat pro, *ante*, *Et stupescere super te faciam populos multos*, & *Reges eorum horrore nimio formidabunt*, id est, ante te. Deinde atexit. *Et reges eorum horrore nimio formidabunt super te*, id est ante te. *etiam volare cæperit gladius meus super facies eorum*, id est ante facies eorum. Mitto alia. Vfus verò eiusdem præpositionis, *super*, pro, *iuxta*, adè vulgaris est in scriptura, vt de industria ab exemplis ablineam. Itaque vt sensus huius loci aptè cadat, sic conformandus est. *Carbones congregabis super caput eius*, id est, ante caput, eius scilicet ante faciem, vt ab his incaleseat & inflammetur.

Alij rursus similitudinem hanc sic conformant. *Prunas enim congregabis super caput eius*, id est, tot illi accumulabis vndequaque carbones, vt cumulus supra verticem sese attollat quasi dicat illum ignitis carbonibus immerges Non displicet. Alij denique verba capiunt, vt sonant, id est, prunarum globulos capiti illius impones. Quod si obicias, carbones ad eum modum capiti nunquam imponi solitos, atque adè comparationi lepôrem adimi. Possent utique occurrere, affirmantes id à medicis aliquando tentari: constat enim apoplecticis acerra ignitis carbonibus impleta & capiti imposita nonnunquam subueniri: aliquando etiam phrenesi laborantibus: tunc scilicet, cum phrenesis ex eo accidit quod caput cerebrumque frigore riget, atque adè sensus interni torpent. Quod autem syderatio & apoplexis cerebro ex frigore euenire soleant, docet Hipocrates in libro primo de morbis circa finem, & libro secundo non longè à principio, & iterum circa medium. Et quidem Augustinus ad hanc apoplexiæ, phrenesis, aut syderationis curationem videtur spectasse sermone 163. de tempore, vbi locum istum expendens inter alia sic scribit. *Carbones ignis congeres super caput eius. Nam cum penitentiam cæperis agere sensus rationalis, hoc est caput ipsius, incipit charitatis igne succendi, & qui prius quasi frigidus & phreneticus contra se consueuerat iracundiam retinere, spirituali calore de tua bonitate succensus incipit toto corde diligere*. Obserua illa verba, *frigidus & phreneticus*, hæc enim nostrâ coniecturâ confirmant.

His prælatis circa comparationis istius corticem aut testam, iam nunc ex illa delitescens sententiæ nucleus eruendus est. Græci Patres Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, omnes in Paulum, & Imperfectus Homilia vndecima in Matthæum, carbones istos malam in partem vertunt, ac sensum verborum ad hanc modum instituunt. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*, &c. id est, aduersario in angustias coniecto necessaria suppedita, & victu fame potuque sitim leua: si enim ille hoc beneficio affectus non respuerit, & hostilem animum posuerit, *Carbones congeres in caput eius*, id est, Dei optimi maximi ignitam iram, & indignationem in caput illius accerfes. Imperfectus enim in præmissa Homilia sic habet. *Congerere autem carbones ignis super eum, qui est aliud nisi eum magis reum facere apud Deum?* reum scilicet grauiorum penarum. Origenes verò sic luculentius. *In quantum inimicis nostris lacerantibus non solum vicem non reddimus, sed & bona præstamus, in tantum penas eorum in*

Ezech. 31.

1337

Isai. 30.

Leuit. 16.

132
Caiet.

Hipocras.

August.

134

Imperf.

Orig.

*De iudicio cumulamus: est enim verè iusta damna-
tio, si arguantur ante Dominum his intulisse mala, à
quibus perceperint bona. Huic expositioni succen-
sent recentiores Pauli interpretes, sed immeritò,
quia nescio an alia aptius in textù cadat. Ait enim
Salomon, Carbores ignis congregabit super caput eius
& Dominus reddet tibi. Quod perinde est ac si di-
cat: illi utique irrogabitur pœna, & tibi pro me-
ritis præmium conferetur. Id enim contendo, præ-
mium bene merentis de aduersario, eiusdem ad-
uersarij supplicio opponi: quasi dicat: benefi-
cia in aduersarium tuum colloca: nam si
hæc illius animum fortè non enolliant, ipse
quidem supplicium, tu verò præmium refe-
res.*

*Quod si obicias, iuxtà hanc sententiam iram
& vlciscendi libidinem non extinguere, sed aliquo-
dammodo & inflammari, quatenus ea proprie
in hostes beneficos esse præcipimur, vt illi acius
puniantur. Occurrit Chrysofomus his verbis.
Nam qui iniuriam passus est, si quando debilitatus
fuerit non ita suis proprijs bonis afficietur, vt suppli-
cio eius, per quem constrictus fuerat. Nihil enim
adeò iucundum est, atque de inimico sumptum vide-
re supplicium: quod igitur cupit, hoc ei primùm lar-
gitur, deinde postquam venenum illud obtulit, tum
deinceps: ad altiora hortatur dicens, Ne vincaris à
malo, sed vince in bono malo. Sciebat enim (etiam
si bestia sit inimicus) inimicum, si passus fuerit non
mansurum: sciebat etiam, eum, qui inimicum suum
pascit, & potat, illius supplicium deinceps non esse
desideraturum. Atque adeò concepta fiducia de rei
ipsius exitu, non simpliciter interminatus est, sed affa-
tium supplicio indulget. Hactenus Chrysofomus,
qui eleganter admodum obiectam difficultatem
eludit: cuius sententia petita est ex communi qua-
dam prudentiæ lege, quæ dicat passionibus qui-
busdam effrenatissimis non statim validè obli-
stendum, sed tantisper acquiescendum, & obse-
cundandum esse: deinde enim leniùs ac faciliùs
ad rationem reuocantur, quemadmodum de his,
qui in cæsti admodum ac tristes sunt, nuper decer-
nebamus: oportet enim vt quisquis eos conso-
lari aggreditur exæstanti dolori aliquid initio
tribuat, rem luctu, & lacrymis dignam esse af-
firmet, & si fieri potest, cum flente fleat: vt dein-
de illius lacrymas subiectis rationibus exficcare
possit. Eadem lege iracundiæ mederi oportet, quæ
non minus effrenata est quam tristitia: non enim sta-
tim validè coercenda est, sed aliquid etiam iræ
tribui debet, & si fieri potest, cum iratis nonnun-
quam ira simulanda est, vt illos facilius, ac suauitùs
ad lenitatem, & mansuetudinem adducere possi-
mus. Id ergo agit Paulus ex mente Chrysof. Pri-
mùm quidem iræ tantisper acquiescit; non enim pro-
fus vindictam interdicit, sed id præcipit, ne quis
illam per semetipsum sumat, sed vt illam Deo per-
mittat. Id sibi vult illud, *Dare locum iræ, scriptum est
enim, mihi vindictam, & ego retribuam.* Quod si
aliquis hostem per semetipsum vlcisci adhuc velit,
subdit bonam vindictæ sumendæ rationem. *Si
esurieris, inquit, inimicus tuus, ciba illum, &c. Hoc
n. faciens, carbores ignis congeres super caput eius.* I si
n. ad eum modum de hoste bene meritus fueris, &
ille nihilominus cõtrà sauerit, grauissimarum pœ-
narum apud Deum illum reum facies: hoc sibi vult
illud *carbores ignis, &c.* id est, accumulabis illi hinc
& inde carbores ad verticem vsque: totum scilicet
igni immerges apud inferos: (comparatio enim
iuxta hanc sententiam in secunda acceptione su-
pra adscripta adaptanda est.) Statim verò artexit.*

*Noli vinci à malo, sed vince in bono malo. Hæc
verba pereruditè explicat Chrysof. qui per malù
ipsum præcipitem iræ motum notari voluit, itaq;
sic ait, *Istud profectò vincere est; pugnant tunc potissi-
mùm vincit, non quando suum ipsius corpus pugnae ex-
ponit, vt plagas excipiat, sed quando se ipsum eruas
efficit, vt omnem suam potentiam aduersarius in æ-
ra frustra, & inaniter effundat: sic enim nec ipse pla-
gas excipit, & omnes aduersarij vires dissoluit, id quod
in conuictis etiam fit. Nam quando, vicissim conuicta
regeris, vinceres, non ab homine, sed, quod turpius est,
ab ilibero illo n. affectu exsuperaris: si verò tacueris,
& vincis, & trophæum figis.* Itaque Paulus mentè
suam aperit, & quo actu iræ quodammodo in su-
perioribus acquieuerit, ostendit his verbis. Ideò
enim iracundis hoc dederat, vt beneficijs collatis
diuini numinis iram in hostes prouocaret, quia
futurum sciebat, vt hostes beneficijs obstricti
in gratiam redirent, & iratus in illos beneficia col-
locans conceptam iram faciliè deponeret. Igitur
propterea subdit, *Noli vinci à malo, i. noli ab indi-
gnatione tua indecorè vinci, sed contra vince in bo-
no malo, i. beneficijs tuis hostem promeritus vin-
ce iram tuam.* Quasi dicat, iræ tuæ quodammodò
obtemperare videor, sed tamen id volo, id contendo,
vt ea ratione iram ipsam peruincas, & illam tibi
subicias, Satius enim est iram ipsam officijs, quã ho-
stem iniurijs superare. Hæc est Chrysof. mens,
quem propterea longiori oratione discutere vo-
lui, quia huic interpretationi plurimùm tribuo. At-
qui videtur inuehi in illam D. August. serm. 163. *de
tempore his verbis. Hoc ergo loco cum grandi di-
ligentia obseruandum est, ne fortè dum eum bene non
intelligimus, de medicamentis nobis vulnera faciamus;
solent enim nonnulli hoc præceptum quasi ad satian-
dum furorem suum assumere, dicunt enim, ecce ciba
inimicum, vt ardeat in æternum. Auertat Deus esu-
modi intelligentiam ab animis nostris.* Auertat certè;
est enim impia eiusmodi sententia, ceterùm si ad
Chrysof. mentem accomodetur, pia est atque
prudens adhortatio, vt nuper diximus.*

*Sed licet præfatam interpretationem, quam tot
Græcis patribus placuisse video, plurimi faciam;
tamen alias subiiciam, quæ magis probantur. Se-
cunda igitur expositio est Origenis loco citato,
qui postquam datam supra expositionem paucis
complexus est, statim subscribit. *Tamen videamus,
dignus ne aliquid mandati huius cõtineat intellectus;
dicit enim, & Hieremias Propheta ad peccatricè filiã
Babylonis, Habes carbores ignis, sede super eos, hi erunt
tibi in adiutorij. Fortassis ergo, & isti carbores ignis,
qui congregantur super caput inimici, in adiutorium
ipsius congregantur. Potest enim fieri, vt amens, ferus,
& barbarus inimicus, si sentiat beneficium nostrum, si
humanitatem, si affectum, si pietatem videat, compis-
sionem cordis capiat, commissi pœnitentiam gerat,
& ex hoc ignis in eo quidam succendatur, qui eum pro
commissis conscientia torquet, & adurat; & isti erunt
carbores ignis, qui super caput eius ex nostro miseri-
cordia, & pietatis opere congregantur. Caput verò prin-
cipale cordis appellatur, & merito caput dicitur cuius
intellectu, & prudentia membra reguntur vniuersa.*
Hactenus ille, qui per istiusmodi prunas aut car-
bones illata contra proximum iniuriæ conscien-
tiam intelligit, quæ mentem ac rationem (hæc enim
est superior hominis pars) tunc demùm, carbonum
in morem, adurit acius, cum læsus iniurias offi-
cij compensare incipit. Nam iniuria proximo il-
lata, & expetita vindicta, quæ prius propter vicif-
cèdi libidinem oblectabat plurimùm, post acceptam
ab hoste gratiam eadem animum reum vehemen-*

135
Chrysof.

136
Chrysof.

August.

137

Origen.

339

340

ter torquet, & carbonis in morem, acrius adurit caput, id est, rationem, quæ in capite residere putatur, vrget ac pungit, ad gratiam scilicet, charitatemque illi rependendam stimulat: qui de ipso bone meritis est.

138
Hieron.

Tertia expositio est Hieron. in Epistola ad He-
dibiam quæst. 1. qui per carbones illos illatæ iniu-
riæ pœnitentiam intelligit, quam in aduersario
excitat ille qui in ipsum beneficis est; sic. n. scri-
bit. *Quando enim inimicis nostris præbemus benefi-
cia, malitiam eorum nostra bonitate superamus, &
mollimus duritiam, iratumque animum ad molitiem
& beneuolentiam flectimus, atque ita congregamus
carbones super capita eorū, de quibus scriptum est; Sa-
gitte potentis acutæ cū carbonibus desolatoriis. Ut quo-
modo de altari Seraphim carbo sublatus, Propheta
labia purgauit, ita & inimicorum nostrorum peccata
purgentur, scilicet admissi pœnitentia. Quod li. 1.
contra Pelagianos iterum apertius insinuat; sic
enim habet. Hoc enim faciens carbones ignis congre-
gabis super caput eius, non in maledictum, & iōlem-
nationem, ut plerique existimant, sed in correctionem,
& pœnitentiam, ut superatus beneficiis, excoctus fer-
uore charitatis inimicus esse desistat.* Concinit etiam

August.

D. August. libr. 3. de doctrina Christiana cap. 15.
vbi sic fatetur. *Ne igitur dubitaueris figuratè dictum,
& cū possis dupliciter interpretari, uno modo ad no-
cendum, altero ad præstandum; ad beneficentiam te po-
tius charitas reuocet, ut intelligas carbones ignis esse
vrentes pœnitentia gemitus, quibus superbia sanatur
eius, qui dolet se inimicū fuisse hominis, à quo eius mi-
seria subuenitur.* Sed cur istiusmodi pœnitentia de
illatis illi iniuriis concepta, à quo beneficia, & au-
xilia quis reportauit, carbonibus confertur? quia
ignita est, & charitatem, & beneuolentiam extin-
ctam iterum inflamat, animumque odio, ceu
glacie quadam rigentem, calefacit. At rursus, in-
quies, cur carbones isti capiti immitti, non autem
in sinum, aut in præcordia conici dicuntur? *Ca-
put in homine* (verba sunt Augustini) *sensus ratio-
nalis est, qui sensus cū à feruore charitatis recedit, fa-
ctus est frigidus.* Magnam ergo huic sententiæ
energiam attulit Salomon cū dixit; non præ-
cordia, id est, voluntatem, sed caput, hoc est intel-
lectum, & rationem à pœnitentia illa ignita, &
charitatem spirante calefcere, ut significaret ex
acceptis beneficiis amorem quendam in aduersario
accendi, qui ad mentem vsque perueniat, &
secundum propriam, & genuinam vim suam, il-
lam permoueat ad bene sentiendum de aduersario
suo; nam, iuxta peruulgatam philosophorum
sententiam, beneuola affectio erga aliquam rem
ad bene de illa opinandum facit plurimum. Ita-
que prunarum cumulus caput inflammans; amor
est menti bona quæque de aduersario sua-
dens.

139

Quarta expositio Augustini, per carbones super
caput, verecundiam notari vult; nam sermone
illo 163. de tempore sic habet. *Carbones ignis con-
geres super caput eius; cū enim inimico tuo pio
animo frequentius benefeceris, quamlibet sit im-
pius, & crudelis, barbarus, & cruentus; tamen can-
dem aliquando erubescit, & dolet, & pœnitere in-
cipit quod admisit, &c.* Nec abit hæc interpreta-
tio à vulgato apud nostrates dicendi modo; nam
de illo, cuius facies rubore succenditur, iactare
solemus, *tiene el rostro como unas brasas.* Et qui-
dem primus comparationis istiusmodi modus su-
pra adscriptus huic expositioni accommodatissi-
mè aptatur hoc modo, *si esuriat inimicus tuus.*
&c. id est, aduersario tuo opportunè succurre,

A cū opera tua indigeret; nam si ita feceris car-
bones igniti, aggerati, & congesti in facie ip-
sius quo lammodo promicare videbuntur: is
enim qui ab eo, quem prius læsit, beneficiis cu-
mulatur, pudore mirum in modum suffunditur;
qui pudor non aliter faciem inflamat, & colo-
rat, quàm si ignitis carbonibus obiecta ardorem
& calorem ignis conciperet. Hispanè dicemus,
*le pondra lacara como unos brasas de pura verguen-
za.*

B Quinta interpretatio est eiusdem Augustini
in præfato sermone, qui per istiusmodi carbo-
nes caput vrentes, ipsammet Charitatem, quæ su-
blata similitate iterum redit, accipiendam esse
dicit. *Caput, inquit in homine sensus rationalis est,
qui sensus cū charitatis igne recedente factus fue-
rit frigidus, necesse est, ut quod obest saluti, con-
trarium sapiat, ut cui deberet esse amicus, inimicus
existat. Ad sanandum ergo talem phreneticum,
homines sanctos, & charitatis igne succensos horia-
tur spiritus sanctus dicens: Carbones ignis congre-
res super caput eius. Nam eo modo sensus ratio-
nalis, hoc est, caput ipsius, incipit charitatis igne
succendi, & qui prius quasi frigidus, & phrene-
ticus contra te consueuerat iracundiam retinere, spi-
ritu alicarbone de tua bonitate succensus incipit toto*

140
August.

C corde diligere, &c. Hæc ille, ex quibus constat Au-
gustinum planè ad eam phreneticos curandi ra-
tionem spectasse quam supra dedi, & eadem ra-
tio est de syderatione, & apoplexi, (nam vtrius-
que morbi est cerebrum frigore obtundere, &
hebetare) atque aded acerra ignitis carbonibus
plena, & capiti imposita, vtrique præsentissimè
succurrere solet. Atqui conceptam in aduersario
iracundiam phrenesim esse compertum est. Addo
etiam nunc apoplexim merito appellari, tum
quia lethalis morbus est, ut docet Ioannes in 1.
Cant. cap. 2. *Qui non diligit, manet in morte,* tum
etiam quia apoplexis sensus statim ligat ac men-
tem eripit, quod iræ maximè proprium est. Ad
hæc, morbus hic subito hominem inuadere solet,
sic etiam omnis ira subita est. Denique huius mor-
bi curatio difficilis, & eiusdem medicamenta val-
dè acerba: indignationi etiam moderi difficile
admodum est, nec sine acerbis remediis ad sani-
tatem iratus adducitur. Caterum in tam difficili
ac desperata aegritudine tanta est beneficentiæ
vis, ut quemadmodum syderationi, & apoplexi
carbones igniti ad eum modum capiti impositi
ita subuenire solent, ut nullum remedium præ-
sentius sit, quod frigus capite conceptum expel-
lere, sensus obtusos acuerere, & ereptam mentem
restituere possit. Ita etiam nullum est beneficia
efficacius medicamentum, quod indignatio-
nis morbum curare queat, pulso nimirum odij
implacabilis frigore, mente ac sensibus restituta.
Ad energiam autem huius sententiæ pertinet, quod
pro acri, & austero valde remedio facile medica-
mentum offert Salomon. Quasi dicat, id, quod
aliàs carbonibus ignitis, aut aliis acrioribus re-
mediis indigeret, suauissimo beneficentiæ medi-
camento sanatur.

1. Ioan. 1.

E

Sed licet hæc omnia appositè dicta sint, tamen
nescio an potius dici debeat per carbones istos
ipissima beneficia in aduersarium collata accipi,
quæ nimirum aut obiecta vultui verecundiæ præ-
dicto modo accendant, aut cumulatæ frigidum
caput charitatis calore foueant, aut imposita in-
dignationis phrenesim seu apoplexim, ratione
supra adscripta, penitus sanent. Sed aliquid de em-
phasi, & energia istius sententiæ subiicere liber, si

141

lectionem exemplarium sequamur, quæ sic habet. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum pane, & si sitierit, propina illi aquam.* Et siquidem per panem & aquam, id tantummodo accipiamus, quod sonat, dicemus sanè Salomonem beneficentiæ vim amplificasse, quæ tanta est, ut aqua tantummodo ac panis hosti opportunè donata ad maximas discordias obruendas, pacemque restituendam valeant. Illud verò sententiam in primis acuit quod ait panem, & aquam in prunas verti beneficentia intercedente, contraria nimirum ex contrariis. Hæc certè non insulsè dicuntur.

142

Tamen, ut supra obseruavi, in hoc loco panis pro cibo, aqua pro potu in vniuersum accipi debent, suadent hoc duæ locupletissimæ translationes lxx. & Pauli supra exhibitæ, quæ absolute habent. *Si esurierit inimicus tuus ciba illum, & si sitierit, potum da illi.* Neque verò hæc panis, & aquæ significatio insolens est in scriptura, Ecclesiastici decimo quinto. *Obuiabit illi quasi mater honorificata, &c. cibabit illum pane vite, & intelletus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Isaiæ 3. *Omne robur panis, & omne robur aquæ,* & capite quarto, *Panem nostrum comedimus, & aquam nostram pecunia bibimus.* & sup. c. 9. *Aqua furtiue dulciores sunt, & panis absconditus suauior.*

Eccles. 15.

Isai. 3.

4.

Nam in his atque aliis plerisque scripturæ sacræ locis, panis, & aqua victam potumque omnem adsignificant. Ergo secundum hanc panis, & aquæ acceptionem sensus perelegans conformari potest. Sic lego cum Paulo. *Si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitierit, potum da illi.* In priori hemistichio obseruari debet verbum illud *δωρεῖς*, quo vsus est Paulus, quod, ut initio dicebam, propriè significat *escas incidere*, & partiri, & licet nonnūquam significet *escas pauperibus frangere ac distribuere*, apud eundem Paulum 1. ad Corinth. 13. *Si distribuero omnem substantiam meam in cibos pauperum,* &c. vbi est, *ἕω δωρεῖς*, tamen in conuiuio vsurpatum propriè significat partes, quas Græci *μερῆς* appellant, amicis, & familiaribus destinare in benevolentia cuiusdam argumentum. De hac veterum consuetudine pluribus egimus in cap. 2. Cant. v. 4. Ex pluribus autem pauca excipe. Erat enim non vulgaris amoris significatio amicorum erga amicos in conuiuio incisæ ex sibi propositis ferculis partes, aliquando etiam ad morsas, & prægustatas, amicis offerre. Apuleius lib. 8. *Partesque syrreptas clanculū, & prægustatas offerebat hilaris.* Suetonius in Calig. *Qua epulatione equis Romano contra se hilarius audiusque vescenti partes suas misit.* Et Lampridius de Alexandri Seueri parsimonia. *Semper, inquit, de manu sua ministris conuiuio, & panem, & partes, aut olerum, aut carnis, aut leguminum dabat.* Mitto alia prophana; illud ex facris suppetit Genes. 44. *Et mirabatur omnes sumptus partibus, quas ab eo acceperant, & maior pars venit Benjamin, ita ut quinq; partibus excederet.* Quibus verbis significatur id officij à Ioseph præstitum cunctis fratribus in benevolentia argumentum; sed Benjamin præ cæteris ea gratia decoratum, ita ut quinquies eo officio condecoratus fuisset: nam si hæc verba de quincupla portione Benjamin fratrum minimo apposita cum aliis accipias, Iosephi prudentiam extenuabis, qui cibos illi apponeret superfluos, & aliorum fratrum tanta disparitate gratiam læderet. Huc spectat etiam

Apuleius.

Sueton.

Lamprid.

Gen. 44.

Eccles. 32.

(ni fallor) Ecclesiast. cap. 32. vbi de conuiuio Rege aut symposiarcha verba faciens, sic addit. *Ut ornamentum gratia accipias, coronam, & dignitatem consequaris corrogationis,* nimirum ut conuiuæ alij

collatis partibus te cohonestent in benevolentia significationem. Rursus in secundo hemistichio non omittenda est vox originalis, nam pro illis verbis, *da illi aquam bibere*, in Originibus est *דָּבַרְתָּהּ* ex verbo *דָּבַר* *sakab*. i. *propina illi*, quod verbum in conuiuio etiam locum habet, & pro uocationes illas adsignificat, quibus conuiuæ mutuo se ad bibendum inuitare ac lacerare solent, alij aliis præbibentes & saluere iubentes; qui mos hodie etiam apud nos viger. Vide plura quæ hac super re coniecimus in eum locum Cant. 2. vers. 4. vbi quanta esset in his propinationibus amoris, & benevolentia significatio, pluribus exemplis exposuimus.

143

Iam intelliges, quò tendant ea, quæ hæctenus præmissi. Existimo ergo Salomonem in hoc loco ad perantiquas illas benevolentia insinuandæ rationes in conuiuio spectasse, atque ad eò sensum esse. *Si esurierit inimicus tuus ciba illum.* Vel, si vim vocis originalis exprimere licet, *incide illi escas*, id est, non modo illum pasce, famem illius leuans, sed, si fieri potest, excipe illum iautius, ad conuiuiumque accersitum oblatis partibus in amoris argumentum condecora. *Et si sitit, potum da illi*, hoc est, propina ei, illum scilicet præbibendo saluta, & offiis omnibus prosequere, *hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius.* Hæc nimirum officia, & beneficia pro carbonibus ignitis erunt, quibus pudorem simul, & amorem eidem afflabis. Itaque suadet nobis Salomon præstantissimas quasque amoris significationes inimicis præbere, hæc enim eorum animos magnoperè emolliunt, & posita indignatione ac seuitia ad lenitatem traducunt. Ex aliis verò significationibus illius verbi *δωρεῖς*, quas initio præmissi, tu tibi alias interpretationes effingere poteris, est. n. satis grauida illa vox.

XXXIII. Ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.

Ventus Aquilo, &c. Hebr. *Ventus Aquilo parturiet pluuiam*, sic plerique vertunt, nam dictio *תְּחַלְּלֵהּ* *Thechulel*, ex *חָלַל* *Chalal*, significat *fugare*, & *parturire*. Cha. *Ventus Aquilo concipit pluuiam, sic facies irati, & lingua abscondita.* Et quidem posteriora verba, si Origines consulas, ambigua sunt, & ancipitia; sunt enim in recto, hoc modo. *Facies concurbata lingua detrahens*; atque ad eò licet conuertere. *Et facies tristis linguam detrahentem*, seu vicissim, *& faciem tristem lingua detrahens*. Ergo Caietanus locum istum sic extulit. *Aquilo parturiet pluuiam, & faciem iracundam lingua abscondens.* Vatablus. *Vultus seuerus linguam delatricem.* lxx. *Ventus Aquilo suscitatur nubes, facies autem tristis linguam irritat.* Aquila. *Ventus Aquilo parturit imbrem.*

144

Ex diuersis translationibus diuersas admodum sententias depromere licet. Si ergo legas cum quibusdam. *Ventus Aquilo dissipat pluuias, & faciem tristem lingua detrahens*, sensus utique referendus erit ad eam voluptatem notandam, quam ex detractioe haurire solent obtrectatores, maledici, sæpè enim videas illos, alioqui subtristes, & vultu depresso hærentes, si detractorius sermo in fabulam incidat, subito deposito merore erigi & frontem exporrigere. Quorsum hæc? Tristitia, & mæror vultum quodammodo obnubilat, atrumque reddit; lætitia contra frontem se-

reſtat. Ait ergo Salomon. *Sicut ventus Aquilo è cælo pellit nubila, purumque illum ac ſudum reddit: ita etiam lingua detrahens, facies obrectatorum tristes (liceat ſic dicere) enubilat, ſerenas claras, & exporrectas efficit. Quantam verò voluptatem obrectatores illi ex calumniis atque maledicentia percipiunt, innuit Lucianus apud Stobæum his verbis. Quosdam comperi ſtudio detractionis adeò ſuauiſter iriſtillari, ut ſi pennis confrices.* Respondet autem modus iſte loquendi vulgata apud noſtrates paramix, *compoſi ſe banar an en aqua roſada*, atque adeò ubi maledici, aut calumniari cœptum eſt, omnis ab illis diſcedit triſtitia, & ſeridò letari geſtireque videntur.

Caietanus ſuam illam lectionem, *Ventus Aquilo parturiet pluuiam, & faciem iracundam lingua abſconſionis*, aliter exponit. Præmittit autem ventum ex Aquilone flantem in plerisque regionibus nubes diſſipare ac ſoluere, in his maximè, quæ ad Septentrionem pertinent, at in aliis, quæ ad meridiem vergunt, nubes cõgere, & pluuias excernere ſolitum. Sic Ariſtoteles, *Meteor. lib. 2. cap. 7. Aquilones, inquit, euaporofi ſunt, quippe qui ab locis humidis, & frigidis ingruunt, atque ob id frigidis: ſed apud nos amœni miſiſque cæli auctores ſunt, quod nubes diſſiciant, & abigant; contra auſtralibus in locis iſdemque contrariis in quæ nubes impellant, a quoſi.* Et iterum in problemat. ſeçãoe 26. *Aquilo (inquit) Hellesponto atque Cyrena imbrẽ affert.* Solet etiam aliquando apud nos Aquilo nubes cogere, ut admonet Magnus Albertus, ſed hyemõ quidem niues effundit, æſtate autem nimbos agit, nubes ſcilicet, grandinẽ, fulgura, fulmina, & tonitrua eiaculantes. His ergo poſitis Caietanus lo cum iſtam ſic edifferit. *Quemadmodum, inquit, ventus Aquilonaris generat pluuiam, ita lingua detrahens generat faciem iracundam in illo, aduerſus quem detractio, ſuſurratio, delatio, & id genus reliqui ſermones habiti ſunt.* Frigida eſt hæc interpretatio. Quid enim iracundæ faciei commune cum nube, & pluuiã? meliùs certe, & accommodatiùs redderet, *Et faciem triſtem lingua abſconſionis*: nam triſtis facies, lacrymiſque ex mœrore perſtillans, cæli nubibus obducti, & pluuias vbertim effundentis quandam ſpeciem refert. Tunc verò ſenſus erit, ſicut *ventus Aquilo in auſtralibus terræ plagis nubes cogit, & in pluuias ſoluit: ita etiam lingua detractoris, in his, quorum famam, & honorem violat, sæpè admodum triſtitia nubila, & lacrymarum imbres ciet.*

Sed licet hæc non ineptè dici poſſent iuxta præmiſſam interpretationem, tamen ſi ab ea lectione non diſcedamus, quæ ſignificat, Aquilonem nubes ac pluuias nonnunquam parere, præferenda eſt tranſlatio lxx. quæ bonum ad ſenſum vocari poteſt. *Ventus Aquilo ſuſcitatur nubes, facies autem triſtis linguam iriſtat.* Ergo ſi huius venti naturam ſpectemus, illud certa experientia compertum eſt, quod ſi quando hyeme vehementiùs excitatur, ſolet tandem in pluuias deſinere: nam Aquilones vehementiùs perſtantes, auſtri ferè excipere conſueuerunt quadam naturæ ipſius lege, quam obſeruauit Ariſtoteles loco citato. Quemadmodum enim in homine cum manus, aut pedes ex frigore obriguerunt, ſanguis calidus, qui ad ima viſcera priùs compulſus fuerat, poſtmodum euocatus ad fouendos, vel pedes, vel manus, tanto impetu accedit, ut vim caloris perferre vix poſſint: Ita etiam cum plagam aliquam frigidi Aquilones glacie ſua diutiùs infeſtarunt, humidis calentesque vapores,

A quos priùs fuga contrarij in terræ viſcera compulerat, coacti denuò in aduerſarium ruunt, & in nubes glomerati glaciẽ ſoluunt, & telluris ſiccitatem aquis pluuiialibus infundunt. Itaque Aquilo hac demum ratione *nubes ſuſcitare*, vel ut eſt in Originibus Hebraicis, *pluuias parturire*, dici poteſt, quatenus tunc cum vehementiùs inflatur, futuras nubes portendit, quæ dicto modo ad cõerendam aduerſarij vim coactæ, & conglobatæ incumbunt cælo. Iam intelligis quò tendam? *Ventus Aquilo ſuſcitatur nubes (inquit Salomon) facies autem triſtis linguam iriſtat*, id eſt, quemadmodum cum Aquilo vehementiùs ſeſe incitauit, vapores, qui priùs aduerſarij vim declinantes ſeſe continuerant, magno impetu erumpentes cælum obducunt, & nimbos effundunt; idem de triſti facie iudicium ferendum eſt. Alloquitur autem Salomon in hoc loco difficiles atque moroſos ſuperiores, vel præpoſitos. *Triſtem autem faciem* appellat ſeuerum nimis, moroſum ac moleſtum eorum ingenium, facie, & externis aliis ſignificationibus inſinuat, additque ab eiſmodi facie ac vultu ſeuero, & triſti, ſubditorum linguam ad maledicendum aſſiduò ſtimulari: Nam licet aliquandiu ſeſe cohibeat, interim tamen maledicta, & probra cogit, quæ poſtmodum maiori cum impetu effundat. Itaque Salomon iuxta hæc interpretationem ſuperiores incuſat, qui ſeueri nimii, & moroſi erga alios ſunt, atque illos ferè ob hanc ſeueritatem maledicta, & probra à ſubditis plerumque referre ſolitos dicit, quos ſua moroſitate exercent. Sicut enim rigentes Aquilonis flatus, pluuiã, aut nimbus conſequitur; ita etiam ſuperioris (liceat ſic dicere) acerbos rigores maledictorum nimbus inſequi ſolet. Nam ea maledicta, & probra, quæ, veluti vapores quidam calidi aduerſarium fugientes, in occulto, & arcano priùs conferebantur, conglobata demum in apertum ſeſe dant, &, nimbi adinſtar, in moroſum ſuperiorem effunduntur.

POſſumus etiam lectionem lxx. alia interpretatione donare, ſi in memoriã iterum vocemus id quod nuper diximus, Aquilonem in noſtris etiã regionibus nubes aliquando cogere ſolitum (ut tradit Albertus, cui experientia fidem facit) nubes, inquam, non imbriferas, ſed ex his, quæ hyeme niues ad grandinẽ æſtate verò grandinẽ quocumque, aut nimbos effundunt, fulmina iaciunt: & tonitrua magna emittunt. Itaque ſenſus erit faciliſ. *Ventus Aquilo ſuſcitatur nubes, facies autem triſtis linguam iriſtat.* i. Quemadmodum ventus Aquilo læuus, & rigidus, non ſemper nubes diſcurit, ſed nonnunquam eas excitat, & quæ ab illo excitatæ ſunt non placidos imbres, ſed grandinẽ, aut nimbos ingentes, fulmina quoque ac tonitrua emittunt: ſic etiam ſuperioris nimia ſeueritas aut ſæuitia facie teſtata, non ſemper ſubditos in officio continet, imò ſæpe ac ſæpius linguas eorum in ſe commouet, quæ, veluti nubes rigido ab Aquilone actæ, & inſpiratæ, maledictorum nimbum, aut copioſam grandinẽ, contumeliarum tonitrua, & iniuriarum fulmina in ipſummet ſuperiorem eiaculentur. Nil certius. Quapropter ſuperiores nimiam ſeueritatem, & moroſitatem cauere in primis debent.

Sed ad Vulgatam lectionem veniamus, quæ longe diuerſam ſententiã continet. *Ventus Aquilo diſſipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Sonus verborum adeò luculentus eſt, ut vix interprete indigeat. Lingua detrahens cum nube imbrifera aptè confertur. Quid ſereno cæ-

Stobæus.

145

Ariſt.

Caiet.

146

147.

148

lo nitidius ac splendidius? illud tamen nubes obducunt, splendorem ac nitorem illas eripiunt. Eiusmodi est lingua detractoris, nemini parcat, nullus est tam sublimis ac splendidus, cuius gloriam hebetare, & perstringere non audeat. Rursus linguæ detractantis naturam nubes imbrifera alio ex capite perspicuè adumbrat. Huius enim superna pars, qua soli obuertitur, candida est ac splendida, acceptosque radios per repercussionē in solem ipsum quodammodo reuerberat; inferna verò quæ ad terram spectat, atra & obscura, ipsius solis candorem offundens, non aliter lingua detractans erga presentes candidam gratiam ac iucundam præbet, eorum laudes libenter usurpat, & per omnia illis probari cupit; absentium verò splendorem famamque denigrat, & offuscatur, & in ipsorum probra ac vituperia tota soluitur. Ad hæc Antonius Monachus in Melissa serm. 53. habet. *Vt Caciæ ventus nubes, sic piorum vita improborum in se cogit conuitia* (sic restituendus est locus iste, vt locuples quidam auctor obseruauit, quem alij aliter extulerunt) quasi dicat, hoc vitæ honestæ atque iustæ proprium est, vt non aliter improborum hominum conuitia, & probra in se conuertat, quam ventus auster nubes colligit, sicut enim calidus ille ventus vapores terræ leuat, qui in nubes deinde conglobantur, sic etiam honesta piorum hominum vita inuidiam, & odium excitat improborum, quod tunc demum (liceat sic dicere) in conuitiorum atras nubes conspissatur. Salomon ergo sic ait; Sicut ventus Aquilo nubes dispellit ac difflat, sic etiam facies tristis, & seuera auditoris, detractorum conuitia auertit, queis vita piorum, tanquam atris quibusdam nubibus, obscuratur, & linguas eorum compescit, Hanc ipsam sententiam alia similitudine inuoluit De Hieron. ad Rusticum. *Sagitta, inquit, si mittatur contra duram materiam, nonnumquam in mittem reuertitur, illudque completur, facti sunt mihi in arcum prauum. Et qui mittit in altum lapidem, recidit in caput eius; ita detractor cum tristem faciem viderit audientis, imò ne audientis quidem, sed obruantis aures suas, illico conticescit, pallet vultus, herent labia, salina fugatur.* Nam vt habet Glossa in Psalm. 50 *Si tristi vultu detractorem audieris, discet ille non libenter dicere, quod nouit non libenter audiri.*

Antonius.

Hieronym.
Psal. 7.
Prouerb. 26.

XXIV. Melius est sedere in angulo domatis quam cum muliere litigiosa in domo communi.

149

Hæc verba ipsissima occurrunt supra cap. 22. versu 9. vbi eadem longa interpretatione discussimus.

XXV. Aqua frigida anime sitienti: & nuntius bonus de terra longinqua.

Aqua frigida, &c. Hebr. *Aqua frigida super animam lassam, & auditus bonus de terra longinqua.* Chald. *Sicut aquæ frigida anima lassæ, sic nuntium bonum, &c.* Concinit etiam Vatablus, Caietanus, & alij Hebraizantes, qui pro voce illa *nuntius*, neutro genere *nuntium* reddunt, sed diffidium hoc leuissimum est, & sententiam, minimè

A euariat. Hieronymus vestigia pressit lxx. qui sic locum istum extulerunt. *Sicut aqua anime sitienti blanda, sic nuntius de terra longinqua.*

Hæc sententia parum ab illa superiori, *Sicut frigus nimis in die mensis, ita legatus fidelis ei, qui misit eum: animam ipsius requiescere facit.* Vide ibi multa, ex quibus pleraque in hunc locum transferri possunt. De istius comparationis energia aliquid hinc adscribam. *Aqua frigida anime sitienti.* Hebr. *anima lassæ.* Posteriora illa verba, *de terra longinqua*, non modò cum nuntio bono, sed etiam cum aqua frigida copulari debere quidam sentiunt, vt similitudo aptè in rem ipsam quadrat hoc modo. Sicut aqua anime lassæ è terra longinqua perlata, sic bonus nuntius ex longinquis regionibus aduentans. Comparatio enim sic instituenda est. Quemadmodum viator aliquis in loco inaquoso siti arefcens, & lassitudine deficiens, vteriusque ad fontem progredi non valens, adducta longo ex interuallo aquæ frigidæ portione, reficitur, vires ac spiritum recuperat: ita etiam homo loco distans ex desiderio optatæ rei sitiens diuturna expectatione lassus, & abspe in desperationem nimiam decidens, cum quicumque boni aliquid è longinquo perlatum certò denuntiat, refrigerium, vires ac spiritum recipit. Itaque comparatio initur inter aquam distanti ex loco, & nuntium bonum longinqua ex regione perlatum. Potest etiam aliter comparatio eformari. *Aqua frigida,* Hebr. *מַיִם מַיִם* *Mayim*, id est,

C *aqua;* quæ vox in scriptura flumina passim adsignificat Eccl. 10. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas.* i. iuxta flumina. Vulgo *en las vegas*, Isaia. 43. *Cum transferis per aquas tecum ero; & flumina non operient te.* Psal. 1. *Quod plaratum est secus decursus aquarum, &c.* in quibus locis, & sæpe aliàs vox illa *Mayim*, fluminibus aut riuus accommodatur: fluminibus autem id proprium est, vt ex longo interuallo, vbi scaturigines suas habent, in alienas regiones influant. Bona ergo, & fœlix denuntiatio aliunde allata, aptè confertur cum flumine ex longinqua regione in aliam deriuato, & quidem si *nuntium* legamus, non autem *nuntius*, per hunc fluminis decursum non ineptè significatur famæ percrebescens, sensimque ex vna in aliam regionem labentis, & permanantis natura. Hoc verò ad sitim extinguendam facit

D *Isaia 32. Sicut riuus aquarum in siti, & umbra petra prominentis in terra deserta.* Quo in loco ducitur similitudo à viatore, qui lassus ac sitibundus ad riuum aut flumen peruenit, & rupis alicuius extantis vmbra nactus decumbit. Auget autem emphasim clausula illa, *in terra deserta*, pro qua aliqui restituunt, *in terra arida.* Itaque sensus est, sicut viator qui per plagam aliquam arenam iter conficiens, ad flumen decurrit, ad flumen, inquam, quod ex longo tractu in aridam illam atque inaquosam tellurem deriuatum est, &c. Pari etiam ratione Salomon noster comparationem ducit à viatore, qui ex longa via lassus, sitique enectus flumini occurrit, itaque eum, qui alicuius rei expectatione angitur, cum viatore componit; nuntium verò longinqua è regione perlatum cum flumine etiam è distanti plaga decurrente perelegantè confert

Cæterum cum omnes huius libri sententiæ ethicæ sint, & ad mores spectent, non facile occurrat, quid moris contineat iste locus. Beda existimat per legatum istum bona, & infœlicia denuntiantem, bonū Angelum intelligi posse: sic enim ait. *Angeli quotidie de terra longinqua, hoc est, à superna*

Eccles. 10.

Isai. 43.
Psal. 1.

Isai. 32.

150
Beda.

patria descendentes, iustos, vel in tentatione spe celestium roborant, vel finitis tentationum certaminibus ad palmam perpetuae tribulationis inducunt. Itaque per aquam longinqua ex terra adductam refrigerium intelligunt, quod in tentationibus ipsis, aut post tentationes Angeli cælitus suppeditant. Hugo Bonus nuntius, inquit, est bonus prædicator bonos rumores nuntians de terra longinqua. i. de cælesti patria, &c. Alij Christum Dominum intelligunt, qui Euangelium. i. bonum nuntium nobis attulit. Cæterum hæc mystica sunt.

Si tamen ad literam spectemus, ut verba ista ad mores traducantur, dici potest Salomonem aliqui ministros, quibus res magni momenti in remotis regionibus peragenda commissæ sunt, ut scilicet re confecta quam citissimè per literas, aut per nuntios moneant illos, quorum res ipsa interest, quò eorum angore, & anxietatem sedare possint, quia quoad in alea res est, & futuri euentus spectorantur, similes sunt lassis, & siti enectis viatoribus, atque adeò hi, qui illis bona, & fœlicia denuntiant, nihilo differunt ab his, qui lassis ac sitibundis frigida largam potionem suppeditant. Vel sermo dirigitur ad eum, qui rei alicuius diuturna expectatione angitur ne parcat, sed nuntium fidelem quamprimum mandet, ut certior factus angorem, & anxietatem animi deponat. Aut aliter (quod magis probò,) suadet Salomon, ut bona, & fœlicia libenter alius denuntiemus, infausta verò, & infœlicia non ita; illud. n. ex charitate, hoc ex invidia fluere solet. Vult nimirum Salomon ut cum alius prospera nuntiamus fluminum instar sponte sua labentium, sponte quoque feramur, & occurramus, atque proximis id refrigerij libenter impertiamur.

XXVI. Fons turbatus pede, & vena corrupta iustus cadens coram impio.

FONS turbatus, &c. Hebr. Fons conculcatus, & vena corrupta iustus lapsus ad faciem impio. Vatab. Fons concurbatus, & vena corrupta, &c. Chaldaic. Sicut qui obturat fontem, & corrumpit venam, &c. LXX. Sicut si quis fontem obstruat, & aqua exitum disperdat, sic indecens est iustum, cecidisse coram impio. Et quidem pro fonte subest vox illa גֵּן *Ghen*, pro vena, autem מַקּוֹר *Makor*, inter quas voces hoc interest, quod *Ghen*, fontis scaturiginem sonat; *Makor* verò aquæ ductum, & meatum, per quem regitur, ac demùm effluit, ut obseruant in hunc locum Hebræi. Id verò quod Hugo atque alij de vena sanguinis commentum sunt, à sensu literalis omnino abhorret. Rursus verba illa, *Iustus cadens coram impio*, alij sic extulerunt. *Iustus inclinans se*, &c. verbum est מַט *Mat*, ex radice מוּט *Mut*, significat autem *cadere, labi, nutare, inclinari*. In hoc autem loco non vnam significationem fortiri potest; nam *iustum cadere coram impio*, est ab impio impelli in ruinam, ab impio prosterni, subiugari, aut etiam de medio tolli, vel impio sponte inclinari, & illi acquiescere; vel impium adorare. Hanc enim vim aliqui huic verbo tribuunt, iuxta illud Matth. 4. *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.*

Hinc certè dissimiles valdè interpretationes fluxerunt. Prima est Bedæ, qui per *impium*, diabolum intelligit, ac locum istum sic edisserit. *Fons turbatus pede, & vena corrupta iustus cadens coram*

impio, i. iustus, qui diabolo impellente ruit, labiturque in grauiore culpas, nihil diffidet à fonte, qui emoto cœno exturbatur, & inficitur, quia mens illius subiectæ carnis limo subeunte offuscatur, iuxta illud, *obscuratum est insipiens cor eorum*, &c. aliqui priorem similitudinem fontis exturbati ad reticentiam admissi criminis referendam putant, ita ut sensus sit, iustus, qui diabolo suadente, in ruinam actus est, suam statim culpam non aliter celare, & occultare satagit, quàm fons quispiam liquidus, & ex toto cœno infectus, qui nihil eorum quæ deintus latent, visendum præstat. Hoc enim differt iustus ab iniusto, ille enim, limpidi ad instar fontis, vitreus omnino ac pellucidus est, hic contra, turbatæ in morem scaturiginis, obscurus, & ater. Ad hunc sensum allici potest translatio lxx. & Chaldaica, quæ priora illa verba sic extulit. *Sicut is qui obturat, vel, obstruit fontem.* Quid enim ei magis ad simile, qui perpetrata scelera fateri abnuuit, quàm is, qui fontis meatum obstruit? Vide multa de hac similitudine supra cap. 10. ver. 11. ubi circa eam fontis obturati comparisonem, id certè obseruauimus, fontem illum, cuius meatus obstruitur, alibi effractis aquæ ductibus erumpere solitum, atque ei simile quid euenire diximus illi, qui peccata sua reticet; hæc enim diutius contineri non possunt; sed si quis os suum obturat, ne effluent, ex alieno ore erumpunt. Propterea id in mandatis habes *Dic tu iniquitates tuas prius ut iustificeris*, aliàs prior, dicitur autem prior respectu posterioris. Quasi dicat, ni prior ipse dixeris, alius aliquis eandem enuntiabit. Similem ad modum de alia comparisonem fontis exturbati statuere licet. Sicut enim fons initio turbatus, & emorus per breui interuallo subsidente limo inclarescit, adeò ut quid in illo prius latuerat, postmodum perspicuè visere liceat; ita etiam crimina admittit, quæ diabolo suadente, homo celat, ac reticet, haud longo tempore mendaciis, simulationibus, & excusationibus veluti subsidentibus cunctis innotescunt; & excusationibus veluti subsidentibus cunctis innotescunt; & si quidem in hac vita omnino culpas celare liceat, tunc certè, cum ad Dei tribunal sisti necessum erit, manifestissimè prodentur. Ait enim Paulus 2. ad Corinthios 5. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi* Græcè, *καταδείξασθαι* licet sic vertere *diaphnescere*, id est limpidi-ssimorum ad instar fontium vitreos, & pellucidos effici, ut nostra delicta non Deo solum sed, Angelis etiam atque hominibus spectabilia sint.

Sed ad verba Salomonis memet referens, & vena, inquit, corrupta. Hæc est altera comparisonis pars, quam illi, qui à diabolo in ruinam alienius culpæ grauioris actus est, sic accommodat Hugo. *Sicut ex vena corrupta sanguis corruptus emanat, sic etiam casus iusti diabolo procurante multis est occasio corruptionis.* Sed ut nuper dicebam, sanguinis vena huic loco perpetràm aptatur: si tamen ab ipso nominum sono abduci te sinas, & aliquid de sanguinaria vena hic ludere velis, lege quæ supra cap. 11. v. 11. scripsimus ad illa verba, *vena vitæ os iusti.* Ergo *vena corrupta* is, qui diabolo impellente corruit, dicitur primò quasi aquæ ductus excisus, & disruptus. Nimirum quia is, qui grauiori aliquo delicto se obstrinxit, diuinæ miserationis in se ductus, & canales prorsus euertit, atque gratiæ fontem exsiccat. Exploratū enim est lethali culpæ id pœnæ pro meritis, & dignitate respondere, non modò ut diuina gratia, quasi exciso canali, careat; sed etiam ut quasi exciscato fonte amissam nunquā amplius recuperet, & ad se traducat. Vel aliter, *vena corrupta* appellata

potest iustus lapsus, quia iustus quilibet quandiu in iustitia & probitate perseverat, ductus quidam est ac canalus, per quem Deus pleraque bona in homines regit ac deriuat. Ideo ergo diabolus iustos in ruinam agere tanto studio contendit, ut his dirutis canalibus, diuina erga homines beneficentia fluente alio detorqueat, aut fontem penitus obstruat. Aut, si libet, allici possunt verba hæc ad sensum illum nuper adscriptum de reticentia admissi criminis, præsertim si adhibeamus translationem Chald. *sicut si quis fontem obstruat, & venam (i. aquæ ductum) corrumpat*, &c. i. quemadmodum qui obturat fontis meatum, non omnino illius fluxum sistit, sed id efficit, ut effractis canalibus alibi erumpat; ita etiam qui os suum opprimit, ne peccatum suum confessario aperiat, id eundem obtinet, ut familiarium, seruorum, aut aliorum (per quos quasi per ductus facinus ad executionem perlatum est) ex ore erumpat, & in lucem veniat. Cæterum hæc prima expositio mihi non probatur.

155

Secunda igitur interpretatio, per *iustum coram impio cadentem*, virum intelligit probum ac pium, ab impio de medio sublatus, aut in grauem aliquam ruinam impulsus. Sic Rodolphus, Iansenius, & alij. Sensus autem sic conformari debet. Iustus ac pius vir, qui improbi, scelestique hominis opera sublatus, aut oppressus est, nihil diffidet à fonte exturbato, & vena corrupta; nam cum bona pleraque ab homine iusto tanquam ex fonte in publicum usum emanare soleant, quisquis illum, aut sustulit, aut oppressit, publicum fontem quodammodo obturauit, & quasi effractis canalibus dirupit. Et quidem iustus quilibet fons est, ex quo perennis utilitas in publicum fluit. Exempli loco producit Rodolphus, Ioannem Baptistam, quo ab Herode primum oppresso, ac de nuntio sublato, fons quidam publicus innumerales utilitates, & emolumenta in vulgus effundens obstructus est. Sed vide quam aptè verba ista in Baptistam cadant. *Fons turbatus pede*, illum enim saltatricis puellæ pes exturbauit, & *vena corrupta*, fons, inquam, ex quo pœnitentiæ baptisma ad eluendas peccatorum sordes affludo fluebat. Huic autem interpretationi, ne omnino displiceat, aliquid addere oportet. Dicendum scilicet, Salomonem præcipuam causam adnotasse, ob quam impij in viros iustos sæuire, & illos opprimere, aliquando etiam de medio tollere solent, quæ nulla alia est, nisi quia illorum vitia liberè inculant. Nam illa verba, *vena vis a os iusti*, ut inibi multis confeci, libertatem dicendi significant, qua iustus quilibet impiorum scelera coercet. Itaque sensus est. *Fons turbatus pede, & vena corrupta iustus cadens coram impio*, id est, propterea iustus impio impellente cadit ac subuertitur, quia, fontis in morem purissimi, ac limpidissimi, verba in illum effundit præclara ac perspicua, illius vitia ac scelera apertè corripiens ac perstringens; quapropter illum metu primum exturbare conatur, ut licentiam dicendi comprimat; id sibi vult illud *fons turbatus pede*. Ut quemadmodum scilicet fons emoto cœno non amplius claras emittit aquas, ita etiam iustus calcatus, depectus, & metu exturbatus, non amplius clarâ & liberâ correptione vtatur. Quod si fontem iusti eâ ratione exturbare non valet, *venam* corrumpere & excindere aggreditur, guttur scilicet, per quod tam claræ ac liberæ voces effluunt, exsiccare aut exsecare molitur. Huc spectat illud *& vena corrupta*. Hæc omnia vno in

A Ioanne Baptista obseruare licet, quem liberè dicentem, ut, fontis in modum, iniecto primum metu, exturbaret Herodes, in carcerem detrusit; sed cum venâ illius claritatem, & candorem terrorem minime permoueret, fluentem venam exciso capite corrumpere aggressus est.

Potest etiam aliter similitudo isthæc aptari. *Fons turbatus pede & vena corrupta*, &c. Vtique duplex vsus candidi ac lucentis fontis; nam pro speculo primum est, ut faciem intuentibus reddat (sic Plinius fontes *natura specula* appellauit, quos postmodum ars politis deterfisque metallis imitata est,) deinde aquas illimes ac salubres haurientibus præbet. Eadem iusti hominis conditio; nam vita illius speculi adinstar obtinet, impiorum vitia & facinora coarguens, atque eius ex ore doctrina fluit præclara, & salubris, ad informandos aliorum mores idonea. Improbi autem, & scelestis utroque nomine inuisi sunt, atque adeo ne, candidissimorum in morem fontium, vitæ suæ puritate, & innocentia eorum mores coarguant, eos persequuntur, etsi fieri potest, è noto aliquo ipsorum perantiquo flagitio, quod iam iam velut cœnum temporis lapsu subsederat eorumdem candorem conspurcare contendunt. Id enim familiare admodum est improbis, vel eo nomine de aliorum probitate detrahere, ne ipsorum flagitia explorata aliorum pietas damnet. Rursus ne probi hominis doctrina, quæ ex eius ore, velut ex fonte, promanat, per dicendi libertatem, ipsorum mores coercet, venam ipsam obturare, aut corrumpere satagunt, aut metu incusso (nam metus verba opprimere solet) aut, si liceat, cæso guttore, & vita dicenti sublata.

156

Sed licet hæc secunda interpretatio ad hunc modum explicata mihi valdè probetur; tamen aliam atque aliam subiiciam quæ mihi magis accommodata videntur. Tertia igitur expositio est Lyræ de detractio ad hunc modum. *Fons Lyræ turbatus pede, & vena corrupta, iustus cadens coram impio*. Iustus scilicet, qui in oculis hominis impij, id est, ipso vidente, ex fragilitate, aut ex alia causa lapsus est, similis est fonti, qui semper turbatus & sordidus est, quia limus assiduo impellitur, ac subsidere nunquam permittitur; (sic Lyræ interpretor) quia dum impius sæpe ac sapius de iusto detrahit, & delictum eius passim inculcat; fama illi semper sordet, utpote quæ contractas semel labe nullo tempore ad oblivionis fundum demittere sinitur. Hæc de fonte turbato. Subdit, *& vena corrupta*. Alia similitudo hinc emicat; puto autem per *venam*, significari aquæ ductum (ut supra animaduerti) cum ergo aquæ ductus, hinc & inde effractus, aut corruptus est, perstillat undique aqua, & vix ad meatum peruenit. Diuus Chrysostomus homil. 24. ad populum. *Bona hominis fama ex bona eiusdem vita velut ex fonte manat*. Ut autem ad hunc fontem bonæ famæ candidissimus liquor veniat, vitæ integritas necessaria est: quemadmodum enim per ductus suos aqua ad fontem defertur; ita etiam per honesta, & laude digna opera, gloria, & bonum nomen alicuius in vulgus manat. Atque adeo sicut pertuso, aut corrupto aliqua ex parte aquæ ductu illac effluit, & ad fontem non peruenit aqua; sic etiam si bona & honesta vita aliqua ex parte deficiat, & à sua integritate excidat, illac sanè hominis fama, & gloria tota elabatur, ac nihil eius in communem hominum existimationem influit. Ait ergo Salomon. *In-*

157

Chrysost.

Iustus, qui in oculis impij aliquid commisit, *vena est corrupta*, quia is suis obreccationibus & oblo-
cutionibus delictum eius assiduò diffamat, atque
adeò quidquid gloriæ ex reliqua vita bene acta,
ceu ex fonte promanare oportet, per rimam illam,
quam impius suis detractionibus & violatione bo-
ni nominis aperuit, prorsus elabatur ac fugit. Et
quidem detractionis præcipuum nocumentum hoc
est, quia cum primùm quis famam alicuius dete-
cto crimine violauit, velut pertuso aquæ ductu, &
fugiente bono nomine, vix vnquam deinceps
virtutibus ac rectè factis sese vulgò commendare,
& probare potest is, cuius bona existimatio semel
læditur.

58

Quarta interpretatio, quæ mihi ante alias pro-
batur, per iustum intelligit iudicem aut magistra-
tum ius dicentem populo. Itaque *iustus cadens cor-
ram impio*, vel vt habent Primitiua, *inclinans se*,
aut *inclinatus ad facies impij*, iudex is est, qui aut
minis territus; aut muneribus corruptus flectitur,
& iustitiæ integritatem detorquet, respiciens ho-
minis impij faciem: Nam *faciem alicuius intueri*,
in scriptura, perinde est, atque eius causâ ius defle-
ctere. Is ergo iudex nihil dissidet à fonte turbato,
& vena corrupta; iudices enim, magistratus, præ-
positi, & in vniuersum omnes, ad quos spectat iu-
dicia ferre fontes illines ac perennes esse oportet,
ex quibus vera omnia, præclara, & sincera efflu-
re oportet: vel, si placet, leges ipsas publicas fontes
publicos appello: iudices autem, & magistratus
aquæ ductus esse dixerim, per quos legum decreta,
& sanctiones in publicum vsum deriuantur. Ergo
cum magistratus minis aut muneribus corrumpi-
tur, & contra ius, fasque decernit, *fons*, id est, lex
ipsa, prauis interpretationibus, velut emoto cœ-
no, turbatur, & commoetur: *vena* autem, vel
aquæ ductus, iudex, scilicet, corrumpitur, atque
adeò quidquid verum, sincerum & legitimum est,
per corruptelas effluit atque elabatur. Et quidem
leges *officiorum fontes* appellauit Tullius in Ora-
tore, & in Tusculanis, *si quis*, inquit, *legum fon-
tes, & capita viderit*. Quis autem non affirmet ho-
rum fontium canales ac tubulos magistratus esse
appellandos?

Cicero.

159

Lxx. locum istum sic extulerunt, *sicut si quis
fontem obstruat, atque exitum disperdat*. Ita enim
sepius euenire solet vt obstructo scaturiginis me-
tu viam priorem aqua deserat, atque alibi eru-
pat: similem ad sensum Vulgatam lectionem allie-
cere integrum est, si turbati fontis nomine acci-
piamus fontem disiectum, depulsum ac dirutum:
hanc enim significationem recipit verbum *turbo*.
Putat ergo, id, quod sepe accidit, venam aquæ
per publicam viam regi, & vt fieri solet, tubulos
transuentium pedibus effringi, & aquam elabi,
vulgò dicimus, *quæse quiebran los alcaduces olos
atenores*. Si ergo hanc vel illam interpretationem
sequamur, sensus aliter atque aliter illi iudici ac-
commodari debet, qui corruptelis locum facit.
In primis enim lectionem lxx. & sententiam, quam
reddidit, adaptare sic licet. Quemadmodum fieri
solet vt obtuso fontis cuiuspiam meatu aqua viam
sibi propriam deserat, & aliam ineat; sic passim
iniustis magistratibus accidit, quos siue minæ, si-
ue munera tanquam aquæ ductus obstruunt, ne
vera atque germana iuris intelligentia, liceat sic
dicere, ab ipsis promanet, sed legum fontes in
alios nec germanos, nec sinceros intellectus com-
pellant. Quod si ipsosmet iudices iniusta decer-
nentes fontes esse dicamus, tunc quidem sensus
erit. Sicut si quis fontem obstruat, atque exitum

A disperdat, sic indecens est iustum cecidisse coram im-
pio, id est, non minus absurdum, & dispendiosum
reipublicæ est publicum Magistratum, quem iu-
stitiam colere oportebat, ius detorquere, & con-
tra fas iudicare, quàm publico fonte obstructo
aquam aliò deriuare. Nam qui ea ratione iusti-
tiam violant, ad commune bonum, & publicam
utilitatem nequaquam spectant, sed priuata com-
moda consecantur. Quod si posteriorem illius he-
mistychij, *Fons turbatus pede, & vena corrupta*,
intelligentiam sequamur, sententia conforman-
da est ad hunc modum. Magistratus corruptelis
locum faciens similis est vena, siue, aquæ ductui
à prætereuntibus calcato, distracto, ac pertuso,
qui aquam ad publicum meatum transferre non
potest. Quia nimirum priuatis respectibus inter-
ueniens in commune ac publicum bonum minime
influit. Quod autem eiusmodi vena pede cor-
rumpi dicitur, energiam quandam habet ad si-
gnificandum eos magistratus turpem in modum
à subditis calcari ac pessundari solitos quotquot
ab his sese corrumpi ac promereri sinunt. Quid
certius?

XXVII. Sicut qui mel multum comedit, non
est ei bonum, sic qui scrutator est maiestatis,
opprimetur à gloria.

C Sicut qui mel, &c. Hebræa ad verbum sic ha-
bent. *Comedere mel multiplicando, non bonum,
& inuestigatio gloriæ illorum gloriæ*. Itaque in po-
steriori hemistichio nulla est negatio, sed perinde
est ac si dicat; gloriæ inuestigare gloriæ est,
subest autem כבוד כבוד *Chebod, Chebodam*,
sunt qui putent pro *Chebodam*, adscribendum esse
כבודי *Chebodim*, vt sensus sit, *inuestigare gloriæ
gloriæ*, sic etiam extulerunt lxx. hanc clausulam
sublata negatione. *Comedere mel multum non bo-
num honorare autem oportet sermones gloriosos*. Hie-
ronymus verò pressit vestigia paraphrastis, qui
iuxta familiarem scripturis loquendi modum,
negationem ex priori parte in posteriorem per re-
petitionem transferendam esse existimauit hoc
modo. *Et inuestigatio gloriæ illorum non gloriæ*,
seu, *non gloriosum*, & vt assolet, verba omittens,
ac sensum tenens, sic conuertit *Qui scrutator est
maiestatis, opprimetur à gloria*, vel, quod magis
probo, expressit vim vocis כבוד *Chabod*, quæ
fluit ex *Chabad*, est autem propriè *granare*, aut,
grauem esse, atque adeò *Chabod*, vox est anceps;
gloriam, & onus sonans, & cum gloriæ tribuitur
gloriam quædam adsignificat grauem: pro-
pterea dixit, *opprimetur à gloria*. Chaldæus ergo
sic conuertit. *Neque scrutari verba gloriosum*. Sed
cur, inquit, Chaldæus & lxx. sermones ac verba
restituerint? an quia vox illa כבוד *Chabod*, vt ob-
seruat Rabi David in libro radicum, aliquando etiã
linguam significat? Tu videris.

E

Caietanus ergo Hebræicam lectionem sono
tenus interpretans hunc sensum elicit; comede-
re mellis plurimum non est salubre; at contra
quærere honorem ipsorum honor, (sic ipse legit,)
vocem autem illam *ipsorum* acutè expendit. Glo-
ria, inquit, ipsorum dicitur gloria communis,
vel collegio, vel domui, vel ciuitati, vel reipi-
blicæ, ita vt sensus sit; Propriam gloriam solici-
tè vestigare, & aucupari, etsi dulce ac volupe,
non tamen vtile est, sed nocuum; quemadmo-
dum mellis plurimum haurire nocuum est; At

Caiet.

communem domus, ciuitatis, reipublicæ, aut aliorum eiusmodi cœtuum splendorem persequi, ac venerari, perquam vtile ac honorificum est. Quasi dicat: inuestigatione propriæ gloriæ, sicut in mellis esu, modus adhibendus est; at de gloria communitatis sine modo aliquo laborare oportet. Sed licet hæc sententia à veritate non abhorreret, tamen à vero, & germano loci sensu plurimum abit.

LXX. Interpretes posterius quoque hemistichium per affirmationem extulerunt hoc modo. *Commedere multum mel non bonum, honorare autem oportet sermones gloriosos.* Sensus tamen proximè accedit ad Vulgatam lectionem, nam perinde est ac si dicant: mellis plurimum sumere valdè nocuum est, ac propterea melli parcere necessum est; sic etiam sermones nimium sublimes, & arcanos honorare, id est venerari, & ex veneratione quadam ab ipsis perscrutandis abstinere oportet. Non dissimili sensu Vulgatam lectionem donauit Diuus Gregorius Moral. libr. 24. cap. 19. *Dulcedo, inquit, mellis, si plus quam necesse est sumitur, unde delectatur os, inde vita comedentis necatur. Dulcis etiam est requisitio maiestatis Dei, sed qui plus illam scrutari appetit, quam humanitatis cognitio permittit, ipsa hunc eius gloria opprimit, quia velut immoderatè mel sumptum perscrutantis sensum, dum non capitur, rumpit.* Ex Gregor. libauit hæc verba Venerab. Beda.

Posterius hemistichium expendendum suscepit Diuus Bernardus; nam cum memuisset Pauli ad tertium vsque cœlum euerti sic statim atexit. *Cum enim Apostolus raptum se commemorat vsque ad tertium cœlum, ut ausum excuset. Quisnam aliter presumat mortalium huic se diuina maiestatis horrendo scrutatio propriis intricare conatibus, & importunus contemplator pauenda irrumperè in arcana; scrutatores proinde maiestatis tanquam irruptores dici reor, non qui scilicet rapiuntur in eandem, sed qui irruunt. Ipsi itaq; opprimuntur à gloria.* Pende quàm lepidè cum Pauli raptu istorum irruptionem comparat. Subdit verò statim. *Ergo formidolosa scrutatio maiestatis Dei, ut voluntatis tam tuta quam pia.* Et cum in voluntate Dei vestiganda splendidam quandam gloriam inesse dixisset, atexit illicò. *Non me opprimes ista gloria, totulicet viribus intendentem in se, ego potius imprimar illi. Etenim velata facie speculantes in eandem imaginem transformamur,* &c. Si igitur per maiestatem hinc diuinam intelligamus cum Gregorio & Bernardo, sententia mōnet, vt in speculatione huius maiestatis modum adhibeamus, nam licet per se dulcis, & iucunda sit, tamen, si modus absit, non parùm nocere consuevit. Comparata autem cum melle, quod parè sumptum prodest. immodicè verò haustum duo potissimum damna inferre consuevit, inflat nimirum, distenditque ventriculum, & ob nimium calorem in bilem demutari solet. Gregorius ergo supra ab inflatione suam duxit sententiam, sic enim absoluit. *Perscrutantis sensum, dum non rapitur, rumpit,* cui accinit etiam Faustus Rhegi. in Epistola contra Nestorium vbi sic habet. *Manducare mel multum non est bonum, magis enim inflat parum fundatum sensum sententia, quam edificat.* Et quidem mellis substantia tunc cum primùm fit ex aère defluit, idè aëreum appellatur: sic Poëta. *Protinus aërei mellis cœlestia dona,* siue illud ros sit, siue ex rore concreseat; postquam verò sumitur spiritiosa est, ac ventriculum distendit, quia ca-

lore suo soluitur, & in flatus vertitur. Hæc est natura speculationis huius immodicæ de qua loquimur: ex superbia & tumore venit, & in fastum atque arrogantiam tota vertitur. Rursus dulcedo illa, quæ ex theoria, & ex speculatione nimia diuinorum sumitur, si abest charitas, in amarum bilem discedit, id est, errores generat plurimos, qui animum moresque corrumpunt. Idè Paulus ad Romanos 12. suadet: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem;* nam et si sapere, mellis in morem, sapore ac gustu suo deliniat ac delectet, tamen, si modus absit, mirum in modum nocet, idè cum sobrietate sapientia sumenda est.

Ceterum locus iste Pauli, *non plus sapere quam oportet sapere,* &c. ad veram Salomonis expositionem nos manu ducit: prohibet enim ibi Apostolus nimium fastum, ne quis sibi multum arroget. Alibi enim dixit, *Noli alium superare, sed time,* id est, noli gloriam nimiam affectare, sed te metipsum in humilitate contine. Græca habent *καταπορεύειν* Hilarius lib. 10. de Trinitate vertit, *noli super sapere,* &c. est autem superfapere ad excelsa honorum fastigia adspirare, vt docet ibidem Hilarius, cui hærent Chrysostomus. Ambrosius, & alij non pauci. Id ergo cauet Salomon. *Sicut qui mel multum comedit non est ei bonum, sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Maiestatis scrutator dicitur inuestigator gloriæ, & affectator honoris, aut felicitatis, supra suam conditionem. Itaque sensus est: dulcissimum est mel, dulces etiam, imò prædulces honores & gloriæ humanarum dignitatum: mel parè sumptum proficiet, honoris etiam & felicitatis humanæ, cum parè adhibetur, iuxta conditionis vniuscuiusque mensuram, non parua vtilitates numerantur. At quemadmodum mel sine modo sumptum lædit stomachum, sic etiam honor & felicitas nimia supra vires, supra facultatem, & conditionem cuiusque, valdè nocua est. At, inquires, mellis atque gloriæ, seu felicitatis humanæ comparatio inuisa videtur. Minimè verò, obserua proprietates vtriusque consimiles.

Melle nullus est grauior liquor, reliqui enim melli innatant, idè mellis nimia copia ventriculum onerat plurimum, ecquis autem humani honoris onera oratione consequi possit? Mel vique postquam sumptum est, quadam naturæ ipsius lege (auctor est Galenus lib. 1. de alimentorum natura) pondere suo reliquis alimentis subsidet, & ad inum stomachum demittitur, eadem honoris & felicitatis humanæ natura, cum quæritur in admiratione est, cum paratur dulcis ac iucunda videtur, parta verò vilescit, & in infimis ponitur. Ad hæc sicut mel nimium, in ipsa tantum sui delibatione dulce est, de reliquo verò stomachum grauat, ita etiam gloria humana & prophana, interim dum paritur, delectat ac suauius est; parta verò oneri est; nam voluptas discedit, grauitas manet. Huc spectat significatio vocis *Chabod*, quæ hinc pro gloria subest, & non gloriam solùm, sed grauitatem & onus notat, vt nuper diximus, vt constet ex honoribus delibata illa priori voluptate nihil aliud reliqui fieri nisi onera. Rursus mel immoderatè haustum flatus excitat, & stomachum distendit; ad eundem modum honores inflant, & tumorem afferunt. Quid certius? Denique sicut mellis copia in bilem transit, sic etiam honores bilem & amaritudinem non vno modo generant. Primò omni bile amariorum indignationem &

161
Sept.

Gregor.

162
Bernard.

Gregor.

Faustus.

Virgil.

Rom. 12.

163

Hilarius.

164

Galenus.

iram efficiunt, constat enim, eos qui ad honorū fastigia euecti sunt, ad iram in primis procliues esse; honores enim superbiam, superbia indignationem & iram gignit. Secundò gloriæ humanæ cupiditas inuidiam parit, qua nulla est acerbior amarities utrumque docuit Chrysoſtomus li. 2. de prouidentia. *Qui potentes, inquit, sunt, cupidissimi sunt, biluore & inuidia tabescunt; inſentibus inſidantur, bilem semper patiuntur, & vitæ præſentis commoda summa rabie sectantur.* Quid acerbi? aut esse, aut excogitari potest? & homilia 53. ad populum. *Quid inquit, nobis reddet gloria humana nisi luorem & inuidiam?* & in similitudinibus Cent. 1. *Graue quidem, omnique plenè inuidia, in politicis rebus gloriã sectari.* Quid plura? Mel, si ad satietatem sumatur, aliarum rerum fastidium affert; eadem gloriæ humanæ conditio: nam quotquot honores summos adepti sunt, reliquos præ se fastidiunt ac despiciunt. Hunc ad sensum vocant nonnulli illa verba Psal. 122. *Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione; multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantis, & despectio superbi.* Hieron. *Opprobrio abundantium & despectione superbiorum.* Alij, *fastidio superbiorum.* Docent enim prædicti interpretes Dauid non tam obsecrassè à Deo, ne despectui ipse haberetur à superbis (id enim non curabat, sed ne in animum eius subiret elatio, & fastus, ita vt ad regnum euectus & foelicitate ac gloria, tanquam melle nimio repletus, reliquos ipse fastidiret, & pro nihilo duceret, Pergo ad alia.

Chrysoſt.

Psal. 122.

Hieron.

XXVIII. *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.*

Sicut vrbs patens &c. Hebr. *vrbs diruta non murus; ita & vir, cuius non clausuram spiritui suo.* Hieronymus sententiam expressit, Chaldaeus cum Vulgato concinit; lxx. *Sicut vrbs muros desectos habens, & non murata, sic vir, qui non cum consilio quid agit;* quidam etiam sic restitunt. *Sic vir qui non cohibet iram suam.* Caietanus. *Vir cui non resistencia spiritui.*

Caietanus ergo hanc suam translationem sic edisserit. Vir, in quo ratio non viget, atque ad eò prauis appetitionibus, aliisque animi motibus, & impulsibus non obſistit, similis est vrbi, quæ vallo, ac muro caret, hostiumque irruptionibus peruia est. Sed licet sententia hæc vera sit, tamen in verba Salomonis parum aptè quadrat. Deinde valli ac muri nomen rationi cum dat, non admodum appositè loquitur Caietanus; huic enim arcis, speculæ, aut similibus nomina melius accommodantur.

166

Ex Hebræis etiam non pauci per *spiritum*, superbiam intelligunt, vt sæpè aliàs in scriptura. *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, vir qui non continet spiritum suum,* (nam in Primitiuis abest verbum illud, in loquendo.) Itaque sententiam sic efformant. Vir, qui fastum opprimere, & superbiam suam coercere non valet, nihil dissidet ab vrbe, quæ, muris solo æquatis, hostibus peruia est. Hæc quoque sententia verissimam doctrinam continet, cui suffragatur semel & iterum Chrysoſtomus, semel quidem homilia 20. in Epistolam ad Romanos,

Chrysoſt.

A vbi de humilitate verba ferens, sic habet. *Nihil enim humilitate potentius, petra est fortior, & adamante solidior, & in maiore nos securitate collocat, quam queant vel turres, vel vrbs, vel muri; omnibusque diaboli machinamentis sublimior facta, concingere volentibus insuperabiles facit.* Quemadmodum vicissim arrogantiam quibuslibet faciles capti reddit. Quid apertius? & iterum homilia 35. in Genesim. *Qui hoc fundamentum humilitatis rectè rececit, poterit in quantum voluerit altitudinem structuram excitare; hæc maxima est munitio, hæc murus inconcussus, hæc turris, hæc omne continet adificium, ne vel à venturum violentia, vel ab imbrum impetu, vel ab spirituum vi deici queat, sed omnibus insidiis inaccessum, & inuictum facit, quasi ex adamante constructum esset.* Si ergo humilitas ex mente Chrysoſtomi murus est inconcussus, inaccessus, adamantinus, quicumque humilitate caret, & superbia turgēt, merito vrbs patens, & absque murorum ambitu dicitur, in quam hostes irrupere, signa inducere, ac spoñare, & diripere facile possunt.

B

C

Alij rursus per *spiritum* iram & indignationem accipiendam esse putant hoc modo; vir qui spiritum suum, id est, iracundiam adhibita vi non compescit, & comprimit, vim imitatur manibus euerſis patentem, & hostibus suis peruiam. Nam quidquid virtutis, quidquid rationis, quidquid bonorum morum hominem, muri adinstar, cingere, & à diaboli irruptionibus defendere potest, id totum ira euertit, ac solo exæquat; Animus enim ira percitus cuilibet tentationi, & incurſui hostili quoquoersum patet. Non longè ab hac sententia & similitudine abit Plutarchus in Moral. *Quemadmodum, inquit, qui expectant obsidionem, colligunt ac deponunt pecuniam atque omnia parant sub hostium aduentum: ita aduersus assaultum iracundiæ præceptis philosophiæ muniendus, & instruendus est animus.* Hæc nimirum præcepta morum ac philosophiæ promuris obtinenda sunt, quorum obiectu iræ tyrannus munitum animum frustra inuadat. Est autem ira tyrannus crudelis ac ferox, qui pulsa ex animi nostri arce ratione, eam ingredi & subigere contendit, quam cum cepit, misera quadam seruitute opprimit. Sic Philo Iudæus in libello, *Quod omnis probus liber. quemadmodum ciuitates tyrannidem ferentes seruiunt oppressa molesto imperio; sic quoque homines qui in ira potestatem veniunt, omnes seruitutem grauissimam seruiunt.* Contra hunc tyrannum eiusque obsidiones, hominis iusti vrbs sese comparare ac munire debet, ac primùm quidem si quid pretiosa suppellectilis in animo est, id defodere oportet, vt ait Plutarchus, ne in huius infensissimi hostis potestatem veniat, id est, si quid arcani atque secreti commissum est, id certè penitus includendum, ne illud iracundiæ vis in apertum proferat; hoc enim iræ maximè proprium est, secretissima quæque illorum, in quos sese incitauit, delicta in propalàm date. Deinde præceptis philosophiæ atque morum pro muris ac manibus vti debet vir iustus, vt cinctus vndique tyranni illius seruisſimi irruptiones & assaultus arcere possit. Sed tamen cum præmissæ hæctenus interpretationes à vulgata lectione prorsus abhorreant, auctoritate omnino apud me carent.

E

Nostram ergo translationem luculenta interpretatione donauit Magnus Gregorius in

167

Plutarch.

Philo Iud.

168

Gregor.

Chrysof.

Pastoral. 3. Admonit. 15. *Anima*, inquit, *totam se insipientis hostis vulneribus detegit, quam nulla munitio custodia circumcludit. Unde scriptum est: sicut urbs patens, &c. Quia enim murum silentij non habet, patet inimici iaculis civitas mentis, & cum se per verba extra semetipsam eicit, apertam se adversario suo ostendit: quam tanto ille sine labore superat, quanto ipsa, quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat.* Hæc ille, qui muri vindique urbem obvallantis nomine silentium intellexit. Diuus Chrysofostomus homilia ad baptizandos, de naturali linguæ atque oris structura differens, vallum atque murum ille dedit. *Armetur*, inquit, *lingua adversus peccata tua, non adversus fratris plagam præparetur: & idè Deus illam velut muro duplici (aliàs vallo ac muro) voluit circumdari: nam dentium regimine, & labiorum custodia continetur, ne verba improvida garrulitate proferantur. Refræna igitur linguam, & si non patitur reticere, dentium morsu quiescat, & tanquam carnifici tradatur dentibus.* Itaque dentes muri adinstar obtinent, labia verò vallum præ se ferunt. Sed cur, inquires, naturale illud munimen linguæ additum est? Dicam quod sentio, naturam certè gratia imitari, ac sequi debet: atque adèd quemadmodum natura vallo, atque muro linguam cinxit, sic etiam illum à gratia simili quodam munimento includi oportet, hoc autem non aliud esse dixerim, nisi Dei atque hominum timorem; nam cum linguæ procaci, & effrænatae non solum à Deo, sed etiam ab hominibus supplicia immitti soleant ad eam compescendam, vterque timor conspirare debet, ita ut timor hominis valli locum habeat, timor autem diuinus muri adinstar obtineat, vel aliud aliquid ex te finge, in quo gratia naturam imitetur, idque valli atque muri vices agere dicam.

169

His igitur munimentis caret ille, quisquis non potest in loquendo cohibere spiritum suum, atque adèd similis est urbi vndequaue patula. Et quidem urbs quælibet mœnibus dirutis aperta in primis hostibus pernia est, in linguam etiam, quam silentij, aut timoris murus non ambit, omnia vitiorum genera irrumpunt. Ad hæc, in urbem, quæ subuersis mœnibus quoquoersum panditur, atque adèd nec portas, nec portis adscriptas custodias habet, quælibet sine discrimine aut examine merces inferre, aut efferre licet: idem de lingua iudicium ferendum est; nam cum eam silentij aut timoris muri non præcingunt, abest ratio, abest prudentia portis adscripta; cuius est ea, quæ in animum vel impo-

A tantur, vel exportantur, agnoscere, & sine qua nec mœnia ipsa securitatem aliquam præbere possunt. Audi eundem Chrysofostomum homilia in Psalmum 140. *Quemadmodum non iuuat urbs, non mœnia, non portæ, nisi sint qui eas custodiant, & sciant, quando oportet eas quidem claudere, quando verò aperire; ita etiam oris & linguæ nullæ est utilitas, nisi sit ratio, cui scienter, accuratè, & circumspèctè ea claudere & aperire permissum sit, & sciat quæ sint efferenda, quæ verò tenenda, & admittenda.*

Ed extremum lxx. interpretes de prudentia in vniuersum locum istum exponunt, sic enim habent, *Sicut urbs muros deiectos habens, & non murata, sic vir, qui non cum consilio quid agit.* Prior clausula repetitionem rei eiusdem non admodum iucundam continere videtur. Potest tamen duplici modo bonum ad sensum allici. Prior est, ut particula copulatiua, &, capiatur pro, vel, ita ut sensus sit: sicut urbs, cuius mœnia conciderunt, vel quæ nunquam mœnibus cincta fuit; sic enim duo complectitur hominum genera, eorum scilicet, qui cum prudentiæ virtute pollerent, eam abiecerunt; & eorum, qui nunquam prudentia & consilio vsi sunt. Vel aliter: *urbs muros deiectos habens & non murata*; dicitur urbs, cuius mœnia primùm deuastata, nec postea instaurata & refecta sunt, cui adsimilis dicitur, is, qui prudentiam & consilium in rebus agendis minimè adhibet: quia nimirum sapius fit, ut quæ ob defectum prudentiæ, & consilij temerè concidunt, ac pessum eunt, nusquam postea refici, & instaurari queant. Denique subiicio verba Philonis Iudæi, qui virum prudentem cum urbe componit, non mœnibus solum, sed etiam virorum fortium præsidio vallata, in lib. de sacrificio Cain & Abel. *Quemadmodum civitatum tutissimum munimentum viri fortes sunt pro mœnibus stantes; ita etiam in vniuscuiusque nostrum civitate, quæ constat ex animo ac corpore, pro firmissimo propugnaculo sunt cogitationes amicae prudentiæ.* Ex hac ergo Philonis sententia tertia duci potest expositio illorum verborum, *urbs muros deiectos habens, & non murata*, seu *munita*, id est, quæ caret mœnibus & militum præsidio: nam cum mœnia non suppetunt, **D** viri fortes pro muris sunt adamantinis. Ergo sic accipe; vir, qui sine consilio ac prudentia res agit, civitas est, quæ caret mœnibus ac militum præsidio: quasi dicat, deficiente consilio non est robur, non fortitudo; hæc enim duo fortitudo, & consilium, hærent sibi iniucem.

170

Philo Iud.

CAPVT



CAPVT XXVI.

SALOMONIS.



QUOMODO nix in aestate, & pluuia in messe: sic indecens est stulto gloria. 2. Sicut auis ad alia transuolans, & passer quò libet vadens: sic maledictum frustra prolatum in quempiam superueniet. 3. Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso imprudentium. 4. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. 5. Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur. 6. Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum. 7. Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias: sic indecens est in ore stultorum parabola. 8. Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij: ita qui tribuit insipienti honorem. 9. Quomodo si spina nascatur in manu temulenti: sic parabola in ore stultorum. 10. Iudicium determinat causas: & qui imponit stulto silentium, iras mitigat. 11. Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. 12. Vidiisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. 13. Dicit piger: Leo est in via, & leana in itineribus. 14. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. 15. Abscondit piger manum sub ascella sua, & laborat si ad os suum eam conuerterit. 16. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias. 17. Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens: & commiscetur rixa alterius. 18. Sicut noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem. 19. Ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo: & cum fuerit deprehensus, dicit: Ludens feci. 20. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: & susurrone subtracto, iurgia conuiescent. 21. Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitatur rixas. 22. Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima ventris. 23. Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata. 24. Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tractauerit dolos. 25. Quando sub miserit vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitiae sunt in corde illius. 26. Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in concilio. 27. Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum. 28. Lingua fallax non amat veritatem: & os lubricum operatur ruinas.



CAPVT XXVI. SALOMONIS.

I. *Quomodo nix in aestate, & pluuia in messe, sic indecora est stulto gloria.*



QUOMODO nix in aestate, &c. Hebraea non dissentiunt. lxx. *Quomodo ros in messe, & quomodo pluuia in aestate, sic non est insipientis honor.* Symmachus & Theodotion. *Non decet insipientem honor.* Caiet. *Non pulcher est insipientis honor.*

Caietanus existimat praescriptis verbis hanc inesse sententiam, sicut ningere, ab aestate alienum est, sic honor à viro stulto quàm longissimè abesse debet. Itaque non comparat Salomon honorem stulto exhibitum, cum niue in messe decedente, ex mente Caietani; sed gloriam stulto perinde non congruere affirmat, sicut ab aestatis ardore nix, vel vberior pluuia longè abest. Et quidem non omnino forsan displicebit hæc prior expositio, si tamen excutatur, & comparatio assumpta amplius excutatur. Nam idèò grandis in aestate è cælo descendit, nix autem non ita, quia, teste Philosopho, grandis in suprema aëris regione congregat, nix verò circa infimam eiusdem aëris regionem congelat. Quapropter cum aestate vrente ob repercussionem solarium radiatorum calor in ea regione terræ vicina viueat, nix inibi coire non potest: cumque suprema regio per id tempus, & fuga frigoris ab imis ad summa, & naturali suâ temperie frigida sit, grandines ibi coguntur. Itaque nix per hyemem coit, quia tunc regio aëris terræ vicina friget, per aestatem verò non coalescit quia eadem tunc calet plurimum. Ait ergo Salomon, *sicut nix in aestate non concreuit, sic etiam honor & gloria ad stultos & insipientes minimè accedit.* Est enim honor niui perquam similis, atq; adeò (hæc sic dicere) in stultis & vecordibus non cogitur; vulgò diceremus. *Ne quaxa en los necios o ruines:* nam licet stulti seu improbi homines in infimis sint, & terrenis rebus animo ac mente adhareant, tamen omnium vitiorum ac libidinum aestu incalescunt, idèò honor & gloria in ipsis minimè coalescit. Vide autem nū Salomon addat ad vestes candidas & fulgidas, quibus Principes ac magistratus utebantur apud Hebræos, quas niuis nomine aliàs censuit Psaltes in Psal. 67. *Dum discernit caelestis Reges super eam, niue dealbabuntur in Selmon,* &c. vestiumque candorem niui comparare familiare admodum est scri-

B pturis sacris: testimonia sunt obuia. Itaque sensus erit, sicut nix per aestatem in infimam aëris regionem non decedit, sic etiam magistratum gloriosæ infusæ in stultos atque improbos homines non cadunt, nec illos decet.

Melius tamen sentiret quisquis diceret comparisonem ductam fuisse ex niue, quæ ex aliquo accidente rigore per aestatem decidat, & ex pluuia, quæ per idem tempus defluat: non enim insolens prorsus est vere primo ex aliqua aëris intemperie niuem, & in messe pluuiam euenire; sensus ergo sic conformandus est. Quemadmodum si vere primo nix è cælo decidat, quamprimum soluitur, ac diluitur; & sicut pluuia, quæ in messe defluxit, per breui interuallo arefcit, ac siccat; sic etiam honor & gloria in stulto diuturna esse non potest, quippè quæ velut nix in vere quam primum soluitur, aut sicut pluuia in messe quam primum arefcit: Hanc interpretationem cõmendat translatio lxx. quæ sic habet. *Quomodo ros in messe, & quomodo pluuia in aestate, sic non est insipientis honor.* id est, quemadmodum messis tempore ros mane primo tellurem compluens, sole exorto, citius arefcit, & sicut pluuia terram infundens ocyus exsiccat; ita etiam honor non est, id est, non perseverat, vel non est diuturnus insipientis; quia illius iacturam citò facit. Tullius 2. de Officiis. *Vera, inquit, gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia tanquam flosculi ceuiter decidunt, nec simulatum quidquam potest esse diuturnum.* Eiusmodi est improborum gloria fallax, & simulata, non vera, & germana.

Potest etiam translatio lxx. alium ad sensum vocari. *Quomodo ros in messe, & pluuia in aestate, sic non est insipientis honor.* id est, sicut ros tellurem aridam & sitientem messis tempore non satiat, nec pluuia aliqua affluentior per illud tempus decidit, quæ terram affatim inundet, atque eius sitim expleat, (vulgò dicimus *que en esse tiempo nose hara la tierra de agua.*) Idem est insipientis hominis ingenium, nam cum honores afflictim sitiant, eos tamen comparati non saturant; si enim honor partus splendidus valdè non sit, similis erit rori in aridam valdè terram parcissimè stillanti, quia animi sitim non extinguet, sed accendet: si verò dignior atq; illustrior sit, gloria, quam nactus est, similis erit imbri alicui, ex his, qui per aestatem non tam tellurem infunderè, & humore suo explere, quàm eandem diripere & deradere solent, id est, cupiditati minimè satisfaciet, quin imò, & si quid in his consilij & rationis vel modicum inest, id quidem succedens gloria tanquam vehementior aliquis imber aut nimbus diripiet,

ac secum auferet: honor. n. stultis collatus eodē fatuus magis ac vecordes reddere consuevit. Quam autem ob causam gloria, honores, & dignitates partē insipientium hominum auiditatem nequaquam expleant alibi ex Chryostomo docuimus. Id verò, quod de stulto dicitur, de improbo etiam concipi debet, qui sapius in hoc libro *stulti* nomine venit, vt alias notauimus.

4 Ex superioribus interpretationibus eam præferendam esse censeo, quam illi haud imparē esse credo. *Quomodo nix in æstate, aut pluuia in messe, sic indecora est stulto gloria.* Per ætatem quidem primum ver, per messem autem mediam ipsam ætatem accipere licet, & sensus non conditionalis ex suppositione aliqua rei insolitæ, sed absolutus erit ex constitutione rei contingentis. id est. Quemadmodum si primo vere cum segetes luxuriari, & gramina arboresque primo flore venare incipiunt, ex aliqua intemperie accidenti frigida nix aut pruina è caelo, vt solet, in terram defluat, segetum luxuriem enecat, & flores arborum glacie iuã adurit: & sicut pluuia affluentior, & vberior messis tempore, vt affolet etiam, calitus emissa, maturas ac decoctas iam segetes viciat atque corrumpit (sic enim vulgò circumferunt) *Agua de por san Iuan quita el vicio y cy d'apaz.* sic gloria & honor magistratus, & infulæ digniores insipientibus ac stultis collatæ, haud dissimilia toti reipublicæ damna inferunt. In primis enim in iunioribus primus ille flos ingenij, qui studio ac diligentia excultus maturos prudentiæ ac virtutis fructus spondebat, congelat prorsus ac tabescit; nullius enim postea studio gloriæ & honoris ad perfectam virtutis, aut sapientiæ frugem peruenire satagit, quandoquidem honor gloriæque insipientibus æquè ac sapientibus eueniunt. Deinde in grandæuis matura prudentiæ atque consilij seges, quàm iam tum reipublica demerere, & in vtilitatem suam conuertere poterat, vitiatur prorsus ac corrumpitur; quia dum vident supremos honores ab hominibus prudentiæ atque sapientiæ expertibus inuadi, sapientiam, & prudentiam facillè despiciunt, & stultitiam ignorationemque sponte sibi accerere non verentur. Huc spectant per illustria Æschinis verba apud Stobæum in sermone de Republica. *Hoc, inquit, reputate, quod si munera & honores paucis, eisque condignis, & secundum leges contuleritis, multos vos habituros esse pro virtute certantes; si autem cuiuslibet cupienti & his, qui nihil egregium fecerint aut sapuerint, gratificemini, frugis etiam ingenia corrupturos.* Quid illustrius.

II. *Sicut auis ad alia transuolans, & passer quolibet vadens; sic maledictum frustra prolatum in quempiam superueniet.*

5 *Sicut auis, &c.* Hebr. ad verbum. *Sicut auis vagari, hirundinis volare est, sic maledictio gratis non veniet.* Caiet. Vatablus. Pagninus, Montanus & alij Hebraizantes pro *passere hirundinem* subiiciunt; subest autem דרור *deror*, quæ vox hic tantummodo occurrit & Psal. 83. vbi lxx. *turturem* conuertunt. *Etenim passer inuenit sibi domum, & turtur nidum sibi.* Hebræi inibi etiam *hirundinem* transferunt, sibi similes. Noster autem interpret sequutus est lxx. & Thargum, illi enim sic habent. *Sicut aues auolant, & passeret; sic male-*

A *dictum vanum non superueniet ulli.* Theodotion. *Maledictio gratis.* Chaldaus integram sententiam sic extulit. *Sicut passer, qui volat, & sicut volucris, quæ volat, sic maledictio non frustra veniet.* Pugnancia dicere videntur istæ lectiones; sed tamen earum dissidia (quoad fieri possit) componere curabo. Quidam etiam codices habent. *Sicut auis ad alia transuolans.* Sed mendum est manifestum.

B Duplex *maledictionis* acceptio esse potest, aut enim significat malam mihi preceationem, aut contumeliam in aliquem coniectam; ytraque significatio notissima est. Hoc posito prima interpretatio Hebræis perquam familiaris sic habet. *Sicut auis vagari, & hirundinis volare est, sic maledictio gratis non veniet,* id est, Sicut auis est per aëra huc, & illuc temerè vagari, & hirundinis etiam omnem in partem sine lege labi, & excurrere, adeo vt vix aliquando ad terram demissè pedem figant; ita etiam maledictio aut mali deprecation, cum gratis, & sine causa temerè in aliquem profertur, nequaquam illum afficit, sed mera quadam velut auolantis verbi in aëre verberatio est. Sic Caiet. Pagninus, & Vatablus. Quæ interpretatio, quod ad sententiæ ipsius summam attinet, non est omnino respicienda, cum eam planè cohibere videatur traslatio lxx. sed (si fieri potest) castiganda & emendanda est; nam (ni fallor) auctores isti in accommodatione similitudinis aliquid peccant. Vatablus ergo alio modo superiori sensui comparisonem istam adaptare contendit: nam sic scribit. *Vt passer natus est vt fugiat, & hirundo nata est vt volet, sic maledictio immeritò prolata non veniet, id est, non ledet. Quasi dicat: vt passer viso arcu, vel homine, fugit, vt non ledatur, sic non ledit maledictio, quæ immeritò mittitur in aliquem.* Hæc ille, vbi per passerem aut hirundinem, non maledictum & mali deprecationem, sed eum intelligit, qui maledictis sine causa petitur: Itaque sensus est: sicut passer qui viso arcu auolans in eum locum sese vendicauit, quò iacula peruenire nō possint, ita etiam is, qui innocenter agit, in tuto est: nam maledicta iactantes (hi scilicet, qui contendunt velut arcum linguam suam, vt sagittent in occultis immaculatum) ad illam pertingere non queunt. Et quidem de passerum astu & versutia, aut in vitandis retibus, aut in declinandis iaculis supra diximus cap. i. versu 17.

D Non displicet comparationis assumptæ adaptatio, quamuis existimem aliam in textum melius quadrare, quæ sic habet. *Sicut auis est vagari, hirundinis volare* (persto in lectione Originali.) &c. Aues quæ iam, in his hirundo, turtur, & aliæ plures eiusdem generis plagas vertunt, & hyeme iamiam ingruente loca aprica petunt, atque adeo nunquam illas apud nos agentes frigus opprimit: ex hac igitur quarundam auium naturali proprietate comparisonem istam imitam puto. Fauet translatio Hieronymi. *Sicut auis ad alia transuolans & passer quolibet vadens,* &c. de qua postea. Sensus ergo ad præmissam sententiæ accommodatus erit eiusmodi. Quemadmodum hirundinem & aues alias, quæ regiones mutant, hyemis ingruens numquam opprimit; ita etiam viros infontes & innocuos seu maledicta, seu probra, seu conuitia, seu contumeliæ nunquam afficiunt; sicut enim aues illæ ad aprica præuolantes ab iniuriis temporum sese vendicant, ita etiam illi ad innocentiam & probitatem (liceat sic dicere) confugientes, illatas sibi contumelias, iniurias & probra facillè declinant.

Quod si per istiusmodi aues ipsamet maledicta, probra aut iniurias accipi velis, sensus etiam euadet non inelegans. Sicut aues illæ instante hyeme ad alias regiones diffugiunt ac nostras ocyus deserunt plagas, sic etiam iniuriæ, contumeliæ, probra, aut conuitia falsò in eos coniecta, qui plane insontes sunt & innocui, nequaquam diu hærent, aut permanent, sed ocyus auolant & detectâ veritate succedit antiquus splendor & gloria. Hunc sensum spirare videtur translatio Septuaginta, quæ sic habet. *Sicut aues auolant, & passer (scilicet in alias plagas) sic maledictum uanum*, id est, falsò enunciatum & mendaciter dictum, non superueniet ulli. Græcè ἐπελευσεται, id est, non superstabit (sic licet conuertere) id est, nequaquam apud eum perstabit, qui ipso violatus est. Vel certè Septuaginta vrgent comparationem prædictam hoc modo. Eiusmodi maledictum falsò in aliquem vsurpatum simile erit auicipiam ad hyberna demigranti, & desertam regionem nunquam alias repetenti; nam ita ab homine falsi maledicti infamia decedit, vt nunquam deinceps recurat; (quod ex aduerso accidit, in his maledictis, quæ verè & pro meritis indicta sunt; nam licet nonnunquam infamia inducta aliqui obliuione decedat, tamen refricata memoria eadem sæpè reuocatur, & instauratur.) Id sibi voluerunt Septuaginta cum aiunt. *Non superueniet ulli*, id est, abiens semel nusquam iterum redibit.

At, inquit, huic expositioni aptè admodum inferuit præmissa comparatio, quod ad hirundinem attinet; hæc enim, vt prædictum est, plagas vertit, & ad hyberna sese recipit; at passer, seu passerculo, non ita; is enim apud nos mansitat, & loca non mutat. Respondeo, nomen hoc Latinum *passer*, & Hebraicum *deror*, ex germano significato auiculam illam astutam notare, de qua supra diximus, at latiori significatione sumptâ specie progenere, per synechdochem aliis volucibus commune esse. Quemadmodum etiam apud Hispanos omnes alites dicuntur *pajaros*. Adtipulatur huic coniecturæ Chaldaus, qui pro passere volucem restituit; Quapropter de his tantummodò auibus sermonem haberi dicemus, quæ regiones vertunt modo prædicto. Et sensus erit is, quem nuper dedimus.

Secunda interpretatio videtur huic planè contraria, quam offerunt Vulgata lectio & Thargum. *Sicut auis ad alia transuolans, & passer quolibet vadens*, &c. Quidam certè Vulgatum ac Septuaginta interpretes concordia reddere volentes, sic Vulgatum edisserendum putant. Quemadmodum auis, aut passer, sic auolat ac discedit, vt non amplius in eandem partem reuolet modo dicto, *Sic etiam maledictum frustra prolatum in quæpiam superueniet*, i. nò superueniet; nam similem ad modum superuenire non superuenire est, itaque cum ait sic superueniet sicut illæ auiculae, perinde est ac si dicat; quemadmodum illæ non redeunt, ita & illud minimè recurrit. Cæterum hæc expositio aliquam verbis ipsis vim afferre videtur; atque adeò præferenda est communis interpretatio, quam sequuntur Beda, Rodolphus; Iansenius, Arboreus, & alij passim, qui omnes negationem adimunt. Vt autem Vulgatam lectionem ad Origines reuocent, aiunt pro *h. lo.* id est, non, restituendum *h. lo.* id est, et, vel alicui; ita vt Primitiua sic ad verbum efferri debeant. *Sicut auis vagari, sicut hirundinis volare est, sic maledictio gratis alicui veniet*. Ego potius dicerem,

præmitti debere vocem *h. lo.* id est, non, & postponendam esse vocem *חנם* *Hinam*, id est, gratis, frustra, sine causa, vt fecit Chaldaus, qui extrema verba sic contexuit. *Sic maledictum, non frustra veniet* eodem sensu.

His positis præmissi interpretes locum istum de mali deprecationibus ac detestationibus exponunt; in his autem Beda sic habet. *Verba re- Beda. Et auibus comparantur, quod sonans per æra transuolans, ab ore videlicet loquentis ad aures vsque audientis. Sed distant in eo quod potest fieri, vt auis quolibet volans eo loco resideat, vbi nil ei certè utilitatis, aut necessitatis suppetat. Verba autem, quæ loquimur, non quolibet dispersa in ventum distuunt, atque euanescent, sed in auctorem suum cuncta reuertuntur, atque vel bene prolata inuuant loquentem, vel malè edita eundem grauant. Itaque si pro omni verbo etiam otioso rationem in die iudicij reddere cogemur, quantum magis maledicta, non solum ea, quæ in insontem iaculamur, sed etiam illa, quæ negligentium consuetudine passim in quoslibet proferuntur, non alium, sed ipsum maledicum opprimunt*. Hæc ille. In eandem sententiam eunt Iansenius & Rodolphus, qui comparationem hanc ab auibus petitam sic accommodant. Quemadmodum auis, aut passer è nido emissus, postquam per liquidum aërem hæc illæ lapsu errabundo peruagatus est nidum suum iterum repetit; sic etiam maledictum, seu preces male in alios temerè iaculatae, cum eos afficere æquum non sit, in quos sine causa coniecta fuerunt, ad auctorem suum sponte recurrunt, & in caput illius recidunt.

Cæterum (ni fallor) Salomon nomine *maledicti* in hoc loco, vt supra animaduerti, quolibet conuitium, probrum, contumeliã, aut iniuriam significare voluit; nam eam significationem huic nomini subesse constat ex Hieremias cap. 42. vers. 18. Ecclesiastici 22. vers. 30. & 29. vers. 9. & sæpè aliàs, & verbum *maledicere* in sacris Scripturis sæpè est conuitiari & exprobrare. 2. Regum 16. vers. 7. 9. 10. 11. & 13. & passim alibi. Ergo iuxta hanc *maledicti* acceptionem locus edisserendus nobis est. Id tamen difficilè initam à Salomone comparationem proprio sensu donare. Comparatio ergo triplici modo institui potest, atque inde triplex euadit interpretatio; prima est iuxta datam proximè Bedæ atque aliorum huius comparationis acceptionem. *Sicut auis ad alia transuolans, & passer quolibet vadens*, &c. id est, sicut auis vel passer è nido in apertum euolans, si locum non inueniat vbi se deponat, tandem ad nidum reuolat, ita etiam conuitium, & probrum, quod passeris in morem, ab ore loquentis ad aures audientis emissum est, si apud illum, in quem dirigitur, non mansitet, sed per coniuentiam aut despicientiam despuatur, in suummet auctorem redit. Et quidem secundum hanc expositionem, *Maledictum frustra prolatum* non tam significat maledictum, ac conuitium temere in alium dictum, quàm illud, quod ab audiente per contemptum frustratur, & eluditur, quasi nequidquam & inaniter dictum. Itaque sententia ad eos intenditur, qui probris atque conuitiis laceffuntur; suadetque Salomon ea vt despiciant, & per contemptum excutiant; fiet enim sic, vt in auctorem suum recidant; de qua thesi non semel alias diximus ex Basilio in Homilia de ira, & Nazianzeno in Poëmate eodem titulo, & ex aliis.

Secundus comparationis instituentæ modus sic habet. *Sicut auis ad alia transuolans, & passer quolibet vadens*, &c. id est, sicut passer auisque

Septuag.

9

Beda.

10

11

per liquidas aëris regiones peruagata alicubi tandem sese deponit, non enim diu alarum remigio in aëre pendere & librari potest, quin alicubi denique insideat, sic maledictum frustra prolatum in quempiam superueniet, id est, ad eundem modum conuitium temerè dictum, etiam si in aëram emitti videatur, atque adeò neminem læsum iri, tamen non diu pendet, sed aliquem tandem afficit, ac violat. Itaque Salomon iuxta hanc interpretationem eos admonet, qui ex quadam nugandi & iocandi licentia, maledicta quædam, aut conuitia iocosa temerè in alios proferunt sine animo lædendi, quæ vulgus vocat, *palabras dichas al ayre*, aitque maledicta isthæc iocosa nequaquam diu in aëre librari, sed cuiuspiam animo tandem sedere, qui se talibus violatum non doleat solum, sed etiam stomachetur. Non displicet etiam hæc expositio.

Sed tertiam nihilominus aliis præferendam esse decerno; existimo enim comparisonem peti ab illis auibus, quæ à frigidis ad apricas regiones demigrant: suadent enim hoc verba vulgata. *Sicut auis ad alia transuolans, & passer quolibet vadens, sic maledictum frustra prolatum in quempiam superueniet.* id est, quemadmodum aues, quæ hyeme rigente ad alias regiones migrant, ubi ver primum inepescit, ad nostras remigrant, ita etiam maledicta & probra, quæ in amicos tunc emittimus, cum amicitia & beneuolentia per similitudinem aliquam frigeſcit, eadem postea, redeunte gratiâ & repetito amoris calore, ad nos redeunt, & pœnitentia facti nos angunt. Appellatur ergo *maledictum frustra prolatum*, conuitium in amicum temerè dictum; existimo autem illud *in quempiam*, non copulandum esse cum verbo *superueniet*, sed cum verbo *prolatum*, ut sit sensus. *Maledictum in quempiam prolatum superueniet*, id est, iterum veniet super eum qui protulit. Hanc interpretationem idè reliquis præuertendam puto, quia venustiore claudit sententiam, & vulgata verba ad viuum refecat.

III. Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso imprudentium.

Flagellum equo, &c. Hebr. *Flagellum equo, & frænum asino, & virga corpori stultorum.* Nam pro *camo* subest מֶתֶג *Metheg*, quæ vox *frænum* adsignificat: est tamen dissidij aliquid inter Hebraizantes; quidam. n. docent, id nominis propriè significare *lupatum*, quod ori equorum inferitur, alij *lora*, seu *habenas*; sed hæc discordia leuis est. Sunt qui conuerterunt *capitrum*, Latina vox *camus* fluit ex Græca κίμος, quæ propriè frænum & lupatum ori immissum adsignificat, lxx. *Flagellum equo, & stimulus asino, sic virga genti iniqua.* Concinit etiam Chaldæus, qui vocem illam *Metheg*, ex radice מִיָּגָב, videntur traxisse, quæ est *affligere, & dolore afficere*, idè *stimulum* conuertunt, eo quod dolorem iumentis infligat. *Lucifer, genti insipienti. Aquila, corpori dementis.*

Vna omnium interpretum mens circa sensum huius loci; volunt enim Salomonem eò spectare, ut doceat cum stultis, ac vecordibus non verbis, sed verberibus agendum esse: itaque sensus est. *Flagellum equo, & camus asino, & virga in dorso insipientium.* id est, sicut equus flagello, & asinus camo emendatur, sic etiam stul-

A tus virgæ ictibus; vtramque similitudinem penitiùs rimantur interpretes, aliquid inde boni sensus enucleant. Beda sic habet. *Quid per equum nisi superbum? quid per asinum nisi luxuriosum quemlibet figurat? & idè necesse est ut per diuinum flagellum elatio humilsetur superbiorum, & per infirmitatem carnis tanquam per camum cohibeatur voluntas labri eorum, ut qui sponte conuerti nolunt, coacti flagellis conuertantur à vitiis, &c.* Caietanus putat duas illas similitudines ad significandam vim correptionis adhibitas, quæ pro *flagello* est, ut ad currendum incitet, & pro *fræno*, ut à cursu cohibeat, quia nimirum ad bonum incitat, & à malo coercet.

B Iansenius aliquid etiam obseruatione dignum adnotat, quod nimirum instrumenta commutantur, & id, quo asinus regi solet, scilicet flagellum, equo tribuitur, & id etiam, quo equus moderari consuevit, scilicet frænum, asino datur. Quod de industria à Salomone factum dicit, quia equus ad festinandum vitinur, idè flagellum illis accommodauit, quo ad cursum incitentur; asinum verò ad onera vehenda adhibemus, idè frænum illi adscripsit, quo in gradu lentiori benè deducatur. Innuens scilicet, quid correptio & fustigatio in stultis præstare soleat; nam currentes incitat, & lento gradu pergentes cohibet. Sed tamen, ut dicam quod sentio, bona est Iansenij obseruatio, eam tamen non satis bene auctor eruditus collocauit.

C Ergo alij prædictam *flagelli & camii* permutationem etiam obseruantes facile nodum expediunt, asserentes eum loquendi modum Hebræi familiarem esse, quibus solenne est nonnunquam nomina permutare per enallagem: atque interpretis esse aiunt id quod suum est, cuique tribuere, scilicet *camum* equo, & *asino flagellum*. Quod si res ita se habeat, energiam huius sententiæ assequi non est difficile: erit enim sensus: correptionem atque fustigationem id agere in stultis ac vecordibus, quod in equo frænum & in asino flagellum: nam si, equi in morem, petulantis & procacis in scelera bacchentur, illis pro fræno est ut cohibeatur: eo enim nomine correptionem donandam censuit Diuus Augustinus in definitionibus. *Correctio* (inquit) *est errorem innatum, aut consuetudine factum fræno rationis inhibere.* Si autem pigri adinstar asiniti torpescant, eidem pro flagello est ut incitetur. Et quidem vtrumque in stulto atque insipienti vitium coit, nimirum equi velocitas ad scelera, & ad virtutem asini tarditas, atque adeò illam coercere, hanc incitare necessum est.

D Possent rursus aliquis dicere, Salomonem datâ operâ flagellum equo dedisse, quia constat equos illos, qui fræno ac lupis non acquiescunt, quique ex nimia quadam animositate ferociunt, à flagellis edomari & emendari solitos: Nam tantus illis flagellationis metus inest, ut viminis excussi ac vibrati, flagellique incassu desuper impulsu sonitu incitari ac corripri soleant. Rursus frænum asino propterea accommodasse, quia sternaces asini & onera non ferentes, camo ori adacto miteſcant, & onera dorso excipiunt. Itaque Salomon ea cuique accommodat, quæ maximè detrectat ac respuit, ut sit sensus: Id præstat stulto correptio & virgæ ictus quod equo flagellum: nã sicut equus flagellum vsque adeò timet, ut vel inanis eius vibratio & excussio illum aut coercet, aut incitet: ita etiam stultus fustem vsque adeò veretur, ut intentati solum & nedum infli-

eti ipsius flagelli ictus in animam & stultitiam emendare ac restituere queant: deinde sicut asinus sternax cano seu frano adstrictus oneri subeundo idoneus redditur, sic etiam insipiens castigatione coercitus ad onera quævis ferenda habilis efficitur. Rursus dum ab his similitudo ducitur, quæ duo illa animantia maximè respuunt, non incongruè significatur quanto in odio correctio sit apud insipientes.

17 Sed licet ea, quæ hæctenus præmissimus, non incongruè dicta sint: tamen aliam mihi subodorari videor concinnam magis ac congruam interpretationem. Et quidem suppono, Salomonem flagellum frænumque de industria commutasse, & frænum asino, flagellum equo datâ operâ accommodasse: cum tamen equus frano, & asinus flagello regi soleat. Deinde obseruo Salomoni valde familiarem quandam sententiam, scilicet stultos atque insipientes correptione ac supplicio nequaquam emendari, sed nonnunquam in deterius abire solitos: supra cap. 17. *Plus proficit correctio apud sapientem, quam centum plaga apud stultum.* Et cap. 15. *Stultum irridet disciplinam.* Vide plura in hæc sententiam cap. 10. versu 8. & 15. Ergo sibi sui similis in hoc loco Salomon quid nocumenti correptione & castigatio stultis afferre soleat, insinuat his verbis. *Flagellum equo, & canus asino, & virga in dorso insipientum.* Quasi dicat, perinde est stultum ac vècordem hominem virga corripere, sicut flagello equum tundere, & asino frænum inducere, contra naturâ ipsius legem & contra solemnem usum. Nam equus naturâ suâ feroc ac petulans frano indiget, flagello autem peccillus ferocior & incitator redditur: asinus etiam conditione suâ iners ac piger, flagello opus habet, frano autem inertior redditur. Ad eundem modum correctio, atque supplicia stulto inflicta, si quidem stultus, equi ad instar, præceps ac feroc sit, illum utique incitant & ad vitia præcipitem magis, ac ferocem efficiunt: si autem asini in morem, socordia & inertia torpeat, illum sanè inertem magis ac socordem reddit animaduersio, Quod quam sit cum experientia conforme nemini ambiguum est: videmus enim quotidie stultos correptionibus aut animaduersionibus detiores fieri. Itaque Salomon in hoc versu stultitiam, stultosque ex eo inculcat, quia morû remedia in suam perniciem conuertunt.

18 Translatio Septuaginta alium sensum offert. *Flagellum equo, & stimulus asino: sic virga genti iniquæ.* Hæc verba ad Principes, Dynastas & Iudices, qui populis iura dicunt, intendi videntur. Virga ergo potestatem ipsam Principis aut iudicis adsignificat, ut sæpè alias in scriptura. Itaque sensus est. Quemadmodum equis aut asinis non indulgemus, sed illos flagellis, hos stimulis assidue quatinus & percellimus, ut suas agant functiones: ita etiam improbis non est conuiuendum, sed cum his ex iure agere necessum est: ut assidue coerciti supplicii in officio contineantur. Quod si eam Luciferò legamus, *sic virga genti insipienti*, aut cum Aquila, *corpori dementis*, ita ut de stultis sermo sit: possit utique quispiam sic comminisci, ut due ille comparationes equi & asini inter stultum ac sapientem distribuantur, ita ut equus sapientem, asinus stultum adumbret. Cum autem equum flagello, asinum stimulo petendum dicit quantum inter stulti atque sapientis viri correptionem & animaduersionem interfit, aperit: nam sicut equus sola flagelli vibratione incitatur, sic etiam sapientem supplicij mina ad probitatem erudiunt. Huc

Seneca.

A spectat illud Senecæ passim decantatum. *Nobilis equus umbra virgæ regitur, ignavus nec calcariis co-citatur.* Stultis vero contra accidit: nam sicut asinus piger non aliter nisi stimulis crebro infixus impellitur, sic etiam stultus assidue ictibus opus habet. Hoc sibi vult illud, *Et virga in dorso imprudentium*, id est, non desuper vibrata: sed fortius impressa & adacta. Et eidem est de aliis translationibus.

IV. Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.

B *Responde stulto iuxta stultitiam suam. ne sibi sapiens esse videatur.*

NE respondeas, &c. Hebr. *Non respondebis stulto secundum stultitiam eius, ne forte adqueris ei.* Dissidim quoddam leue distrahit interpretes, quidam enim in Primitiis sic legendum putant כִּי תִשָּׂא חֵי וַלְשׁוֹ *Chai valsho*, id est, *secundum stultitiam eius*: alij כִּי תִשָּׂא בֵּי וַלְשׁוֹ *Bei valsho*, id est, *in stultitia eius*: sensus tamen non euariatur. lxx. *Noli respondere imprudenti ad imprudentiam eius, ne similis ei fias.*

19

G *Responde stulto, &c. Hebr. ne forte sit sapiens in oculis suis. Chaldaeus. sed loquere cum stulto in sapientia tua, ne existimet se ipsum sapientem.* LXX. *Sed responde stulto ad stultitiam eius, ne videatur sapiens apud se.*

Prima interpretatio huius loci est. Bedæ. *Non hæc, inquit, inimicem sibi met contraria debent videri, utrumque enim pro temporum, & personarum diuersitate concordat.* Itaque Hæc duo respondere, ac non respondere stulto iuxta stultitiã eius, non ita accipit, ut putet in duplici versu alium & alium sensum fortiri, sed discrimen ex tempore ac persona, cui responsum offertur, petendum esse docet Beda, ita ut sensus sit. Tempus est non respondendi stulto, & tempus etiam eidem respondendi secundum stultitiam suam. Sed quid est iuxta stultitiam respondere? stultitiam vnam alia decutere stultitia (inquit Beda.) Aliquando enim quemadmodum clauus clauo, sic stulta interrogatio stulta responsione traditur: sed ut eo modo stultitiam vnam alia stultitia demere liceat, tempus utique capere, & personas obseruare oportet. Nam si intempestiue stultum responsum stultæ offeratur interrogationi, respondens interroganti similis efficitur: si autem tempestiue, & oportune stultitiæ stultitia obiiciatur, alia quidem aliam tradit. Hoc astu vsus est Paulus 2. ad Corinth. 12. Nam cum Corinthij, Paulum cum aliis doctoribus conferrent, quorum fides vacillabat, & his fortal-
2. Cor. 12.
sè primas insipientissimè darent, necessum utique fuit Apostolo suas laudes & virtutes commemorare ac prædicare: at postquam longam orationem in suarum virtutum commemoratione posuit, sic demum adiecit. *Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari.* Quasi dicat: propriarum virtutum prædicatio vulgò stultitiæ adscribi solet, sed vos ipsi ad hanc stultitiam compulistis me, nam ut vestrâ fatuitatem excluderem, mihi meas laudes commemorando desipere necessum fuit, quas vos prædicare & extollere oportebat. Hæc Beda etiam obscurius.

20

Sed tamen si discrimen vtriusque sententiæ in A tempus tantummodò referatur, aptius fortassè & apertius de correptione morum interpretabimur: nam cum Salomon in superiori versu stultos correptione & animaduersione deteriores fieri dixisset, nunc quidem addit. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris*, &c. Si quando stultum obiurgare & temerè dictis factisve eiusdem occurrere opus est, tempus utique & opportunitatem capta, atque adeò si B opportunitas non est, *ne respondeas illi iuxta stultitiam suam*, id est, dignam illius stultitiæ respon- sionem seu animaduersionem nequaquam illi de- deris, *ne ei similis efficiaris*, ne videlicet stultitiæ tu ipse infimuleris, quia intempestivè illum atque fine vsu, & emolumento obiurgasti: nam intem- pestiva animaduersio, ex qua non melior, sed C deterior fit obiurgatus, stultitiæ atque stoliditati corripientis adscribi debet. Quod si opportuni- tatis correptionis sese dat, *Responde stulto iuxta stultitiam suam*, id est, stultitiæ dignum responsum illi præbe, eius scilicet fatuitatem asperiori aliquo responso coercere, *ne sibi sapiens esse videatur*, ut suæ nimirum insitiæ admonitus & conuictus, eam agnoscat, agnitam detestetur. Quantum verò emolumenti aut detrimenti habeat correptionis opportunitas vel importunitas, docet Chryso- stomus exemplo petito ex medicamentorum vsu: hæc enim tempestivè adhibita sanitatem afferunt, intempestivè autem apposita morbum au- gent, cuius verba alibi dedimus. Et quidem præstantissima artis medicinæ pars est, præ- dictam opportunitatem observare, nam medica- mentorum naturas, & quæ quibus morbis ac- commodari debeant nosse non est arduum, at quodlibet medicamentum tempestivè adhibere summæ cuiusdam peritiæ est. Non aliter in cor- reptione & obiurgatione morum potissima tem- poris ratio haberi debet: nam si ex æstuante culpa correptionis malagma imponatur, reum potius exulcerat quàm sanat, atque adeò tempus in aliud curationem differre oportet, cum nimirum æstus ille deseruit, & hebetato passionis impetu ani- mus ad se redit.

21

Et quidem non infusè ad hunc ipsissimum sen- sum Salomonis sententiam allicere possumus, si cum Caietano & allis legamus hoc modo. *Ne respondeas stulto in stultitia sua, ne ei similis efficiaris, sed responde stulto secundum stultitiam suam, ne sapiens sibi videatur*, id est, ne stulto, aut vecordi homini tunc cum stultissimè ac dementissimè agit in ipso delicti ferore & æstu occurras, ne tu quoque stultitiæ labem tibi iniuras, quia intempestivè illum obiurgas, sed correptionem differito, & cum exæstuantis animi feror ille detumuit, & mens sedata iam est, tunc acrius illum obiurga, ne si nullum habeat reprehensorem, putet se sapienter egisse. Hinc Augustinus de eo, qui correptionem differt de civitate lib. 1. sic scribit. *Nam si propterea obiurgādis, & corripēdis malè agentibus quis parcat, quia opportunū sibi tempus inquirat, vel eis dē ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, consilium est charitatis*. Dicam luculentius, iuxta medicinæ corporalis artem calidis vulneribus apposita me- dicamenta efficaciac magis sunt, at secundum spi- rituali medendi facultatem frigidis vulneribus dilata curatione efficacius adhibentur correptionum remedia. Rursus in eo vincit spiritualis fa- cultas corporalem artem, quod secundum hu- jus præcepta medici aut chirurgi nunquam non ad curandum habiles sunt & prompti, atque adeò

August.

non sum, sed ægroti tempus præstolari eos o- portet. At secundum illam spiritualem & my- sticam medendi artem, non modò ægri tempus observare necessum est, sed etiam medici, ut- pote qui non semper ad corripiendos aliorum mores idoneus est, propterea enim iubentur su- periores tunc, cum irati sunt, animaduersionem differre: quia scilicet ea, quæ per id tempus ira incalcescente obiurgationum remedia supponunt, vlcera potius refricant quàm sanant.

Tertia interpretatio est Caietani, Iansenij, Ro- dolphi, & aliorum, qui putant Salomonem mo- dum præscribere, quo sapiens vir stultis conuitia & probra in illum iactantibus occurrere debeat. *Ne respondeas, inquit, stulto iuxta stultitiam suam*, id est, si stultus probra te lacessat, ne tu quoque in illum similia probra regeras, *ne similis illi efficiaris*, ne scilicet dum paria respondes, stultus etiam appareas. Nam qui aduersus hominem iracundia inflammatum pari iracundia incitatur, illius uti- que speculum efficitur, teste Gregorio Nazian- zeno in poemate de ira, & qui audita conuitia (liceat sic dicere) in iacentem retundit, ac reuer- berat, imitatur echo ex præfractis rupibus accep- tam vocem referentem, ex Basilio in Homilia eodem titulo, verba vtriusque alibi dedi. In Pri- mitivus est. *Ne adæqueris ei*, id est, ne æquali stulti- tia te obstringas. Plato in Dialogo de amore: *Capite*, inquit, *toto sapiens supra insipientem attollitur*, quia nimirum sapiens mente, iudicio, ac sensibus reliquis, quæ in capite sedem habere existiman- tur, stultum facile superat, stultus scilicet quasi capite detruncatus imminutus est, ut pote men- te, iudicio, ac reliquis præstantioribus animi fa- cultatibus captus, quæ capiti inesse feruntur. Contra sapiens his omnibus pollet, idèò toto ca- pite supra stultum attolli dicitur. Quid ergo est sapientem stulto adæquari? nihil aliud sanè nisi caput, quod supra ipsum exierit, abicere, hoc est rationem & consilium prorsus deponere, & stul- to per omnia parè reddi: id verò iracundia præ- stat sapientissimo cuique mentem & rationem eripiens.

22

Sed licet præfatas interpretationes aliquo in loco ponendas esse censeam, tamen huius loci ger- manam sententiam mihi videtur assequutus Di- gnus Cyprianus ad Demetrium, & in libro de sin- gularitate clericorum, & quidem ad Demetrium scribens priorem versum sic expendit. *Oblatran- tem te, & aduersus Deum, qui vnus, ac verus est, ore sacrilego & verbis impiis obstrepente frequenter De- metriane contempseram, melius existimans, errantis imperitiam silentio spernere, quàm loquendo de me- ritis insaniam pronocare. Nec hoc sine magisterij divi- ni & nominis auctoritate faciebam, cum scriptum sit, Noli respondere imprudenti ad imprudentem eius, ne similis fias illi*. Itaque Cyprianus non putat mo- dum aliquem respondendi stulto accommoda- tum, sed silentium his verbis à Salomone præscri- bi. *Noli respondere*, &c. id est, stulto obstrepente prorsus contice: reddit autem statim optimam rationem. *Nam cum ad me sepe studio magis contra- dicendi, quàm voto discendi venires, & clamosis vo- cibus personans malle tua ingerere, quàm nostra pa- tienter audire, ineptum videbatur congrredi tecum, quando facilis esset, ac lenius turbulenti maris con- citos fluctus clamoribus retundere quàm tuam rabiem tractatibus exercere. Certè & labor irritus, & nul- lus effectus, offerre lumen cæco, sermonem surdo, sa- pientiam bruto, cum nec sentire brutus possit, nec cæcus lumen admittere, nec surdus audire*. Pende

Plato.

Cyprian.

23

extrema verba: hæc enim suadent planè stultum dicitis respondere, non modò inutile sed etiam fatuum & stultum esse: atque aded appositè subdit Salomon, *ne similis ei videaris.*

At quomodò inquires, posterior sententia concinit cum priori? *Responde stulto ad stultitiam eius, ne sibi sapiens esse videatur.* Possit utique aliquis sic comminisci, Salomonem videlicet hoc præcipere, uti stulto dicente, sapiens taceat: Id enim fatius est: aut siquidem eidem respondere oporteat, ita certè occurrat, ut stultitiam illius perstringat, & illum insipientiæ coarguat. Quasi dicat: *tunc* solùm stulto responsum dandum est, cùm speratur futurum ut insipientiam suam agnoscat, agnitamque detestetur: cùm verò nulla huius rei spes subest, fatius est tacere, ac verba opprimere. Cæterùm longè melius posteriorem huius sententiæ partem cum priori concordat idem Cyprianus in lib. de singularitate clericorum, ubi sic scribit, *Tales ergo (nimirum stulti) non per orationem, sed per correptionem revincendi sunt: Nam adversus eiusmodi homines Salomon edocet nos dicens, Noli respondere insipienti ad ipsius insipientiam, ne similis fias illi, sed responde insipienti contra ipsius insipientiam, ut non videatur sibi sapiens esse.* Observanda est imprimis præpositio illa, *contra*, quam perbellè aptavit Cyprianus posteriori sententiæ: nam in Græcis exemplaribus in priori quidem parte subest *κατὰ τὴν ἐκείνου ἀπορίαν.* i. secundùm illius stultitiam: posteriori autem *κατὰ τὴν ἐκείνου ἀπορίαν,* præpositio autè illa *κατὰ* nonnunquam sumitur pro *contra*. Itaque sensus est. *Ne respondens stulto ad stultitiam suam.* i. ne illius dicta verbis & oratione confutare aut refellere velis, nam præterquàm operam ludes, tu quoque similis stultitiæ meritò infimulabere. Sed aduersus illum correptionibus & animaduersionibus: imò etiam virga utere, ne impunitas illum deteriore redat, dum de sapientia inani existimatione, & opinione sese effert. Ad hunc sensum sponte allicitur translatio Vulgata & vel ex eo cæteris præferendus est, quia cum superiori sententia optimè copulatur.

Cyprian.

VI. *Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum.*

25

Claudus pedibus, &c. Hebr. *Incidens pedes, Crapinam bibens, mittens verba in manu stulti.* Regia *Decurtans pedes:* Vatablus. *Detruncat pedes, & bibit violentiam, qui per stultum aliquid demandat.* Chaldaus. *Qui currit pedibus suis, bibens iniquitatem, sic est qui mittit verba in manu stulti.* Septuag. *Ex viis suis opprobrium facit, qui mittit verbum per nuntium stultum.* Procop. *Ex pedibus suis opprobrium facit, Et quidem vox Originalis est* *חמאס* *Chamas,* de cuius vi non semel alibi diximus: significat autem *vim, rapinam, damnum, opprobrium, pœnam,* & alia his similia.

Huius loci sensus ex eo difficilis redditur, quia similitudines, ut verba sonant, non admodùm accommodatæ videntur. Duplex ergo sententia interpretes distraxit. Alij enim duas illas comparationes ei accommodant, qui rem peragendam stulto demandat, alij ipsimet stulto, cui res committitur. Potest etiam tertia alia sententia conungi duas illas comparationes inter vtrumque distribuens. Hi ergo, qui præmissas similitudines illi tribuunt, qui verba aliis referenda stulto di-

A **A**ctitat, sic locum edisserunt. Caietanus (ait) *Incidens pedes & iniquitatem bibens, qui mittit verba in manu stulti* (sic ipse conuertit & ad hunc modum interpretatur) sibi ipse pedes incidit: quia sicut pedes sibi metipso elidens, priuat se facultate ambulandi, ita etiam mittens verba per stultum, priuat se facultate res suas per semetipsum peragendi: Quia stultus negotia sibi commissa eum in statum redigere solet, ut ea rursus instaurare, ac refarcire non liceat. Comparatur etiam bibenti iniquitatem, quia manifestè innuit stulti errores sibi placere, quandoquidem illi data opera res tradit, quem multa deerraturum non dubitat. Hæc Caietanus, quæ mihi non satis probantur. Caiet. etiam hæret Iansenius.

B **M**elius Vatablus qui sic habet. *Truncat pedes, & iniquitatem bibit,* &c. id est, qui verba aut negotia magni momenti homini insipienti ad alium referenda tradit, similis est ei, qui, ut aliquid mittat quempiam, pedes illi succidit, id est, eum mittit, qui aut nunquam perueniet ad eum, in quem destinatur, quod si ad eum deuenierit, rem perperam ager, vel dicet: atque aded quidquid errauerit aut deliquerit, id bibere, ac deuorare mittentem coget. Accommodata magis mihi videtur hæc interpretatio.

26

C **C**æterùm si in præfata lectione, quæ exemplaribus ad vnguem respondet, hæreamus, alia mihi succurrit aptior expositio ad hunc modum. *Incidens pedes & iniquitatem bibens,* &c. Apud veteres olim solemne fuit, cùm aliquid infaustum infortunatumque acciderat, semetipsos lanceolis incidere: id verò in funeribus facere prohibet Deus *Leuit. 19. super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuram aliquam, aut stigmata facietis vobis.* & *Deuter. 14. Fily estote Domini Dei vestri, non vos incidetis, neque facietis caluitium super mortuos.* Sed licet incidi in funeribus serò prohibitum esset Hebræis, non tamen constat id aliàs in magnis infortuniis vetitum fuisse, imò ipsos hanc legem violare solitos comprobat illud *Hier. 16. Et morientur grædes, & parui in terra ista, non sepelientur, neque plangentur, & non se incident, neque caluitium fiet pro eis.* Quibus verbis significat Propheeta populi illius exitium & extremam ruinam tanta

Leuit. 19,

Deut. 14.

Hierem. 16

D **C**eleritate euerturum, tamque subitam omnium interuersionem futuram, ut vix aliquis reliquus futurus sit, qui mortuis inferias persoluere possit. Interuersionem autem innuit, morem illum sese incidendi non omninò ablatum ab Hebræis, qui legem illam quemadmodum alias, temerare non dubitabant. Vnde Hieronym. in eum locum Hierem. sic scribit. *Mos fuit apud veteres, & usque hodie in quibusdam permanet Iudeorum, ut in luctibus incidant lanceos, quod etiam Iob fecisse legimus.* Morem istum ex gentibus haustum celebrarunt Heb. de Scythis enim sic Herodotus. *Aurem decidunt, crinem circumtendunt, brachia circuncidunt, sinistram manum sagittis traiciunt.* Lucianus in libro de luctu, asserit Græcos in funeribus, imò etiam in aliis infaustis successibus genua cruentare solitos. Plutarchus in consolatione ad Apol. *Barbarorum, ait, quidam partes corporis abscindunt, nares scilicet atque aures, reliquum quoque corpus placentes.* Putat autem Cælius id fuisse apud veteres more comparatum, ut ea membra corporis, quæ sibi alicuius infortunij causa exitissent, cruentarent, inciderent, vel aliqua alia ratione mulctarent. Illud certius eam mulctam genibus vel maxime infligi solitam, ut ex Luciano constat, cui ad stipulatur etiam Plutarchus: nam eam corporis partem religiosè obserua-

Hieron.

Herodotus

Plutar.

Cælius.

bant veteres, & in ea miserationis & compassionis sedem esse putabant, vt docet in Plautum Lambinus. Rursus *iniquitas*, hic pro pœna, aut, *pœnitentiâ iniquitatis*, causa scilicet pro effectu. Pl. 7. *Conuertetur dolor eius in caput eius*. Heb. *Chamas*. i. *iniquitas eius in caput eius*. nimirum pœna aut pœnitentiâ ipsius. Iudic. 9. pro illis verbis, *Qui cœperunt eum detestari & scelus interfectionis septuag. filiorum ieroabaal*: in Originib. est. *Qui cœperunt eum detestari & venit scelus seu iniquitas* (Heb. *Chamas*). *Septuaginta filiorum ieroabaal*. i. pœna seu penitentia iniquitatis. Mitto alia. Itaq; bibens iniquitatem idem est quod pœnam, aut pœnitentiâ erroris admissi deuorans. i. super se ipsum sumens, itaque sensus est. *Incidens pedes, & iniquitatem bibens, qui mittit verba in manu stulti*. i. qui magni momenti aliquid vel agendum, vel dicendum stulto homini committit, oportebit sanè illum pœnâ aut penitentiam facti quamprimû ebibere, imò etiâ suos ipsius pedes incidere & cruentare necessum erit, hæc nimirum mēbra punire, quæ sibi detrimentum attulerunt: nam cum posset pedes suos ad rem agendam mouere, horum ignauiâ, aut inertia, calamitati aut infortunio causam dedit. Et quidem interpretationem istam libenter aliis præferrem, si tamen Vulgatæ translationi aptari posset. Vide igitur an liceat illa verba, *claudus pedibus*, sic accipere, vt quæpiam significant, qui eo damno aut detrimento inductus, quo ab imprudēte legato affectus est, genua pedesq; tam altè incidit, vt claudicationem sponte sibi asserre non dubitauerit. Nec abhorret hoc ab vñ veteri, nam Plutar. loco citato asserit, quosdam ex nimio dolore tanta crudelitate in semetipsos scuire olim solitos, vt genua profundè scindentes neruos etiam læserint.

Ceterum Iansen. Rodol. & alij horum affectatores Vulgatam lectionem, vt sonat, interpretantur. *Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum*. i. perinde se habet, ac si ipse non posset ambulare, cum tam inutili vtatur ministro: dicitur etiâ *iniquitatem bibere*, quia stulti sui legati iniquitatem. i. damnum ex malè obita legatione sentire, & perferre cogitur. Hæc Ians. Tamen, si ita libuerit, vt duas illas comparationes in eum, qui nuntium insipientem ad alium destinat, quadrare putes, ne sententia exanguis videatur, sic certè iananimanda est. *Claudus pedibus & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum*. Quasi dicat: talem nuntium stultum ac stolidum ad mandata perferenda adhibere non nisi cuiuspiam liceat claudo, ac pedibus capto, & qui suum ipsius damnum iamjam præbiberit, & rei bene gerendæ spem profus abiecerit. Itaq; mens Salomonis est, stulto legato tunc solùm vti licere, cum res ad eas angustias redacta est, vt quis per semetipsum remagere nequaquam possit, & rei bene agendæ spes nulla subest: tunc enim velut perditis ac profligatis rebus, & non aliter, eum adhibere licebit.

Rodolphus existimauit duas illas comparationes non illi adaptandas, qui legatum stultum ad alium mandat, sed partim nuntio insipienti, partim ei, qui illum mandauit. Nam licet verba, vt sonant, ad eum spectare videantur, qui nuntium mittit, tamen locum hic habet phrasis Hebraica sæpè aliàs à me obseruata, quæ personarum actiones permutat, & quod vnius est alteri tribuit, tunc vel maximè cum is, cui actio alterius tribuitur, eam suadet, aut imperat vt alibi adnotauimus, eius tamen expositio sic habet. *Claudus pedibus, &c.* Priorem hanc partem de legato ex-

ponit, id est, stultus legatione aliqua fungens similis est claudo, quia sicut impossibile est ei, qui pedibus captus est, progredi, sic etiam fieri non potest, vt stultus prudenter legationem obeat. Subdit, *Et iniquitatem bibens*. Posteriores hanc partem mittenti ascribit, id est, quidquid stolidus ille nuntius per insipientiam admiserit, hoc ipsi bibere ac deuorare oportebit, ac non modo damni consortem, sed etiam errorum ac scelerum reum fieri necessum erit. Hæc ille nō insulse.

Ceterum ego in aliam mentem inducor; nam si modus iste permutandi personas & earum actiones non displicet, vtramque illam comparationem vni legato insipienti accommodandam esse dicerem, hoc modo. *Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum*. Nuntius videlicet stupidus ab homine quopiam ad magni momenti mandata perferenda emissus, duobus quidem nominibus perniciosus est, quæ ab omni legato maximè abesse debent, nimirum tardè simul ac malè legationem perficit. Itaque *claudus pedibus* dicitur ob tarditatē. Quid aptius? *bibens iniquitatem*, id est, præ sua insipientia rem perperam agens, & errores suos non satis percipiens, id est, sine sensu deuorans: stultorum enim maximè proprium est errare, & suos errores non sentire. Atque ea est vis illius verbi, *bibens* Iob. cap. 34. *Bibit sub iannationem quasi aquam, & cap. 15. qui bibit quasi aquam iniquitatem*, id est, nō auidè solùm, sed etiam sine sensu, & gustu temerè profus deuorat. Hanc interpretationem libenter aliis antepono, quia Vulgatæ lectioni hæret, & stolidi nuntij ingenium apprimè declarat.

Sed vide an etiam duæ præmissæ comparationes alia ratione metaphoricè significant prauum ac rudem modum, quo stultus ille legatus verba aut mandata sibi commissa ad alium perfert? nam is, qui mandata alicuius alteri denuntiat non solùm ea dicere, quæ ab illo accepit, sed rogatus etiam super his, quæ perfert, eruditè & ad rem satisfacere debet. Stultus ergo legatus in his omnino claudicat, nam licet ea, quæ à mittente didicit, rectè fortasse commemoret, at super his requisitus statim deficit, vel potius claudicat à semetipso dissentiens, & vt aiunt, in pedes vtrosque vacillans. Vidè quæ supra diximus cap. 10. vers. 8. & 10. de claudicatione labiorum. Rursus legatus ille stultus, *iniquitatem bibere* propterea dicitur, quia talis est illius imperitia, vt facilè admodum sit illi dolum, mendaciū, aut iniuriam ab his propinari, ad quos mandata pertulit: id enim sponte ebibit, & sine sensu traicit, nec contra obloqui, aut dolos refellere nouit, id sibi vult illud, *bibens iniquitatem*, id est, propinatam sibi iniuriam sponte hauriens.

Lectionis verò Septuaginta interpretum alia ratio est. Sic enim habet. *Ex viis suis opprobrium sibi facit*, vel, vt est apud Procopium, *Ex pedibus suis opprobrium*, &c. solent quippe claudi & impares gressus regentes vulgò irrideri. Hinc nata vetus illa paræmia, *loripedem rectus derideat*, id est, ei qui rectos ac firmos pedes habet claudo conuictiari integrum est, non autem alteri, qui simili pedum vitio laborat. Itaque mens Salomonis est, quisquis legatum stultum aliquò mittit, claudi, ac pede vtroque capti sibi opprobrium accersit, id est, tanquam loripes & claudicans irrideri potest, vtpote qui suis pedibus non vtatur, tunc cum maximè opus est.

27
Psal. 7.

Iudic. 9.

28

29

30

Iob. 34.

31

VII. *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibiae: sic indecens est in ore stultorum parabola.*

Quomodo pulchras, &c. Heb. *elevate coxas à claudis*, & parabola in ore stultorum. Subest autem pro voce illa, *elevate*, verbum דלהב *Dalah*, quod significat eleuare, exaltare, & haurire, reperitur vero in imperatiuo coniugationis, Kal, hoc modo דלהב *Daleu*, idest, *atrollite, exaltate*, inæquales nimirum facite. Rabi Himanuel retulit ad radicem דלהב duplicatè secundum, atque adeò sic locum efferendum censuit. *Aruerunt, vel, siccatæ sunt tibiae claudi*. Vatablus concinit. *Ut exaruerunt crura claudi*, &c. lxx. *Aufer gressum crurum, & iniquitatem ex ore imprudentum*. Sic transtulit Procopius. Complutensis. *Aufer facultatem crurum, & preuerbia ex ore stultorum*. Symmachus. *Defecerunt tibiae à claudis, & parabola in ore stulti*.

De loci istius sententia vna ferè interpretum omnium mens, sed de comparationis energia non vnum iudicium. Caietanus locum istum sic restituit. *Elevatae sunt tibiae claudis, & parabola in ore stulti*. Putat autem hac similitudine significari parabolas ab stultis ac stolidis non satis appositè rebus ipsis accommodari posse: nam cum parabola sit ferè comparatio vnius rei cum alia, stultus quidem vtriusque coherentiam non attingit, quasi dicat, sicut claudus alterum pedem eleuatum, alium depressum habet, crura videlicet imparia & inter se minimè coherentia, idem profus vitium habet parabola elegans ab stulto declarata, non enim satis rei significatæ aptatur, sed deformem in modum claudicat. Ego verò non tam de expositione eleganti parabola ab alio dictatæ, quam de inepto, & absurdo proverbio ab eodem stulto pronuntiato hæc verba capienda esse dicerem, iuxta præmissam lectionem, interpretationem Caietan. ita vt sensus esset. Stultus parabolas vsurpat inconcinnas & ineptas: nam sicut in claudis magna crurum inæqualitas est, ita etiam inter parabolam ab imperito dictam, & rem, cui accommodatur ingens disparitas, & latum dissidium esse solet. Itaque ea ex parte ipsorum parabola claudicare consueverunt, quatenus similitudo assumpta, & res per similitudinem adumbrata non satis coherent. Sed tamen neutra expositio mihi placet.

Vatablus ergo lectionem originalem acutius expendit, nam cum sic legisset in Icholis. *Elevate crura claudis, sic prudens & picturatus sermo in ore stulti*. sic demùm exponit. Etigite claudum in pedes suos, tamen non propterea incedet, aut gressus reget, quin imò statim concidens procumbet. Ad eundem modum si in ore stulti, ac stolidi hominis perelegans & peracuta parabola ponatur, non propterea mente discurret, & ex acceptis ad alia scandet, sed quam primùm vacillabit, & in absurdiora dilapsus corruet. Non displicet hæc interpretatio quia illi non insulsè accommodari potest translatio Vulgata. *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibiae*, quia nimirum in eas erectus & eleuatus, progredi non valet, *sic indecens est parabola in ore stultorum*, idest, ad eundem modum elegans parabola ab stulto vsurpata indecorè se habet, quia non valet illi insistere, & ex acceptis ratiocinari, & discurrere.

Rodolphus, cui hæret etiam Iansenius, ab inæqualitate crurum similitudinem petit ad hunc

A modum. *Sicut eleuatae sunt tibiae à claudis, &c.* id est, Quemadmodum si crus alterum erectum sit, alterum verò suppressum; claudus quis redditur: ita etiam si elegans parabola in os stulti detur, dum ipse humilia & absurda subnectit verba, sermo illius indecorè claudicat. Hoc sensu Tullius declaratis Oratoribus in quemdam oratorem, qui inter pleraque eleganter dicta non pauca etiam absurda miscebat, sic iactauit. *Actio paululum tum vitio vocis, tum etiam ineptis claudicabat*: & idem de Oratore, aduersus illos, qui orationem ex disparibus valde dicendi modis coalescere volebant, sic addit. *Quid est quod claudicare, aut insistere orationem malint? & non cum sententia pariter excurrere*. Addit Rodolphus posse hanc sententiam de ea, quæ inter sermonem, & actionem disparitas esse solet, non insulsè interpretari, hoc modo. *Parabola*, idest, sermo eruditus, & elegans in ore stulti, cum à vita eiusdem, & actione discordat, indecenter claudicat. Duo enim velut animæ crura sunt dictio, & actio: quapropter cum sermo sublimis est, & actio humilis, indecora admodum claudicatio, ac turpis pedum nutatio fit.

Cæterum licet hæc omnia lepore non careant, tamen (ni fallor) translationis nostræ vim nequaquam exhauriunt. *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibiae, sic indecens est in ore stultorum parabola*. Nam quædam verba in hac nostra lectione occurrunt, quorum vis in præmissis interpretationibus non satis enucleatur. Iansenius ergo vocem illam, *frustra*, sic expendit. Sicut claudus elegantibus & firmis tibiis frustra præditus est, cum his ad gradiendum uti non possit, ita etiam parabola elegans ac sermo eruditus frustra est in ore stultorum, utpote qui illo uti, & opportunitati accommodare profus nescant. Ego verò, vt vox illa, *frustra*, respondeat sequenti hemistichio, *indecens est*, &c. sic locum edifferendum puto, *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibiae*, id est, sicut claudus formosis licet tibiis præditus sit, nihilominus ob turpem illam pedum nutationem à cunctis irridetur, & illuditur (ided enim frustra habere dicitur formosas tibiae, quia earum pulchritudinem indecora claudicatio ridiculam reddit) *sic indecens est in ore stultorum parabola*, id est, ad eundem modum licet stultus nonnunquam elegantem parabolam vsurpet, dum tamen humilia pleraque & inepta veluti claudicando subiicit, sese cunctis deridendum propinat. Habet utique nervos suos oratio, quibus illius membra inter se copulantur, nexuque ipso roborantur, & fulciuntur, hos utique nervos stultitia incidit, dum incoherentia & dissoluta quæque effutit, atque adeò stultorum sermo velut elisis nervis semper claudicat. Pergo ad alia. Septuaginta interpretes sic habent, *Aufer gressum crurum, & iniquitatem ex ore imprudentum*, qui ad sensum Vulgatæ lectionis adduci debent, atque adeò per *iniquitatem*, non utique malitiam aut prauitatem, sed inæqualitatem accipere debemus, vt alias non semel in hoc libro.

VIII. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij: sic qui tribuit insipienti honorem.*

Sicut qui mittit lapidem, &c. Hebr. *Sicut ligans lapidem in cumulo lapidum sic dans stulto gloriam*, subest autem pro cumulo, מרגמה *Margemah*, ex verbo רגם *Ragam*, id est, lapi-

Cicero.

32

35

33
Vatab.34
Rodol.

36

alere, aut lapidibus obruere. LXX. quibus hærent Hebræorum plerique, *fundam*, significari putant, qua lapides iaciuntur, atque adeo sic locum restituant. *Qui alligat lapidem in funda, similis est ei, qui dat insipienti honorem.* Concinit etiam Chald. *Sicut fragmentum laminae infunda.* Vulgatus aceruum, congregationem lapidum notari voluit, sed quia vox אבן *Abem*, quæ hæc subest, communis est, & omnia lapidum genera tam præciosorum, quam vulgarium adsignificat, hinc natae aliæ atq; aliæ interpretationes, sic n. plerique conuertunt. *Sicut qui mittit lapidem in margaritas*, nam vocem illam *Margemah*, propter affinitatem margaritum notare dicunt, & eius etymologiam nescio quam vestigant ex מר *Mar*, & גריח *Gariach*, id est, amarum fructum, quia nimirum vniones eliquati austerum saporem habent, sed infusa prorsus est hæc coniectura. Rursus alij per vocem illam *Margemah*, purpuram notari voluerunt, quia uinirum vox hæc concinit cum ארגמם *Argamam*, quod purpuram sonat. Itaque sic legunt. *Sicut qui ligat lapidem in purpura.* Sunt etiam qui sic restituerunt. *Sicut qui mittit lapidem in bustuarium*, quia nimirum olim busta & sepulcra aggeratis lapidibus obrui solent. Ad hæc est qui verterit. *Sicut qui mittit fragmentum testæ in lapidum aceruum.* Sed non satis allequor quid venerit in mentem tam huic, quam etiam paraphrasti Chaldaico, vt vocem אבן *Abem*, quæ hæc subest, alius *laminae*, aut, *bractæe*, alius *testæ fragmentum* conuerterit. Sunt etiam qui Theodotioni, Symm. & Aquilæ translationem vulgatam tribuant, & Hieronymum ab his mutuatum asserant, sed vnde id sumperint non liquet. Ego quidem arbitror, Hieronymum ex ipso originali textu suam translationem duxisse, nam cum verba ipsa ex Primitiuis ad vnguem expressa sic sonarent. *Sicut qui mittit lapidem in lapidationem*, supersticiosum aliquid, & ad idololatricam spectans subesse putauit: nihil verò obuium magis quam Mercurij aceruus, de quo statim dicemus. His præiacis.

37

Nostri temporis hæretici Genuenses Beza, Mercerus, & alij, ex hoc loco inuehantur in Catholicos, quod statuas diorum lapideas cultu Christiano prosequantur, vtpote qui perinde faciant, ac si Mercurij vel alterius idoli lapidea simulacra venerentur. Nam Hæretici prædicti cunctos fideles imaginum adoratores nunquam non idololatrias appellare consueuerunt, sed quam imperitè hunc locum ad eam sententiam transferant perspicuum est. illius ergo dissimiles translationes ad trutinam vocare, & quid cuique boni sensus insit, aperire aggrediar.

Rabi Him.

Rabi Himanuel locum istum sic extulit. *Sicut qui mittit fragmentum testæ in aceruum lapidum*, & c. id est, quemadmodum in magna lapidum strue testæ fragmentum non satis dispicere licet, sic etiam homo, qui dat stulto gloriam, non agnoscitur. Sordet sanè hæc expositio, vt in suo auctore iacet, potest tamen sic quodammodo excitari. Sicut testæ fragmentum in lapidum aceruum missum, aut impactum, in minutissimas particulas defringi solet, sic etiam honor insipienti exhibitus, & perperam impessus, perit prorsus, ac frustra fit. Vel aliter, sicut fragmentum testæ in lapidum aceruum validè illisum defringitur, ita vt nullis postea vsibus opportunum sit, quemadmodum apud Isaiam habes cap. 30. *Et comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione præualida, & non inuenietur de fragmentis eius testæ, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aqua de*

Isaia. 30.

A fovea. Pari profectò ratione honor statim atque insipienti, & indigno exhibetur, iam deinceps nullius est vsus, quia nullus posthac prudens ac dignus illum sibi offerri aliquo in loco ponit, quandoquidem stultis cum sapientibus communis est.

38
Rabi Ios.

Rabi Ioseph locum istum aliter conuertit. *Sicut qui ligat lapidem in purpura*, & c. id est, Princeps qui insipientem atque indignum hominem insigni aliquo honore, aut magistratu decorat, perinde facit ac si rudem lapidem purpura inuoluat: sicut enim eiusmodi lapidem purpureo inuolucro insui prorsus dedecet, sic etiam rudem atque imperitum hominem purpurea magistratum infusa conueltit, & innotari, valde indecorum est. Vide etiam an aliter comparatio institui possit. *Sicut qui ligat lapidem in purpura*, & c. id est, quemadmodum si quis pro gemmis pretiosis, quibus purpureæ vestes ornari, ac distingui solent, falsum quempiam lapidem affigat, vitium nimirum pro margarito, perperam facit, & (si licet dicere) purpuram ipsam dehonestat: ita etiam qui in aliquo dignissimo ac splendidissimo magistratu pro sapienti, & ornato viro indignum planè hominem locat, magistratum ipsum violat, & dedecore afficit. Et quidem verbum *ligo* in scriptura sacra eam vim habere consuevit, *purpura*, verò supremos magistratus innuit, quia hiantum purpura vt integrum erat. Similis quidem comparatio occurrit apud Nauium.

C Qui habet uxorem sine dote, pannum positum in purpura est. Nauis.

39

Sunt etiam inter Hebræos qui locum istum sic restituerint. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum margaritarum*, quam lectionem aliqui sic edisserunt. Sicut qui in magnum cumulum vnionem vnum aliquem denuò mittit, incrementi parum illi cumulo affert, quia nimirum vniones ferè magnitudinis perexiguæ sūt, ita etiam ex honore, quo insipiens afficitur, nihil illi dignitatis & splendoris accrescit. Sed hæc interpretatio desipit. Quapropter si per *lapidem*, gemmam intelligas in margaritarum aceruum coniectam, sic aptius locus explicabitur; Margaritæ, vel aliæ gemmæ, si inordinate iaceant, nec in suos quæque ordines digerantur, pulchritudine carent, nam gemmarum splendor, & gloria, tum maximè elucet, cum suis in locis aptè, & ordinate collocantur. Salomon ergo honorem cum margarito componit, atque sic ait. *Sicut qui mittit lapidem in cumulum margaritarum*, & c. *sic qui dat insipienti honorem*, id est, sicut gemmæ aceruatim proiectæ, nec suo in loco, & ordine posite, nulla est gratia, & pulchritudo, ita etiam honoris homini insipienti temerè oblatus nullus est splendor, aut ornatus quia nimirum suo in loco non est.

Alij per *lapidem* non gemmam aliquam, sed rudem silicem accipiendum existimant, atque locum sic edisserunt. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum margaritarum*, & c. id est, sicut ille iactu lapidis vniones in cumulum congestos dissipat, & quoque versum dispergit, sic stultum honore afficiens si quid in ipso boni aut honesti disciplina aut studio collectum fuerat, id prorsus euertit, ac dissipat. Huic etiam expositioni non assentior. Tamen, si ita libeat, per *lapidem* hoc in loco non gemmam, sed rudem, nulliusque pretij petram notari, sensus accommodatior effingi potest. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum margaritarum*, & c. id est, sicut communem, rudem, & impolitum lapidem qui iacet in margaritarum aceruum, hoc efficit, vt lapidis impolita ruditas, & turpitudò

40

cum gemmarum elegantia, & pulchritudine col-
 lata magis ac magis displiceat, sic qui rudem, &
 imperitum hominem dignitate aut honore ali-
 quo amplificatum ad sapientum cœtum assumit,
 hoc sanè præstat ut cum sapientibus compositus
 suam imperitiam, & stoliditatem magis ac magis
 prodat. Quid certius? Potest etiam sumi compa-
 ratio à falso aliquo lapide inter veros, & pretiosos
 coniecto, nimirum ex vitro margariti similitudi-
 nem gerenti inter veros vniones proiecto. Sicut
 enim vnus aliquis eiusmodi falsus lapis inter plu-
 res veros vniones locatus fidem aliis detrahit, &
 falsi quoque suspicionem illis inurit, sic etiam
 vnus aliquis stultus in senatu, concilio, aut congre-
 gatione sapientum, reliquis sapientiæ fidem abro-
 gat, & simili stultitia præditos atguit.

41 Succedat translatio Septuag. quæ sic habet.
*Qui ligat lapidem in funda similis est ei, qui dat in-
 sapienti honorem.* Pro funda Græcè *συνδόν*, quæ vox
 non vnã habet significationem, nam, & *fundam*
 sonat, qua lapides torqueri, & *palam*, qua vniones
 includi solent; easdem verò significationes fortit-
 tur vox Latina, *funda*, nam præterquàm quod in-
 strumentum illud adsignificat è funiculis confectũ
 quo in orbem rotato lapides funduntur, *palam*
 etiam aut circulum notat, quo gemmæ inserun-
 tur. Plinius. *Funda*, inquit, *includuntur perspicua,*
cæteris subicitur aurichalcum. Adde etiam ea voce
 significari sacculum, aut marsupium. Macrobius.
Demissa, inquit, *in fundam pauperem manu pau-
 los denarios protulit;* imò apud Hispanos quodlibet
 thecæ genus, quo pretiosæ res involui solent, *fun-
 da* vocatur. Sed quæres an omnes istæ significa-
 tiones in vocem originalem Hebraicam quadra-
 re possint? Ego quidem ita reor, nullam esse ex
 his, quam nomen illud, *Margemah*, sponte non
 capiat: & quidem *fundam*, qua lapides contor-
 quentur, ea voce notari, plurimorum sententia
 fert; *palam*, etiam aut *foramen*, quo gemmæ inse-
 runtur, per eam vocem significari placuit Merce-
 ro; itè *marsupium*, aut *sacculum*, in quo lapides pon-
 derum reponuntur ei nomini subesse docet ex He-
 bræis non pauci. His præfatis.

Plinius.
Macrobius.

Quæres oportet ex præmissis tribus *funda* si-
 gnificationibus quænam in translationem Lxx.
 quadret aptius? plures quidem per *fundam*, restim
 notari volunt, qua lapides rotati torquentur, ex
 his verò alij sic locum istum interpretantur. *Qui
 alligat lapidem in funda, similis est ei, qui dat in-
 sapienti honorem.* Caietanus verbum, *alligat*, strictè
 accipit hoc sensu. Quemadmodum si quis lapi-
 dem in fundæ palma arctè illigaret, frustra qui-
 fundam ipsam in girum conuerteret, & in sco-
 pum etiam frustra solueret, sic etiam frustra
 honorem impendit quisquis stulto impendit, quia
 nimirum honor is ad stultum, & insipientem nun-
 quàm peruenire, aut pertingere potest; sed tamen
 leporem non habet hæc expositio. Quapropter si
 verbum *alligat*, in ea significatione accipiatur, ego
 quidem alio sensu donarem præmissa verba, nam
 per *fundam*, ipsummet stultum notari dicerem hoc
 modo. Sicut funda lapidem sibi illigatum non ex-
 cutit, ita etiam insipiens honorem sibi exhibitum,
 nempe locum vel accubitum supremum, vel aliud
 aliquid eiusmodi, ad decorem pertinens, nunquàm
 propulsat, aut respuit, quod sæpe urbanitas ip-
 sa postulat, sed contra sibi illiberaliter sumit.
 Quasi dicat: stolidissimorum hominum est obla-
 tum sibi honorem nunquàm repudiare. Sed ne-
 que hanc interpretationem probo. Satius est di-
 cere verbum, *alligat*, sincerius accipi, ac perinde

A esse, ac si dicat, fundæ imponi. Ergo alij similitu-
 dinem ductam putant à funditore, qui lapidem in
 scopum iacit; nam vix aliquis est, qui fundam adeò
 peritè torqueat, ut in scopum lapidem absque
 errore regat, quia in orbem agitata funda sæpius
 ab scopo deuia lapidem in diuersum adigit. Haud
 aliter qui honorem stulto offert (liceat sic dice-
 re) aberrat longius, & ab scopo iactum detor-
 quet: nam cum honor solis sapientibus debeat, atque
 illos scopi loco habeat quoties ab his ad in-
 sapientes deuoluitur iactus, in indirectum fertur.
 Itaque Salomon significat, eos qui honorem sa-
 pientibus debitum stultis tribuunt, non secus a-
 berrare quàm imperitos funditores, qui vix vn-
 quàm lapidem in scopum rectè mittunt; ab his
 enim honor non tam ex electione datur, quàm ex
 temeritate excutitur. Huic etiam expositioni non
 valdè acquiesco.

B Aliquid etiam Erasmus in adagijs contulit in
 hunc locum, sic enim ait. *Qui alligat lapidem in
 funda*, &c. id est, qui stultum honore afficit, vel
 magistratu decorat, perinde facit ac si infano cui-
 piam fundam exhibeat, & lapidem fundæ pro-
 bè inserat, quem paulò post in ipsummet conuer-
 tat, à quo beneficium accepit. Ita enim ferè ac-
 cidit, ut insipientes acceptis beneficijs contra be-
 neficos suos abutantur. Cæterum non placet hanc
 sententiam in eas angustias cogi: Satius esset di-
 cere eum, qui honorem imprudenti confert,
 perinde facere ac si lapidem fundæ insertum ipsi
 in manus offerat, quo alios quoslibet in vniuer-
 sum diuerberet. Puta enim insanos vulgò dici,
echa cantos, quia nimirum lapides insanorum ac
 furentium arma sunt, quos temerè in obuios
 quosque iaciunt. Ergo sensus est: quisquis impru-
 dentem honore cumulat magistratum ei deferens,
 eum imitatur, qui infano ac furioso homini fun-
 dam præbuit, qua lapides fortius in obuios adi-
 gere possit: quasi dicat, stultum ipsum contra
 sapientes armat, ut ipsis liberius simul ac grauius
 nocere possit. Hanc expositionem libenter am-
 plecter, nisi me alia, atque alia accommodatio-
 res vocarent.

43
Erasmus.

C Diuus Ambrosius Epistola 7. ad Simplicianum
 lectionem Septuaginta aliter expendit. *Libertas*,
 inquit, *sapienti non insipienti conuenit, quoniam qui
 deligat lapidem in fundibulo, similis est ei, qui dat
 insipienti claritatem, se ipsum vulnerat, atque sibi po-
 terius, dum intorquet iaculum, affert periculum. Dein-
 de sicut tormento acerbatur, & geminatur malum
 saxu ruina, sic insipientis in libertate ruina vehe-
 mentior est.* Ambrosius ergo per honorem seu clari-
 tatem, hinc potestatem intelligit, ex qua oritur
 libertas, atque licentia: eum igitur qui hanc pote-
 statem insipienti confert, sibi utique ac stulto ipsi,
 cui honorem detulit, damna moliri affirmat. Nam
 sicut funditor rotando fundam suam ipsius caput
 percellere solet, ita etiam, qui stultum hominem
 honore afficit, damna non leuia in caput suum
 accersere consuevit: nam stulti ad honores eue-
 cti errores, & delicta ipsis adscribere, & in caput
 eius recidere solent. Item sicut lapis funda actus in
 præceps velocius ad ima fertur: sic etiam stultus
 honore, & gloria affectus grauiori deiicitur ruina:
 nam sicut lapidem funda, sic eum honor ipse ad
 ima compellit. Hæc est Ambrosij sententia, cui
 certè plurimum tribuo.

44
Ambrosius.

E Sed tamen lectionem Septuaginta duplici alio
 sensu donari posse existimo iuxta priorem istam
funda significationem. Prior sic habet. *Qui alligat
 lapidem in funda, similis est ei, qui dat imprudenti
 honorem.*

honorē. Is scilicet, qui stolidum hominem honoribus decorat, similis est funditori, qui lapidem aliquem grauem violento impetu ad sublimia impellit: nam sicut eiusmodi lapis statim pondere suo, & innata grauitate eò velocius ima repetit, quò sublimius inscenderat, ita etiam stultus cum potentiori aliquo impellente, & vim rebus afferente, ad sublimes magistratus, & honores euasit, paulò post turpissime decedit, & eò grauior est illius ruina, quò digniora prius munera capesserat. Posterior esse potest. *Qui alligat lapidem in funda,* &c. id est, sicut lapidem sibi insertum nequaquam diu funda continet, sed protinus excutit, & longius proicit, sic etiam stultus honorem sibi oblatum non seruat diu, sed quamprimum abiicit, & eò longius à se remouet, quò indignior illo dèprehenditur. Hæc de priori fundæ acceptione.

Quod si per *fundam*, aut etiam per vocem Græcam *συνδραμὴν* accipiamus, qua lapis pretiosus includi conuenit, sensus erit ille, quem nuper obtulimus. *Sicut qui alligat lapidem in funda.* i. qui virum stultum honesto aliquo munere aut magistratu donat, similis est ei, qui rudem & communem lapidem auri vel argenti pala includit. Cuius interpretationis lepōrem nuper dedimus.

47. Sin verò per *fundam*, marsupium aut sacculum capias, iuxta tertiam illius vocis acceptionem, quam voci etiam Græcæ *συνδραμὴν*, subesse constat, libentius assentiar: putò enim interpretationem Septuaginta seniorum, & Vulgatam lectionem verbis quidem dissidere, non sensu, vt paulò post demonstrabo. Est igitur *funda*, apud Septuaginta, *marsupium*, vel *sacculus*, in quo calculi rationum, aut lapides ponderum insui, & includi consueuerunt. In primis autem illud satis notum, supputationes olim calculis fieri solitas: hinc enim fluxerunt illi dicendi modi *calculari*, & *ad calculos vocare*, aut *redigere*, & alii perquam similes. Vide quæ supra seruiimus ad illa verba. *Suauis est homini panis mendacii, & postea replebitur os eius calculo.* Deinde etiam compertum est pondera, seu momenta, quibus res appendebantur, lapides appellari in scriptura, vel quia ex lapidibus certe constabantur, vel quia solidas cuiuscumque metalli partes, iuxta proprium idioma, lapides appellantur Hebræi. Vide quæ diximus supra cap. 16. ad illa verba, *Pondus, & statera iudicia domini sunt, & opera eius omnes lapides sacculi.* In quo loco meminit etiam Salomon eius sacculi, aut marsupii, quo præscriptos ponderum lapides includere olim solemne fuit. Iam tenes ortasse Salomonis mentem. *Qui alligat lapidem in funda similis est ei, qui dat insipienti honorem.* Sumitur similitudo à calculis, quibus rationes subducuntur: id est, stolidus homo digniori aliquo munere, seu magistratu honestatus, similis est calculo cuiuspiam ex his, quos in rationibus adhibere solemus: sicut enim huiuscemodi calculus cum in se ipso nullius sit valoris, aut pretii, magnam aliquando summam adsignificat, & pro magna summa supponitur: ita etiam stultus magistratu donatus, cum in se stolidus prorsus atque stupidus sit, locum tamen sapientis, & eruditi hominis tenet, ac vices Dei agit. Quemadmodum ergo si quis calculum eiusmodi alicuius magnæ summæ indicem in marsupio includat, & illud cautè adseruet, non defert lapillo quem nullius esse valoris satis nouit, sed summæ quam significat: sic etiam is, qui stultum magistratum aut principem colit, & obseruat, non quidem illum, sed Deum potius veretur, cu-

Tom. 2. Part. 2.

A ius ille vicarius est. Itaque Salomon his verbis laudet stultos etiam ineptosque Principes, & magistratus honore prosequendos esse, quia licet ipsi per se indigni sint, qui in pretio, & estimatione aliqua habeantur, tamen Deum significant, cuius vices in terris gerunt, iuxta illud Pauli ad Rom. 13. *Vis autem timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa, Dei enim minister est tibi in bonum: si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est vindex in iram ei, qui malum agit.* Et infra. *Ideo enim, & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes.*

B Sin vero per *lapides*, diuersitatem ponderum capiamus, quibus vtuntur vendentes, quos funda vel sacculo inclusi solitos constat, tum ex superiori loco. Et opera eius sicut lapides sacculi: tum etiam Deuteronom. 25. *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus.* Et Micheæ 6. *Nunquid iustificabo stateram, & sacculi pondera dolosa,* in quibus locis pro ponderibus lapides habent Primitiua, sensus aliter conformandus erit. Balances ergo atque pondera vulgari scripturæ sacræ vsu iustitiam, & æquitatem adsignificant: hæc enim res omnes ad amissim exigunt, & quod suum est cuique æqualiter appendunt. Nil certius: Nam in eo loco. *Pondus, & statera iudicia Domini sunt, & opera eius,* &c. Dei iustitia describitur, & Deuteronomii illa verba. *Non habebis in sacculo diuersa pondera,* &c. iustitiam magistratibus suadent: & locus Micheæ, *Nunquid iustificabo stateram,* &c. iniustitiam magistratuum taxat, & inculcat: erit igitur mens Septuaginta. *Qui alligat lapidem in funda similis est ei, qui dat insipienti honorem,* id est, qui homini stolido, ac rerum imperito magistratum defert, similis est ei, qui pondera & momenta, quibus res appendi, & librari solent, sacculo suo includit, & inclusa obstringit, & alligat. Certe pondera, cum aliquid librari oportebat aperto sacculo effundebantur, cum verò nihil librandum, aut appendendum suberat, in sacculum immitta claudebantur. Est igitur sententia huius loci, qui virum stultum & insipientem ad honores, id est, ad magistratum vel principatum extollit, vt ex iure publicam rem administret, perinde facit ac si pondera marsupio includat, & inclusa obliget. Quasi dicat, illo imperante nullus erit iustitiæ locus, nihil ex iure, nihil æquitate geretur, sed in omnibus summa temeritas erit. Itaque Salomon iuxta præscriptam sententiã, stultos, & insipientes homines à magistratibus arcendos propterea dicit, quia illis rem publicam gerentibus, ius & æquitas exulat. Potest etiam aliter prædicta similitudo conformari ad hunc modum. Qui magistratum homini insipienti defert, ei adsimilis est, qui pondera in funda, vel in sacculum includit. Quemadmodum verò ponderibus ad eum modum marsupio inclusis nihil libratur, & mercatura cessat: ita etiam stulto imperante nihil ex iure peragitur, vulgò dicimus *nase despachanada*, & iudicia itidem cessant, silentque. Hæc de lectione Septuaginta, quæ mea quidem sententia ad germanam translationis Vulgatæ intelligentiam plurimum faciunt, vt ex dicendis compertum erit.

49. Nostram igitur translationem in valde diuersas interpretationes compulerunt doctores, nam plerique, in his Beda, Arboreus, Hugo, de Lyra, & Glossa interlinearis, *Mercurii acervos*, lapidum aggeres, seu cumulos accipiendos putant ad Mercurii templum ex ædificandum collectos, hoc sensu. Qui hominem rudem, & imperitum rei-

Zach. 11.
Pagnin.

publice præficit, aut illi docendi munus aecommodat, non minus delinquit quam hi qui falsis idolis comportatis lapidibus delubra construunt. Nam sicut Mercurii Fanum exstruere idololatria est, ita etiam, inquit Hugo, idololatriæ quoddam genus est insipientem virum magistratum creare: inde Zachariæ II. *O pastor, & idolum*, &c. Sed tamen hæc interpretatio coacta est. Pagninus propriam lectionem ex Primitiis eliciens, à Mercurio quidem abstinet, sed tamen per *aceruum lapidum*, cumulum intelligit rudium lapidum ad ædificium aliquod attollendum coactum, Itaque sic habet. *Quemadmodum qui ligat lapidem pretiosum, & proicit illum in aceruum lapidum alicuius ædificij, qui non est locus illi conveniens sic qui dat stulto gloriam, qui gloria non est tibi in loco suo.* Hæc ille, quæ, me quidem iudice, insulsa sunt; posset tamen accommodatius aptari similitudo ab ædificio petita: nam translatio Pagnini sic habet. *Sicut qui ligat, seu mittit lapidem in cumulum lapidum*, &c. id est, Inter honorem, qui homini sapienti exhibetur, & eum qui stulto impenditur, hoc interest, quod inter lapidem, qui in ædificio affabre constructo loco aptatur suo, & inter eum qui in cumulum, & aggerem lapidum temere iacitur. Quasi dicat, honor sapienti impensus aptissime in illum cadit, & quasi lapis suo cohærens loco speciosus est: is vero qui stulto adhibetur, lapidem aliquem rudem temere in aceruum proiectum, & à suo loco emotum imitari videtur. Sed tamen hoc etiam alienum est.

61.

Hugo Cardinalis in secunda expositione, Iansenius, & recentiores non pauci, ad usum putant ad peruetustum morem apud Gentiles solemnem, qui ad statuas Mercurii, quæ in triuis defigi consueverant, lapidum aggeres accumulabant: Aiunt etiam viatores religione inductos lapides ad eum modum circa Mercurii statuas exaggerare solitos, quia nimirum illi Deo, quem viis regundis præesse credebant, placere se putabant si vias collectis lapidibus purgarent, & ad iter agendum commodiores redderent. Eiusmodi vero aceruus lapidum Græci *Hermaçæ Hermacæ* appellabant. Nicander in Theriacis Hermacarum meminit, eiusque Scholiastes sic addit. *Hermacæ Poëta appellat lapides aceruatos in honorem Mercurii.* Helychius etiam hæc habet. *Mercurialis aceruus significat cumulos lapidum Mercurii, quos in viis aceruabant in honorem illius Dei.* Proferri etiam solent ex lib. I. oraculorum Sybillinorum versus duo, qui ex Græcis ad verbum redditi sic habent.

Nicæder.

Hesychius

*Saxeæ signa, & simulachra manu fabricata,
Et passim in via proiectos lapidum aceruos.*

Frustra hic plura de hoc veterum more cum nulli non compertus sit. Nollem præterea operam & laborem ludere in quæstione illa disceptanda, an istiusmodi lapidum acerui ad statuarum pedes accumularentur: an seorsum in viis non longe ab illius Dei simulachris aggeres attollerentur, id enim leuius est. Ergo iuxta præfatum morem locum istum præfati auctores edisserunt. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurii, sic qui tribuit insipienti honorem*, id est, qui stultum ac stolidum hominem honore prosequitur, similis est viatori, qui Mercurii simulachrum in triuis defixum lapidis iactu colit. Huius sententiæ energia talis est Primum rem inutilem omnino præstat. Sicut enim idolum delatum sibi cultum non sentit: sic etiam stultus impensum sibi honorem nec percipit, nec æstimat, in xta illud Ecclesiastici 30. *Quid proderit libatio idolo, neque enim manducabit, neque odora-*

Ecc. 30.

bit, &c. Secundo iste cultus ad eum modum statuarum impensus homini indecorus est. sicut enim dedecet hominem ratione præditum, lapidem, aut stipitem inanimatum colere: ita etiam stultum honorare viro sapienti indecorum videtur: nam stultum venerari perinde est ac lapidi seu stipiti procumbere. Augetur vero energia huius significationis: nam cum veteres olim Mercurium suum pedibus, & brachiis truncum expingere, & deformare solebant, homines inutiles, stolidos mente captos, & rerum imperitos, ligneos Mercurios vulgò appellabant. Hinc est illud Iuuenalis quod in hominem imprudentem ac stupidum iecit Satyra octaua.

B

Actu

Iuuenal.

*Nil nisi Cecropides, truncosq; simillimus Herma,
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua viuit imago.*

Iam intelligis quàm apta cadat præscripta similitudo in rem significatam hoc sensu. Qui bardum hominem honore afficit, similis est illi, qui aliquod Mercurii simulachrum vndequaque truncum reueretur: talis enim est homo stultus veluti quæpiâ brachiis ac pedibus detruncata effigies tanquam ligneus scilicet, marmoreusue Mercurius ad agendum gradiendumque ineptus.

Hanc interpretationem incusant nonnulli, propterea quod ex gentili superstitione petitur: absurdum enim existimant Salomonem, res adeo profanas, & exoticas diuinis inseruisse. Cæterum hæc obiectio inanis est. Neque enim insolens est sacris scriptoribus profana usurpare: nam ex gentilitio ritu desumptum est illud Ecclesiastici 30. *Bona abscondita in ore clauso, sicut appositiones epularum circumposita sepulchro.* Illud quoque ex superstitione gentilitia petitum Eccles. 12. *Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & his qui appropinquant bestiis?* Et alia passim. Accedit etiam Hebræorum auctoritas, qui loci huius interpretationem ex præscripta gentium vanitate desumunt. Hi sunt Rabi Elias in Tisbi, Rabi Natham in lexico iuris Hebræorum Rabi Ismaël in Gemara.

Ecc. 30.

Quod si hoc non satis arduet audiendus est Hameris in Gesim, cui hærent recentiores alii, qui vti locum istum ab omni superstitione purget, docet non solum illos lapidum cumulos, & aggeres, qui Mercurio sacri erant, Mercurii aceruos olim dici solitos, sed quilibet in vniuersum lapidum strues, eo nomine cenferi, quia nimirum ex superstitionis ad communia & minime superstitionosa vocabulū migravit: colligunt autem hoc ex Strabone, alij legantque Homerum in Odisea circa finem, & consensum etiam lexicorum ad vocem illam *epuatores*. Aiunt ergo locum istum non quidem signate de aliqua lapidum congerie in Mercurii honorem ex religione coacta, sed in vniuersum de quolibet lapidum cumulo capiendum esse hoc sensu. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurii, &c.* Is scilicet, qui stulto honorem præstat, similis est ei, qui in magnum lapidum cumulum lapidem pretiosum conicit. Sed huius expositionis sententia insulsa est, vt supra adnotavi. Quapropter si locus iste de quolibet in vniuersum lapidum aggere capiendus erit, aliter ego interpretor hunc ad modum. Quisquis honorem, id est, magistratum, & imperium homini stupido, & imperito defert, perinde facit ac si præ magno lapidum aggeri lapidem imponat: cumulus enim lapidum aliquid significat ordine ac lege omnino carens. Quasi dicat ille, qui imperito homini imperium demandat, omnem reipublicæ ordinem contumpit.

62.

& illam, (liceat sic fari) in rudem quendam, indigestum, omnique lege carentem hominum aceruum conuertit. Nam bonus rerum publicarum ordo hoc postulat, ut sapientes imperitis, & insipientibus imperent, ita quidem ut illi præsent, & isti subter iaceant, quapropter si stulti promiscue ad imperium assumantur, ordo perit, & res publica, liceat sic dicere, fit hominum, non aliter atque lapidum aceruus, in quo videas lapides nullo discrimine proiectos, siue magni sint, siue parui, siue utiles sint, siue pretiosi, temere & confusè alios iacere subter, alios desuper imponi.

63.

Cæterum, quamuis inter superiores expositiones aliquæ sint non inelegantes, tamen, ni fallor, alia est Salomonis mens, puto enim nostram lectionem ad eam sententiam esse reuocandam, quam reddit translatio Septuaginta supra à nobis data; nam ut ut aliàs non semel dixi, ad vtriusque translationis concordiam ab interprete nunquam non enitendum est. Diuus Thomas 2. 2. quæst. 63. articulo 3. quem sequutus est Hugo Cardinalis in tertia expositione, & Lyra in secunda, per aceruum Mercurii numerarios calculos, seu lapillos accipiendos existimauit. Verba sancti Thomæ sic habent.

D. Thom.

Principes & Prelati honorantur, etiam si sint mali, in quantum gerunt personam Dei, & communitatis, cui proficiuntur, secundum illud Prouerb. Sicut qui mittit lapidem, &c. Quia enim Gentiles ratiocinationem attribuebant Mercurio, aceruus Mercurii dicitur cumulus ratiocinii, in quo mercator aliquando mittit unum lapillum loco centum Marcarum: Ita etiam honoratur Prelatus, qui ponitur loco Dei, & loco totius communitatis, etiam si improbus fortasse sit. Hæc Diuus Thomas, quæ cum altera interpretatione, qua supra translationem Septuaginta donandam censuimus, omnino concinunt, cum ea scilicet, in qua per fundam, sacculum, vel marsupium capiendum diximus, quo numeratorii calculi includebantur. Et sane Mercurium mercatorum Deum, & mercium præsidem fuisse tradit Cæsar libro 6. de bello Gallico vbi sic habet.

Cæsar.

Hunc ad questus pecunia, mercaturamque habere vim maximam arbitrantur. Lege Fulgentium Carthaginensem in Mythologia libr. 2. Adde etiam Platonem in Phædro, vbi sic Socrates: Audiui equidem circa Naueratem Aegypti, prisorum quædam fuisse deorum, cui dicata sit auis, quam Ibis notat; Deo autem ipsi nomen Theuth, hunc primum numerum, & computationem inuenisse, Geometriam, & Astronomiam, talorum insuper, alearumque ludos, litteras, &c. Et sane Theutem istum non alium fuisse quàm Mercurium, longa oratione comprobatur Gyraldus Syntagmate 9.

Plato.

Plautus.

Item Epignomus adolescens apud Plautum in Astico sic habet. Cum re bene gesta saluus reuertor domum, Neptuno grates habeo, & tempestatibus, Simul Mercurio, qui me in mercimoniis inuit, lucrisque quadruplicauit rem meam. At, inquit, Ianfenium interpretationem istam deridiculam appellasse in d. vel ex eo deridendus ipse, quia de grauissimorum doctorum expositione tam seuerè censuit. Obiicies etiam Mercurium falsum gentiliū Deum parūm decenter à Salomone hic adscribi. Hæc tamen obiectio facile diluitur, si dicamus, olim vulgari cognomine mercatores ipsos à

Fulgētius.

Mercibus Mercurios dici solitos. Ita docet Fulgētius Carthaginensis in Mythologia. Omnis, inquit, negociator dicitur Mercurius, quasi mercium suarum curam habens. Lege Gyraldum loco citato. Itaque integrum erit hoc dicere, aceruum Mercurii, perinde esse atque aceruum mercatoris,

A sublata omni superstitione Gentilitia. Id autem verbi vsurpatum à vulgato interprete pro re nota, quamuis alioqui nomen à superstitione deriuatum fuerit. Adde etiam id quod nuper adscripsi, auctores sacros nonnunquam etiam ethnica, profana, & superstitiosa ad aliarum rerum similitudinem vsurpasse.

Hugo Cardinalis tertiam expositionem ab his 64. calculis exquirat, quos Mercurio sacros diximus, alium tamen sensum comminiscitur. Mercurius, inquit, Deus est mercatorum, qui solent computare per lapillos, quibus si aliquis iaciat lapillum aliquem, tota computatio turbata, & reincipienda est: ita cum insipienti datur prelatio, vel officium docendi, totum turbatum est, &c. Lyra etiam propriam excogitauit accommodationem. Mercurius, inquit, apud

B *Gentiles dicitur ratiocinationis Deus: ratiocinatio vero computus dicitur, in quo antiquitus utebantur homines lapillis, & frequenter ille lapillus, qui ponebatur pro vno solido, amouebatur de loco suo, & ponebatur pro vna libra, vel pro viginti, vel pro centum: Sic insipiens, qui debet esse in infimo loco, ponitur aliquando in loco, & statu valde honorabili, & est in magna hominum reputatione, quamuis in se nihil plus valeat, quàm ante: sicut lapillus pro centum libris positus non plus valet in se, quàm positus pro solido, vel denario. Sed licet hæc etiam non inelegantes sententias cohibeant, tamen expositionem Diui Thomæ libentius amplector, quia cum translatione lxx. melius cohæret.*

C

Sed tamen illi expositioni non vsque adeo multum tribuo, ut non putem illam alteram præferendam esse, qua supra etiam translationem Septuaginta seniorum donauit ex ponderibus desumptam.

Constat enim, mensuras, & pondera Mercurio etiam adscribi, non solum quia illi sacra, sed etiam quia eorum, quemadmodum, & numerorum, primus inuentor credebatur. Ita scribit Gyraldus in Mercurio Syntagmate nono, ex Diodoro, & ex Plauto. Igitur Mercurii aceruus, omnem ponderum diuersitatem in vnum collectam adsignificat in hoc loco, atque adeo sententia erit ei similis, quam supra dedi. Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurii. Certe Mercurius nomen est illius Dei, qui ponderibus præesse vulgò existimabatur, aut nomen mercatoris, id non curo, orationes nuper confectas. Sensus ergo sic habet. Quisquis stulto homini magistratū aut imperium defert, ei ad similes, qui lapides, hoc est pondera, quibus res librari, & appendi consueuerunt, non quidem ad librandum adhibet, sed in aceruum cogit, ac colligit, quod tantundem valet, atque illud, in fundum, vel in sacculum includi, ut ad lectionem lxx. nuper diximus, id est, hoc efficit, ne quid exacte, & ex iure, & iustitia peragatur, sed quasi sublatis, remotisque ponderibus omnia temere, & confuse fiant. Vel hoc præstat ut quemadmodum sublatis ponderibus mercatura cessat: ita quoque iudicia cessent, fora sileant: relege ea, quæ supra scripsimus.

D

E

IX. Quomodo si spina nascitur in manu temulentis, sic parabola in ore stultorum.

Quomodo, &c. Hebraicè. Spina ascendit in manu ebrii, & parabola in ore stultorum. Ascendit utique pro crescit, aut germinat vulgari Scripturæ loquendi modo. Noster interpres particulam comparantem apertè

66.

ptamissit. lxx. Spina nascuntur in manu temulenti, seruitus vero in manu imprudentum. Ambrosi. infra. In manu inebriosis. Extremæ clausulæ translationem peperit anceps significatio verbi *למח* quod *parabolam & dignitatem*, seu, *imperium* sonat, vt aliàs à me obseruatum est. Nam cum locus iste iuxta posteriorem illius nominis significationem ita effecti posset ad verbum, *Sic imperium in ore stultorum*, lxx. verba omittentes, & sensum tenentes illud expresserunt. *Seruitus in manu imprudentum*. Chaldaus. *Spina ascendit in manu ebrii, & stultitia in ore stulti.*

Ambros.

Vt igitur à lectione lxx. initium faciam, hanc certe Diuus Ambrosius libr. 2. Epistola 7. subiectis verbis enucleauit. *Recidenda, inquit, insipienti potestas, non adicienda libertas est, seruitus enim ei conuenit, ideoque adicit Salomon, spina nascuntur in manu inebriosis* (hoc est valde ebriosis) *seruitus autem in manu imprudentis, quia sicut ille suis vulneratur poculis, ita insipiens suis factis: ille bibendo se peccato inserit; iste operando se culpa adiudicat, & factis suis trahitur in seruitutem*. Itaque Diuus Ambrosius seruitutem accipit passiuè hoc sensu, *seruitus in manu imprudentum*, id est, imprudentes, ac stolidi sui ipsi imprudentia, & stoliditate seruitutem sibi creant. Vtramque vero partem sic consuit sanctus doctor: Sicut temulentus suis se poculis seu spinis quibusdam configit, & à vino, quo obrutus est, obtinetur, ac regitur, sic etiam imprudens homo suis se factis consauciat, & seruituti miserime adiudicat.

67.

Sed licet hæc idonea videatur expositio, tamen Septuaginta interpretes seruitutem non passiuè, sed actiuè potius accepisse putant. Ita vt sensus sit. *Seruitus in manu imprudentum*, id est, imprudentes, cum aliquando imperium nacti sunt, subditos perinde regunt, ac seruos, & mancipia. Sudent hoc Primitiua, quæ sic ad verbum offerenda esse supra dixi. *Imperium in ore stultorum*. Quapropter Septuaginta virtutem horum verborum exprimentes apte admodum conuerterunt. *Seruitus in manu imprudentum*, qui per manum, imperium accepisse videntur hoc sensu. In stultorum imperio non liberalis subiectio, sed seruitus miserime imponitur subditis. Sed tamen non satis assequor quæ ratione iuxta dictam sententiam hoc posterius hemistichium cum priori cohæreat; nisi forte dicamus, per *spinas* hic (vt nonnulli visum est) intelligi stimulos, & aculeos, quibus agalones, muliones, aut bubulci animalia pungunt, & ad laborem exacuunt, ita vt sensus sit, *Quemadmodum bubulcus (verbi causa) ebrietate correptus, ac mente emotus, stimulum manu tenens boues assiduo figit, ac refigit, confodit, fauciaturque, donec illos prosternit, ac conficit; ita etiam stultus nactus imperium cum subditis seruiliter atque illiberaliter gerit, eosque assiduo opprimit, ac conterit.*

68.

Cæterum Ambrosio potius assentior, qui seruitutem passiuè usurpauit. Nec recedit Ambrosij meus ab originali lectione: nam si Origines ad eas, facile agnosces ita conuerti posse. *Imperium in ore stultitia*, id est stultos decet aliorum imperio parere. Sensus igitur translationis lxx. (me iudice) talis est, *Spina nascuntur in manu ebriosis*. In Primitiuis pro *Spinis*, subest vox *מח* *Coch*, quæ non *spinam* solum, sed compedes, & manicas ad captiuos illigandos, sonat, vt docet Mercerus: adde etiam catenas, circulos, hamos, & quicquid adstringit ac coercet. *Coch* (verba sunt Merceri) *Spinam significat è terra natam, vel artificialem ex*

Mercerus

A ferro qua quis captiuus detinetur. Puta ergo lxx. interpretes hic *spinam* conuertisse, tamen sub eadem metaphora, qua accipitur in Originali lectione, scilicet pro manicas quibus captiuus detinetur, quod sæpe aliàs illis solenne est. Rursus verbum illud, *nascuntur*, non ita capiendum, vt sonat, sed ita vt cohærentiam, & conuenientiam significet; sic apud nostrates vulgo dicitur. *Esto viene nacido aqui*, id est, apud istum cohæret: sed & Latini eodem modo, *aprum natumque* dicunt quidquid accommodatum, & appositum est. Ait ergo Salomon, *Spina nascuntur in manu ebrii*, id est, vincula & manica aptæ natæque ipsi eueniunt. Quasi dicat. *Al borracho le vienen nascidas las esposas y las prisiones*, ne si liberas, & solutas habeat manus, obuios quosque feriat. *Seruitus vero in manu imprudentum*. Id est, ad eundem modum stultorum manus seruitute coercendæ sunt, ne libertatem, aut imperium nacti aliis noxii ac molesti fiant.

B Vulgaram lectionem aliis atque aliis interpretationibus donant auctores: perstringam nonnullas. Ex Hebræis aliqui, quos refert Baimus, sic aiunt. *Quomodo si spina nascatur in manu ebrii, &c.* id est, quemadmodum est aliquod spinatum genus, quod ab ebrioso manu acceptum, & gestatum hominem reddit sobrium: sic parabola in ore stulti, illum ex stulto sapientem reddit. Hæc Baimus, qui huius spinæ genus non obseruauit. Vide tamen an spina isthæc illa sit, de qua Plinius libro

Plinius

C 13. capite 24. ita scribit. *Non omittendum est, inquit, & quod Babylone seritur in spinis, quoniam non alicubi vinit, sed illud in spina tantum, qua regia vocatur, mirum quod eodem die germinat, quo iniectum est: iniicitur autem ipso canis ortu, & celerrime arborem occupat, condunt eo vna, & eo serunt.* Auctor historiarum generalis plantarum censet ideo eiusmodi spinam, aut innatum ipsi gummi, ad vinum mulcendum adhiberi solitum, quia refrigerandi vim habet, atque adeo ne caput tetter, vini potentiam obundit. Hinc ergo illi Hebræorum magistri Salomoni lucem afferre conati sunt ad hunc modum. *Quomodo si spina ascendat, vel, crescat in manu ebrii* (sic enim ad verbum offerenda sunt Primitiua:) quibus verbis ad præcelerem illius spinæ germinationem non sine emphasi adlusum quibus putare potest: nimirum eodem quo iniicitur, die ocyus germinat, & succrescit. Itaque sensus est. *Quemadmodum si viro ebrioso, & temulento opportune, & veluti in manu, ipsa ocyus succrescat spina regia ad vinum mulcendum, & illius macerandam hebetandamque vim, ne caput inuadat: sic parabola in ore stultorum, id est, ad eundem modum grauis aliqua sententia, vel doctrina ab stulto recitata, & usurpata, illum ocyus ab stultitia ad sapientiam traducit.* Itaque Salomon iuxta hanc interpretationem probæ doctrinæ potentiam, & virtutem aperit, quæ scilicet, non secus stultum, & vecordem hominem ad sanam mentem euocat, quam regia spina vino immersa ebriosum hominem à temulentia seruat. Cæterum hæc longius petita, & deriuata videntur.

E

Caietanus ergo, cui hæret etiam Iansenius, 7. similitudinem aliter conformat. *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti, &c.* id est, veluti si ebrius quispiam ad florem carpendum accedens spinam decerpit, deridendum se aliis offert: ita etiam si stultus grauius aliquod problema, aut digniorem sententiam usurpet, audientibus risum mouet. Expositio ista, me iudice, marceat proflus.

ac languescit: quapropter si ex aliquo flores legente, aut carpente, similitudo ducenda foret, sententiam ego aliter conformarem hoc modo. Quemadmodum ebrius ex spinoso rosario florem carpens, dum spinas evitare nescit, manum pungit, ac fauciat; sic etiam stultus, qui doctam aliquam parabolam, seu florem quempiam, usurpare audeat, semetipsum ab illius aculeis configit; nam cum per sanam, vtilemque doctrinam sua vitia deprehendat, ab his certe rea mens compungitur, & fauciatur. Nil certius; sed huic etiam interpretationi non acquiesco.

70.
Baynus.

Baynus similitudinem aliter instituit. Sicut ebrius, inquit, spinis facile decipitur, atque adeo incaute illas apprehendens, manibusque premens pungitur; ita etiam insipiens eruditam parabolam assumens non corrigitur, sed deterior efficitur. Iacet etiam hæc expositio, atque adeo illam excitare operæ pretium erit: sic ergo præfatam similitudinem aptandam puto. Quemadmodum ebrius sentes, manibus premens non sentit, cum tamen à sentiendo sentes dicantur, quia vel leuiter tactæ sensum ledunt; ita etiam stultus ex sermone, & doctrina quam usurpat, compunctionem nullam elicit, quamvis bonæ doctrinæ nihil magis proprium sit, quam cor penitus peruadere, & animi sensa configere. Vel aliter; sicut ebrius spinas manibus comprimens initio quidem nullum dolorem percipit, sed tamen subinde ad se rediens exulceratus, aut fauciatus dolere incipit; ita etiam stultus parabolam assumens, quamvis initio fortasse verborum virtutem non percipiat, ac sentiat, tamen paulò post per ipsammet doctrinam ad resipiscendum, & sensum adducitur: & sermonis boni vim, & efficaciam concipit. Hæc etiam non admodum solida sunt. Beda, & Strabus, præfatam temulenti similitudinem sic adaptant. *Spina nascitur in manu temulenti*, id est, ex operibus eius, qui carnalibus illecebris delinitus inebriatur, & quodammodo à mente excedit, compunctiones scelerum suboriuntur. Non aliter parabola, quam stultus usurpat, aut illum, aut proximum configit. In hæc expositione, & comparationis energiam, & accommodationis aptitudinem desidero.

Beda.
Strabus.

71.

Quapropter alias expositiones subscribere est animus, & lectori optionem dimittere. Obseruare autem oportet nomen Hebraicum *משל* Masal, & Latinum *parabola*, non modò sententiam aptam & concinnam significare, sed etiã *opprobrium*, & *conuiuium* in aliquem coniectum, vt supra cap. 11. versu 1. late persequutus sum. Psalm. 68. *Et factus sum illis in parabolam*. Secundo Paralipomen. septimo. *Tradam eum in parabolam*. Hieremix vigesimo quarto. *Et dabo eos in vexationem affectionemque omnibus regnis terra, in opprobrium, & in parabolam*, &c. Deinde etiam id, quod *spina in manu temulenti nasci*, aut *succrescere* dicitur, dupliciter capi potest, vel ita vt temulentus ipse spina configi: vel ita quod ad alios pungendos, & lacerandos spina vti dicatur: vtramque enim significationem verba sustinent. Iam ergo sic ait: si nomine parabolæ, *conuiuium* accipiamus, duplicem sensum hæc verba reddent iuxta duplicem spinæ acceptionem præscriptam. *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum*, id est, conuiuium ab stulto in alios prolatum nequaquam ad illos transit, in quos iacitur, sed velut spina, ipsummet stultum infigit, ac refigit. Quod autem addit, *in manu temulenti*, emphasi non caret; nam

Psal. 68.
2. Para 7
Hier. 24.

perinde est ac si dicat, veluti ebrius spinam manu premens eam sibi altius infigere. & immergere solet: & quam initio non sentit, postea ad se rediens exulceratus percipit; ita etiam stultus conuiuium iactans semetipsum aculeis suis confodit, & quamvis initio fortasse puncturas non sentiat, paulò post, vt æstus ille deferbuit, mirum in modum dolet, ac cruciatur. Ad hanc sententiam pertinet illud Senecæ in libro de moribus. *Multi cum aliis maledicunt, sibi ipsis conuiuium faciunt*. Quod si spinis, & sentibus ad alios pungendos temulentum vti dicamus, sensus aliter conformandus erit. *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti, sic parabola in ore stultorum*: id est, conuiuium in ore stulti perinde se habet, sicut spina vel stimulus in manu ebrii; sicut enim ebrius stimulum manu tenens obuios quosque pungit ac perfodit, ita etiam stultus conuiuiorum aculeis proximum quemque sine discrimine perforat. Itaque Salomon stultorum esse dicit conuiuia in alios passim iactare, & proximos quosque sine delectu probis configere.

Seneca.

Sed quamvis præfatæ expositiones lepore non careant, tamen satius est per parabolam hic acutam, doctam, elegantemque sententiam capere, vt communis fert interpretum consensus, iuxta quam acceptionem duæ adhuc occurrunt interpretationes. Prior sic habet. Sane verba doctæ à Sapiente prolata cum stimulis, & clavis contulit Salomon Eccles. 12. *Verba sapientum sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi*. Quia nimirum auditorum corda pungunt, & animos penitus confodiunt. Hinc ergo præfata verba lucem accipiunt. *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti*. Per spinam aculeum, aut stimulum concipe. q. d. quælibet doctæ, vtilisq; sententia stimulus est, vel aculeus animum audientis configens: cum vero illam insipiens quispiam imprudensque homo dicat, aut recitat, similis est stimulo, siue aculeo in manu ebrii: sicut enim ebrius quispiam, verbi causa, stimulo boues agens, eo quidem abutitur, atque adeo boues assiduò, & intempestiue configens, vrgensque proritat potius, & detorquet quam dirigit, & recta impellit, sic etiam imprudens homo doctrinam bonam usurpans, & illa abutens, dum eam temere effutit, atque loco, tempori & personæ minime adaptat, auditores suos non tam promouet, quam concitat, & ad indignationem vrgit. Itaque Salomon hoc exprobrat homini insipienti, & stulto, quod bona, vtilique doctrina, quæ ad dirigendos, promouendosque audientium animos per se conducit, ad eosdem detorquendos, & distrahendos abutatur.

Eccles. 12.

E

Posterior autem interpretatio hoc postulat, vt memoria succedant ea, quæ nuper ad lectionem Septuaginta interpretum præfatus sum, scilicet vocem originalem, quæ hic *spina*, subest, vincula, compedes, manicas, & quicquid captiuos vtrumque illaqueat, sua significatione complecti, iuxta illud Merceri. *Non modo significat spinam e terra natam, sed etiam artificialem, qua quis captiuus detinetur*, quod ex Rabi David Kimhi in libro radicum desumptum est. Quibus statutis sensus verborum talis est. *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti*, &c. per spinam intelligo ferream illam, qua manus vinciuntur, & illicantur. Ad hæc certum est, temulenti hominis pedes imbecilles vsque adeo reddi, vt gressus regere non possit. Hinc Seneca in libro secundo de Clementia, *Ebrietatis compedes dixit*. Sed licet

Merceri.

Seneca.

pedes ad eum modum ebrietas implicet, manus nihilominus valide ac robustæ sunt; quapropter si hæc etiam manibus adalligentur, ebrius certe veluti truncus manibus pedibusque captus concidit. Iam intelligis quò tendam? sicut ebrius, inquit Salomon, qui alioqui pedes mero deuinctos habet, manibus etiam ferro deuinctis, ceu truncus, iacet: ita etiam stultus parabolam vsurpans, (accommodationis non vna facies) Nam vel sic ais, ita etiam stultus, & stolidus homo ad explicandam enodandamque parabolam, ceu truncus hæret. Vel, quod satius reor, per *stultum*, iuxta solemnem huius libri phrasim, hominem improbum intelligit Salomon hoc sensu: vir improbus, & iniustus, etiam si doctrinam bonam, & vilem ore vsurpet; & mente concipiat, similis tamen est temulento, cuius pedes merum abstringit, & manus quoque vinculis coercentur, id est, doctrinæ nequaquam obsequitur, & quasi manibus pedibusque captus, nec secundum illam graditur, nec secundum illam agit. Hæc de loco difficili.

X. Iudicium determinat causas, & qui imponit stulto silentium, iras mitigat.

74.

Iudicium, &c. Mirum est quanta sit in hoc loco lecti onum similitudo. Primitiua sic habent ad verbum. *Magnus formans omnia, & mercedem dans stulto, & mercedem dans transgressoribus*, sunt qui interpretem vulgatum vellicent, quasi omnino Hebraicas origines deseruerit; sed tamen ab hac iniuria præclare vindicat illum Iansenius; nam Hebræa verba prioris hemistichii quemadmodum dispuncta sunt, sic habent, רב מהולל כל *Rab, Mecholel, col*, cum ergo Vulgatus codices habuisset minime dispunctos, in primis quidem pro רב *Rab*, transtulit רב *Rib*, quæ vox iudicium sonat. Adde etiam verbum כלל *Chalal*, non tantum significat *creare, & formare*, sed etiam *dissipare, ac vincere*: Vulgatus ergo posteriorem significationem prætulit, atque adeo sic locum effendum putauit ad verbum. *Iudicium vincit omnia*, deinde vero verba omittens, & sensum latentem excitans, sic demum conuertit. Iudicium determinat causas. Posterius hemistichium in originibus sic iacet, ושרר כמיל, ושרר כמיל, ושרר כמיל, *Vesocher, Chesel, ve Socher, Ghibrim*. In primis ergo pro voce illa *Socher*, quæ semel, & iterum ponitur, in posteriori loco, Vulgatus legit שבר *Scober* à verbo *Scabar*, id est *conterere, aut macerare*; quod ex affinitate duarum literarum *Caph, & Beth*, venire potuit. Item verbum *Sachar*, ex quo fit *Socher*, quod priori loco adscribitur, efferendum putauit non quidem per literam ט, sed per literam ס, ad hunc modum סכר *Socher*, ex radice *Sachar*, quæ significat *obstruere os*, Psalm. 62. *Et obstruetur os loquentium iniqua*. Iuxta quam significationem Vulgatus sic locum efferendum putauit. *Et qui ponit stulto silentium*. Denique vox עברימ *Ghibrim*, id est, *stulti*, affinis valde est voci עברה *Ghebra*, quæ iram adsignificat.

75.

Rursus Septuaginta interpretes à Vulgata lectione longius abire videntur, & ad Hebraicas origines reuocari vix possunt; sic enim habent. *Multis procellis iactatur omnis caro imprudentum, conteritur enim ecstasis eorum*. Sed tamen si suspicioni indulgere fas est, dicendum erit, ex diuersis huius verbi כלל *Chalal*, significationibus, al-

A teram quidem ad ventorum vim significandam referri; hinc est illud. *Ventus Aquilo dissipat nubes*, id est, illas impellit vi sua. Item vox illa, רב *Rab*, quæ *magnum* sonat, solè aliquando sumi pro *multum*. Itaque Septuaginta sic verbum ex verbo exprimendum putarunt. *Multum impelluntur omnes stulti*. Verba autem omittentes, ac sensum tenentes sic transtulerunt. *Multis procellis iactatur omnis caro imprudentum*. Quod vero statim at-textunt, *conteritur enim ecstasis eorum*, *ecstasis* quamcumque mentis alienationem significat, siue ex infania, siue ex iracundia, siue ex quacumque alia causa procedat, hic tamen ad iracundiam reuocari puto, vt sensus propius accedat ad

B Vulgatam. Quapropter aliqui perperam reddiderunt, *Conteritur enim extensio eorum*. Chaldaeus integram locum sic restituit. *Multum dolet caro stulti, & ebrius transit mare*. Quam lectionem ad Primitiua etiam reuocare operosum non esset. Tigurina. *Egregius aliquis, ac magnus vir conficit per se omnia, stultus autem mercede con-ducit transgressores*. Vatablus vero sic reddidit. *Princeps coercet omnes, & premium stulto, & dat premium transgressoribus*. Caietanus. *Magnus creator omnium, & mercedem dat transgressoribus*. Theodotus. *Frenans imprudentem frenat iras*. Symmachus. *Qui cohibet imprudentem obstruit iras eius*.

Missas facio quasdam valde insulas Rabinorum interpretationes huius loci, quas partim re-

C fert Rodolphus, partim Pagninus, qui cum in id prorsus incumbere, vt verba isthæc, aut antecedentibus adiungerent, aut consequentibus agglutinerent, inconcinna prorsus absurdaque dixerunt. His ergo prætermisissis Caietan. lectionem illam, quam extremo loco subiecitimus, hunc ad modum interpretatur. *Magnus creator omnium, & mercedem dat transgressoribus*, id est, *Deus Optimus Maximus omnes quidem tam bonos, quam malos omnipotentia sua formauit atque effinxit, atque adeo non solum ad illum pertinet probis, & iustis præmium appendere, sed nonnunquam etiam improbis pro quibusdam honestis actionibus, in quibus sese exercent, mercedem aliquam temporalem persoluere*. Caterùm hæc expositio præterquam quod à Vulgata lectione longius abhorret, satis insulsa est. Quapropter si cuiquam videatur hic de Deo sermonem haberi; sensus certe talis erit. *Magnus format omnia*, id est, *Deus*, qui solus maximus existit, rerum omnium formator ac conditor est, atque adeo eius erit delicta vlscisci, & iustas de transgressoribus pœnas exposcere. Et quidem apte admodum Deo, qua creator est, delictorum ac scelerum ultionem tribuit Salomon, quia per hominis delicta ac scelera, omnia illius opera viciantur quodammodo ac læduntur. vel aliter, dicemus quidem Salomonem nomine *mercedis*, victum ad tuendam vitam necessarium accepisse; ita vt sensus sit. *Deus Optimus Maximus, cum sit omnium formator & conditor, omnibus, quidem, etiam improbis, mercedem, hoc est, necessaria ad vitam tuendam suppeditat*. Quod si hæc expositio non displiceat addendum est, Salomonem eò spectasse, vt hoc Dei exemplo hominibus suaderet, ne improbos, & sibi quomolibet iniurios, aut nociuos homines suis beneficiis defraudare velint. sed hæc etiam aliena videntur.

Longe melius & aptius Vatablus, & Mercerus hic per *Magnum*, supremum Reipublicæ

77.

Principem capiendum existimant, sed non eodem sensu. Nam Mercurius sic habet. *Magnus format omnia, & mercedem dat transgressoribus*, id est, Principis est Rempublicam bonis legibus atque institutis informare, & his, qui latas leges transgressi fuerint, pœnas pro meritis infligere. Itaque boni Principis duo officia, seu munera, complectitur Salomon, scilicet leges viles ferre, & violatores earum graviter punire. Nam bonæ directioni adiuncta debet esse coactio. Nil certius.

Vatablus autem sic edisserit. *Magnus vir conficit per se omnia, stultus autem mercede conducit transgressores*, id est Princeps quilibet prudentia præstans, ea, quæ per semetipsum exequi potest, ministris ne quaquam committit, aut demandat: at verò gubernator imperitus per seipsum nihil præstat, sed ministros improbos pretio conducit, hisque magno cum reipublicæ totius detrimento administrationem permittit. Vel aliter, *Princeps coercet omnes*, sic priorem partem restituit, id est, omnes in officio continet, dat, scilicet, *præmium stulto, & dat præmium transgressoribus*. i. improbum quemque ac legum temeratorem pro meritis mulctat. Hæc illi, quæ ideo aliorum sententis præferri debent, quia propius ad Vulgatam lectionem accedunt, ut statim patebit; sed antequam ipsam executionem aliquid circa superiores lectiones committere libet.

In primis vox illa *רב Rab*, quæ hic subest, non magnum solum, sed etiam (liceat sic dicere) *multum*, ac *multiplicem* notat, quod Principis, aut Prælati officium apprime declarat, qui quoad fieri possit, non vnus aliquis homo, sed multiplex esse debet, ut omnia formet. Itaque sic accipe, Princeps ad omnes informandos non vnū quempiam hominem agere, sed multos expedit; nam probis mitem, improbis seuerum se exhibere, & pro singulorum moribus alium atque alium hominem inducere debet. Lege Nazianzenum Oratione 2. Apolog. contra Iulianum, vbi postquam multorum hominum cœtum, & communitatem cum multiplici & varia quadam bellua ex naturis dissimilibus, ac contrariis coalescente composuit, ex quibus aliæ blanditiis, ac popylmis cicurantur, aliæ minis, aliæ vero ictibus mulcentur, subdit, Principem, aut Prælatum in id incumbere debere, ut iuxta præfatam subditorum diversitatem diuersum, ac dissimilem sese passim effingat, varioque illorum mores multiplici persona aut delinuat, aut comprimat. Verba Nazianzeni alibi dedi. Nunc vero id etiam subiicio, vocem illam *רב Rab*, secundæ interpretationi recte adaptari, quatenus asserit, egregii Principis esse, quoad fieri possit, omnia per semetipsum exequi, ea præsertim, quæ grauiora, & digniora sunt. At quomodo, inquit, vnus aliquis tot, tamque varia peragere poterit, quibus vix multorum industria suppetat? quia nimirum sæpe accidit, ut vnus ac singularis homo adinstar sit multorum, & vnus industria plurium solertiam euincat.

Quapropter si præfatæ voci hanc virtutem inesse dicamus, prius hemystychium digniori, & illustriori quadam sententia donare integrum erit, hoc modo. *Magnus, vel potius multus, aut multiplex format omnia*. i. Princeps ille, qui ad subditorum suorum dissimiles valde mores temperandos sese accommodat, & qui res, vel negotia publica, non quidem aliis demandat laborem petens, sed per semetipsum studiosus exequitur; hic sane non vnus aliquis singularisque homo putari

debet, sed *multiplex*: quandoquidem ea præstat, quibus vix multi sufficere posse videbantur. *Stultus autem mercede conducit transgressores*. Qui scilicet, stultus cum esset, imperium nactus est, cum per semetipsum res peragere non possit, adhibere utique cogitur ministros multo pretio conductos qui sæpius transgressores sunt. Et quidem Principem non vnum aliquem, ac singularem hominem, sed multiplicem esse oportere non obscure significant Hebræi, qui sæpius ad Principem nominandum adhibent vocem illam *עלף Aluph*, quæ fluit ex *עלף Eleph*, id est *Mille*, quasi millenarium, & quidem Rabi David propterea id nominis Principibus datum dicit, quia multis hominum myriadibus imperent. Cæterum Rabi Hemanuel sic comminiscitur, scilicet, eo nomine non quemlibet Principem censeri, sed apprime prudentem, & cautum; nam *Aluph*, proprie eum significat, quem alii tanquam magistrum vereantur, & tanquam ducem sectantur; is autem, quisquis fuerit, non simplex, inquit, homo est, sed *millenus*, id est, tantundem solus valet quantum mille alii. Accinit etiam Plato in dialogo illo, qui inscribitur *ciuilis*, vel de regno, vbi postquam duas illas gubernationis species, videlicet oligarchiam, & monarchiam inter se composuit tandem monarchiam præfert. Cum vero sibi obieceret, plures homines longe melius & consultius de reipublicæ salute curaturos, quàm vnum; ita demum occurrit, plures gubernatores priuatis studiis sæpius distrahi, atque adeo commune bonum exturbata pace lædi ac violari, faciliusque esse vnum aliquem reperiri, qui ad commune bonum enixè incumbat, quàm plures; ac demum sic addit. *Custos sapiens, & boni vniuersalis studiosus, vnus est pro multis*. Denique iuxta præscriptam interpretationem superior lectionis alio sensu donari potest ad hunc modum. *Multus qui perficit, vel format omnia*, id est, Princeps ille, qui res digniores, & grauiores nequaquam aliis demandat, sed ipse per se gerit, huius studii merito obtinet, ut vnus cum sit, ea certe opera

transfigat, quibus actitandis multi homines vix sufficere posse videbantur. Sed hæc aliena sunt; ad Vulgatam lectionem contendo.

Iudicium determinat causas, & qui imponit stulto silentium, iras mitigat. Plerique ex interpretibus duas in hoc versu sententias omnino dispares includi affirmant hoc modo. Principis extremum iudicium, & decretum qualemcunque litem dirimit. Hæc est, inquit, prior sententia, qua Salo non magistratibus suadet, ut causas accuratissime examinent, & euentilent, antequam sententiam dicant, quandoquidem ipsis decernentibus lites cessant, & eorum iudicii stare coguntur actores: monet etiam, ne causas multiplicent, aut diutius protelent, sed, quoad fieri possit, ocyus absoluant, & decidant. Deinde subnectit, *Et qui imponit stulto silentium, iras mitigat*, id est, qui stulto silentium indicit, iras, contentiones, & iurgia compescit, quas ferme stultorum verba temere atque importune iactata concitare, & accendere solent, iuxta illud quod habes supra capite 22. *Eiuce derisorem, & exibat cum eo iurgium, cessabuntque causa, & contumelia*.

Cæterum hæc expositio quatenus duas sententias dispares, ac minime cohærentes comminiscitur, mihi non probatur; nam cum in aliis huius operis versibus nunquam duæ sententiæ sine antithesi, aut collatione aliqua occurrant, id in hoc versu desideratum non credo. Quapropter locum istum collatis, compositisque duobus illis hemy-

stychiis ad hunc modum edifferendum censeo. *Iudicium determinat lites*, &c. id est, sicut iudicis supremi definitiva sententia lites dirimit, ita ut eam causam, super quam iam lata est, in controuersiam amplius vocare non liceat; ita etiam qui imponit stulto silentium, iras mitigat, id est, qui stulti hominis os comprimit, & importunos, inconditosque sermones compescit, omnem contentionis causam de medio tollit: existimo autem huius loci antithesim esse uenustam: nam duæ illius partes ad hunc modum conferendæ sunt. Iudex sapiens suam sententiam dicens, & in controuersis pronuntians, lites perimit, quia nimirum iniusto actori silentium imperat. Ita etiam qui stultum quomodolibet tacere cogit, omnes contentiones, & iurgia sedat, quas eius imperita uerba alunt, ac promouent.

Leſio etiam Septuaginta, quæ uerbo tenens à sententia Vulgata longius recedere uidetur, cerre propius ad illam accedit; sic enim habet. *Multis procellis iactatur omnis caro imprudentum: conteritur enim ecstasis eorum.* Quæ uerba de ira & indignatione stulti (me iudice) capienda sunt: similitudo autem ducitur vel ex mari fluctuante, vel ex nauis tempestate iactata, vel etiam ex vectoribus cum nauis insanis fluctibus agitata, in stuporem acti fugiente consilio naufragium prætolantur. In primis enim stultus ira exæstuans ad instar obtinet maris assiduis procellis iactati, & cōcussi. Nota est ira hominis, ac procellosi maris similitudo.

Isai. 57.

Impii autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum; non est pax impiis dicit Dominus, id est, inter impios nulla pax, nulla societas, sed contra perpetuis, implacabilibusque discordiis, maris ad instar tumidi, ac procellosi, quatuntur, colliduntur, exæstuant. Imitatur etiam iracundus nauim fluctibus impulsam. Chrysostomus in sermone de mansuetudine tomo quinto. Qui furore & ira vincuntur, similes sunt nauis, que in media tempestate à gubernatore destituta submergitur, unde quaque in eam procellis ingressis.

Denique homo ira percitus hominem tempestate iactatum præ se fert. Accinit idem Chrysostomus infra. *Ira quasi tempestas in animam irruit, feruientemque sibi stupidum reddit.* Ergo secundum triplicem similitudinem supra adscriptam, Salomonis uerba triplici sensu donari possunt. Si metaphora sumatur ab ipsis hominibus tempestate iactatis, sensus utique erit. *Multis procellis iactatur omnis caro imprudentum*, id est, homo stultus, & ira percitus, similis est illis, qui validissima aliqua tempestate impetiti, & omni consilio destituti, naufragium prætolantur: de his enim est illud Psal. 106. ubi naufragos describens Vates sic habet,

Psal. 106.

Dixit, & stetit spiritus procella, & exaltati sunt fluctus eius: ascendunt ad cælos, & descendunt usque ad abyssos; anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est, expone illud, *Omnis sapientia eorum deuorata est*, id est, ratio & consilium in ipsis defecit præ stupore, & ecstasi. Iam intelligis extremam huius sententiæ partem, *conteritur enim ecstasis eorum*, id est, stupor, & hebetudo, quam illis indignatio, & furor aduocit, magis, ac magis quatitur. Quasi dicat: iratus quisque similis est naufrago homini tunc cum iam iam summersio proxima stuporem inamissit, atque rationem, & consilium eripuit, subindeque turbatus, ecstasius, ac stupidus concutitur. Itaque illud, *Conteritur ecstasis eorum*, perinde est, ac si

A dicat, in ecstasim actus alii iudò quatitur, & percellitur.

Quod si metaphoram ex nauis ducamus, quam fluctus insani iactant sensus erit eiusmodi. *Multis procellis iactatur caro imprudentum*, id est, homines ira correpti non secus ab ira impelluntur, quam nauis aliqua ab undis vehementer percussa. Sensus prioris hemistychii est admodum facilis. Posterior autem sic habet. *Conteritur enim ecstasis eorum*, *exæstus* ut nuper dicebam, eam mentis alienationem significat, quam ira inducit. Itaque sic ait: *Quemadmodum nauis fluctuante mari amisso gubernaculo ad scopulum illisa dehiscit, ac mergitur; sic etiam homo iratus, abiecto consilio ac mente emotus, ad damna pleraque, & incommoda tanquam in scopulos, aut syrtes impingit.* Itaque illud *conteritur ecstasis eorum*, perinde est ac si dicat, ipsi præ ecstasi, & stupore conteruntur.

Rursus si metaphora sumatur ab ipso mari, cum fluctibus insanis exæstuat, dicemus quidem aliter; Nimirum Salomonis mentem fuisse non modo imprudentis hominis ira percussi concitatissimos motus, & impetus describere, sed etiam id innuere, cunctam uidelicet stultorum indignationem, & furorem, ab homine prudenti & moderato facile admodum eludi. Sic ergo ait, *Multis procellis iactatur caro imprudentum*, id est, insipientis hominis ira correpti animus, maris fluctibus agitati, & iactati ad instar obtinet. *Conteritur autem ecstasis eorum*, id est, sicut maris insani fluctus ad littoris arenas impacti dissoluuntur, & resiliunt, ita etiam insipientis hominis ira, & furor in moderatum virum incurrens infringitur ac mulcetur. Huc spectauit Gregorius Nazianzenus in Iambico de ira.

Nazian.

*At cœpit ille? (scilicet furere) protinus uerbis tuis
Frangatur; atque moribus blandissimis,
Solutus instar fluctuum ad terram illicò,
Aut ut procella, cum nihil renititur.*

Paraphrasis Chald. haud dissimilem sensum reddit. *Multum dolet caro stulti, & ebrius transit mare.* Ad iracundiam etiam pertinere puto: Quasi dicat, stultus accepta iniuria plurimum dolet, ac ferit in eum, à quo lætus est, & quandiu sic feruet ac sæuit, similis est homini ebrio, qui pelagi tumens undas pertransit. Quod ita capiendum est, vel quia nauis, cum procellis diutius iactantur, ebriosis ad similes nauis ebrius stupent, iuxta illud Psal. 106. *Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est.* Vel quia Salomon hominem iracundum cum temulento nauis gubernatore componit, qui consilii expertus, nauem ad scopulos, ac syrtes impellit; utraque autem comparatio accommodata est. Nam iræ cum crapula per frequens est collatio apud Patres. Nazianzenus in præfato Iambico ita inquit. *Ira est turbo mentium, & crapula;* Chrysostomus in sermone de mansuetudine tom. 5. *Alii*, inquit, *ira ebrii quanto pluribus malis sese irritarunt, tanto maiori insania furunt. Nam quod ebrios dicunt ob insatiabilem ebrietatem ardentius sitire, hoc, & iracundis usuuenit, quia in perniciosiorem ruunt insaniam propter inexplebilem contendendi libidinem.* Mitto alia.

86.

Psal. 106.

Nazian.

Chrysost.

XI. Sicut canis qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam.

87.

Sicut canis, &c. Hebr. ad verbum. Sicut canis reuertens ad vomitum suum, stultus iterans stultitiam suam. lxx. paulo aliter. Sicut canis cum reuertitur ad suum vomitum, & odibilis efficitur, sic imprudens sua malitia reuertens ad peccatum suum, Aquila, & Symmachus. Sic demens iterans in stultitia sua, sumpsit ex hoc loco Petrus in 2. can. cap. 2. illa verba. Contingit enim eis illud veri prouerby, Canis reuersus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti.

2. Petr. 2.

Si verba capias, vt sonant, Salomon loqui videtur de stulto, & stolido homine, atque adeo quidam interpretes ad verborum sonum spectantes locum istum sic edisserendum putant. Canis, stultitiæ atque vecordie symbolum est. Quemadmodum ergo canis cibos, quos per vomitum expulit, iterum reorbet, atque ingerit, sic etiam stolidus ac vecors homo stultitiam, quam semel abiecit, ac refutare coactus est, identidem repetit, atque denuo desipere incipit. Quasi dicat, vitiumque ceite æque factum ac turpe. Cæterum hæc expositio patum concinna videtur.

88.

Reliqui ad vnum per stultum, improbum hominem, per stultitiam vero improbitatem accipiunt: quibus fidem faciunt Septuaginta interpretes, qui extrema verba sic extulerunt. Sic imprudens sua malitia reuertens ad peccatum suum. Percurram primum ea, quæ Patres in hunc locum coniecerunt. Diuus Augustinus in libro de bono perseuerantiæ, de Monacho heretico sæculum repetente ita scribit. Sed vsque adeo proficit in malum, vt deserti Monasterij societate fieret canis reuersus ad suum vomitum, & tamen adhuc qualis sit futurus incertum est. Apertissima sane in rem comparatio. Acciuit Isidorus Pelusiota Epistola nonagesima secunda, qui ex hoc loco Monachos etiam pungit, qui monastica vitæ otium deserentes ad sæcularis conuersionis negotia redeunt, & monachos se nihilominus mentiuntur, quia longum pallium, & barbam promissam, baculumque circumferunt: quos, ceu canes, ad vomitum reuerti dicit, quia ea, quæ veluti nauseabundi prius respuerant, denuo resumunt, ac regustant.

Aug.

Isidor. Pelusiot.

89.

Aug.

Sed luculentius idem Augustinus in Psalmum 83. præfatum locum de his, qui postquam vota, & desideria sua in Deum contulerunt, rursus ad creaturas expetendas recurrunt. Contigit illis res veri prouerby, Canis reuersus ad suum vomitum. Premebat enim peccus conscientia peccatorum, accepta indulgentia, quasi vomuisti, & reuelatum est peccatum tuum. Mendum suspicor, vide an satius sit ita restituere. Et reuelatum est peccatum tuum, facta est bona conscientia ex mala conscientia, quid rursus conuerteris ad vomitum tuum? si canis hoc faciens horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei? Extrema hæc verba exprimentur vim illius appendicis, quam lxx. in sua translatione subiiciunt. Sicut canis cum reuertitur ad vomitum suum, & odibilis efficitur, &c. Eodem etiam spectat Bernardus in sermone 3. de Assumptione, vbi sic habet. Reuersus ad vomitum canis odibilis erit multo plus, quam ante: & fiet filius gehenna multipliciter, qui post indulgentiam delictorum in easdem denuo ordines incidit. Sententia Bernardi talis est, sicut canis cum primum fame stimulante auidius cibos in-

Bernard.

A gerit, nequaquam horri est: idem vero extrusas per vomitum escas resorbens, tædium & nauseam aspectantibus mouet, sic etiam peccator cum primum ex immoderata libidine scelera quasi deuorat, ingeritque, non ita Deo exosus est: at postquam admittit olim peccata per eorum penitentiam euomit, si eadem iterum regullet, maximum certe sui tædium, odium, & horrorem Deo immittit.

90.

Aug.

Redeat iterum Augustinus, qui horrorem istum exaggerat in Psal. 30. concione 2. Denique vide quam horribili rei eos comparauerit, contigit illis res veri prouerby, canis reuersus, &c. Ad hunc horrorem spectat etiam translatio huius loci, qua vitur Cæsarius Arelatenus in homilia 9. de Eleemosyna, vbi sic habet. Ea tamen conditione vt postquam coeperit eleemosynis peccata sua redimere, eadem amplius non admittat, propter illud quod dictum est: Qui baptizatur à mortuo, & iterum contigit mortuum, quid proderit lauatio eius? Et illud Sicut odibilis fit canis, quando reuertitur ad vomitum suum: ita peccator, quando ad peccatum suum.

Casar.

Arelat.

Chrysost.

Rationem huius horrores attigit Chrysostomus in homilia de Militia Christi ana tomo 5. vbi sic scribit. Ne recurras ad peccata, quæ remissa sunt tibi, neque in delictis frequenter offendas relinquens ea, & rursus recurrens in ea, neque enim vt canem ad suum vomitum, aut suum in suum volutabrum contraria humanitati irrationalium natura te ducat. En tibi causam horrores illius, quem canis ad vomitum recurrens immittit, quia nimirum res valde contraria humanitati est, proprium exorbere vomitum: sunt qui alienum vomitum exhauserint, vt tradit Iosephus de bello Iudaico lib. 2. cap. 7. at proprium carpere vomitum ne in summa quidem fame ab aliquo tentatum nusquam legimus. Pergo ad alia.

91.

Gregor.

Diuus Gregorius Magnus Pastoralis curæ 3. parte admonitione 31. comparationem discutit, eiusque accommodationem venustâ paucis complectitur. Canis, inquit, cum vomit, cibum, qui peccus deprimebat, proiicit, sed cum ad vomitum reuertitur, unde leuatus fuerat, rursus oneratur: sic qui admissa plangunt, nequitiam de qua male satiati fuerant, & quæ mentis intima deprimebat, confitendo proiiciunt, quam post confessionem dum repetunt, resumunt. Cum Gregorio concinit Sanctus Ephremus in tractatu, qui inscribitur, Reprehensio sui, atque confessio, vbi talia ferit. Inflammatum est cor meum, immutata pia cogitatio mea, obscurata mens mea, veluti canis ad proprium reuertor vomitum, & non est penitentia mea pura.

D. Ephr.

Hæc ille quibus innuit per canis vomitum, penitentiam significari impuram, male actam, & eam, quæ suapte natura recidiua est, & quidem apte: nam, vt docet Albertus magnus, canis non ex tædio, aut fastidio ad eas escas per vomitum egerit, (vt homines solemus) est enim fastidii, ac tædii incapax; quia famem nunquam profusus expellit, aut extinguit, ideo famem illam, quæ nunquam exsatiatur, caninam medici appellare. Ideo igitur solum canis vomit, inquit, Albertus, quia ventriculus nimia ingestione distenditur, & oneratur, atque adeo paulo post ad vomitum resumendum reddit. Hęc est penitentia nis perperam actæ conditio propria, quæ nimirum peccata, non ex tædio, aut fastidio respuit, nec famem vel appetentiam delinquendi, & peccandi vnquam deponit, sed oneris, & laboris alicuius detrectandi gratia culpas interpellat: propterea oyus ad easdem recurrit. Id sibi voluit san-

Helias. Scoliaſtes. Etus Ephremus cum dixit. *Et non est poenitentia mea pura, &c.* Huc spectauit etiam Nazianzeni Scholiaſtes Helias, qui in commentario orationis 3. contra Iulianum, eiusdem Iuliani falsam poenitentiam cum canis vomitu conferendam censuit.

92. Sed licet hæc non inerudite dicta sint, nihilominus cum reliquis Patribus sentio, quos iam præscripsi. Hi enim per *canis vomitum*, puram, veram, & vtilem poenitentiam acceperunt; aliter enim in eorum dictis tota elideretur virtus, & energia. Et quidem ex vomitu canis vtilis poenitudinis exemplum alio argumento duci potest. Nam D. Basilius inter alia, quæ de canis natura

Basil. scribit Homil. 11. *Eius, inquit, rei insigne in canibus liceat videre: dum enim student sibi ipsis mederi, bos identidem videt depasci gramen, non quod canis pascendo conueniat, sed quia citra operam humane institutionis, doctricæ tantum natura, ad id bruta confugiunt, quod subodorantur sibi vsui futurum.* Aristoteles de natura animalium lib. 9. c. 6.

Aristot. *Canes, inquit, egrescentes herba quadam comesta vomitant.* Et rursus infra. *Canes, cum lumbricis infestantur, herbam tritici comedunt, nimirum ut lumbricos perimant, & egerant.* Hanc herbam, qua canes vtuntur ad vomitum, *canariam* appellant historiæ naturalis periti: de qua Plinius lib. 25.

Plinius. cap. 8. *Inuenerunt, inquit, canes canariam, qua fastidium deducunt, eamque in nostro conspectu mandunt, sed ita, ut nunquam intelligatur qua sit, etenim depasta cernitur.* Ergo præmissi auctores ægritudinem, fastidium & tedium cani tribuunt, illumque ad tollenda eiusmodi incommoda gramine triticeo, vel alia quapiam herba uti dicunt, qua vomitum sibi mouet, & innascentes ventriculo vermes perimit, egeritque: per quod medicamentum vtilis poenitentia auxilium apte significatur, quæ olim deuorata, peccata extrudit, & innascentes animo male sibi conscia mentis vermes enecat. Imò potius in canis vomitu quanta sit poenitudinis virtus apprime declaratur: nam cum canum ventriculus ob caloris vim, qua pollet, ciborum tenacissimus sit, tanta nihilominus graminis illius virtus existit, ut quamprimùm stomachum dissoluat, & ad vomitum procliuem efficiat. Haud dissimilis poenitentia ad animum extergendum vis, & potestas: nam cum mens humana suorum quoque criminum ob nimium libidinis æstum mirum in modum tenax sit, illam nihilofecius ad respuenda extrudendaque sponte peccata poenitentia motus confirmat. Non ergo in cane taxatur vomitus, qui poenitudinis bene actæ symbolum est, sed regustatio illius, quæ horribilis plane, turpis, & obscœna existit.

93. Sed ad ea, quæ de hac vomitus regustatione ex Patribus supra adscriptis, aliquid vterius addendum est ex translatione Septuaginta quæ in Græcis quidem sic habet *ὁ κῶνος ἀποστρέφεται ἀπὸ τοῦ ἁμαρτανίου*. id est, *Sic stultus malitia sua reuertens ad suum peccatum.* Et sane vox illa *καμία*, quæ pro malitia subest, ad intentionem animi refertur solet, & non solum malum perpetratum: sed prauam delinquendi voluntatem ad significat, id nimirum, quod vulgò dicimus *peccar de malitia, & a sabiendas*. nimirum non ex ignorantia, nec ex vehementi aliqua libidine. Quam peccandi rationem canis vomitum exorbens perspicue notat: nam cum is ad suum ipsius vomitum deuo deuorandum reuertitur, non stimularis fame hoc agit, cum illud potius ad leuandum deducendumque fastidium nuper egresserit, sed ex ge-

nuina voracitate quæ rei etiam vsque adeo impuræ & obscœnæ non parcat. Id vero in his, qui ea peccata, quæ prius planxerunt, repetunt, maxime detestandum videtur: non enim iam isti ex ignorantia, nec ex nimia aliqua libidine, (quandoquidem hanc præteritus dolor & planctus hebetavit) sed quodammodo ex malitia & deprauata animi dispositione delinquant.

XII. *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habet insipiens.*

*V*idisti, &c. Hebraice ad verbum. *Vidi virum sapientem in oculis suis spes stulto, quam de eo.* 94. *Vatablus sensum expressit. De stulto melius sperandum, quam de ipso.* In textu lxx. præmittuntur quidem hæc verba, *Est confusio adducens peccatum, & est confusio gloria, & gratia.* Deinde subditur. *Vidi virum, qui videtur apud se sapiens esse, spem quidem habet magis insipiens eo.* Chaldaeus. *Si vidisti virum, qui sapiens est in oculis suis, melior est illo stultus.* Illa verba quæ in textu lxx. Vaticano hic inferuntur, abiunt quidem ab Originibus, imò & à plerisque Græcis codicibus expuncta sunt, & ex c. 4. Ecclesiastici ascita videntur, vbi ipsissima ad verbum occurrunt, atque adeo tanquam aliena missa faciam, & ad propria contendam.

In hoc loco quædam occurrit ambiguitas cum superioribus communis. Nam vox *insipiens* anceps est: aut enim stolidum & vecordem hominem sonat, aut improbum & sceleratum. Si ergo de stolido sermo sit, sensus talis euadet. *Vidisti hominem sapientem in oculis suis, &c.* id est, si fortè conspexeris virum aliquem vere sapientem, qui de sapientia sua superbe efferatur, & alium quempiam stultum ac stupidum qui se ipsum negligat, & stultitiam stuporemque suum plane agnoscat, de hoc potius bene sperandum est, quam de illo, Quia nimirum ille, qui sibi sapere videtur, plura addiscere non satagit, & doctores omnes fugit, atque adeo in dies magis, ac magis desipit: hæc vero, qui stolidum se æstimat, addiscere assiduo contendit, & doctores libenter auscultat, atque adeo sapientior ac doctior tandem aliquando euadet. Itaque illud *magis spem illo habet insipiens*, non significat, stultum spem concipere, sed spem sui alius excitare, ut ex alijs translationibus supra adscriptis constat.

Sed quamuis hæc sententia non sit inconcinna, 95. nihilominus tamen per *sapientem, & insipientem*, probum & improbum significari teor. *Vidisti sapientem in oculis suis, &c.* Audi Chrysostomum in Homilia 39. ad populum, vbi hæc verba sic excutit. *Non potest esse superbus qui fatuus non sit, stultitia verò plenus est superbus.* Audi quendam sapientem, qui dicit: *vidi hominem apparentem esse, procedentem apud se ipsum, spem autem habet magis insipiens eo.* Vides quod non temere dicebam esse malum fatuitate peius, spem enim habet magis insipiens eo. Propterea Paulus quoque dicebat, *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* Chrysostomus ergo putat in eo loco superbum cum stulto à Salomone conferti, & præferri quidem stultum, quasi meliora de ipso sperare liceat, quam de superbo: rationem autem hanc affert. *Magnum est elationis malum, stultum esse melius est, quam insolentem: illic enim stultitia tantum est, mentisque tarditas: hic autem stultitia peior, nempe fatuitas cum furore: stultus*

sibi ipse malus est, elatus & aliis pestis. Et infra comprobatur hoc exemplo. In corporibus qualia quaso valere dicimus, multum ne habentia tumorem, & multos spiritus intus, & aqua plena, an compressa, & depressam habentia superficiem? Planum est quod hac. Igitur & anima astuans, & tumens, peiorem habet veterno morbum. Veternum certe appellat crapulam, cui stultitiam ad similem esse dicit. Itaque mens Chrysolomi sic habet: sicut deterior & periculosior est morbus hydropisis, cum totum corpus ex aqua intercute tumet, ac gliscit, & vitam salutemque in discrimen adducit, quam crapula, quæ quamvis mentem corripit, tamen valetudinem nulli periculo exponit: sic etiam grauior animi morbus est superbia quam stultitia: quia superbi quodammodo desperata est iam salus, at stulti non ita, sed bene de illo sperare licet. Hunc sensum reddunt illa verba, magis illo spem habet insipiens. Mentem Chrysolomi iam tenes?

Illud etiam addo iuxta præscriptam acceptionem sapientis atque insipientis, locum istum alio sensu donari posse ad hunc modum. Vidisti sapientem in oculis suis. id est, sicuti conspexeris virum probum, & de probitate sua superbe gloriantem, magis illo spem habet insipiens: id est, de homine quouis improbo, scelerato, meliora, & saniora sperare iubeo, quam de illo. Exemplo sit tibi Phariseus de vana quadam virtutis & probitatis ostentatione sibi placens, & publicanum præ se despiciens. Nam de utroque sic Christus Lucæ 18. Descendit hic iustificatus ab illo, id est, præ illo, &c. De hac sententia alibi diximus.

Luc. 18.

XIII. Dicit piger, leo est in via, & leana in itinere.

96.

Dicit piger, &c. Hebr. Dixit piger, pardus in via, & leo inter plateas: quam lectionem amplectuntur. Pagnin. Tigurina, Vatabl. & alii. Caiet sic habet. Dixit piger, leuculus est in via, leo inter plateas. lxx. Dixit piger missus ad viam, leo in viis, & in plateis sicary.

Hæc sententia perquam similis est illi, quam supra discussi cap. 22. versu 13. Dicit piger leo est foris, in medio platearum occidendus sum. Ad eum locum. Translationem etiam lxx. ad Primitiua reuocare fas est: nam pro leana in Originibus est ארי Ari. Succedat igitur memoriæ locus ille ex Psal. 21. vbi Septuaginta sic legerunt. Foderunt manus meas & pedes meos. At verò Hebrayzantes ita restituendum putant. Sicut leonis manus mea, nam in Primitiuis est בארי Baari. Multi ergo ex interpretibus, vt defendant lectionem Vulgatam, locum illum ab hebræis ita corruptum asserunt, vt pro ברך Baruch, id est, Foderunt, subiecerint Baari: mea verò suspicio aliter habet: Non enim puto locum istum tam impudenter ab Hebræis corruptum, vt alteram literam abiecerint, sed pro בארי Baari ab his lectum Baari subiecto nimirum Iod, loco, Van. Quod dissidium nonnunquam etiam Vulgatum, & lxx. interpretes dirimere solet, ob facilem vnius literæ transitum in alterâ: est autem ארי tertia persona pluralis verbi ארר, quod quamuis alias apud interpretes perinde sit atque carpere, aut, decerpere, tamen lxx. (me iudice) confodiendi, aut, configendi significationem eidem inesse putarunt: Propterea in eo loco Psalms legerunt, Foderunt manus meas, &c. & ob eandem causam hic per vocem Ari, quæ ex ea radice fluit, non leo-

Psal. 21.

nem tantum, sed etiam sicarium à confodiendis configendisque hominibus notari voluerunt. Impulit autem eos in hanc translationem vox חרחרח Harchaboth, quæ plateas proprie adsignificat: in plateis autem melius & aptius dicuntur timeri sicarii, quam leones.

His prælibatis sensus loci est luculentus. Homini pigri naturam & ingenium describit Salomon, qui, ne ex otio ad negotia prodire cogatur, vanos & inanes sibi terrores ubique fingit. Et quia duplex est actionis & laboris materies, aut agricultura, quæ ruri exercetur, aut negotiatio, quæ in plateis peragitur, quoniam modo homo deses, ac piger, ab utraque absterreatur, aperit Salomon his verbis. Dicit piger, leo est in via, &c. id est, si tu adeas illi agriculturæ laborem, & exercitationem, ita causatur, In via, id est in agris, passim leones immanissimi vagantur qui homines rusticos dilaniare solent. Quod si illum ad fori negotia suscipienda exacuas, ita præterdit: Fora & plateas sequissimi complent sicarii: atque adeo hic vanissimi terroribus concussus in sua socordia, & desidia domi se continet.

Beda.

Hunc in locum moralem interpretationem contulit Beda. Multi, inquit, cum verbum exhortationis audiunt, causantur de diabolo, dicentes velle se quidem viam iustitiæ aggredi, sed impediri à Sathana, ne hanc perficere possint: sicque eiusmodi excusationis sermonibus semper in lecto sui corporis, sicut ostium in cardine, vertuntur, &c. Hugo Cardinalis per leonem quidem diabolum, per leonem vero carnis delinimenta & voluptates intelligit, quæ homines desides à via virtutis capessenda profusus absterrent, & alii alia his similia,

XIV. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger, in lectulo suo.

Sicut ostium, &c. Hebr. non dissonant lxx. Sicut ianua vertitur super cardinem, ita piger super lectulum suum.

98.

Huius parabolæ sententia perillustris est. Percurrit enim Salomon omnia loca, in quibus actio aliqua, vel labor utilis suscipi solet: postquam ergo dixit, virum socordem ad nullam vtilem exercitationem foras, vel in agrum, vel in plateas progredi: addit eundem nullum etiam honestum exercitium domi transigere, sed in lecto otio & inertitiæ deditum perinde verti, sicut ostium in cardine suo. Huius autem comparationis energiam non vno modo expendunt interpretes: alii enim, in quibus est Rodolphus, & Iansenius, ita commentum sunt, ea similitudine ianua in suo cardine conuersa significari quietem admodum inquietam, quæ ab homine socorde & inertis capitur, quasi dicat, etiam cum in lecto suo iacet, Estadando mil nucleos in lacama, & quidem aptè. Nam somnus, & quies tunc solum suavis & iucunda est, cum labori & exercitationi succedit: alioquin insuavis & ingrata, iuxta illud Ecclesiastes quinto. Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat.

Ecclesiastes.

Hugo Cardinalis ianua in cardine suo conuersæ stridorem obseruandum putauit, significans pigritiæ adiunctam esse stridulam quandam, & submurmurantem detractionem. De qua duorum vitiorum societate diuus Ephrem Parenæsi 22. Piger, inquit, assiduo obmurmurat, & seipsum deplorat. Sed copiosius in libro de virtutibus, & vi-

D. Ephr.

tus, vbi inter alia sic habet. *Pigritia murmuratio- ni coniunctissima est: Si quo enim piger mittatur, dicit, leo est in via, in medio platearum occidendus sum. Pigro semper ei excusationes in promptu sunt: si quod ei opus agendum iniungitur, obmurmurat, & alios mox etiam peruertit dicens: & quorsum hoc? cur istud vel illud? non expedit, inquiens, istud fieri. Si aliquod mittatur, damnum, inquit, ex illo innere proueniet. Si ad Psalmos decantandos exciteretur, irascitur: Si ad vigilias, stomachi, vel capitis sibi dolores preteret: si illum admoneas, te ipsum, inquit, admone, de me erit sicut Deo placuerit. Lege ibi plura, ex quibus agnosces inertis hominis, ceu ianua in suo cardine conuersa, absurdos valde esse sermones, vel potius stridores.*

100.

Ad hæc præscriptus Rodolphus aliter huic comparationi energiam comparat: nam pigrum propterea foribus in cardine defixis similem enuntiarit dicit, quia sicut fores aliis vel ingredientibus, vel ingrediendis ad res agendas cardinibus suis semper hærent: ita etiam piger, quantumuis alios laborare & exerceri videat, nihilo secius iacet, ac torpet: nec exemplis ad laborem exacuitur: non displicet.

Ad id etiam similitudinem istam aliter expendi posse. Homo piger ianua, quæ in cardine suo torquetur, haud dispar dicitur, quia ceu ianua in cardine conuersa, vicissim clauditur, & aperitur: sic etiam piger per vices quasdam vult & non vult, iuxta illud supra explicat. *13. v. 4. vult & non vult piger. id est, nunc laborem affectat, nunc detrectat. Hos pigri hominis contrarios valde motus erudite descripsit Augustin. serm. 22. de verbis Apostoli, vbi pigritiam cum auaritia in viro socorde confligentem inducit. Habes cum auaritia alterum onus pigritia, & ista duo nequissima vna secumque pugnantia premunt te, & dilaniant te. Non enim paria imperant, non similia iubent. Pigritia dicit, dormi: auaritia dicit, surge: Pigritia dicit, noli pari frigidus dies, auaritia dicit, tolera in mari etiam tempestates: illa dicit, quiesce. illa non sinit quiescere, &c. En tibi qua ratione vir inerts per vices quasdam, seu ianua in cardine, referatur & clauditur: vult nimirum, & non vult: laborem appetit, & laborem auertit.*

August.

101.

Rursus ianua cardini suo affixa, quamuis facile intra illum moueatur, inde tamen difficile admodum auellitur. Haud dispar est otiosorum ingenium: de his enim præclare admodum *Varianzenus apud Maximum Monachum serm. 46. Inertia, ac dissoluta ingenia tum ad virtutem, tum ad vitium similiter remissa, & languida sunt, difficiliaque ad se mouendum, & in neutram partem insigniter inclinant otiosorum momenta. Gregorium cape. Id enim pigris & inertibus proprium esse dicit, vt neutram in partem, siue ad bonum, siue ad malum insigniter pendente, ideoque vtramque partem illis suadere non est difficile, & ad vtramque motus quosdam animi explicat, sed tamen nullam sequuntur, quia ab otiosa vita abstrahi auellique non possunt: atque adeo ianuis similes videntur, quæ, quia cardinibus immersa nullam in partem insigniter decumbunt, facile hæc illæc impelluntur, sed à cardine suo emoueri, excludique non possunt.*

Maxim.

Denique aliqui ex hoc loco quæ sit pigritia, atque otii natura aucupantur: Omnes enim, inquit, qui quamuis aliqua ratione sese exercent, & actitent, tamen ulterius non promouentur, nec proficiunt: hi otiosi pigrique dicendi sunt, quia sanam imitantur, quæ licet impulsa moueatur, tamen intra eundem cardinem vertitur.

XV. Abscondit piger manum sub ascella sua, & laborat, si ad os suum illam conuerterit.

Abscondit piger, &c. Hæc sententia iisdem ferme verbis occurrit iupra c. 19. v. 24. atque adeo quæ ibi diximus hunc in locum transferenda sunt.

B XVI. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.

Sapientior, &c. ad verbum. Sapiëntior piger *Sin oculis suis, quam septem efferentes iudicium exactum. Vatablus. Quam septem qui sententias respondent. Caietanus. Septem reddentibus causam. Chaldaeus. Quam septem reddentes rationem. Septuaginta paulo aliter. Sapiëntior sibi piger videtur eo, qui in saturitate refert nuntium. Symmachus ad Vulgatam lectionem propius accedit. Subest hic vox טאגא Tagham, ex germana radice, quæ significat gustare, aut, per guttum discernere: Ideo assumitur hæc vox ad significandam quamque discernendi, aut diiudicandi vim, vel quodcumque iudicium exactum, aut quamlibet sententiam vel sermonem falsum, lepidam, & iucundum. Hinc etiam factus locus translationi Septuaginta, de qua ad calcem aliquid dicemus.*

Non vna huius loci interpretatio occurrit. Sunt qui existiment, Salomonem pigro homini scurrilitatem obicere: nam cum prænotent per vocem illam *tagham* facetam, lepidamque sententiam significari, ita restitunt. *Sapiëntior sibi piger videtur septem viris loquentibus facetis.* Quasi dicat: pigritia scurrilitas semper adiuncta est: nam fere ita hominum ingenia ferunt, vt qui nihil operis peragunt, multum loquantur, vnde ita cauetur supra. *Ne sis lingua celeri, & in operibus languidus ac remissus.* De qua sententia, quæ ex translatione lxx. desumpta est, iam inde non perfunctorie diximus. Accinit Bernardus in altero ex paruis sermonibus. *Otiosa vita mater est nugarum, & non uerba virtutum.* Ergo sic ait, Homo inerts atque adeo iocis, ac nugis impensè gaudens, dum facetias suas, & lepores serit, sibi sapientior atque eruditior videtur, quam septem, id est, plures alii facetissimè, ac lepidissimè loquentes. Itaque Salomonem eò spectasse putant, vt doceat pigri, & otiosi hominis proprium esse ob scurrilitatem efferri, de qua potius pudere, & erubescere deberet. *Cæterum friget, ni fallor, hæc expositio.*

Bernard.

E

Alii ergo sincerius locum istum exponunt ad hunc modum. *Sapiëntior sibi piger videtur, &c. id est, ne ipsi opus sit labore, & industria sua ad sapientiam parandam incumbere, & otium suum perturbare, hoc sibi persuadet piger, reliquos homines sapientia, & rerum cognitione sibi inferiores esse. Nam cum nihil sit, quod hominem ad agendum & laborandum magis exacuatur, quam studium sapientia: vir socordia deditus, vt hunc aculeum obtundat, nullam sibi sapientia partem deesse apud se cogitat. Hæc interpretatio placet plerisque. mihi tamen ex eo displicet, quia non exprimit vim extremæ clausulæ, *septem viris loquentibus sententias.**

103:

Quapropter alii melius & aptius ita edisserunt.

Sapiëntior

Sapientior sibi piger videtur septem viris, &c. id est, vir pigritia atque desidia solutus in hoc ipso, quod vitam otiosam, & inertem negotiosam, & actuosam præfert, sapientiosem ac prudentiosem se reputat, quam omnes illi, quotquot multo labore & industria ad summum doctrinæ, & eruditionis fastigium peruenerunt, quasi dicat: Tanto odio laborem prosequitur, ut stultum esse ducat, ad sapientiam comparandam laborem & industriam impendere: contra vero labori non parere inertiam, & socordiam sese dedere sapientiæ maximè tribuat. Et sane nihil magis sapientiæ aduersarium est, quam otium, & inertia. Huc spectat illa Philonis sententia apud Maximum Monachum serm. 46. *Continuata exercitatio scientiam efficit firmam, & incitiam nulla exercitatio adhibita: innumerabilesque, neglecta exercitacione robur etiam naturale mentis enervauerunt.* Nihil etiam magis otio contrarium quam sapientia. Augustinus serm. 70. de tempore. *Nullus est, inquit, piger in domo sapientis, id est omnis pigritia ab illius domo exulat.* Loquitur autem Augustinus de domo Abraham, illudque obseruatione dignum ducit, quod tribus Angelis ad illam diuertentibus Gen. 19. omnes impigre egerunt: nam Abraham cucurrit obviam: Sara festinanter coxit panes: puer etiam acceleravit. Hæc autem impigra, & sedula Abrahami diligentia in causa fuit, inquit Augustinus, ut cum ad domum Loth reuisendam duo tantum Angeli descendissent, ad domum Abrahamæ diuenterint Trinitatis mysterium in se exprimentes: Quamuis enim uterque hospitalitatem exercuit, sed non pari sollicitudine, ac diligentia: nam in domo Abrahamæ omnia hospitalitatis officia ocyssime peracta sunt, in domo autem Loth impar fuit celeritas: ideo inæqualis Dei cognitio. Hæc Augustinus. Iam intelligis Salomonem? Qui pigrum & inertem hominem vsque adeo decipi ait, ut quamuis nihil sit sapientiæ, & doctrinæ magis contrarium quam otium & desidia: tamen sapientiam in otio, atque desidia ipse ponat. Cæterum ista quoque interpretatio, quam præferunt Iansen. Rodolphus, & alii non pauci, mihi etiam nequaquam probatur, quia extremæ clausulæ vim etiam non exhaurit.

104.

Ego igitur per septem viros loquentes sententias, vel, ut alii conuertunt, loquentes iudicium exactum, Iudicium confessum intelligo causas pro tribunali examinantium, & sententias ferentium: sensum autem sic conformandum puto. *Sapienter sibi piger videtur, &c.* id est, homo iners sedentariam & otiosam vitam agens, discutendis, ac diiudicandis aliorum actionibus totus vacat, ac de singulorum factis certius se decernere ac definire putat, quam magnus aliquis iudicium confessus ad sententias dicendas collectus. Et quidem hoc pigrorum, atque otiosorum proprium, germanumque vitium est, cum nihil ipsi agant aliorum acta recensere, iudicare, & exquirere. Hinc Paulus ad Thessalonicenses 2. cap. 3. *Audiuimus, ait, inter vos quosdam ambulare inquietè nihil operantes, sed curiosè agentes.* Quem locum sic extulit Maximus Monachus in sermone 46. *nihil operis ipsi facientes, sed in aliena operatione curiosè inquirentes.* Theophilactus in hunc locum. *Eorum, qui nihil agunt, proprium est alienas sciscitari vitas.* Valde compertum est hoc otiosorum vitium, in quod alias inuecti sumus.

2. ad Thes.

3.

Maxim.

Theophyl.

105.

De translatione Lxx. aliud iudicium est, quæ sic habet. *Sapientior sibi piger videtur eo, qui in saturitate refert nuntium.* Huius translationis sensus

Tom. 2. Part. 2.

obscurior est. Extrema verba Græc. sic habent *ὁ ἐν σατυριῶν ἀπὸ κοιλῶντος ἀγγελῆται*, obscuritas huius loci me compulit, ut crederem nomen illud *ἀγγελῆται*, fluere ex ἀγγεῖσι: quæ vox non modò nuntium, sed etiam saltationem sub epulas factam adsignificat, ut tradit Pollux, & alii Græce periti, quæ significatio non longe ab eo vocabulo *ἄγγυμ Ταγμα*, quod ad radicem refertur, quæ significat *gustare, & comedere*, atque adeò quodcumque solatium post epulas acceptum notare potest. Iam intelligis quò tendam? otium atque pigritia, inopiam & famem adsportare solent, ut sæpe aliàs Salomon in hoc libro: nunc ergo sic ait. *Sapientior sibi piger videtur eo, qui in saturitate*, liceat sic restitueret, refert tripudium. Id est, vir otiosus, & iners, tantopere amat pigritiam suam, ut quantumuis pauper & famelicus, tamen seipsum sapientiosem magis reputeret, quam eos qui post epulas saturi & expleti ouant, gestunt, & tripudiant, id est, seipsum prudentiosem æstimat in hoc, quod pigritiæ deditus famem sustinet, quam eos, qui laboribus sese impendentes cibos largiores conquirunt, quibus expleti seriò gaudent. Nisi malis alium sensum illis verbis subesse ad hunc modum Piger otio solutus suo plus sibi sapere videtur, quàm viator, qui perferendis, referendisque nuntiis vitat. Quasi dicat, Mauult indigere, atque esurire nihil agens, quam alteri inseruiens, (*Zendozuni endo con recaudos*) saturari & implete.

C

XVII. *Sicut qui apprehendit auribus canem: Sic qui transit impatiens, & commiscetur rixæ alterius.*

Sicut qui apprehendit, &c. Hebr. *Apprehendens aures canis, sic transiens, & se ingerens transeundo super litem non suam.* Pagn. *conuertitur sic qui transit, & irascitur in lite non sua.* Caiet. *Sic transiens & excandescens in lite non sibi.* Tigurina. *Qui transiens liti se ingerit, quæ sua nihil refert.* Chald. *Sic ille qui contendit in causa, quæ non est sua Sept. Sicut qui tenet caudam canis, sic ille, qui presidet alieno iurgio.* Omnes istæ lectiones in vnam recidunt.

D

Beda, & Hugo singularem interpretationem amplectuntur. Audi Bedam, *quicumque duplex sensu est, si duobus inter se litigantibus mordaci sermone capta fuerit auricula eius, citò incipit & ipse, quasi canis, latrare, & contentiones generare.* Itaque ea verba, *qui tenet auribus canem*, ita illi accomodat, qui alienis iurgiis sese admisceat, ut illum cum cane ipso, cuius aures tenentur, comparatum putet, non vero cum eo, qui canis aures premit: hoc modo. Quicumque in alienas contentiones sese iactat, similis est cani, cuius aures pressistentur, quia ita fere contingit, ut ab his, qui contendunt hinc & inde probris, & conuitiis aures ipsius vellicentur, atque adeo, canis in morem, vicissim latrare, imò & mordere cogatur. Hæc expositioni subseruiunt illa verba, *sic qui transit impatiens, &c.* quæ ut docet Hugo Cardinalis, hoc videntur innuere, nempe alios concordare, & paci reddere mitissimi, ac placidissimi alicuius hominis esse, non autem eius, qui contumeliarum & iniuriarum impatiens est. *Nam qui ita*, inquit, *impatiens est contumelia, se vexantes velit mitigare, audiet dura verba, quæ non possit sustinere, & sicut canis incipiet latrare cum aliis.* Diuus Chrysostomus in hom. de mansuetudine tomo 5. postquam pluribus docuit mansuetos homines ad discordes

106.

Beda.

Hugo.

Chrysost.

paci restituendos magnam vim habere, ita deum attexit. *At qui facile in iram erumpit, ridiculus apparebit, si quando exasperatos alios placare attemptet.* Rationem vero paulo post subdit. *Nam vir iracundus communis est hostis, & cinium & peregrinorum: quamuis leuissime laesus clamat, vociferatur, plagas occurrentibus intentat, dicenda, & non dicenda loquitur, aspectu toruo, inflata facie, lingua rabida, &c.* Hæc sane omnia canina sunt.

Reliqui interpretes eum qui in iurgia & contentiones alienas sese ingerit, non quidem cum cane, cuius aures tenentur, sed cum eo potius, qui canis aures premit, à Salomone collatum volunt: tum quia ita suadet ipsa verborum structura, quæ agè in superiorem sensum compellitur: tum etiam quia sic comparatio ipsa accommodatior apparet. Sed tamen iuxta hanc comparationis acceptionem non vna huius loci interpretatio occurrit. Sunt qui hanc sacram paræmiã cum prophano illo adagio conferendam putant. *Lupum auribus teneo:* de quo sic Terentius in Phormione. *Quod aiunt, auribus teneo lupum: nam neque quomodo à me mistam inuenio, nec vti retineam scio.* Lege Adagiographum: nota enim est vis prouerbii, quod de illis enuntiari solet, qui negotium aliquod suscipiunt, quod neque relinquere integrum, neque sine magno discrimine peragere fas est. Simili modo de hac Salomonis sententia decernunt. *Sicut qui apprehendit auribus canem. sic qui transit impatiens ac commiscetur rixæ alterius.* id est, qui duos inter rixantes medium se iacet, vt illos placare possit, similis est ei, qui canem auribus tenet, quia inter vtrumque positus, si alteri adfauere se ostendat, alterum in se concitat: si neutri, vtrumque sibi hostem consciscit, si vtri-que equaliter auxiliari curet neutrum lucratur. Itaque Salomon difficultatem insinuat, quæ in componendis aliorum iurgiis versatur: atque adeo rem istam nequaquam temerè & inconsultè suscipiendam esse ostendit. Non displicet: sed, vt dicam quod sentio, non admodum placet: quia non credo Salomonem à conciliandis, pacandisque discordibus dehortari, cum res ista cum primis pia, honesta, ac Deo pergrata sit, propter quam grauiori alicui discrimini sese obicere probis viris nonnunquam licet.

Ego igitur aliter decerno, Et quidem Salomon, ni fallor non agit de his, qui inter dimicantium gladios sese iactant, vt eorum pugnas dirimant, sed de his tantum, qui rixantes non aliter quàm verbis, & cohortationibus pacare, ac mitigare volunt: suadet autem ne illos, qui la si sunt, tunc cum ira exarsuat, & ad vindictam feruet, subito ad mansuetudinem adhortari, & verbis traducere velimus: sed subinde expectare iubet, vsque dum furor desequiat, vt rationibus, & exhortationibus acquiescat. Itaque sic ait. *Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens, & commiscetur rixæ alterius.* Per eum qui transit impatiens, non quidem iniuriarum aut contumeliarum, sed moræ potius impatientem accipere debemus, id est, non sustinentem moras, non expectantem, nec differentem. Suadet hoc lectio Originalis, quam nuper dedimus. *Sic transiens, & se ingerens transiendo super litem non suam.* Illud enim transiens transiendo velocitatem, & celeritatem transeuntis notat iuxta solemnem Hebræorum loquendi modum. Quasi dicat: is, qui ocys calente iracundia non expectato opportuniori tempore rixantem quempiam verbis compescere, ac coercere tentat, similis est ei, qui ca-

A nem iratum, & sequum auribus tenet: nam sicut canis iste sæuiens ad eius, qui aures comprimit, manus demordendas conuerti solet: ita homo iracundia percitus in eum, qui ipsum calente rixa verbis coercere tentauerit, furere solet. Sed pendenda est energia huius comparationis. Imprimis similitudo ducitur ab eo, qui canis sæuiens aures apprehendit, aut compescit: quæ aurium compressio quamcumque correptionem, persuasivam, & exhortationem auribus immisam accommodatissime notat. Simile quid censuit Plutarchus in præceptis ciuilibus de simili illa paræmiã, *lupum auribus teneo.* Sic enim scribit. *Aiunt, lupum non posse teneri auribus, cum homines hac parte maxime ducantur, nimirum persuasione.* Deinde experientia constat, canibus aures vel leuiter compressas, aut vellicatas acerbius dolere: sed tum maxime cum rixantur: nam per id tempus, vt ait Rodolphus, illæ partes nimium rigent, atque adeo illas minime atrectari sinunt. Sensus inde illustrior redditur, quatenus hæc similitudo innuit homines, similem ad modum tunc cum feruent iurgia, & contentiones, non esse commonendos, aut corripiendos: tunc enim, liceat sic dicere, aures eorum rigent & intractabiles sunt.

Rurfus id, quod ait Salomon. *Et commiscetur rixæ alterius:* vel vt alii conuertunt, *rixa aliena,* suadet etiam, vt credamus similitudinem desumptam esse à cane alieno. Nota enim est canum mititas in domesticos, & notos eorumdemque sæuitia, furorque in alienos: itaque sensus erit: qui alienum hominem nec subditum nec amicum rixa feruente verbis compescere vult, similis est illi, qui canem alienum, & peregrinum compressis auribus continere tentat: sicut enim canis iste in tenentem, & alioqui ignotum conuersus illum demordet, sic etiam vir ille in alienum hominem, qui ipsum verbis comprimere, aut coercere voluerit, furor suum effundere consuevit. Itaque Salomon in hoc loco duo correptionis, aut commonitionis propria vitia enumerat, vnum, si videlicet impatienter non expectato tempore, antequam deferueat contentio & furor, exhibeat, alterum, si etiam ab alieno præstatur, ab eo nimirum, ad quem nec ex amicitia, nec ex cognatione, nec præfectura, nec vilo alio nomine id pertinet: vtrumque enim exhortationem, seu correptionem nimis acerbam reddit, & virum correptum commune factumque non secus in eum concitat, qui ipsum corripuit, ac commonescit, quam auricularum compressio, & vellicatio canem alienum laceffit, & in furorem adigit.

Eundem sensum reddit translatio Septuaginta. *Sicut qui tenet caudam canis, sic ille qui præsidet alieno iurgio.* Canis enim cauda correptus, aut compressus, in eum conuerti solet, qui ipsum corripuit aut compressit: sententia autem sic conformanda est. Quemadmodum si quis canem alienum rixantem cauda apprehensum à rixa reuellere contendat, eundem in se concitat: ita etiam qui hominem iracundia percitum calente rixa continere ac compescere tentat, illius dentes, ac morsus in se prouocat. Et sane lxx. *caudam* hic argute vsurparunt, in canibus enim, vt aliàs ex Plinio animaduerti, cauda præcipuarum affectionum index est, nam ex beneuolentia erga dominos suos cauda adulantur & adludunt: irati vero & prouocati caudam attollunt, & in sublime erigunt, metu percussæ caudam inter crura implicant, & aliàs aliter caudam mouent. Dum ergo Salomon iracundi, & in prælium tuentis hominis, seu canis cuiuspiam, caudam

107.

Terent.

108.

Plutar.

109.

110.

tenere, vel attingere prohibet, id certe monet tunc, cum ira exestuatur, cuiusmodi hominem nec gratia & benevolentia mulceri, nec correptionibus coerceri, nec minis intentatis metu percelli debere: quidquid enim tunc siue in illum, siue pro illo tentatur, non lenit, sed magis prouocat, & proritat.

XVIII. *Sicut noxius est, qui mittit sagittas & lanceas in mortem.*

XIX. *Ita vir qui fraudulenter nocet amico suo, & cum fuerit deprehensus, dicit, ludens feci.*

Sicut noxius, &c. Hebr. ad verbum sic habent. *Sicut abscondit se iaciens scintillas, sagittas, & mortem, sic vir fraudauit socium suum, & dicit, Nonne ridens ego?* Tigurin. *Vt qui sese fatigat iaciendo flammis, tale lethalia, &c.* alii etiam conuertunt, *Sicut insaniens iaciens, &c.* Chaldaeus. *Sicut ille, qui deiciens se mittit sagittas acutas mortis, sic ille qui fraudulenter decipit amicum suum, & dicit, ludens ludebam.* Tota hæc lectionum diuersitas pendet ex voce illa primitiua מִלְּהַלְּחֵחַ *Mithlehelech*, quam Hebr. referunt ad radicem מִלְּחֵחַ de cuius significatione parum constans est apud interpretes sententia: Aliis enim est *insanire*, aliis *fatigari*, & *laborare*, aliis *nocere*, aliis *se se abscondere*, ac *celare*, aliis, *festinare*. Longissime ab aliis interpretibus abeunt Lxx. qui locum istum sic extulerunt. *Sicut qui curantur proiciunt verba in homines, qui autem occurrit verbo primus supplantabitur: sic omnes, qui insidiantur suis amicis: cum autem visifuerint, dicunt, Quia ludens feci.* Sed de horum verborum potestate infra dicemus.

Huius loci non vna interpretatio occurrit, altera est Rodolphi, qui expendens illa extrema verba, *ludens feci*, prouerbium in eos intorqueri dicit, qui cum proximis grauissima intulerint mala rident nihilominus, ac gestunt, hoc sensu. *Sicut noxius est, qui mittit sagittas, & lanceas in mortem, &c.* id est, sicut is qui postquam iactis sagittis, seu lanceis, hostem confixit, lætatur ac gestit, manifestè declarat hostilem animum: sic etiam, qui postquam damnus intulit amico suo iocatur, ac ridet, non potest amplius amicitiam, & gratiam simulare, nam risus ille hostilem animum prodit, ac reteggit. Cæterum hæc expositio vim non modicam infert verbis.

Idem ergo Rodolphus, cui hæret Ianfenius, præfatam sententiam accommodatori alio sensu donat. *Sicut noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem, &c.* id est, quemadmodum ille, qui sagittas & lanceas eminus iaculatur, perniciosior est quàm is qui cominus gladio configit: quia sagitta, vel lancea à longe contorta improuidum nec opinantem confodere solet: gladius vero eius qui cominus configit, conspicitur, atque adeo eius ictus arte aliqua vitari, & eludi potest: Ita etiam damnus ab eo illatum, qui amicitiam simulat, & hostilem animum claudit, primo quidem declinari non potest, quia non præuidetur: deinde etiam tale est hoc damnus, vt possit is, qui dedit, ita causari, quod nimirum non seridò, sed per iocum, non ex intentione, sed bono ex animo egerit, & alia etiam obtendere, quibus apud

A eum sese purget, quem læsit, & omnem vlciscendę iniurię anam illi eripiat. Secus vero cum aduersarius aliquis manifestus, & hostis publicus læsor est: hunc enim, aut cognitum, & præuisum vitare, aut damnandem auertere licet. Itaque Salomon in hoc loco id sibi vult, eos qui hostilem animum sub quadam amicitie specie, ac simulatione contegunt, apertis, ac proclamatis hostibus deteriores esse,

B Et quidem Salomonis mentem eam esse non inficior: tamen, ni fallor, similitudo aliter conformari debet, vt apte eadat. *Sicut noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem, vel vt alii conuertunt, Sicut abscondit se iaciens flammis, & sagittas in mortem.* In primis ergo pro sagittis subest זיקי *ZiKim*, quam vocem alii tradunt ex radice קקז *Zakak*, atque adeo vincula restitunt: alii ex radice קי *Zik*, qui flammis, aut scintillas reddunt: noliter interpretis, sagittas conuertit: loquitur autem, ni fallor, de ignitis sagittis, aut de missilibus facibus, quarum per frequens vsus apud antiquos: Ad Iustum Lipsium in Polier. libr. 5. Dialogo 5. & 6. vbi pleraque ignitorum telorum genera cogit. Pro lanceis, subiicitur, חרש *Chirsim*, significat etiam hæc vox iaculorum aliquod genus: sed & lancea inter missilia censetur: Inde Diuus Isidorus lanceę ethymologiam sic contexit. *Lancea inde dicta, quia aqua lance, id est, æquabili libramento ponderata vibratur.* Et Lucanus sic ait.

Cuius torta manu commisit lancea bellum.

Mitto alia. Atque illud præterea subiicio, tunc cum bellum eminus iaculatis ignibus, aut telis contortis gerebatur, ad propullandos missilium ictus aliqua vtrinque munimenta compingi solebat, sub quibus iaculatores, ac sagittarii tuti latebant. Hæc sunt in urbibus propugnacula, aut mœnia, in castris vero valli, crates, & vineæ. Accipe etiam Ammiani verba in lib. 20. vbi speciale quoddam munimenti genus ad missilia propullanda commemorat. *Tunc, inquit, defensores animo præstantes, & viribus per propugnacula cilicis vndique laxius sparsis, quæ telorum impetus cohiberent, obiectis scuis, vimine firmissimo tectis, & crudorum tergorum densitate vestitis validissime resistebant, Cruda autem bouum tergora adhibebantur contra ignes, & ignita iacula.* Meminit etiam Vegetius ciliciorum lib. 4. cap. 6. *Deinde, ait, propugnacula duplicia, saga, ciliciaque tenduntur, quæ impetum excipiunt sagittarum: nec enim facile transeunt spicula, quod dedit, ac fluctuat.* Commemorat etiam Iulius Cæsar de bello ciuili libro 2. aliud propugnaculi genus ad sagittarios tegendos, scilicet, *storeas ex funibus anchorariis tres in longitudinem parietum turris latas quatuor pedes fecerunt, easque ex tribus partibus, quæ ad hostes vergebant, eminentibus trabibus circum turri præpendentes religauerunt quod vnu genus tegumentis aliis locis erant experti nullo telo, neque tormento tratici posse.*

His præiactis Salomonis sensus in promptu est. *Sicut noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem.* Vel, vt alii conuertunt, *Sicut abscondit se iaciens flammis, & lanceas in mortem, id est, sicut miles sagittarius, aut incendiarius, qui tela, vel flammis iaculatur in hostem, vt ipsum configat, vel incendat, post munimenta, & propugnacula, videlicet post mœnia, vinea, cilicia, & storeas sese occultit, vt inde in aduersarium iacula sua dirigere possit, & ab aduersarii iaculis tutus sit: Ita etiam accidit illis, qui sub fallaci quadam amicitie specie hostilem animum contegunt: nam cum*

sæpius his, quorum se amicos simulant, mortife-
ras infligant plagas, sub fallaci illo benevolentie,
& gratiæ specimine, quod præterdunt, sese ab-
condunt, & illo protecti proximos suos impune
lædunt, & cum grauissima illis mala inferant, ipsi
quidem illæsi manent. Hunc ad sensum allicienda
est translatio Vulgata. *Sicut noxius est qui mittit
sagittas, &c. id est, quemadmodum sagittarius è pro-
pugnaculis tela contorquens illæsus nocet: ita vir,
qui fraudulentè nocet amico suo. dum scilicet ami-
citiæ prætextu illi nocumenta infert. Audiendus est
Seneca in lib. de prouidentia. Nulla, inquit, sunt
occultiores insidiæ, quàm hæc, quæ latent in simula-
tione officii: nam eum, qui palam est aduersarius fa-
cile vitare possis, & Troianos equus ideo fefellit,
quia formam misericordiæ mentitus est. Et Boëtius
in lib. de consolatione. Nulla pestis est efficacior ad
nocendum, quàm familiaris inimicus. Nec ommit-
tendus est Demonaëtes apud Antoniū Monachum
in Melissa. Pauciora, ait, mala contingunt homini-
bus ab inimicis, quàm ab amicis: inimicos enim cum
metuant, ab eis cauent: amicis vero aperti sunt: un-
de periculis exponuntur, & insidiis ipsorum facile
capiuntur. Iam vides quonam modo homo sincerus
cum simulato & ficto amico sese gerat: ille
quidem huius ictibus detectus omnino, & aper-
tus est: hic vero, vt tutius lædat, ex occulto iacu-
latur. Subdit Salomon.*

Et cum fuerit deprehensus, dicit, Ludens feci.
Verba sunt luculenta. Aliqui docent, superius he-
mistychium, ita vir, qui fraudulentè nocet amico
suo, ad versum 18. spectare: hæc autem verba, &
cum fuerit deprehensus, &c. versum 19. complere:
quapropter ita volunt de amico simulato accipi
debere, vt nouam sententiam à superiori omnino
diuersam cohibeat. Sed tamen hæc conceptio vix
sensum euariat. Vrget ergo Salomon superiorem
sententiam. Amicus, inquit, fictus ita proximo pla-
gam infligit, vt tamen, quoad fieri possit, latere
curet, vt se damni dati auctorem abnegare valeat:
quod si aliquando deprehensus fuerit, ita vt fa-
ctum excusare non possit, intentionem excusat di-
cens, *ludens feci*, id est non serio, & ex animo no-
cui sed per lusum & iocum. Alii vertendum pu-
tant, *Lusus feci*. deceptus nimirum egi, atque
adeo errorem circa personam, vel circa factum
præterdit, & ad hunc modum sese nutrit, ac ve-
lut sagittarius ex munitissimis propugnaculis tu-
tus ac protectus apertum ac detectum hostem
configit.

Translatio Septuaginta sic habet, *qui curantur,
proiciunt verba in homines: qui autem occurrit
verbo primus supplantabitur: sic omnes qui infi-
diantur suis amicis, cum autem visi fuerint, dicunt:
quia ludens feci.* Quæ verba ab Originibus longius
abire videntur, & cum Vulgatis non concinunt:
ac demum specie tenus difficiles explicatus ha-
bent, sed (quantum coniectura assequi possum)
similitudinem petit Salomon ab ægro, quem febris
ad insaniam & amentiam compulit, atque adeo
ista lectio, ni fallor cohæret cum illa, quam in
fronte præscripsimus. *Sicut insaniens iaciens faces
& sagittas.* Nam Septuaginta sagittas, & flam-
mas, seu faces figurate accepisse videntur pro ver-
bis asperis, & molestis, & per viros insanientes
eos intellexerunt, qui ex morbo, & febris ad vesania
adducti sunt: sensus autem sic habet: sicut
illi, qui ex febre dementes & phrenetici sunt, dum
curantur, probrosos, molestos, asperisque verbis
medicos proscindere, & eos, qui illis ad eum mo-
dum insanientibus respondent, grauioribus iniu-

riis onerare solent: sic fallaces, sic ficti amici, cum
his agunt, quorum se familiares simulant. Com-
paratio vero sic aptanda est: Quemadmodum
phrenetici probra & maledicta in medicos iacien-
tes, aliquando etiam pugnīs, & calcibus eosdem
ferientes propterea impune ferunt, quia id non
ex animo nocendi, sed ex vesania quadam, & præ-
ter intentionem facere existimantur: ad eundem
modum fallaces amici, quamuis pleraque dura,
& valde aspera in familiares suos committant, ve-
nia, digni censentur, quia non ex animi sententia,
sed ex errore, & ignoratione nocere putantur.
Quod si aliquando deprehendantur, ita vt erro-
rem, & ignorationem præterdere non possint,
addunt se per lusum, & iocum rem egisse, atque
adeo damni dati aliqua excusatio illis nunquam
non suppetit. Itaque Salomon fictos amicos sum-
mo studio cauendos esse docet, quia impune læ-
dunt, atque audentiores ad lædendum, nocen-
dumque efficiuntur.

XX. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis,
& susurrone sublato iurgia conquiescent.

*Cum defecerint ligna, &c. Hebr. In consum-
ptione lignorum extinguetur ignis, & in susur-
rone silebit contentio. Pro susurrone subest נירגם Nir-
gam, ex radice Ragam, cuius vocis vis latius pa-
tet: nam susurrone delatorem, murmuratorem
detractorem, & omnem illum notat, qui verbis
dissidia & discordias fouet. lxx. In multis lignis ger-
minat ignis: ubi autem non est dissentiens, quiescit
rixa. Symmachus non discedit à Vulgata lectione.
In scholiis etiam vaticanis eiusmodi translatio sub-
scribitur. Vbi non est ὀξύθυμος, id est, cerebrosus,
iracundus, &c. nec non etiam illa. Vbi autem est
est furor, silebit pugna. Tigurina. Cessant occasio-
nes contentionum.*

Huius loci perspicua est sententia adeo vt vix
interpretatione indigeat. Docet enim Salomon,
murmurationes, detractiones, & susurria, non
aliter iras, & rixas alere, quam ligna ignem, at-
que adeo illis additis inflammari, eisdem vero sub-
latis consopiri discordias. Iracundia enim ignem
imitatur, vt sæpe aliàs in hoc libro Salomon, ig-
nis vero pabulo indiget: sicut ergo ignis proprium
& naturale pabulum ligna sunt, ita etiam iræ ma-
xime proprium & germanum alimentum, fomen-
tumque sunt verba detractorum, & susurronum.
Accincit illud Ecclesiastici 8. *Non litiges cum ho-
mine linguato, & non struas in ignem illius ligna.*
Ita fert communis interpretatio.

Sunt qui lectionem Originalem aliam ad sen-
sum allici posse affirmant hoc modo. *In consum-
ptione lignorum extinguetur ignis & in non susur-
rone silebit contentio.* id est, quemadmodum con-
sumptis lignis flamma consopitur: ita etiam sub-
latis de medio, ac deletis susurronibus, rixæ, &
contentiones pacantur. Itaque volunt id à Salo-
mone suaderi, vt nimirum susurrones, ac detra-
ctores, si fieri possit, ceu ligna igni tradita, & in
cineres soluta consumantur, & aboleantur. Sed
tamen hæc expositio coacta videtur.

Translatio Septuaginta alium sensum reddit.
*In multis lignis germinat ignis, ubi autem non est
dissentiens quiescit rixa.* Vulgata lectio procedit à
simili: hæc vero à dissimili ducta est hoc modo.
Cum multa igni subduntur ligna, magis ac magis in-
flammat, & inardescit: nam illud germinat, idem

Seneca

Boëtius.

Antonius.

115.

116.

Eccl. 8.

118.

est quod surgit, & sese attollit. *Vbi autem non est A*
dissentiens. (Per dissentientem non intelligo dis-
 cordantem, & dissidentem, sic enim perit ener-
 gia huius sententiæ inuisum enim esset ita dicere,
Vbi nullus discordans, nulla est contentio.) Nisi ve-
 lis sensum ita conformare: Cum è duobus alter
 non est dissidens aut discordans, omnis contentio
 & controuersia cessat. Concinit enim hæc senten-
 tia cum peruulgato apud nostrates prouerbio,
vno no quiere, dos vo barajan. id est, si è duobus
 alter contendere & rixari nolit, quantumuis alter
 rixari & altercari velit, contentioni locus non
 est, id enim perinde est ac si igni ligna detrahas.
 Itaque Salomonem sic capio: sicut ignis, ni
 ad sint ligna quæ corripit & incendat, ocyus
 extinguitur: ita etiam vnius hominis ira, nisi præ-
 sto sit alter, qui contra hanc conetur, & suis dil-
 fidiis, seu lignis ignem alat, & foueat, quàm citis-
 simè interit.

119. Aliter vero longe melius per *dissentientem* di-
 uersa ac disparia sententiam interpretari licet, hoc
 sentu. *Vbi non est dissentiens, quiescit rixa.* Id est,
 ubicumque vna est omnium sententia, ita vt nul-
 lus sit, qui diuersa & discrepantia mente sentiat,
 omnis cessat rixa, & discordia: nam ferme omnes
 rixæ, & contentiones ex differentia sententiarum
 promanant, mentiumque dissidia, voluntates, &
 animos semper distrahunt. Ea propter Paulus 2. ad
 2. Cor. 13. Corinth. 13. ita suadet. *Idem sapite, pacem habete:*
(nam sententiarum concordia pacem efficit) &
Ad Ro. 15. Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Et ad Ro-
 manos 15. *Deus autem patientiæ & solatii det vobis*
id ipsum sapere in alterutrum, vt unanimes vno ore
Ad Phil. 3. honorificetis Deum, &c. Et ad Philipenses 3. *Qui-*
cumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Et sub-
 inde. *Veruntamen ad quod peruenimus, vt idem sa-*
piamus, & in eadem permaneamus regula, id est,
 Quia fides Christi eò nos adduxit, vt eadem om-
 nes sapiamus, nec diuersis distrahamur sententiis,
 vel doctrinis, hinc factum, vt eadem nos regula
 admetiri possit, vt nimirum eadem præcepta, at-
 que eadem leges nos omnes contineant: sicut. n.
 vna eademque regula extendi non potest, nisi su-
 per res æquales, & sibi coherentes: ita etiam ea-
 dem lex his tantum imponi potest, qui idem sa-
 pient, & idem sentiunt. Similitudo autem ignis at-
 que lignorum huic interpretationi sic aptatur. *In*
multis lignis germinat ignis: vbi autem non est dis-
sentiens quiescit, vel silet rixa, id est, Quemadmo-
 dum cum multa ligna collecta sunt, facile admo-
 dum est, vt ab igne correpta magnum incendium
 efficiant: ita etiam cum plures homines vnum in
 cærum conegati, ac collecti sunt: facile similiter
 ac promptum est, vt aliqua à similitate suborta in-
 gentes discordias concipiant, & sibi mutuo bella
 moueant. Cæterum si in eo cætu, & conuentu ho-
 minum non sit dissentiens, i. nulla sit sententiarum
 diuersitas, sed omnes eadem sapiant, ac sentiant,
 discordiæ, & rixæ procul absunt: nam sententiarum
 diuersitas communitates distrahit, & ad sedi-
 tiones plerumque concitat.

Non est prætereunda etiam illa lectio, *Vbi non*
est dissentiens, quiescit rixa: significat autem id no-
 minis virum *cerebrosum*, id est, ad irascendum fa-
 cilem & præcipitem. Itaque docet Salomon, in-
 gentes rixas & contentiones ex subitis motibus
 plerumq; oriri, atque adeò vbi non sunt homines,
 qui subito commouentur, & iracundia agitantur,
 nullæ excitantur discordiæ.

XXI. Sicut carbones ad prunas, & ligna ad
 ignem: sic homo iracundus excitat rixas.

Sicut carbones, &c. Hebræa ad verbum sic ha-
 120.
 sbent, Carbo ad prunas, & ligna ad ignem, &
 vir contentionum ad succendendam litem. lxx. Crati-
 cula carbonibus, & ligna igni, vir autem maledi-
 cus ad tumultum rixæ. Sic Hieronymus contra
 Ruffinum. Aquila. Vir autem susurro. Symmachus.
 Vir dolosus. Theodot. Vir murmurator. In Primi-
 tiuis subest *אשמתנין* *Ismidianim*, ex radice *תנן*
dum, quæ significat litigare, & pronuciare. Ita-
 que sic restitui debet: *Vir contentio num*, seu *ver-*
bosus. Hinc natæ supra scriptæ translationes.

Sententia huius est admodum perspicua. *Sicut*
carbones ad prunas, id est, quemadmodum carbones
 ocyus concipiunt ignem, & in prunas vertuntur,
 & sicut ligna aëria celerius flammam arri-
 piunt: sic homo biliosus, & stomachabundus ce-
 leriter irascitur, & pugnas rixasque ob leuissimas
 causas excitat. 121.

Septuaginta interpretes sic extulerunt. *Crati-*
cula carbonibus, & ligna igni, vir autem maledicus ad
tumultum rixæ. id est, Quemadmodum ferrea cra-
 ticula subiectis carbonibus ignita tangentis manus
 calore suo adurit, & fuligine sua inficit: ita etiam
 vir ad maledicta, & probra iacienda petulans, cum
 ipso conuersantes homines vrit, ad iracundiam
 proritat, atque conuitiis suis identidem polluit, &
 notas dedecoris illis affingit. Aliter etiam compa-
 ratio conformari potest ad hunc modum. Sicut cra-
 ticula carbonibus imposita ab eisdem non solum
 ignitur, sed etiam fuligine multa fuscatur: ita etiam
 qui cum homine maledico agit, non modò auditis
 eius conuitiis ad furorem inflammatur, & rixarum
 ac contentionum plures causas habet, sed etiam
 multis modis à conuitiatore scædatus, sui honoris,
 ac famæ iacturas sentit. Hunc ad sensum allicien-
 da est posterior comparationis pars: *Et sicut ligna*
igni. id est, Quemadmodum ligna subiecto igne
 accenduntur: si vero incendium extinguatur, ad-
 usta ac torrida manent: sic etiam qui cum homine
 iracundo, & maledico conuersantur, ad conten-
 tiones & rixas passim inflammantur: quod si ri-
 xæ & contentiones tandem aliquando restinctæ
 fuerint, certe ab acceptis contumeliis torridi, &
 ab iniuriarum notis adusti nunquam non manent.
 Itaque Salomon id consilii dat in hoc versu, ne
 cum stomachabundis, biliosis, maledicis, aut de-
 tractoribus ineamus commercia, quia hi conten-
 tionum, & simultatum plures causas offerunt, &
 suis etiam conuitiis indelebiles sæpe notas sociis
 suis imprimere consueverunt. Vide plura in hæc
 sententiam supra cap. 15. vers. 18.

XXII. Verba susurronis quasi simplicia, & ip-
 sa perueniunt ad intima ventris.

Locus iste occurrit supra cap. 18. versu 8. vbi
 non perfunctoriè illius expositionem tran-
 egimus.

XXIII. *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile: sic labia tumentia cum pessimo corde sociata.*

122.

Quomodo si argento, &c. Hebræa ad verbum sic efferenda sunt. *Argentum scoriarum obductum super testam, labia ardentia, & cor malum.* Pro tumentibus labiis subest vox *דלקים* *dolekim*. Symmachus restituit, *Labia inflammantia*. Aquila, & Theod. *Labia ardentia*. Caietanus. *Comburentia*. Pagninus. *Succedentia liues*. Isidorus Clarius. *Labia blandientia*. Chaldæus sic vertit. *Sicut argentum faculentum quo opertum est vas fictile, sic labia incensa cum corde pessimo.* lxx. verò longè aliter, nam duas omnino valde diuersas sententias ex vna conformare videntur. *Argentum*, inquit, *datum cum dolo, tanquam testæ reputatum.* Et subinde, *labia lenigata cor occultant triste.* In quibusdam codicibus est. *Labia dolosa, &c.*

Caiet.

Locus istius sententiam obscuram reddit similitudinis additæ difficilis conceptio: Nam comparatio ducta ex argento sordido, & vase fictili, multis modis conformari potest. Caietanus quidem similitudinem peti existimat ab argenti scoriis testâ inclusis, hoc modo. *Crediderim ego (verba sunt Caietani) quod argenti scoria posita sit in vase fictili, ita quod contineatur vase fictili, & cooperiatur similiter vase fictili, quod appellatur testum (vulgò cobertera) & similitudo sit, quod cor malum assimilatur scorie, & labia comburentia assimulantur fictilibus incensis igne purgante scoriam.* Coniunctio autem coniunctioni respondeat: *quemadmodum enim intus scoria, & foris testâ incensa iunguntur, & ambe mala sunt, ita cor malum, & labia ardentia iunguntur, & ambo iniqua sunt.* Hactenus Caietanus, cuius verba alioqui obscura sic capio. Sicut argenti scoria vase fictili inclusa, & à subiecto igne liquata, eius latera implet, & cum ipso ad amussim, sordidum scilicet cum sordido, & vile cum vili cohæret: ita etiam cor malum cum labiis item malis accommodatè iungitur. Ceterum hæc interpretatio (mea quidem sententia) iacet ac vilis est. Quapropter, si ita libeat similitudinem sumi ab argento impuro vase fictili incluso, comparatione hanc ad conflatoriam artem referri mallet: nam argenti, & auri metalla in testaceis vasis conflari & purgari consueverunt, ita vt sensus sit. Sicut argentum scoriis sordidum vase inclusum fictili à subiecto igne examinatur, & falsum reprobumque inuenitur, sic etiam cor prauum in homine ipso penitus immersum, per labia ardentia dignoscitur ac deprehenditur: id est non secus per verba labiis pronuntiata mali cordis prauitas exploratur, quam argenti sordes, & fæces per ignem in vase conflatorio.

123.

Vatablus.

Reliqui interpretes ex aduerso comparationem ductam existimant ex vase fictili, quod argentum sordidum aut includit, aut operit, aut incrustat: sed non vna illa mens. Vatablus sic commiscitur, *Sicut argentum non purgatum superinductum testa sic labia mala, & cor malum.* Quasi dicat, qui corde atque ore identidem mali sunt, similes sunt argento impuro superinducto rei vili, id est, nihil illis non vile: nihil non sordidum, quandoquidem intus, & extra prauis sunt: sed huic expositioni parum tribuo.

Isidor.

Isidorus Clarius cum locum istum sic extulisset, *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile,*

A sic labia blandientia cum pessimo corde. Significat, inquit, dupliciter hominem decipi in eo vase, dum credit scilicet totum vas esse argenteum, & argentum esse purgatum & bonum. Similis error contingit in homine simulatore, qui cor, animumque prauum claudens, labiis tamen lenocinatur, & blanditur: Nam qui illi si tem adhibet, dupliciter aberrat: credit enim illum bono atque grato animo esse præditum, & insuper putat eas benevolentia significationes externas veras, & minime simulatorias esse. Hæc tuam interpretatio mihi non probatur. Quapropter iuxta præf. tam lectionem aliter hic locus edisseri potest hac ratione.

B Describit Salomon hominem simulatorem, qui cor pessimum sub quodam labiorum lenocinio penitus celat, atque ita fatur. Quemadmodum si quis vas aliquod figlinum argento sordido, id est, plumbi, aut alterius ignobilioris metalli fæcibus mixto imbuiere seu deargentare velit: sic ille, qui cor animumque subdolum verborum blandimentis occultare satagit. Nam primò argenti mixti splendorem deterioris metalli mixtura citius hebetat & decolorem reddit, deinde si exterior illa argenti facies exteratur, aut perfricetur, testaceum, quod intus latebat, apparere incipit. Non aliter simulator: nam primò verborum illæ blanditiæ, quibus tanquam sordido argento suam tegebant malitiam, paulatim desciscunt, & suam falsitatem præ se ferunt, ac denique vsu ipso, & consuetudine, velut extrita perfrictaque simulatione animi prauitas deprehenditur.

Iansenius & Baynus aliter similitudinem istam accommodant. *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, &c.* id est, *Quemadmodum si quis argentum faculentum testæ superinducat, conueniente illi ornatum addit, iuxta peruulgatum illud proloquium, Dignum patella operculum.*

Sic etiam in eo, qui cor animumque prauum celans labia gerit inflammata, & ardentia, id est, verba pronuntiat iræ & indignatione plena, vel quæ aliis iram & indignationem immittant, labia certe cum corde cohærent, & verba animo respondent. Vterius etiam, vt comparationi huic leporem adaugeant, sic addunt: Sicut argentum sordidum testam quidem tegit, sed tamen illius pretium nequaquam auget: ita etiam labia blandientia cordis malitiam tegere quidem possunt, sed non reddunt cor melius, aut honestius: non enim labia bona cor honestant, sed è conuerso cor bonum labia bona reddit. Cæterum, hæc etiam expositio, mea quidem opinione, futilis est, & sententiam satis insulsam offert. Melius fortasse Arboreus, qui sic habet. *Ita se habent verba tumida, & superba, cum pessimo, & venenato corde, quemadmodum se habent scoria puri argenti cum vase fictili, quod non solet vero, & puro argento ornari, sed duntaxat apparenti, &c.* Nec verò insuetum est hodie vasa fictilia argenteis, vel aureis quibusdam maculis imbuiere, adeo vt aurum vel argentum ad speciem offerant. Itaque mens Arborei talis est: quemadmodum si argento sordido, id est, non solido ac vero, sed falso, adulterino & apparenti, inficiat quis vas figlinum, ocyus perfrictio elutoque argento testa retegatur: ita etiam qui verba superba præterdit, id est, qui se probum & iustum verbis per hypocrisim prodit, & nequitiam subtus claudit, exteriorem illam probitatis, & iustitiæ speciem citius deponit, & latentem nequitiam detegit.

126.

Antiquorum interpretum agmen claudit Beda, qui mysticam expositionem huic loco aptauit, ad

hunc modum. *Quid per argentum sordidum nisi A scientia corrupta? & quid per vas fictile nisi cor carneum? quod cum de ipsa scientia se ornare satagit, in sua locutione contra veritatem tumet, & magister erroris fit. Hęc ille.*

Cæterum nescio quid in præscriptis explicatio-
nibus desiderare mihi videor: nulla enim est, quæ
similitudinem, aut similitudinis accommodatio-
nem concinnè satis efformauerit. Quapropter duas
vltius huius loci interpretationes, & optionem
lectori offerendam cenſeo. Illud vero cum primis
certum esse debet, Salomonem de hypocriti ver-
ba facere, quæ latentem in animo prauitatem ver-
bis dissimulat. Deinde notandum, argentum ex
suis fodinis non purum extrahi: nam plumbo, stanno,
aut etiam stibio plerumque hæret, quinimò
hec tria plumbum, stannum, & stibium nihil aliud
nisi argenti sordes ac excrementa sunt. Addo etiam
id, quod nulli notum non est si stanni massam eo
modo, quo ab argento separatur, quæ apud nostras
dicitur *almartaga*, antequam excoquatur, &
in purum stannum concreſcat, ad imbuenda fi-
ctilia adhiberi solitam, vulgo dicimus *vedriar*. Nec
dispari vsu stibium ad inficienda testacea vasa ac-
commodari consuevit, quod a nostris etiam dicitur
Alcohol. Ad Georgium Agricolum lib. 9. &
alios rei metallicę perſerutatores. Salomon ergo
sic habet. *Quomodo si argento sordido ornare velis
vas fictile, &c.* Vel, vt est in Primitiuis ad verbum.
Argentum scorsarum ob ductum super testam. id est,
veluti si scoriæ vel excrementa argenti, nimirum
el almartaga o *el alcohol*, ad imbuendam ac perfun-
dendam testam adhibeantur. Quasi dicat, vir hy-
pocrita, qui cor nequam subdolis verbis, & falsa
probitatis ostentatione contegit, similis est fictili
vasi scoriis argenteis imbuto, id est, *es como vaso
de barro Vedriado*, quod exterius candorem
argenti mentitur, intus vero testam, lutum-
que decolorem includit, quod fortasse etiam
argenti minime lentam firmitatem præ se fert, sed
re verà fragile est. Non aliter vir hypocrita, & si-
mulator, simplicitatem, & animi candorem ver-
bis, & reliqua conuersione ostentat, dolos verò,
peruersasque affectiones deintus celat, æqui
bonique tenax foris apparet, sed fragilis, & ad
omnem malitiam labilis, ac deciduus est.

Sed licet huic primæ expositioni plurimum de-
feram, tamen aliam iamiam subnecto, quæ mihi
non parum acribet. Præmittere autem oportet,
solenne admodum antiquis fuisse eorum vasorum,
quæ ex deteriori aliqua materie compingebantur,
summa labra auro, argento, vel aliis metallis in-
cludere. Lege Athenæum Dypnosophistam lib.
11. cap. 3. vbi postquam dixit vasa cornea, vel he-
deracea veteribus in vsu fuisse, atexit eiusmodi
vasis aurea vel argentea labra addi solita: nam ex
Ætichilo sic producit. *Pro poculis cornibus vtentes,
quibus aurea addita sunt labra.* Et infra sic habet.
*Reges Pæonum in Philippica secunda, scribit Theo-
pompus, pocula ex cornibus facere solitos, quibus la-
bra, vel auro vel argento operiebantur.* Lege ibi
plura. Salomon ergo in hoc loco eos inculat, qui
alios ad pietatem, & honestatem erudiunt, ipsi ve-
rò improbi ac scelesti sunt: eos, inquam, qui docent,
sed non faciunt. Et quidem *argentum sordidum*
non ideo appellat, quia sordib. aut scoriis permix-
tum sit, sed quia fictili additum vasi sordescit, ac
vile fit. Itaque sensus est. Quomodo si argento sor-
dido ornare velis vas fictile, id est, quemadmo-
dum qui vasi cuiusdam testaceo labrum argenteum
imponeret, ipsius argenti gloriam, & æstimationē

extenuaret: nam vili ac sordide additum materia
vileſcere ac sordescere necellum est, sic *labiatu-
mentia cum pessimo corde sociata*, labia tumentia
appellabat labia superborum doctorum, qui probi-
tatem & honestatem non quidem ex affectu ipsius
honestatis, sed ex tumore, & elatione aliis suadent.
Quasi dicat: ad eundem modum labia bona do-
ctoris mali, & fastuosi: nam quamuis eatenus ar-
gentea. i. pretiosa videantur, quatenus aliis hone-
statem instillant: tamen quatenus sub eiusmodi la-
bris cor improbum & vitam impuram, moresque
peruersos lubesse constat, id quod in ipsis argenteū
est, vileſcit atq; sordescit. Aliter etiam melius præ-
missam similitudinem adaptare licet ad significan-
dum quoddam hominum valde proprium, & ger-
manum vitium: in his enim labia plerumque cordis
prauitatem in se exprimunt, & qui animum im-
probum claudunt, improbitatem atque malitiam
sua verbis testantur, iuxta illud Christi Domini
testimonium Matth. 12. *Quomodo poteritis bona lo-
qui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os
loquitur.* Ergo per *labia ardentia*, vel, *tumentia*,
ea intelligo, quæ verba iracunda, libidinosa, aut
superba effutiunt. Sensus autem sic efformari de-
bet. *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fi-
ctile.* id est, Quemadmodum si vasi cuiusdam figlino
labra addere velimus, non illa quidem ex argento
puro & defæcato conformamus, sed ex argenti ip-
sius scoriis, scilicet ex plumbo aut stanno: id enim
est dignum testa instrumentum: Ita etiam cum
animo & cordi pessimo, quod testæ in morem, fra-
gile atque imbecille est, non cohærent labia pura,
& candida, sed impura prorsus, ac fordida: quasi
dicat: Verba semper cordi respondent, & laten-
tem penitus malitiam labia depromunt, Concinit
autem hæc expositio cum sequenti versu. *Labii
suis intelligitur inimicus, cum corde tractauerit
dolos.*

Venio ad translationem lxx. quæ non parum
etiam difficilis est. Sunt qui putent, sacros illos in-
terpretes duas inter se minime cohærentes senten-
tias ex vna conflasse, atque adeo primam partem
sic exponunt. *Argentum datum cum dolo tanquam
testa reputatum*, id est, donum quodlibet quan-
tumuis pretiosum, quod animo fallendi ac deci-
piendi cuiusdam ab aliquo confertur, detectis de-
mum dolis, ac technis despicitur, ac pro nihilo
habetur: nam doni, seu beneficii magnitudinem
ex donantis intentione animoque metiri solemus.
De secunda veto parte sic censent. *Labia lanigata
cor occultant triste*, id est, sepe admodum contingit,
vt qui lætitiæ, & gaudium verborum lenita-
te mentiuntur, sub ea gaudii simulatione tristem
prorsus, & amarum animum celent. Cæterum
hæc interpretatio, & vtriusque hemyſtichii separa-
tio, ac discretio, mihi nequaquam probatur: at-
que adeo vnam ex vtroque sententiam confor-
mandam existimo. Præmittere autem oportet,
cor triste in hoc loco idem esse, ac *cor inimicum*,
& aduersum: nam hæc præfatæ vocis acceptio
aliàs in Scriptura solennis est. Eccl. 22. *Ad ami-
cum si aperueris os triste, non timeas, est enim con-
cordario*, id est, si iratus contra illum verbum ali-
quod protuleris, & alibi passim, Sensus ergo sic
habet. *Argentum datum cum dolo tanquam testa
reputabitur.* (Illud verbum *cum dolo* non ita ac-
cipio, vt referatur ad donantis intentionem, sed
ad ipsummet argentum, ita vt *argentum cum do-
lo* idem sit quod *argentum falsum & adulterinum*,
vt cohæreat lectio Septuaginta cum vulgato tex-
tu.) Sumitur autem *argentum* hic pro moneta

127.

Georg.
Agric.

128.

Athenæus

Matth. 12.

129.

Eccl. 22.

argentea, hoc modo. Nummi argentei si adulterini sint, ac falsi, ad commercia nihil præstant, sed apud veros rerum æstimatores testâ viliores sunt, etiam si argenti speciem præ se ferant. Subnectit, *Labia laugata cor occultant triste.* id est, His nummis similes sunt adulescentes, qui verbis suis aures deliniant, & sub eo verborum lenocinio cor inimicum gerunt, qui videlicet amicitie speciem verbis mentiuntur: inimicitias verò, & discordias animo celant. Hos autem prudentes, sagacesque viri boni rerum æstimatores pro testis reputant, id est, eorum gratiam fragilem omnino ac mutabilem existimant. Et quidem nummorum adulterinorum similitudo ad falsos amicitie simulatores notandos obuia satis est apud auctores.

130.

Hæc tamen expositio, qua translationem Septuaginta interpretum donandam putauimus, me perurget ad lectionem Vulgatam, vt redeam: existimo enim illam eidem sententie accommodatissime aptari posse: nam si à vasis argenti sordibus delibutis: vulgò *vedriados*, ducatur similitudo, erit sensus. *Sicut si argento sordido ornare velis vas fictile, ita labia tumentia cum corde pessimo: Labia quidem tumentia appellantur labia assentantia & blandientia, vt tenet Clarius, id est, Sicut eiusmodi vasa ad speciem candida argenti faciem præterdunt, sed tamen fragilia valde sunt: ita etiam adulatorum gratia veram amicitie speciem oculis offert, tamen fragilis admodum est, ac vitrea, atque adeo illam quolibet fortunæ commutatio defringit. Quod si comparatio petatur ab his vasis, quæ testacea cum sunt, labris plumbeis vel stanneis perornantur: aptissime etiam in adulescentes cadit: nam quatenus fictili poculo eorum gratia similis dicitur, eiusdem infirmitas, & imbecillitas notatur: quatenus autem eorundem labra, id est, verba, & oratio, cum labris plumbeis, vel stanneis illi vasi additis conferuntur, quæ argenti speciem habent, sed vilissima sunt, eorundem verborum adulterina falsitas accommodate significatur. Pergo ad alia.*

XXIV. *Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tractauerit dolos.*

131.

Labiis suis, &c. Posteriora verba ex Primitiuis sic effertenda sunt. *Et interiori suo ponet dolum.* Alii integrum locum sic restitunt. *Labiis suis sit alienus, vel extraneus inimicus, & in corde suo ponit malum.* Nata est hæc diuersitas ex accipiti significatione verbi נחם Nacham, quod significat intelligere, & abalienare. Chald. *Et in interioribus suis reponit fraudulentiam.* lxx. *Labiis omnia annuit inimicus, in corde autem suo fabricatur dolum.* Aquila, Symmachus, & Theodorus concinunt cum Vulgata. In quibusdam codicibus est. *Labiis suis non intelligitur inimicus, sed mendum hoc abstergendum est.* Nam vulgata lectio hunc sensum reddit. *Labiis suis intelligitur inimicus, &c.* id est, Inimici quantumuis intestinum odium, præterita gratia, dissimulare velint, tamen cautus quisque, ac prudens homo, qui eius verba attentius obseruauerit, eas, quas animo versat, fallacias, technasque facile deprehendet. Itaque Salomon id sibi vult, homini versuto, ac prudenti facile admodum esse ex his, quæ hosti excidunt, verbis, hostilem eius animum assequi, & fraudes aucupari. Nam quantumuis labiis suis blandia-

atur, & assentetur, ipsamet assentatio, & blanditiæ repostos in animo dolos satis produunt: fucata enim, & adulterina imprudentes quidem, ignarosque deludunt, non ita sapientes cordatosque viros. Sed audiendi sunt Septuaginta interpretes, qui mentem Salomonis allequuti, quoniam modo ex verbis aduersari animum aucupari liceat, perspicuè definiunt. *Labiis suis omnia annuit inimicus, in corde autem suo fabricat dolos.* Quasi dicant: is quisquis animo lenocinandi, & assentandi omnia nostra sibi probari annuendo demonstrat, nec nobis errores nostros aliquando obiicit, is, inquam, non amicus, sed subdolos aduersarius est, fallacias, fraudesque animo suo versans: omnis enim adulator, & assentator, verus inimicus, falsusque, & aduersarius amicus est: sed hanc sententiam abhi locupletauimus.

Alteram expolitionem videtur exhibere illa translatio, *Labiis suis sit alienus, seu abalienatur inimicus, & in corde suo ponit malum.* Sed tamen illius sensum ad præfatam Vulgati textus sententiam allicere integrum, ita vt mens Salomonis hæc sit. Verbis suis à semetipso alienus sit aduersarius, id est, à se ipso dissidet: nam cum verba præterdat lenia, atque mollia, animum tamen abdit, occultique hostilem; & malum quod meditatitur penitus celat. Potest etiam hæc translatio alio sensu donari, qui adulatorum mores apprime declarat (illud enim certum rarumque esse debet, Salomonem hic in adulescentes inuehi) *Labiis, inquit, suis alienum se exhibet inimicus.* Id est, assentator, falsus amicus, & verus hostis, non solum verū odium adulatione, sed etiam adulationem ipsam ficto quodam odio dissimulare contendit: ideo in quibusdam alienum se exhibet, id est, quædam contradicit, & affectata libertate reprehendit, quò magis sub ea libertatis specie delitescat. Hos mores adulatorum apta quadam similitudine describit Plutarchus in Moralibus hisce verbis. *Obsoniorum egregii artifices condimentis non nihil auferi admiscunt, quo dulcedinis tollant satietatem: sic adulescentes fictam quandam libertatem, ac sinceritatem nonnunquam admiscunt, vt nunquam magis adulescentur, quam cum videntur obiurgare, ac liberè loqui.* Subtexit Salomon.

132.

Plut arch.

XXV. *Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitie sunt in corde illius.*

Quando submiserit, &c. Heb. Pagninus. *Quando extulerit orando vocem suam.* Regia ex R. David. *Cum gratificauit vocem suam.* Tigur. *Quando voce sua benignus est.* Chaldæus. *Si deprecabitur voce sua.* lxx. *Si te rogauerit voce magna.* Hieronymus contra Rufinum. *Si te rogauerit inimicus tuus parcens voce magna.* (sed restituendum puto precans.) Hanc dissimilitudinem peperit verbum חנן Chanan, quod hic subest, significat enim rogare, gratificari, & misereri.

133.

Quoniam septem nequitie, &c. Heb. *Quoniam septem abominaciones in corde illius.* Chald. *Quoniam septem mala sunt in corde eius.* Alii. *Septem abominanda in Originibus est* חרערה Thoghboth, quæ vox abominaciones, execrationes, & in vniuersum omnia mala, ac molesta adsignificat.

Locus iste conferendus est cum superiori. *Quando submiserit vocem suam, ne credas ei, &c.* Hæc verba duplicem ad sensum vocari possunt. Prior est eiusmodi. *Quando homo subdolos, qui*

tecum aliquando inimicitias gessit, suppressa voce, ac secreto conuenire te voluerit, vt de aliqua re te seorsum commonefaciat: (id enim esse solet gratiæ ac benevolentia non leue argumentum:) noli ipsi confidere. Posterior est: Si quando hostis tuus summissa voce, humilitatis, ac deiectionis signa præbens, pronus videlicet, ac supplicabundus te alloquatur, nequaquam ipsi fidem adhibeas. Aliæ lectiones parum dissident à Vulgata. Hieronymus. *Quando venerit parcens voce magna.* Quando scilicet tibi accepta damna condonaauerit, & omnium iniuriarum amnistiam, & obliuionem pollicebitur *voce magna*, id est, clara, ac perspicua: ita vt voces ipsas animi à se concepti testes aduocare videatur, netum quidem ipsi credere oportet. Chaldaeus. *Si deprecabitur voce sua*, vel, vt reddit Pagninus, *si extulerit orando vocem suam*, id est, si damni dati, & iniuriæ illatæ veniam poposcerit contenta voce, vt te ad clementiam & humanitatem flectat, ne ipsi acquiescas. Rabi David, ac Regia. *Quando gratificauerit vocem suam.* Id est, cum ipsam vocem delinierit, ac verbis mollibus animum tuum leniare, & ad gratiam benevolentiamque adducere conabitur: vel cum ex adulatione, & assentatione ea dixerit, quæ tibi grata, & incunda fore sperat, netum quidem ipsi fidendum est. Itaque præfatæ translationes præcipuas quasdam benevolentia, & gratiæ significationes cohibent, quibus vt solent versuti, ac subdoli inimici, vt suos ludificent aduersarios. Cæterum vt versus iste cum superiori cohæreat, qui de adulatore à nobis supra interpretatus est, hunc enim nomine inimici capiendum diximus; quia hostis cum sit, amicitiam & gratiam mentitur: ex his omnibus translationibus & expositionibus eas esse præferendas puto, quæ in ipsum adulatorem quadrare possunt. Subdit autem rationem, ob quam huic homini credere non oporteat.

Quoniam septem nequitia sunt in corde eius. Hugo Cardinalis per septem nequitias septem illos spiritus nequaquam notari putauit, de quibus Saluator ait. *Et assumit septem alios spiritus nequiores se.* Alii septem capitalia peccata, ita vt sensus sit: Cauendus est certe homo ille: nam vt conceptum in te odium effundat, septem capitalibus delictis nequaquam pareat: superbia illa præsto erit, vt te despiciat: ira, vt illam contra te exerat: auaritia, vt fortunas tuas diripiat: inuidia, vt de tua angatur felicitate: luxuria, vt si fieri possit, thalamis infidetur tuis: gula, vt tuis etiam delictis victitet: ac demum pigritia, & acedia, ne tibi laboranti succurrat.

Alii sunt qui putant locum istum sic conuerti posse. *Quia septemplex nequitia est in corde illius:* vna videlicet perniciosior, grauiorque nequitia, quæ septem ad instar obrinet. Quod si roges, quænam sit ista cædeo gratis, tetraque nequitia aiunt, aut superbiam, aut inuidiam, atque adeo duplicem sensum conformant. Alter est, cum inimicus tuus sese dimittit, ac deiecit, suæque deiectionis ac demissionis signa depressa voce præbet, ne ipsi fidem habeas: nam illa nequitia, quæ ceteras facile superat, latet in corde ipsius, superbia nimirum, quæ te despicit & pro nihilo ducit: ac proinde nactus occasionem tibi insultabit, cathedramque tuam tibi ambiet. Simile est illud Ecclesiastici cap. 12. *Ne credas inimico in aeternum.* Et subinde. *Et si humiliatus vadat curuus ad iuce animum tuum, & custodi te ab illo. Non sternas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne forte con-*

uersus in locum tuum inquirat cathedram tuam: & in nouissimo agnoscas verba mea, &c. Alter vero sensus est de inuidia, & liuore: hanc enim septemplex nequitiam appellari propterea dicunt, quia omnes nequitia partes cohibet. Itaque ait Salomon, cum inimicus tuus ad pedes tuos prouolutus sese depresso, & tuam fortunam, & felicitatem suspicere & admirari videbitur: ne illi fidendum putes: nam tunc vel maxime liuore penitus carpitur, & de tua gloria & felicitate inuidus angitur. Concinnunt etiam cum hoc sensu verba Eccles. supra citata, nam in textu sic iacent. *Ne credas inimico tuo in aeternum, quia sicut aramentum aruginat malitia eius.* Quæ verba de inuidia & liuore capienda esse existimo, ita vt sensus sit: Aduersario tuo nullo tempore confidas, quia sicut ferrum rubigine, & æs æruginem, sic animus illius ob tuam felicitatem inuidia, & liuore carpitur, & exeditur. Et sane inuidia, & rubiginis similitudo perquam vulgata est. Basilii in Homilia de inuidia. *Quemadmodum, inquit, venenum ferrum, sic inuidia eos, qui eam possident, consumit, ac vastat.* Appellat autem rubiginem ferri venenum. Et Stobæus in sermone de inuidia ex sententia Perianthi. *Sicut arugo ferrum, sic inuidia inuidi animum conterit.* Antisthenes etiam apud Laërtium libro sexto capite primo. *Sicut ferrum absumitur rubigine, ita inuidi suo ipsorum vitio contabescunt.* Ferrum enim etiam nemo ledat, ex se gignit unde corrumpatur. Plutarchus etiam, apud Antonium Monachum in Melissa. *Vt ferrum, inquit, æruginem consumitur, sic inuidi suo ingenio.* Mitto alia.

Sed quamuis hæc non insulse dicantur, tamen puto hic verba sincerius esse capienda. Nam Salomon septenam nequitiam multiplicem, & variam appellat iuxta communem loquendi morem scripturæ sacræ, quæ frequenter admodum determinatum numerum pro indeterminato, & indefinito accipit: sed frequentius quidem septem pro multis vsurpat. Mitto huius rei exempla valde obuia. Itaque sic ait, Ne ei, qui tibi assentatur (hunc enim in hoc loco aduersarium vocat, vt nuper monui) facile credas te, quia septem nequitia sunt in corde illius, id est, quia plures valde dolos, ac versutias animo suo versat, atque adeo cum vnâ aliquam ipsius nequitiam assequutus fuerit, aliæ atque aliæ deteriores occultæ supersunt.

XXVI. *Qui operit odium fraudulentè, reuelabitur malitia eius in concilio.*

Qui operit, &c. Hebr. *Operiet se odium in desolationem: manifesta erit malitia illius in concione.* Alii verò sic restituunt. *Odiū si regitur in vastatione, aut contritione. lxx. Qui occultat inimicitiam componit dolum: reuelat autem sua peccata bene notus in concessib.* Symmach. *Qui occultat odiū per captiones, reuelabitur malitia eius in Ecclesia.*

Hæc quoque sententia ad adulatorem & assentatorem pertinet, qui odium animo suo claudit, exterius vero amicitiam mentitur. Ergo interpretes vulgo locum istum sic exponunt. *Qui operit odium fraudulentè* id est, qui per quandam gratiæ, & amicitia simulationem odium in animo inclusum tegit, eius vtique malitia, & prauitas tandem aliquando, non quidem priuatè, sed publicè multitudini retegetur, & palam fiet: nihil enim simulatum diuturnum est. Itaque aucto-

134.

Luc. II.

135.

Eccles. 12.

Basilii

Stobæus.

Laërtius.

Antonius.

136.

137.

resisti putant sermonem ad fraudulentum amicum intendi, quasi illi Salomon suadeat, ne per fraudem beneuolentiam prætendens odium internum dissimulare velit, quia nimirum aliqua fraus eius publice deprehensa, ipsius nequitiam tandem aperiet.

138.

Cæterum hæc interpretatio humilis valde semper mihi visa est, atque adeo aliam subiiciam, quæ accommodatior videtur. Pro concilio in Hebræis subest, חַפְזֵי קַבָּל, quæ vox anceps quidem est: nam sumitur sæpius pro multitudine ac cœtu hominum, aliquando pro iudicum ac Senatorum confessu lxx. subiecerunt, אַוֶּדֶן פִּיָּךְ quod nomen concessum iudicum adsignificat, ad quem delicta & crimina deferuntur, vt pro meritis puniantur. Ergo iuxta hanc concilii significationem, quæ huic loco longe melius aptatur, quàm alia, sic verba edifferenda sunt. Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in concilio. Quasi dicat: adulator versutus, qui gratiam, & amicitiam falsa officii, & beneuolentiæ simulatione mentitur, in concilio referat malitiam suam: id est, si quando illum, cui prius assentabatur, è gradu suo excidere, & conuersa fortuna ob crimen aliquod ad tribunal iusti contigit, tunc quidem suam enomens, effundensque prauitatem, & amici personam, quam prius ad speciem induerat exuens, acrius illi succenset, sitque demùm, vt qui prius eius, cui adularatur, scelera & flagitia per allentationem commendabat, & laudibus in cœlum vsque uehebat: is demùm testis euocatus eadem testimonio suo longe seuerius incuset, ac damnet quàm alii, quod quàm sit ad mores adulatorum natum, nemo non videt.

139.

Quod si per concilium, cœtum quidem ac multitudinem hominum in vniuersum accipi velis, sententia erit eiusmodi. qui operit odium fraudulenter. i. qui amicitiam & gratiam falsa odii dissimulatione exterius prætendens animum suum occulte lædit, reuelabitur malitia eius in concilio, id est, fraus eius tandem aliquando retegetur, & palam omnibus fiet, quasi dicat, omnium hominum odium sibi consciscet. Omnes enim graui odio prosequuntur, & à sua familiaritate, & gratia remouent eos, qui ea ratione fraudes, ac dolos familiaritatis specie contegunt, vt data occasione noceant. Adde etiam quia satis accommodata poena in illos statuitur qui secretè, atque adeo tuto, & sine discrimine volunt lædere, si eorum fraus publicè aperiatur: atque adeo non solum commune odium sibi accersant, sed etiam eum, qui læsus est, ad vlciscendam iniuriam exagitant. Hugo, Dionysius, & alii, per concilium eam hominum congregationem intelligunt, quæ in extrema iudicii magni die cogenda est, cui demùm delicta innotescunt in occulto perpetrata: sed (me iudice) secunda expositio præferenda est.

XXVII. Qui fodit foueam, incidet in eam, & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.

140.

Qui fodit, &c. Hebr. non dissonant. Chald. etiam concinit. Septuaginta sic habent. Qui fodit foueam proximo suo, incidet in eam, qui autem voluit lapidem super se ipsum voluit.

Huius loci perspicua valde sententia est: nam duplici valde accommodata similitudine significat Salomon dolos & insidias in eum recidere solitas, qui ipsas aliis fraudulenter struit. Altera est eius-

A modi, Qui fodit foueam incidet in eam. cuius aliàs in Scriptura sacra per frequens vsus est. Psalm. 7. Incidit in foueam, quam fecit, Eccl. 10. Qui fodit foueam incidet in eam, & qui dissipat sepem: mordebit eum coluber, & Eccl. 27. Et qui foueam fodit incidet in eam, & qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo, & qui laqueum aliis ponit, peribit in illo. Quidam ergo hæc priora verba sic exponunt. Qui alteri foueam, id est sepulchrum, aperit, vt ipsum secretè peremptum condat, is quidem sibi aperit, vt nimirum ipse demùm in illam inferatur: ita enim sæpius ex Dei providentia euenire solet: vt contigit Aman, qui in excessam crucem, quam erexerat Mardochæo, ipse actus est, & in sepulchrum, quod fortasse etiam eidem effoderat, ipse illatus fuit. Cæterum hæc expositio mihi violenta, & coacta videtur: puto enim Salomonem similitudinem ducere à venatoribus, qui in semitis ferarum foueas, seu scrobes aperiuunt, & deinde ad speciem deluper componunt, & complanant, vt feras illac gradientes deludant, incautasque comprehendant. Atque adeo sensus est. Qui fodit foueam, incidet in eam, id est, qui ritu venatorum alteri scrobem effodit, in quem incidat, ipse quidem eadem, aut simili arte capietur. Quasi dicat, qui alteri dolos, & insidias parat, ipse iisdem aut similibus fraudibus, insidiisque peribit. Sic plerique ex interpretibus. Ego vero aliquid ad huius sententiæ energiam apponendum existimo: puto enim Salomonem non eò spectasse vt significaret eum, qui alius dolos instruit, fraudibus quoque aliorum patere; sed id prorsus sibi voluisse, hominem dolosum, & insidiatorem suis ipsius dolis, insidiisque comprehendi, ita vt iisdem artibus, quibus aliis nocere parat, sibi perniciem consciscat. Quod certe passim contingit his, qui artifices sunt fraudum & insidiarum, sicut in vno Herode expendit Petrus Chrysologus serm. 152. Fremit, inquit, dolositas se deceptam, & in se fraus reuersa colliditur. Herodes stridet cadens ipse in laqueum, quem tetendit, & infrâ. In altum tendens cadit ab alto, cœlum pulsans, intrat profundum, in se vadit qui vadit in Deum.

Chrysol.

Idem sibi vult secunda huius sententiæ pars, quæ sic habet. Et qui voluit lapidem, reuertetur ad eum. Sed de vi huius allegoriæ non vno modo sentire licet. Plerique interpretes ita similitudinem conformant. Quemadmodum si quis ex edito loco lapidem in alicuius verticem deuoluat, ac rursus lapis ad illius verticem redeat, aut recurrat, ita etiam sæpius contingit, vt ea perniciem, quam aliis inferre paramus per fraudem, in caput nostrum recidat. Sed tamen hæc similitudinis accommodatio est plane violenta: fingit enim lapidem contra natiuam vim sursum redire, ac superiora loca reperere, è quibus deciderat, seu depulsus fuerat.

141.

Quapropter huius similitudinis accommodatorem aliter constru posse censeo hoc modo. Et qui voluit lapidem reuertetur ad eum, illud reuertetur, non quidem ad lapidem referri debet, sed ad eum, qui ipsum deuoluit, hoc sensu. Quemadmodum si quis lapidem è sublimi loco in alicuius verticem demittat, aut depellat, ac rursus ipse è sublimi deuolutus in eundem lapidem incurrat, illidaturque: Ita is, qui è fastigio alicuius dignitatis, ad quam euectus est, inferiores, subditosve sibi homines damno afficit, hoc certe pro meritis obtinet, vt inde depulsus, ac depressus, eadem, quæ aliis intulit, damna, subire cogatur. Hæc quidem, me iudice, aptius secundum naturam rerum dicuntur.

142

Quod si ulterius urgeas, & verbum reuertitur, ad lapidem reuocandum putes, tunc quidem vox illa *voluit*, non quidem capienda est pro, *deuoluit*, aut *deicit deorsum*, sed ita ut *voluit* perinde sit atque iacit. Et sane significationem istam recipit verbum Primitiuum: est enim *לגלג* *legolel*, ex radice *Galal*, quæ significat *rotare* ac *voluere*: nonnunquam etiam *iacitare*. Psalm. 36. *לגלג* Gol. i. *iacula cogitatum tuum in Dominum*, &c. (nescio an alibi) Erit ergo sensus. *Et qui voluit lapidem reuertetur ad eum*. i. quemadmodum si quis lapidem sursum iaciat, & hic rursus in caput ipsius recidat, sic ille qui aliis, sed tum maxime his qui honore, aut dignitate superiores sunt, perniciem molitur, eandem sibi accersit: ita ut locus iste concinat profusus cum illo Ecclesiast. 27. *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet, & plaga dolosa dolosi diuidet vulnera.* & subinde attextit Ecclesiast. aliam sententiam, quæ cum superiori expositione congruit. *& qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo.* Ita ut Ecclesiast. utramque sententiam videatur complexus. Translatio lxx. ad posteriorem sensum alluci debet.

Psalm. 36.

XXVIII. *Lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas.*

143

Lingua fallax, &c. Heb. *Lingua fallax odio habebit contritos suos, & os blandum faciet expulsionem.* Vatablus. *Lingua fallax odit, qui ipsam reprimit: & os blandum facit impulsionem.* Pagnin. *Lingua fallax odio habet contritos corde.* Alii quam plures. *Odio habet contritionem suam, vel conterentem se.* In Primitiuo est *דכחו* *Dachau*. Quapropter alii illud *Iod* putant esse notam regiminis gentiuu numeri multitudinis, atque adeo legunt *contritos suos, vel conterentes se.* Licet etiam reddere, *Contritiones sui.* Alii vero malunt illud *Iod* abundare, quod non insolens Heb. atque vocem esse singularis numeri, ideo restituant. *Contritionem suam, aut conterentem se.* Huius vero lectionis concordiam cum Vulgata translatione infra dabimus. Chald. *Lingua fallax odit vias veritatis, & os bifidum operatur ruinas.* Aquila, Symmac. Theodor. *& os lanigatum, &c.* Hanc etiam lectionum dissimilitudinē peperit verbum *חלח* *Chalak*, quod hic subest, significat enim *lenire, & blandiri*, aliquando etiam *partiri & diuidere.*

Non vna inter Hebrayzates prioris hemistichii expositio, nam hi, qui legunt, *Lingua mendax odio habet conterentes, aut conterentem se*, ita edisserunt. Homo qui mendacia, & fraudes lingua sua necit, odio prosequitur eos, qui ipsum falsa proflantem obiecta veritate cohibent. Itaque similitudinem ductam putant ab his, qui equos immixtis in ora frænis cohibent, ac cœrcent, ita ut sensus sit homines ad mendacia proferenda labiles, ac præcipientes, magno studio illos euitant, qui ipsos veritate, seu fræno quodâ ori indito, comprimunt, & ab insequendis fraudibus suis continent. Alii rursus expendentes vocem illam, *conterentes se*, similitudinem ductam putant ab iis qui nucem, vel quidpiam aliud duriori tegmine inclusum frangunt: ad hunc modum, *lingua fallax odio habet conterentes se*, id est, Illi, qui veritatis nucleum verbis fraudulentis, ac dolosis, quasi cortice quodam, contere, & celare contendunt, impense oderunt *conterentes se*, eos nimirum, qui fallaciæ, ac dolositatis cortice effracto, veritatis nucleum in lucem

A proferunt. Quod perinde valet ac si vulgati nostro sermone diceremus, *el hombre en ganador no puede ver a quien se las esiendo.* Nec abit ab hoc sensu nostra, & Septuaginta interpretum translatio. *Lingua fallax odit veritatem, sibi scilicet vera obicientem odit.*

Rursus parum apte ad superiorem interpretationem posteriorem huius carminis partem explicant. *Et os lubricum operatur ruinas.* Alii .n. putant, *os lubricum* appellari illud os, quod lubricam fidem habet. i. quod nequaquam sibi constat, sed (liceat sic dicere,) angullæ in modum lubricæ, elabitur, ac contineri, vel comprimi non potest, modo aiens, modo negans. Hoc igitur, inquit, os multorum ruinas efficit, quia dum simplices homines illi fidem adiiciunt, sibi ipsis ruinas construunt. Sed quis non videat huius expositionis cum superiori incoherentiam?

Alii ergo volunt, *os lubricum* appellari, quod nihil continet secretum, & arcanum, sed id, quid ipsi creditur, aut committitur, statim elabitur, & foras effluit: concinit autem hæc expositio cum translatione Sept. quæ sic habet. *Et os non rectum facit ruinas.* Græcè *ἀσεβὸν*, de cuius nominis vi alibi non pauca diximus, os nimirum apertum, & sine tegmine, quod commissa sibi arcana non contegit. Is ergo multis ruinarum causa, & occasio fuit, his nimirum qui secreta sua ipsi tuto credi posse putarunt: Huius etiam interpretationis cum superiori inconcinnitas perspicua est.

Quapropter duas huius loci magis germanas interpretationes subiiciam. Prior sic habet. *Lingua fallax non amat veritatem, &c.* duo vitia satis opposita insectatur Salomon: Alterum eorum, qui per actum & vafrutiem fraudes, ac dolos animo continent, & artificiosa quadam simulatione regcelant. Aliud vero eorum, qui illud quidquid ia buccam venerit, effutiant, & nihil per dissimulationem contegunt. Eos ergo, qui astutè & fallaciter res celant, sic carpit, *lingua fallax odit veritatem.* i. eiusmodi simulatores id habent sibi cognatum vitium, quod nunquam vera dicunt, sed assiduo alia, & alta mendacia nectunt, adeo ut vsu, frequentiaque mentiendi veritatem ipsam, qua nihil pulchrius, & amabilius est, odio immiti prosequantur. Illi verò qui ex aduerso nihil dissimulant, sed omnia animi sui sensa effundunt, sic exprobrat. *Et os lubricum* i. os illud, per quod omnia animi arcana e abuntur, vel, ut habent lxx. *& os non rectum.* i. os apertum & reclusum, quod nihil celat, *operatur ruinas.* i. passim prolabitur, ac ruit, Hoc est, multipliciter delinquit, ac peccat: nam multa loquentis multi sunt lapsus, atque errores. Itaque iuxta hanc interpretationem id Salomon suadet, uti inter duo illa præmissa vitia medium tenere velimus, ita ut neque per simulationem veritatem telemus, nec per multiloquium ea, quæ contere scere oportet, passim prodamus. Illud enim sine plerisque mendaciis, hoc vero sine multis erroribus perfici nequit.

Sed quamuis huic expositioni non parum deferam, altera subest, quæ mihi accommodata magis videtur: existimo enim Salomonem loqui de adulatori, & assentatore: ita mihi suadet verbum illud *חלח*, quod significat *blandiri, & lenire.* Itaque *os lubricum* appellari existimo illud, quod per assentationem aliis adblanditur: nam præfatum verbum sæpe aliàs in hoc libro adulatoribus tribuitur, supra cap. 2. *Ut eruaris ab extranea, qua mollit sermones suos, & cap. 7. Qua verba sua dulcia facit.* & infra c. 29. *Et illo, qui blandis fictisque sermonibus*

144

145

146

loquitur amico suo, & ca. 28. Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum, magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit. Mitto alia testimonia, in quibus dictum verbum ad linguæ lenocinia, seu delinimenta significanda usurpatur. Sic ergo Salomon de adulate. *Lingua fallax odit conterentes se*, sic habent Primitiua, i. fallax adulator euitat prorsus eos qui ipsum verbis delinientem vel conterunt, vel comprimunt, vel coercunt.

Sic Vatablus. *Odit reprimentes se*. Ita enim fert adulatorum ingenium, vt ad quosdam valde molles, lentosque homines, qui suis laudibus mirificè delectantur, propius accedant: rigidos vero, & austeros quosdam veritatis amatores, quos laudes propriæ non emolliunt, ac deliniunt, fugiant prorsus, ac declinent. Hinc est illud, quod ex Plinio desumpsit similitudinum collector. *Cupresso non innascuntur ceraste propter amaritudinem, nec buxo propter duritiem: ita pestis adulationis fugit seuera, ac tristitia ingenia: mollia captat, ac dulcia.*

Plin.

Pet. Rauenn.

Accinit etiam illud Petri Rauennatis. *Vitiis semper seruiunt blandimenta, lenocinantur dulcia.* Hunc ad sensum euocari debet Vulgata lectio. *Lingua fallax odit veritatem*. i. veritatis amatores fugit: hi enim adulationibus minime capiuntur. Hoc erat Augustini ingenium, qui lib. 9. de Trinitate de semetipso sic prædicat. *Magis optabo à quolibet reprehendi, quam ab adulate laudari. Nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis.* E contra verò omnis adulator amatorem veritatis formidat. Iisdem motibus erat Hieronym. qui in Epistola ad Marcellam ita de seipso scribit. *Nimis peruersè se amat, qui alios vult errare, vt error suus lateat: vos qui me multum diligitis, si talem me asseritis, vt nunquam me in scriptis meis errasse dicatis, frustra laboratis, non bonam causam suscepistis, facildè in eo, me ipso iudice, superamini. Quia non mihi placet, cum à charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum. Profectò non me, sed pro me alium meo nomine diligunt, si non quod sum, sed quod non sum diligunt.* En qua ratione rigidum & seuerum Hieronymi ingenium per veritatis amorem assentatores compescit, atque illos à se longius amandat. subdit Salomon.

August.

Hieron.

Et os lubricum operatur ruinas, os lubricum appellat adulatoris os: sumitur autem similitudo à loco decliui, & lubrico, in quo pedes labascere solent. Itaque sensus est: os adulatoris, qui blandis sermonibus eos delinit, quibus assentari vult, simile est cuiusdam loco decliui, & ad lubricitatem composito: nam quemadmodum illum qui huic loco pedibus insistere velit, ruere ac labi necesse est:

147.

A ita etiam qui fidem præstat adulatori, multarum sibi ruinarum auctor existit. i. per multa errare, ac delinquere oportet. Itaque Salomon ad eos sermonem intendit, qui adulationibus gaudent: ac primum quidem modum ipsis aperit, quo adultores à se fugare, & propellere debeant: deinde vero quanto in periculo versantur, declarat, quandiu adulatoribus aures accommodant.

Translationem etiam Sept. huic sententiæ adaptare licet. *Et os non tectum facit ruinas.* Desumitur verò, ni fallor, comparatio à fouea, vel puteo, quæ si contexta non sint, incaute ambulantes deludere, & ruinæ causam offerre solent. Itaque ait, os adulatoris simile est puteo cuiusdam, vel scrobi adaperto, atque adeo per plures ruinarum occasiones præbet his, quibus assentatur: quia laudans, & commendans per assentationem eos, qui commendatione indigni sunt, dum eorundem oculos, animosque quodammodo erigit, attollitque ad sublimia, pedes lapsibus, ruinisque permittit, exponitque, vel ruinarum potius occasiones pedibus offert, multas nimirum errandi, ac delinquendi causas illis suppeditans. Auctoritatem huic expositioni conciliat Plutarchus, qui in Pericle adulatorum ora sic appellat *σὺν ἄρῃ ἰσχυρὰ*, ora minime tecta, ita vt crediderim, id nominis vulgò adulatoribus olim tribui solitum.

148.

Chald. habet, *os bifidum*, seu *bipartitum*. Aliquis certe ita comminisci posset: adulatori os bifidum tribui, qui aliter absens, aliter præsens lo-

149.

C quitur: absens quippe mordet, ac detrahit: præsens blanditur ac delinit. Sed non placet hæc expositio: nam plane Salomon loquitur metaphoricè, & per aliquam accommodatam similitudinem exprimere vult causas ruinarum, quas adulatio hi præbet, qui assentationibus capiuntur. Quapropter sicut Vulgatus ex loco lubrico, & Septuag. ex fouea non tecta, ita etiam Chald. ex loco prærupto similitudinem deriuat. Itaque *os bifidum* appellat os, quod, ad instar rupis, aut montis prærupti, hinc & inde in decline pendet, quâ gradientes labi, ac ruere necesse est. Ait ergo. *Os bifidum operatur ruinas*. i. quemadmodum qui incedit per locum præruptum & decliuem, gressus tenere non potest, atque adeo passim labascit, ac ruit: ita etiam, qui adulatori confidit, & verba illius mollia sectatur, intolerabiles lapsus, & errores sibi accumulatur. Concipe igitur duo illius labia, quasi bifidum seopulum per præceps in baratrum profundissimum pendentem, ac tunc vereberis ad illum accedere. Pergo ad alia.




CAPVT XXVII.

SALOMONIS.



E glories in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies. 2.
 Laudet te alienus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua. 3.
 Graue est saxum, & onerosa arena: sed ira stulti utroque grauior.
 4. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum
 concitati ferre quis poterit? 5. Melior est manifesta correptio, quam
 amor absconditus. 6. Meliora sunt vulnera diligentis, quam frau-
 dulenta oscula odientis. 7. Anima saturata calcabit fauum: & anima esuriens etiam
 amarum pro dulci sumet. 8. Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit lo-
 cum suum. 9. Vnguento & variis odoribus delectatur cor: & bonis amici consiliis ani-
 ma dulcoratur. 10. Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiseris: & domum fratris
 tui ne ingrediaris in die afflictionis tue. Melior est vicinus iuxta, quam frater procul. 11.
 Stude sapientiæ fili mi, & letifica cor meum, vt possis exprobranti respondere sermonem.
 12. Astutus videns malum, absconditus est: paruuli transeuntes sustinuerunt dispendia.
 13. Tolle vestimentum eius, qui sponondit pro extraneo: & pro alienis aufer ei pignus.
 14. Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens maledicenti similis erit.
 15. Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur: 16. Qui retinet
 eam, quasi qui ventum teneat: & oleum dexteræ suæ vocabit. 17. Ferrum ferro exacui-
 tur, & homo exacuit faciem amici sui. 18. Qui seruat ficum, comedet fructus eius: &
 qui custos est Domini sui, glorificabitur. 19. Quomodo in aquis resplendent vultus prospici-
 entium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. 20. Infernus & perditio num-
 quam implentur: similiter & oculi hominum insatiabiles. 21. Quomodo probatur in con-
 flatorio argentum, & in fornace aurum: sic probatur homo ore laudantis. Cor iniqui inqui-
 rit mala, cor autem rectum inquirat scientiam. 22. Si contuderis stultum in pila quasi
 ptisanas feriente de super pilo, non auferetur ab eo stultitia eius. 23. Diligenter agnosce
 vultum pecoris tui, tuosque greges considera: 24. Non enim habebis iugiter potestatem:
 sed corona tribuetur in generationem & generationem. 25. Aperta sunt prata, & appa-
 ruerunt herbæ virentes, & collecta sunt fœna de montibus. 26. Agni ad vestimentum
 tuum: & hædi, ad agri pretium. 27. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in ne-
 cessaria domus tua, & ad victum ancillis tuis.



CAPVT XXVIII. SALOMONIS.

I. Ne glories in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies.



NE glories, &c. Hebr. *Ne te laudes in crastino, quia non sciens quid paritura sit dies.* Heb. 71 *Ieled*, ex radice *Ialad*, quæ significat, *parere, & generare*: itaque licet etiam sic conuertere. *Nescis enim quid generatura sit dies.* Vtrique enim, tam viro quàm femina tribui solet: huic certè ad partum notandum, illi ad generationem significandam. Adde etiam quod nō solūm naturalem, & tempestiuū partum, sed etiam præcelerē abortum sonat, vt ex Rabinis aliqui notant. lxx. *Ne glories in his, quæ in crastinum, non enim cognoscis quid pariet superueniens dies.* Chal. *Nescis quid paritura sit hodierna dies.* Nam cū in Primitiuis tantummodò sit, *Nescis enim quid pariat dies*, per hanc diem, non crastinam, sed hodiernam intellexit Paraphrastes, de cuius mente statim dicemus.

Huius loci sententiam iuxta verborum sonum Caietanus expendit: nam cū sic legisset. *Ne te laudes in crastinum, quia nescis quid pariet dies*, ita subdit. Nemo potest se ipsum laudare de crastino opere, vel de crastina felicitate, aut fortuna: omnia enim quæ in crastinum pendent, valde incerta sunt. Et sanè Caietanus vult Salomonem in eos planè inuehi, qui cū possint res actutum peragere, eas tamen in externam diem differunt, & ex eo sibi placent: quia illa, quæ in præsentiarum facere nolunt, in posterum decursu temporis præstare apud se statuerunt. Ait ergo Salomon, propositum hoc aut animi decretum, quo quis rem aliquam vtilem aut honestam tempore labente, peragere apud se constituit: cū actutum eandem agendi copia est, laudi minimè vertendum esse, quia circa rem maximè incertam, & ancipitem versatur.

Reliqui interpretes putant verba illa, quæ Iacobus Apostol. in sua Canonica ad calcè capitis 4. subtexit, pro cōmentario huius loci habenda esse: nam sic ait. *Ecce nūc qui dicitis, hodie aut crastino ibimus in illam ciuitatē, & faciemus ibi quidē annum, & mercabimur, & lucrum faciemus*, hæc qui iactant, hi certè in crastinum gloriari dicuntur, *qui ignoratis, quid erit in crastino.* Hæc verba coherent prorsus cum illis, *ignorans quid superuentura pariat dies.* Contra quam vanitatem, ac præ-

sumptionem sic statim pronunciat. *Quæ est enim vita nostra? vapor est admodum parens, & deinceps exterminabitur. Pro eo vt dicatis, si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc, aut illud. Nūc autem exultatis in superbis vestris.* i. gloriamini inani quadam futurarum rerum expectatione vobismetipsis applaudentes. Itaque auctores isti putant Salomonem in eos inuehi, qui abique aliqua restrictione, aut exceptione, temporis lapsu aliquid se facturos respondent. Nā vana admodum præsumptio est de re valde incerta, ac mobili, tanquā de certa constantique sibi polliceri. Hoc argumentum satis eleganter virget Seneca in epistol. *Seneca.*

101. *Stultum valde est etatem disponere, ne crastino quidem dominamur. O quanta dementia est spes longa inchoantium: emam, & edificabo, credam, exigam, honores geram: tum demum lassam & plenam senectutem in otium referam. Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia sunt: nihil sibi quisquam de futuro debet promittere. Id quoque quod tenetur per manus exit, & ipsam, quam premimus, horam, casus incidit. Voluitur tempus rata quidem lege, sed per obscurum. Quid autem ad me, an natura certum sit, quod mihi incertum est? Navigationes longas, & pererratis littoribus alienis seros in patriam reditus proponimus. Militiam, & castrensiū laborum tarda manu pretia, procurationes, officiorumq; per officia processus disponimus, cū interim ad latus mors est, quæ quoniam nunquam cogitatur nisi aliena, nobis subinde ingeruntur mortalitatis exempla, non diutius, quam dum miramur, hæsura. Quid autem est stultius, quam mirari in vno die factum, quod omni potest fieri? stat quidem terminus nobis, vbi illud inexorabilis fatorum necessitas fixit, sed nemo scit nostrum quam propè versetur. Sic itaque formemus animum, tanquam ad extremum ventum sit. Nihil differamus, quotidie cum vita paria faciamus. Maximum vite vitium est, quod imperfecta semper est, quod etiam aliquid ex illa differitur. Qui quotidie vite sue extremam manum imposuit, non indiget tempore: ex hac autem indigentia timor nascitur, & cupiditas futuri excedens animum. Nihil est miserius dubitatione venientium, quòrum sum euadant? quantum sit illud, quod restat, aut quale collecta mens inexplicabili formidine agitur? Deinde verò ad has animi in futurum pendentis, vanissimas expectationes excindendas remedia subiicit Seneca his verbis. *Quomodo effugiemus hanc volutationem? Vno: si vita nostra nō prominebit, si in se collidetur: Ille enim ex futuro suspēditur, cui irritū est præsens. Vbi verò quidquid mihi debui redditū est, vbi stabilita mens scit nihil interesse inter diem, & seculum:**

quidquid dierum rerumque deinceps venturū est, ex alto prospicit, & cum multo risu seriem temporū cogitat. Quid enim varietas, mobilitasq; casuum perturbabit, si certus sis aduersus incertā? Ideo, mi Lucili, propera viuere, & singulos dies singulas vitas puta. Qui hoc modo se aptabit, cui vita sua quotidie fuit tota, securus est. In spe viuētibus proximū quodque tempus elabitur, subitq; audivitas, & miserrimū atque miserrimā omnia efficiens metus mortis. Hactenus Seneca, cuius verba luculentum valde superioris sententiæ commentarium continent. Adde etiam ex eodem auctore in Epistola 1. nescio quid satis accommodatum. *Fac ergo, mi Lucili, quod facere te scribis, omnes horas complectere, sic fiet, ut minusex crastino pendeas, si hodierno manum inieceris: dum differtur vita, transcurrit.*

Sed redeo ad Salomonem, cuius illa verba libræ tradendæ sunt. *Ignoras quid superventura pariat dies.* Pro quibus sunt illa Iacobi. *Qui ignoratis quid erit in crastino.* Et sanè hæc Apostoli verba aptè admodum significant omnia futura incerta pendere. Aliqui enim sic exponunt: Quicumque, inquit, res ad diem crastinum differunt, ignorant prorsus quid in crastino erit. In primis enim ne illud quidem certum est, an is, qui rem deduxit crastina die sit superstes futurus: deinde, etiam si is superstes sit, dubiū illud prorsus est, an idem votum, & animi propolitū præstandi rem dilatam perseveraturum sit. Adde etiam, licet eiusmodi votum propositumq; maneat, illud planè ambiguum, & anceps, an rei peragenda nata, & accommodata occasio sese offerat, an potius accidentia impedimenta omnem rei præstandæ potestatem & copiam ereptura sint. Hæc igitur omnia complexus est Apostolus, cum dixit. *Ignoratis quid erit in crastino.* Quasi dicat: Ex his omnibus, quæ ad rem peragenda conspirare debent ne minimum quid in crastinum permanfurum scitis.

Sed maiorem emphasim continent verba Salomonis. *Ignoras quid superventura pariat dies.* Aptè admodum hîc accommodatur verbum *pariendi*: nam cum tempus suis decursibus res omnes in lucem dat, aptè admodum eas parere, & eniti dicitur. Rursus, in partu omnia incerta sunt, ac dubia: nullis. n. argumentis certò deprehendere licet: an marem, an fœminam, an hoc, vel illo potius tempore infantem nasci oporteat. Eapropter Apostolus ut diei extremi incertitudinem aptiori aliqua similitudine expingeret in Epistola 1. ad Thessalonicenses cap. 5. ita scribit. *Cum enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis, & non effugient.* Itaque cum ait Salomon, *pariat dies*, maximam rerum incertitudinem, & mobilitatem notavit, quia nescit prorsus homo, an quæ in crastinam diem pendent, prospera futura sint, an aduersa: ignorat etiam statâ cuiusque rei tempora, & natas occasiones, atque adeò de futuris nihil certò decernere licet.

Sunt qui obseruent ad illa verba Pauli. *Sicut dolor in utero habentis*, in Græcis pro illa voce, *dolor*, subiici *in utero* atque id nominis non tam notare partum opportunum, & naturæ conformem expletis mensibus, quàm præcelerem, & citatum abortum. Nam partus, inquit, naturalis aliqua indicia, & argumenta obseruari solent à fœminis ex quibus tempus instare, aut distare probabiliter coniciunt: abortus verò, cum ex accidentibus causis euenire soleat, nunquam non incertus, ac

dubius est. Paulus igitur, aiunt, ad significandam diei extremi incertitudinem, exemplum expetiuit non quidem ex naturali partu, cuius aliqua indicia, & documenta natura duce habemus, ne forte putaremus, illum post expletum aliquem ratum, statumque dierum numerum euenire oportere: sed ex abortu, cuius nulla indicatio est in natura, ut nobis omnia, scilicet tempus, diem, atque horâ extremi iudicii incomperta esse sciremus. Succedat igitur memoriæ id, quod initio diximus ex obseruatione Hebraizantium, scilicet verbum *Ialad*, quod hîc reperitur, non modò de partu naturali, sed etiam de abortu enuntiarî solitum: atq; inde constabit quàm aptè Salomon ad significandam futurorum euentuum incertitudinē dixerit, *Ignoras quid superventura pariat dies.* Licet sic restitueret. *Quid superventura per abortum edat dies.* non satis nostri rerum futurarum euentus: sæpe enim res tempus accommodatum, & aptas sibi occasiones non expectant, ut edantur in lucem, sed tempus occasionemque omnem præuertentes, quasi per abortum citatumque partum, proferuntur, atque adeò quemadmodum fœtus ex abortu incepti sunt, quia aut demortui nascuntur, aut citò pereunt: sic etiam res eiusmodi, quæ extra sua quæque tempora, & occasiones geruntur, nullum vsum habent. Ut propterea Salomon ad eum, qui magnam rerum agendarum opportunitatem sibi in posterum pollicetur, aptissimè dicat: ita rerum futurarum opportunitates impotenti casib; impediri, sicut naturales partus solent abortibus frustrari.

Rursus illud etiam supra animaduertimus, verbum *Ialad*, non tantum de partu, sed de generatione etiam dici solitum, ita ut liceat utroque modo restituere. *Ignoras quid superventura pariat, vel generet dies.* Quid inde? Sanè anceps verbi significatio (si utraque coniungatur) sententiam minimè insulsam offert. Nam inter partum, & generationem hoc interest, quod partus quidem cum dolore, & cruciatu perficitur, generatio verò cum voluptate, & delectatione peragitur. Ait ergo Salomon. Noli de crastinis, externisque rebus decernere, nec tibi quidquam secundum, aut fortunatum pendente tempore spondere præsumas, *ignoras enim, quid pariat, vel, generet dies crastinus.* Quasi dicat: nescis prorsus, an cum voluptate fortunata & fœlicia, an potius cum dolore infausa & infœlicia omnia te maneant in crastinum.

Ad extremum obseruanda est translatio Chal. quæ sic habet. *Ignor. n. quid paritura sit hodierna dies.* Nam cum in Primitiis tantummodò sit, *quid pariat dies.* Chal. non sine emphasi *hodiernam*, potius, quàm externam diem præscripsit, ita ut sensus sit. Frustra tibi in crastinum insipienter aliquid promittis, cum neque illud tibi competentum sit, quid sis demum, vel hodierna die facturus. Quam sententiam magis ac magis pressit Senec. loco citato illis verbis. *Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere. Id quoque quidquid tenetur per manus, exit, & ipsam, quam premimus, horam, casus incidit.*

1. ad
Thes. 4.

5

II. *Laudet te alienus, & non os tuum, Extraneus, & non labia tua.*

8 **L**audet te, &c. Hebr. concinunt cū Vulgatis: id solum obseruatione dignum, in priori hemistichio pro illa voce, *aliens*, subiici 71, ex verbo 711 *Zur*, quod nomen virum quemlibet alienum à sanguine, & à cognatione, non tamen à patria, adsignificat. Illi autē voci *extraneus*, subest, נכרי *Nachri*, ex radice *Nachar*, id verò nominis non modò *alienum* & *alienigenam*, sed etiam *hostem*, atq; *inimicum* notat. Deut. 32. *Ne fortè superbirent hostes eorum.* Et suprà c. 26. *Labiis suis agnoscitur inimicus*, & alibi lxx. *Laudet te vicinus, & non os tuum, alienus, & non labia tua.* Aquila, & Sym. *extraneus*, &c. D. August. tract. 36. & 58. in Ioan. *Non te laudet os tuum, sed laudet te os proximi tui.*

Deut. 32.

Huius loci perspicua valde sentētia est. *Laudet inquit, te alienus, & non os tuum.* i. si sapias, & stultus vulgò haberi non vis, non quidem tu ipse laudes tuas vsurpare, sed illas aliis celebrandas permittere debes. *Extraneus, & nō labia tua.* Per repetitionem eiusdem sentētię putant vulgò interpretes, nihil vel lepōris, vel noui sēsus ad priorem sententiā apponi: ego verò aliter sentio. Primam ergo partē sic interpretor. *Laudet te alienus, & nō os tuum.* Per *alienū* intelligit eum, qui cum necessitudinis, cognationis, aut familiaritatis nihil intercedit (eam. n. vim habet nomen illud *Zar*.) Atque adeò ita ego reor, Salom. his verbis non solum interdiceret, ne quis ore proprio suas laudes verferet, sed etiam ne eas à cognatis & familiaribus celebrari sinat, primò quia quidquid hi iactant perinde censetur ac si ore prædicaretur proprio: deinde etiam quia familiares, amici, & cognati sæpius pro suo studio ea probant, & commendant, quæ laude digna non sunt. Ideò ait *laudat te alienus*, is nimirum, qui nullam vel cognationem, vel familiaritatem tecum contraxit. Subdit.

9. *Extraneus, & non labia tua.* Per *extraneum*, inimicum & hostem capiendū puto, ita vt sit sensus. Tantum abest vt tuas ipse laudes percensere debeas, vti ad eas celebrandas hostem potius adhibere oporteat, quàm te ipsum. Nullus enim hostis tuas laudes tantoperè extenuare atque eleuare detrahendo poterit, quàm tu ipse easdem prædicando, & augendo. Itaque Salomon iuxta hanc interpretationem præstare dicit laudes proprias aduersariis permittere, vt eas derogando deprimant, quàm easdem ore proprio percensere: quia nimirum de eiusmodi laudib⁹ plus certè detrahit propria prædicatio, quàm id quod aduersarii iniuria, & liuor derogare potest. Quapropter vtraque pars sic nectenda est: Ab alienis, imò ab hostibus, commendari potius elige, quàm à te ipso: nam quamuis alieni, exterique homines ob ignorationem rerum tuarum, & hostes ob inuidiam, & liuorem, plura subliceant, maiorem tibi affert gloriam eorum qualis qualis cominēdatio, quàm tua, aut tuorum copiosa, & magnifica prædicatio.

Aliter etiam sensus non inconcinne conformari poterit ad hunc modum. *Laudet te alienus, & nō os tuum: extraneus, & non labia tua.* id est, sic te rectè gestis commendabilem præbe, vt non sit tibi opus tuas ipsius laudes passim retractare, quin

A imò non alieni tantum, & ignoti homines, quib⁹ cum nulla tibi intercedit necessitudo, eas vsurpent, sed ita etiam, vt ab hostibus illas extorqueas, ita nimirum, vt ne hostes quidem tui eas sine impudentia supprimere, ac conticescere possint.

Et quidem à propriis prædicationibus abstinere ideò præcipit Salomon, quia laus proprio ore decantata multis nominibus extenuatur. Primò quæ ex ore proprio fluit comēdatio vulgari hominū opinione vilis est. Hinc comūne illud proloquium manauit. *Sordet laus in ore proprio.* Accinit etiam Plinius iunior in pereleganti epistola ad Saturninum, quæ est 8. l. 1. *Id quod magnificum referente alio fuisset, ipso, qui gesserat, recensente vanescit.* Cur verò istiusmodi laus tantoperè fordescat statim subscribit. *si qui benefacta suaverbis adormat, non ideò predicare, quia fecerint: sed vt predicarent, fecisse creduntur.* Secundo sibi abrogat fidem propria laus. Eò spectauit illud, quod in Euāgelio Ioan. 8. aduersus Christum Pharisæi protulerunt. *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* Tertiò stultitię vertitur. Paulus 2. ad Corinth. c. id. cum quasdam laudes proprias commemorasset, sic demum attexit. *Factus sum insipiens, vos me coegistis: ego enim à vobis debui commendari.* Lege Chrysostomum in hunc locū, qui illud per excursionem expendit, quod cum Paulus iusta, imò necessaria ex causa, laudes suas percēsuisset, nihilominus tamē semetipsum stultitiæ insinulat, quasi vix, ac ne vix quidem hanc stultitiæ notam effugere possint rerū suarum de prædicatores. Quarto, propria laus aliorum odiū accersit. Hinc est illud Thimæstii apud Stobæū. *Nulla narratio tam odiosa est, quàm sui ipsius encomium.* Hūc spectat etiam illa celebris paræmia. *Te ipsam laudas mulier sicut Astydama,* quæ luscit Iulius in epistola ad Magnum Basilium: & in eos iactari solet qui suis commendationibus aliis molestiam faceunt. Adagii originem lege apud Paræmiastem, sed absolutissimè de hoc themate Plinius iunior loco citato in epistola 8. ad Saturninum, vbi sic serit. *Etenim si alienæ laudes parum aquis auribus accipi solent: quam difficile est obtinere, ne molesta videatur oratio, de se aut de suis differentis.* Lege ibi plura in hanc sententiam, quæ sic demum absoluit. *Homines. cū rem bene gestam destruere non possunt, eius qui se commendat, iactationem quidem illius incessunt, ita si silenda fecerit, factum ipsum, si laudanda, quod non sileat, ipse culpatur.*

Eaproppter laudes suas premere, & obruere quisque debet, & vix vnquā, nisi cū grauissima aliqua necessitas ita postulat, illas vsurpare. Et Chrysost. audire oportet, qui Hom. 5. de laudibus Pauli huius necessitatis quantitatem, extremumq; proprię laudis vituperiū expressit. *Extrema demētia est, nulla imminēte necessitate, & necessitate violenta propriis laudibus velle decorari, non est hoc secundum Deum loqui: iudicium potius est istud infamia.* Itaque ad proprias laudes prædicandas non quamlibet, sed violentam valde necessitatem postulat Chrysostomus: additque, illum, qui ea ratione absque necessitate violenta propria gestat commemorat, non quidem famam & nomen, sed infamiam, & dedecus sibi accersere. Cū ergo tot nominibus propriæ laudes extenuentur, ac decrescant, satius profectò est eas vel aduersariis permittere, quàm ore proprio retractare. Nam quemadmodum bene gesta ore proprio vsurpata vilescunt, ita ex aduerso si ab hosti-

10

Plin.

Ioan. 8.

1. Cor. 12.

Stob.

11

Chrysost.

Plutarch. libus quacunque ratione celebrentur, plurimum decorauit. Huc spectat illud Plut. in Apophthegmatibus Laconicis, qui dicit Agefilaum ita iactare solitum. *Sibi incundum esse ab hostibus laudari, qui non verentur vituperare si quid ipsis displiceat. Tales enim, si quid laudant, iudicio laudant, non metu, aut adulatione.*

12 Ad extremum expendenda ex translatio Lxx. qui priorem huius sententiæ partē sic extulerunt. *Lauder te vicinus, & non os tuum.* Accinit Aug. qui ita locum istum contexit. *Non te laudet os tuum, sed laudet te os proximi tui.* Quib⁹ verbis, vt non ignobilis huius loci Scholiastes obseruauit, non solum hoc præscribit Salom. ne quis laudes proprias deprædicet, sed etiam quandam veluti obligationem imponit proximis, vt eorum, qui commedatione dignas res gerunt, laudes opportunè commemorent, ne quando sit opus homini proprias commendationes cum rubore depromere. Quam obligationem, aut debitum, significauit Paulus tunc cū dixit. *Nos mō cogitis: ego enim à vobis debui commendari.* Hinc Socrat. apud Stob. Sermon. 1. *Thus, inquit, diis, laus verò bonis viris debetur.*

Stob.

III. Graue est saxum, & onerosa arena, & ira stulti utroque grauior.

13 **G**raue est, &c. Hebr. *Gravitas lapidis, & pondus arena, & ira stulti grauior est prae utriusque.* Lxx. *Gravis est lapis, & vix portabilis arena, sed ira stulti, &c.*

Describit Salomon iram stulti, quæ cū sese incitauit, longè deterior est quàm ira sapientis: nam cū furor, & indignatio, vel ipsis etiam sapientibus mentem eripere soleat, stultos certè prorsus dementat, & ad insaniam compellit: de hac ergo insipientis ira sic fatur. *Graue est saxum, & onerosa arena, &c.* Bed. *saxum, & arenam* metaphoricè sumpsit ad hunc modum. *Graue admodum est, inquit, vel vno aliquo crimine capitali, quasi vasti cuiusdam saxi pondere, premi, vel quasi glareis arena, innumeris peccatis lenioribus onerari: sed utroque grauior est ira stulti.* Quia nimirum hac quò certius, quia sunt mala, patefcunt, eò acrius animum cōpungunt: Ira verò, quia non corporale, sed spirituale est vitium, quò minus deprehenditur, eò amplius grauat: non absolute iram, sed irā stulti dixit: nā sapientes quomodo actus suos ac sermones, ita mentis quoque motus solerter examinare, & castigare satagunt. Non solum autē illud est in hac expositione Bedæ singulare, quod *saxum arenamque*, metaphoricè accepit, sed illud etiā quod extrema illa verba, *Sed ira stulti utroque grauior*, non intelligit de onere, aut molestia, qua alios grauat, sed de grauitate malitiæ, aut etiā de damnis, ac nocuentis, quæ ira vel furor ipsimet insipienti affert. Cæterum hæc expositio multa habet coacta.

Beda.

14

Minus violenta est interpretatio Lyræ, quæ sic habet. *Graue saxum, & onerosa arena, &c.* id est, grauissimum sane ad portandum est saxum, & arena etiam pondus nequaquam leue, sed tamen hæc duo stultus aliquis viribus pollens sustinere, ac leuare fortasse poterit: at ira stulti longè grauior & onerosior est: illius enim pondus nullus stultus sustinere potest. Concinit hæc interpretatio cum peruulgata apud nostrates pæremia, qui in eos, qui data causā furorem continere non

A possunt, sic iactare solent. *Son hommes que se echā conla charge.* i. qui pondus iræ ferre non possunt. Iuxta quam interpretationem duas illas similitudines, *saxi & arena* aptè accommodare licet. Nā per *saxum*, maiorem aliquam indignationem ex grauiori causa susceptam: per *arenam*, minores, sed crebras, ac frequentes iras ex subitis causis subortas notari dixerim: ita vt sensus sit. Ira stulti grauior saxo, & arena, quia homo insipiens nec magnam aliquam ac vehementem indignationem, nec leuiore, ac crebros iracundiæ motus perferre potest. Quasi dicat, ingens aliquis ac vehemens iræ impetus & pondus aliquando sapientem opprimit, at stultum leues æquæ ac magnæ indignationes obruit: nam magna quidem iræ, tamquam saxa, sua magnitudine: minores verò indignationes sua frequentia, velut arena ipsum deprimunt.

B Sed quamuis præfata expositio non sit inelegans præferendus nihilominus communis sensus, qui extrema illa verba, *Sed ira stulti utroque grauior*, non de grauitate, quæ stultus ipse premittitur accepit, sed de pondere, & onere, quod stultus ira incitatus illis imponit, cum quibus conuersatur. Congruit. n. locus iste cum illo Eccl. 22. *Arenam, & salem, & massā ferri facilius est ferre, quam hominem imprudentem, & fatuū* Concipit igitur id, quod nuper diximus, per *saxum* grauiorem aliquem iræ impetum, per *arenam* verò leuiore, sed crebros iracundiæ motus aptè notari. Ait ergo Salom. *Graue est saxum, & onerosa arena.* i. magnum profectò saxi & arena pondus: nimirum saxum magnitudo, arenam verò multitudo grauem efficit, *Sed ira stulti utroque grauior*, his qui cum illo agunt, nonnunquam. n. saxi ad instar, magna atque ingens est, semper verò arena in morem, crebra, & passim repetita: hoc. n. stultorum proprium est, non solum cum graues occurrunt causæ, vehementius furere, sed etiā leues aliquando etiam nullas ob causas passim irasci. Ait ergo Sal. ira stulti importabilis est sapienti, quia nonnunquam vehemens existit, sèper crebra. Quapropter vehemens cū est, saxi ad instar vasti, ipsū opprimit, cum verò crebra & repetita, plurimè ad instar arena eūdem obruit, atque adeò nunquam non intolerabilis existit.

Eccles. 12.

D

Peculiarè emphasim continet translatio Lxx. quæ sic habet. *Graue saxū, & vix portabilis arena, &c.* Non. n. putandū his verbis arena grauitatem, ac pondus præferri, sed specialè, quā in arena experimur, ad portandū difficultatem notari: nam cum eius partes solutæ sint, & ab inuicè distractæ, is, qui illā apprehendere, & exportare vult: delapsus hinc & inde glareis, non potest magnā ipsius quantitatem leuare. Hæc igitur fuit mens Lxx. interpretū, cum aiunt, *Et vix portabilis arena*, quæ ad irā stulti translata præclarè significat eam difficultatem, quam in ea toleranda, & sustinenda sapientes experiuntur. Nā crebras, ac perfrequentes stulti indignationes ideò sapiēs perferre non potest, quia illas, arena in morem, solutas & fluentes non potest cōplecti, & comprehendere. i. non satis potest mente assequi qua ex causā, aut quorsū stultus irascatur: quam verò intolerabile, atque importabile sit iras experiri, ac perpeti, quas quia causæ ignotæ & incōpertæ sunt, homini prudenti vitare, & declinare non licet, exploratum est.

16

E

Possunt etiam aliter *saxum & arena*, quæ hinc Salomon appinxit, cum solemnī quodam antiquorum ritu conferri. His enim religiosum valde fuit olim arenam grauem, aut saxa ingentia cada-

17

ueribus imponere, quia nimirum perinde ac aliquid sensus & mentis in ipsis restaret, his onerari ac digrauari putabant: & eapropter leuissimum puluerem, aut terram minimè grauem super iacere solebant. Hinc natae familiares illae preces. In Graecis quidem Meleager de Aufigene.

Meleag.

*Salue terra parens, nunc tu quoque sis leuis illi,
Qui grauis antè tibi non fuit Aufigenes.*

Theocrit.

Et Theocritus de Eurymedonte.
*Iste salutatus tumulus mihi dixeris esse,
Pulvere qui texit Eurymedonta leui.*

Martial.

Apud Latinos Martialis.
Sit tibi terra leuis, mollique tegaris arena.
Et iterum.

Tibull.

*Sit licet inde tibi tellus pacata, leuisque-
Mitto alia, & vnum Tibullum subiucio: qui ob-*

beunti homini perniciem optans ita precatur.

In felix urgeat ossa lapis.

Imbuit etiam mos iste Hebraeos, qui etiam ex religione quadam defunctis parcebant, ne lapides eorum cadaueribus imponerent: idè quasi contra morem, & contra solennem ritum illud obseruatur 2. Regum 18. quod supra cadauer Absalon ingens lapidum aceruus aggregatus est. Et tulerunt Absalon, & proiecerunt eum in saltu in foveam grandem, & comportauerunt super eum aceruus lapidum magnum nimis. Quod ex consilio Ioab factum fuit, vt hosti etiam mortuo ea ratione insultaret. Et 2. Machabæorum cap. 9. id etiam exprobrauit Antiochus Israëlitis. Venturum se Hierosolymam & congeriem sepulcri Iudaorum eam facturum. Id nimirum à se committendum dicebat, vt euerfa Hierosolymitana vrbe ingentes ædificiorum lapides mortuorum cadauera obruerent & opprimerent. Mito alia, quæ nonnulli hunc ad morem referenda putarunt. Hinc ergo ad Salomonis sententiam explicandam gradus sternitur. *Grave, inquit, est saxum, & onerosa arena.* Quasi dicat: vulgus hominum etiam ipsa mortuorum cadauera saxorum pondere, & arena onere premi, ac digrauari putat, sed ira stulti longè grauior existit, quia hominem sapientem & Philosophum, qui iniurias, & probra insultantium, veluti quoddam sine sensu cadauer, sustinere ac perpeti solet, multum quidem premere, ne dicam opprimere, solent. Sed hæc non tam ferè à me dicta, quam cuiusdam lepòris gratia lusa sunt.

2. Reg. 18.

Et tulerunt Absalon, & proiecerunt eum in saltu in foveam grandem, & comportauerunt super eum aceruus lapidum magnum nimis. Quod ex consilio Ioab factum fuit, vt hosti etiam mortuo ea ratione insultaret. Et 2. Machabæorum cap. 9. id etiam exprobrauit Antiochus Israëlitis. Venturum se Hierosolymam & congeriem sepulcri Iudaorum eam facturum. Id nimirum à se committendum dicebat, vt euerfa Hierosolymitana vrbe ingentes ædificiorum lapides mortuorum cadauera obruerent & opprimerent. Mito alia, quæ nonnulli hunc ad morem referenda putarunt. Hinc ergo ad Salomonis sententiam explicandam gradus sternitur. *Grave, inquit, est saxum, & onerosa arena.* Quasi dicat: vulgus hominum etiam ipsa mortuorum cadauera saxorum pondere, & arena onere premi, ac digrauari putat, sed ira stulti longè grauior existit, quia hominem sapientem & Philosophum, qui iniurias, & probra insultantium, veluti quoddam sine sensu cadauer, sustinere ac perpeti solet, multum quidem premere, ne dicam opprimere, solent. Sed hæc non tam ferè à me dicta, quam cuiusdam lepòris gratia lusa sunt.

2. Mach. 9.

Et tulerunt Absalon, & proiecerunt eum in saltu in foveam grandem, & comportauerunt super eum aceruus lapidum magnum nimis. Quod ex consilio Ioab factum fuit, vt hosti etiam mortuo ea ratione insultaret. Et 2. Machabæorum cap. 9. id etiam exprobrauit Antiochus Israëlitis. Venturum se Hierosolymam & congeriem sepulcri Iudaorum eam facturum. Id nimirum à se committendum dicebat, vt euerfa Hierosolymitana vrbe ingentes ædificiorum lapides mortuorum cadauera obruerent & opprimerent. Mito alia, quæ nonnulli hunc ad morem referenda putarunt. Hinc ergo ad Salomonis sententiam explicandam gradus sternitur. *Grave, inquit, est saxum, & onerosa arena.* Quasi dicat: vulgus hominum etiam ipsa mortuorum cadauera saxorum pondere, & arena onere premi, ac digrauari putat, sed ira stulti longè grauior existit, quia hominem sapientem & Philosophum, qui iniurias, & probra insultantium, veluti quoddam sine sensu cadauer, sustinere ac perpeti solet, multum quidem premere, ne dicam opprimere, solent. Sed hæc non tam ferè à me dicta, quam cuiusdam lepòris gratia lusa sunt.

DI

IV. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati spiritus ferre quis poterit?

18

IRa non habet, &c. Hebr. *Crudelitas ira, & inundatio nasi, vel indignationis, & quis stabit ad facies inuidie?* subest autè pro inuidia *מקנא*, *Kinah*, ex verbo *Kana*, id est, zelare & inuidere, seu, *emulari*: Sgnificat autem inuidiam, zelum, aut zelotipiam. Lxx. sic extulerunt. *Crudelis est indignatio, & acuta ira, sed nihil sustinet zelus.* Chal. paulò aliter. *Crudelitas est indignatio, & inundatio ira, sed quis stabit coram zelo?* Sanctus Hieronimus contra Rufinum. *Sed zelus impatiens est.* Schol. *Sed zelus utriusque difficilior.* Alius interpres, qui refertur in Schol. Vaticani codicis. *Quis sustinebit ad faciem zeli?*

Altera expositio huius loci est eorum, qui Vul-

gatae lectionis sonitum aucupantes, neque illam cum Primitiuis conferentes, ita locum istum edisserunt. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor.* i. ira, vbi animum corripuit, omnem ex animo benignitatem pellit, & cum primùm erumpit, ac sequit (scilicet in primis ac subitis motibus) in furorem quodammodo, & vesaniam vertitur. *Et impetum concitati spiritus ferre quis poterit?* Hanc posteriorem partem non quidem ex hominis spiritu, sed de vento ac flatu accipiunt aliqui, ita vt ista verba per similitudinem quamdam enuntiata fuisse autement, hoc sensu. Quemadmodum cū vehemens aliquis ventus sese incitauit, nulla industria, vel arte cohiberi ac contineri potest: Ita etiam cū primum homo subito iræ motu furere cœpit, nullis rationibus ad mansuetudinem, & lenitatem adduci potest.

B

Quapropter quemadmodum vento incumbente peritus nauta non contra obstitit, proram aduersus flatum obuertens: sed velis contractis cedit, & quoad fieri potest, impetum furentis venti eludit: ita etiam cum hominis cuiuspiam ira feruet ac tumet, non illi obstitit, aut renititur vir sapiens, sed potius obsecundat ac indulget, donec deferuescente ac detumescente furore, mens redud hominem sibi restituat. Et sanè primos iræ impetus cum vento furenti non insulse componit Nazianz. in Iambic. de ira.

19

*Statim vt moueri conspicias ventum asperum,
Regi supremo iunge te, atque hunc cogitans
Pudore siste cum metu iuncto impetum.*

Nazian.

C

Et Chrysostomus Hom. 10. in Acta Apost. *Est, inquit, sicut ventus ira, sinuamus vela, & nulla est utilitas venti.* Hæc ille, quæ ad aliam ipse sententiam deriuat: licet tamen eadem verba nostræ adaptare. Idem etiam Hom. de fide Annæ iram quoque cum ventis componit, cuius verba obseruare oportet: nã quod in sua quemq; ira facere præcipit Sanctus Doctor, id prorsus præstandum iubet Salom. in aliena. *Et quemadmodum ventis inter se concurrētibus, mediamque scapham, dum inter sese depugnant, corripientibus, ac multis fluctibus partim a prora, partim a puppi insurgentibus, gubernator clauo assidens seruat nauem, vndarum incursum gubernandi prudentia depellens, atque eludens: sic & mulier illa, cū ira atque angor in animum eius facerent impetum, &c.*

Chryso.

D

Aliter etiam locus iste exponi solet de ira stulti: Quidam. n. existimant Salom. alia similitudine indignationis pertinaciam notare, qua stultus sæuire solet in eos, à quibus se læsū putat, ita vt sensus sit. *Ira (scilicet stulti) non habet misericordiam.* Omne. s. exiit humanitatē: nam cū eum alioqui ratione parū valentē, magis ac magis à mente deiciat, illū quodammodo ad immamū ferarū mores cōpellit, ita vt canem, tygrim, leonē, aut si quod est sæuum magis animal, sua feritate facildè superet. *Nec erumpens furor.* Eam, quā prius iram nuncupauerat, *furore* nunc appellat. i. insaniam, ac dementiā. Quasi dicat, stulti ira vbi parū excreuit, ac sese incitauit, pro ea, quæ est in illo, rationis ac mentis inopia, in vesaniā vertitur, nec tam irascitur quā furit. *Et impetū concitati spiritus ferre quis poterit?* Si dicamus his verbis cōparationē à vento iniri: sensus erit. Quemadmodum ventū vehementē, ac fortē coercere & cōtinere nullus ars vel industria potest: ita etiam hominis stulti furentes impetus comprimere, nullus, ne sapiens quidem, valet. Et sanè hominis insipientis indignatio cum ventorum vehementia aptè confertur. Primū qui-

20

21

dem ob furentem valde ipsorum impetum: venti enim sapius horrendo flatu desæuiunt, terras & maria concutiunt, nonnunquam etiam vastissimas turres deiiciunt, arbores, & fata radicibus contuellunt. Talis est stulti hominis vecors ira, quæ nulli parcit, sed omnes sua violentia impellit, ac concutit. Rursus illud ventis maximè proprium, quod eorum causas, vnde oriuntur, & quò ferantur, nullus assequi potest. Hùc spectat illud Ioan. 3. *spiritus ubi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde venit, aut quò vadit.* Id etiam vêtis cum stultorum indignatione commune est: nam quam ob causam, ex qua occasione, quem in finem stulti iram suscipiant, vndenam oriatur, aut quorsùm feratur eorum indignatio, ne sapienti quidem compertum est.

21 Cæterùm quamuis ego facile crediderim Vulgatum interpretem in ea sententia fuisse, vt putaret in hoc versu iracundiam à Salomone describi: tamen comparationem à ventorum flatibus desumptam non credo: id enim ab Originali lectione profus abhorret, vt liquet ex his quæ supra præfati sumus. Illud potius crediderim Vulgatum nostrum vocem *kinah*, quæ *Zelum* propriè adsignificat, non quidem pro *invidia*, vt alij, sed pro *iracundia* & *furore* hùc accepisse: nam *Zelus*, pro ira passim in scriptura Sacra occurrit. Psalm. 78. *Accenditur velut ignis zelus eius.* Sap. 5. *Accipiet armaturam zelus illius.* Ezechiel. 16. *in sanguine furoris, ac zeli,* & passim alibi. Ergo Salomon in hoc versu gradus describit, per quos hominis indignatio sese incitat: nam ex ira in furorem, & insaniam, ex furore denique in zelum demigrat. Nam hominis indignati motus *ira* dicitur, quando illum indignatio à mente non deturbabit: vbi verò homini mentem, & rationem eripuit, *furor* appellatur: ac denique cum indignationem aliqua inuidia inflammat, *zelus* nuncupatur. Ergo ex his motibus tertium difficilem ac molestum magis esse docet Salomon. Ratio autem ea offerri potest, quia iræ subitus impetus, aut etiam furor, ocyus deferuet, ac detumescit: at verò illa indignatio, quam alit, fouetque, liuor & inuidia diuturna est: idèd ait, *ferre quis poterit.* Quasi dicat, illa duo iram, & furorem tolerare licet, quia subita sunt, & momentanea: at verò cum iracundiam *zelus*, & liuor incitant: intolerabilis est ob diurnitatem: liuor enim difficilè admodùm deponitur.

22 Ad hunc modum nostra translatio cum Originali lectione componenda, & concordanda est, quæ in Primitiuus sic iacet. *Crudelis, vel, crudelitas est indignatio, & inundatio est furor: quis stabit ante faciem inuidia, aut, zeli?* Confert quidem Salomon inuidiam, & liuorem, cum ira, & indignatione. Expendo singula. *Crudelitas est indignatio*, vel, vt est in Vulgatis, *ira non habet misericordiam*, id est, iracundia immitis est, atque inhumana, scuit que mirum in modum in eos, contra quos suscepta est: Nil certiùs. Rursus *inundatio est furor*, id est, furor & ira (liceat sic dicere) *ca como vna auenida violenta*, quia nimirùm, torrentis in morem ex illuione inundantis, mentem primùm eius qui irascitur, inuoluit atque obruit: deinde in eos, contra quos insanit, impetum facit. Audi Nazianzenum iambico de ira.

Nazianz. *Mentem, quam feruidi*

Torrentis instar morbus hic primam obruit.

Quomodò verò torrens iste in alios effundatur, docet Basilius in Homilia de ira. *Quemadmodum torrentes ad curua loca decurrètes secum obuia qua-*

Psalm. 78.
Sap. 5.
Ezech. 16.

22

Basil.

A *que trahunt, sic & iratorum impetus violenti, & instabiles omnia similiter percurreunt, atque obruunt. Non eis senectus venerabilis, non vitæ virtus, non generis propinquitas, non accepta iam gratia, non denique quidquid aliud, quamuis æstimandum, in honore est.* Cæterùm licet ira & furor his nominibus graues sint, ac difficiles, atque adeò summo studio vitari debeant, tamen grauiora sunt zeli, ac liuoris incommoda. *Et quis stabit coram zelo?* Rationem inquires: in promptu est, quam ipse Salomon suis verbis non obscure indicauit. *Ira*, inquit, *crudelis est*, ac saua, sed in alios: at verò inuidia ne sibi quidem parcit: inuidus enim in seipsum immamior ac crudelior est quàm in alios. Basilius in Hom. de inuidia. *Nihil*, inquit, *mortalium animis inuidia perturbatione perniciosius contingit, quæ ante omnia ipsi plurimum nocet auctori: alijs verò quàm minimum.* Et infra. *Miser igitur est qui his abutitur, non aliter quàm qui in pugna contra inimicos enses corripit in se, & in interitum suum conuertit.*

Ad hæc, furor inundatio quædam est, quæ torrentis in morem ex alluione crescentis, mentem obruit, & obuios quosque inuoluit ac rapit: sed tamen in eo quidem alluioni & inundationi profus adsimilis existit, quod sicut inundatio, quæ ex pluuia aut tempestate contingit, citius decrescit, & aquæ ille impetus subidet: ita etiam furoris motus ocyus deferuet, ac deficit: at verò inuidia & liuor diutius perseuerat, lege Basilius in ea Homilia, vbi quàm sit perenne malum, & immedicabilis inuidiæ morbus longa oratione probat. Ex multis autem hæc accipe. *Inuidia*, inquit, *fratres charissimi, genus est inimicitia admodum perenne, intrætabile & insuperabile*, vbi inuidiam appellat, *inimicitiam perennem*, vt eam ab ira distinguat quæ inundationis instar raptim pertransit. Quasi dicat, ira imitatur torrentes ex inundatione crescentes, ac paulo post deficientes, inuidia verò stuuos perennes, ac semper fluentes: illa scilicet subita, hæc diuturna.

Sed quamuis præmissa expositio, quæ docet collationem fieri inter iram & inuidiam, mihi probetur, tamen, vt dicam etiam quod sentio, mallem potius inter iram & zelotypiam comparationem initam fuisse: Suadet hoc mihi translatio Septuaginta quæ sic habet. *Sed nihil sustinet zelus.* Adde etiam quod huic expositioni sensus Vulgata lectionis melius aptari potest quàm ille qui ex inuidia desumitur. Nam illa verba, *Et impetum concitati spiritus ferre quis poterit?* longè melius in eum cadunt, qui zelotypia, quàm qui inuidia feruet. Itaque sensus erit, ira crudelis est atque immanis, furor item, velut quædam inundatio ex alluione ex crescens, vehementius incumbit, sed in his ira, & furor zelotypiæ facilè cedunt. Nam zelotypia longè crudelior & immanior est quàm ira, quippe quæ omnem miserescendi ignorat rationem. Hùc spectant eiusdem Salomonis verba supra cap. 6. vers. 34. *Quia zelus, & furor viri non parcerit in die vindictæ, nec acquiescet cuiuspiam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Vide ibi multa in hanc sententiam. Rursus furor, torrentis in morem, inundat, sed zelotypiæ tempestatem non attingit: nam iræ inundatio ac procella ocyus decrescit ac sedatur, at verò zelotypiæ tempestatem vix vnquam conquiescit. Chryso- stomus in libro de virginitate. *Nihil*, inquit, *ab hac zelotypiæ tempestate hominem potest abducere, sed omni vel commodorum cura, vel incommodorum sollicitudine violentior: ista procella est. Etenim ea*

morbi istius insania est, ut neque sumpto de eo supplicio à quo laesus sit, dolorem ager abiciat. Itaque mul-
 si, adultero saepe sublato, neque iram, neque angorem
 tolerare potuerunt. Sunt etiam qui uxore iugulata
 iidem manserint, vel matore rogo consumpti. idem
 etiam Homilia 38. in Genesim sic habet. *Qui ze-*
lotypia laborant, & bonum pacis amittunt, turbas,
& fluctus sibi quotidie excogitant, nullamque volu-
ptatem habere possunt, interno bello omnia confunden-
se, multamque eis amaritudinem inuehente. Ad
 hunc modum licet tibi alia excogitare, quibus ze-
 lotypia damna tam iræ, quam furoris incommo-
 da facile vincunt, non modò comparatione i-
 sius, qui zelo vritur, sed etiam respectu eorum, de
 quibus vir zelotypus suspicatur; ut propterea
 nullus sit, qui coram zelo stare possit, nullus, inquam,
 qui zelum ferre possit, nullus demùm qui imperium
 concitati spiritus sustinere queat. Septuaginta ha-
 bent, acuta ira, Sed instat Nazianzenus, qui in
 oratione 1. in laudem Athanasij, *iram, inquit, ze-*
lus exacuit. Itaque naturalem ipsius iræ aciem ze-
 lotypia acuit, & elimat, ut propterea coram zelo
 iram distringente, ac mouente nullus consistere
 tutus possit.

Nazianz.

V. *Melior est manifesta correptio, quam
 amor absconditus.*

25

Melior est, &c. Hebræa non dissonant. Se-
 ptuag. *Meliores correptiones manifesta ab-*
scandita amicitia. Ambr. apud Pseudo-August. in
 li. de amicitia. *Meliores sunt correptiones, quam ta-*
cita amicitia.

Huius loci non vna expositio occurrit apud au-
 ctiores. Ex Rabinis aliqui collationem fieri putant
 inter correptionem publicam, & secretam, quam
 nomine amoris absconditi notari volunt, ita ut sen-
 sus sit. Longè melius est aliquem publica mo-
 rum correptione ferire, si modò hæc ab amore
 procedat, quam ipsum secreta reprehensione
 etiam ex amore profecta coercere, quia ad mores
 emendandos plus præstat publica, quam priuata
 animaduersio. Sed hæc expositio in multis peccat.
 Primò enim non omnino veram sententiam con-
 tinet; aliquando enim secreta, & priuata morum
 correptio præferenda est publicæ; deinde etiam
 manifestam vim affert verbis.

26

Beda.
Salonius.

Beda, Salonius, & alij, per absconditum amo-
 rem, quem Salomon cum manifesta correptione
 componit, Cupidinum, & adulterinum amorem
 capiendum putant, cui proprium est illud, ut luci-
 fuga sit, ac tenebras semper petat. Nam vterque
 vnus ex altero sic habent. *Amorem absconditum*
in hoc loco amorem vocat illicitum, id est, libidino-
sum, ut est amor adulterinus, qui pro sua turpitudine
absconditur, ne à sapientibus redarguatur. Melior
est ergo manifesta correptio, quam amor absconditus,
quia multò melius est aliquem, ut corrigatur, mans-
ifestè increpare, quam studio simul peccandi occulte
diligere. Iam tenes horum Patrum sententiam?
 Potest etiam aliter locus iste edisseri, si collatio
 fiat correptionis publicæ cum lasciuo amore, ita
 ut sententia contra anorem libidinosum vibretur,
 hoc modo. Longè melius est cuiuslibet publicè
 corripui, verberari, ac tundi, quam absconditè, oc-
 cultè, ac libidinosè lasciuire, & obscenos amores
 transigere; isti enim amores perniciose magis
 vulnera, & liuores infligunt, quam publica illa
 animaduersio. Hanc profectò de libidinoso ac se-

A creto amore opinionem conceperat pulchra Su-
 fanna, quæ publicum, & capitale supplicium se-
 cretis seniorum amoribus sibi præferendum puta-
 uit. Eandem etiam mentem castitatis studium in-
 iecerat Iosepho, qui carceres etiam, ac vincula
 absconditis quoque adulteræ amoribus antepo-
 suit. Hæc interpretatio sic accepta non displicet.

Cæterum alia expositio per placet, quæ docet,
 manifestam correptionem cum secreta amicitia
 componi, sed illud anceps, quæ sit illa amicitia,
 quæ abscondita, seu tacita dicitur à Salomone.
 Lyra, Dionysius, Caietanus & alij putant, amo-
 rem absconditum dici illum, qui nullis argumen-
 tis sese prodit, ita ut sensus sit. Longè melior est
 manifesta morum animaduersio, quam occultus
 amor; nam ex amore occulto nihil utilitatis per-
 uenit ad eum, qui amatur; ex correptione autem
 manifesta proficit is qui corripitur. Sed hæc inter-
 pretatio (me iudice) caret lepore, ac sale.

B Bainus ergo longè melius per occultum, & ab-
 scanditum amorem, non quidem eum accipiendum
 putauit, qui verè absconditus, ac secretus est; sed
 occultum, vel absconditum idem esse putauit,
 quod abscondentem, aut occultantem. Neque
 verò in scriptura sacra insolens est participium
 passiuum pro actiuo sumi, ut aliàs obseruauimus
 Psal. 76. *Mons coagulatus, mons pinguis ut quid*
suspiciamini montes coagulatos? Vbi coagulatus
 ponitur pro coagulante. Et Iob. 20. *Omnes tene-*
bræ absconditæ sunt in oculis eius, id est, tenebræ

27

28

Psal. 76.

Iob. 20.

Psal. 138.

C omnia ab oculis eius abscondunt. Simile est etiam
 illud Ps. 137. *Quia tenebræ non obscurabuntur à te,*
 id est, tenebræ non obscurabunt oculos tuos. Mit-
 to alia exempla, quæ alibi à me compilata sunt.
 Sensus igitur iuxta præfatam acceptionem dupli-
 citer institui potest, aut enim sermo fit de manife-
 sta correptione, qua vtitur amicus in amicum, hoc
 modo. *Melior est manifesta correptio, quam amor*
absconditus, id est, quam amor abscondens. Quasi
 dicat: præferenda sanè est illa amicitia, quæ ami-
 co suo errores manifestè obijcit, atque expro-
 brat, quam illa, quæ dissimulat, contegitque deli-
 cta; quod quàm sit certum, ac constans, nemo
 nescit. Vel certè comparat Salomon aduersa-
 rium cum amico, & familiari hoc modo. *Melior*
est manifesta correptio, id est, longè utilior est ea,

D quæ etiam ab hoste procedit, morum animaduersio
 ac reprehensio, quam amor abscondens, celans-
 que delicta familiarissimi cuiusque hominis. Huc
 spectauit Plutarchus in Moralibus, qui Thelephi
 exemplum ad hanc sententiam deriuauit. *Quem-*
admodum, inquit, Thelephus, quoniam carebat ami-
co, coactus est ab hoste remedium expetere ad mede-
lam vulneris; ita qui non habent liberos ad corri-
piendum amicos, sapenumero ab inimicis utiliter au-
diunt sua vitia. Ad eundem sensum allicienda est
 illa alia translatio, quam ex Ambrosio producit
 Pseudo-Augustinus. *Meliores sunt correptiones,*
quam cauta amicitia, id est, quam tacens, dissimu-
lansque amicitia, & (nisi fallor) ea fuit mens Am-
brofij in eo loco; nam verba illius sic habent. Si
quid vitii in amico deprehenderit, corripe occultè, si
te non audierit, corripe palam: sunt enim bona corre-
ptiones, & plerumque meliores, quam tacita ami-
citia.

Plutarch.

Pseudo-
Aug.

E Quod si præmissa interpretatio, & ea amoris
 absconditi acceptio, quæ mihi ante alias proba-
 tur, non omnino arridet, sic habeto, Per amorem
 absconditum, non quidem eum intellige, qui cela-
 tur, & occultatur, sed intimum, & qui penitus in
 animo hæret; ita enim ad magnùm aliquem, im-

29

Psal. 44.
Psal. 43.

pensumque amorem notandum, dicimus esse intimum, & in corde penitus defixum. Est enim etiam in scriptura non insolens usus, *abscondisti* pro *intimo*. Psalm. 44. *Omnia gloria filie Regis abscondita*. Hebr. *in absconditis*, vel *in occultis*. Psalm. 43. *Ipse enim novit abscondita cordis*, id est, interiora cordis, & passim alibi. Ait ergo Salomon. *Melior est manifestu correptio, quam amor absconditus*, id est, longè utilior est morum animaduersio, etiam ab hoste profecta, quam amor, vel amicitia intima, si tamen ab illa absit hæc corripiendi, & obiurgandi licentia. Interim animaduerto illos inimicè audiendos esse, qui putant, hæc per manifestam correptionem intelligendam esse publicam obiurgationem, id enim non probo.

VI. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.

30

Meliora sunt, &c. Hebr. *Fidelia vulnera diligentis, & crebra oscula odio habentis*. Caiet. *Fideles percussiones amici, & multa oscula inimici*. Tigur. *Coacta oscula odio habentis*. Sed tamen vox illa, *coacta*, non significat violenta, sed densa, spissa, frequentia. Hæc enim omnia significat vox primitiua נִגְחָרוּת. *Nagharoth*, quæ hæc subest. Chald. *Pulchra sunt vulnera diligentis, mala oscula odientis*. lxx. *Fideliora sunt vulnera amici, quam spontanea oscula inimici*. Aquila, *quam supplicantiæ*. Symmach. *quam curbaræ*. Quod ita dictum videtur quasi *frequentia*, i. turbulenter affixa.

Huius loci germana intelligentia perspicua est, docet enim præferendam esse amici acrem, & seueram correptionem blandimentis, atque adulationibus, quibus sæpe etiam hostes vtuntur, ad suos aduersarios decipiendos. Præmittam ergo commentariola, quibus Patres diuersis in locis hanc sententiam illustrarunt: ad extremum verò si quid ipsi non excussum reliquerint, illud verfabo. Augustinus in Epist. 19. ad Hieronymum hæc habet. *Nescio enim vtrum Christianæ amicitie putanda sunt, in quibus magis valet vulgare prouerbium. Obsequium amicos, veritas odium parit, quam ecclesiasticum; Fideliora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici*. Proinde charissimos nostros, qui nostris laboribus sincerissimè fauent, hoc potius quam a possumus instantia, doleamus, quò sciant fieri posse, ut inter amicos aliquid alterutro sermone contradicatur, nec tamen charitas ipsa minuatur, nec veritas odium pariat, quæ debetur amicitie, siue illud verum sit quod contra dicitur, siue corde veraci, qualecumque sit, dicitur, non retinendo in mente, quod distet à labiis.

August.

31

Rurfus idem Augustinus in Epist. 48. ad Vincentium eidem loco copiosam magis lucem affundit. *Non omnis qui parcat, amicus est, neque omnis qui verberat, inimicus. Meliora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici: melius est cum seueritate diligere, quam cum lenitate decipere. Et qui phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat. Quis nos potest amplius amare, quam Deus? & tamen nos non solum docere suauiter, verum etiam salubriter terrere non cessat, fomentis lenibus, quibus consolatur, sæpe etiam mordacissimum tribulationis medicamentum adungens exercet. Incidit etiam in hunc locum idem Augustinus libr. 1. contra literas Petiliani, vbi sic fatur. *Malim me obiurgatione misericordie sanari, quam blanda adulatione, tanquam mihi caput ungetur,**

A decipi atque perverti. *Meliora enim sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici*. Ad extremum in libro de amicitia, qui inter nothæ illius opera refertur, cap. 27. sic scribit. *Quidquid suadendum est ab amico facilius recipitur, cuius magna debet esse in suadendo auctoritas, cum nec fides eius dubia, nec adulatio sit suspecta. Non solum arguendi sunt amici, sed, si opus fuerit, obiurgandi. Obiurgandus sæpe est amicus si veritatem aspernatur, & obsequiis, atque blanditiis in crimen impellitur. Tolerabiliora enim sunt amici vulnera, quam adulantium oscula. Debet quidem amicus amico compati, & condescendere, vitium eius suum putare, corripere humiliter, sed compatienter corripiat eum vultu tristior, & sermo detestior, intercipient etiam verba lacryma, ut non solum videat, sed, & sentiat correptionem ex amore, & non ex rancore prodire. Nescio an alibi Augustinus hæc verba recoluerit.*

B

Diuus Ambrosius in cap. 22. Lucæ ad illa verba, *Iuda osculo filium hominis tradidit* sic attextit. *Amoris pignore vulnus infligit? & charitatis officio sanguinem fundit? & pacis instrumento mortem irrogas? seruus dominum, discipulus prodis magistrum? electus auctorem? Hoc est illud, vtriora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici*. Diuus Chrysostomus in Homilia de ferendis reprehensionibus, & conuersione sancti Pauli, hæc verba longiori commentario donat. *Sanè inimicum ne laudantem quidem probo, amicum verò etiam reprehendentem amplector. Ille etsi me osculetur insuavis est, hic etsi vulneret amabilis: illius osculum suspitione plenum est, huius vulnus medicamentum vim habet. Propter hoc dicit quidam, Fideliora sunt vulnera amici, quam blanda oscula inimici. Quid dicit? vulnera amicorum meliora dicit: non enim ad naturam eorum, quæ sunt, sed potius ad affectionem eorum, qui faciunt, attendit. Vis discere quomodo fideliora sunt vulnera amici, &c. Osculatus est Dominum Iudas, sed osculo suo prodidit, venenum habebat os eius, malitiaque impleta erat lingua eius. Paulus vulnerauit eum, qui apud Corinthios scortatus fuerat, sed saluauit, &c. Et subinde multa attextit, quibus fraudulenta oscula diabolo, & vtilia vulnera Deo tribuit. Legatur etiam in Psalm. 140. vbi eadem Salomonis verba recolitur: Denique Philo Carpathius in c. 6. Can. *Nec durum, inquit, illi est asperius increpari, modò id domino placiturum intelligat: unde Salomon, Meliora sunt verbera diligentis, quam fraudulenta oscula inimici: hæc enim ad perennem salutem ferunt, illa miserrimè occidunt, vtrinam ab his verberibus assidue caderetur sponsa Christi (scilicet Ecclesia) non enim eos (heumiseri!) Christiani quotidie per assentationes prædicantium infelicissimè perirent. Et infra de his, qui ex vera amicitia, & beneuolentia auditores suos grauioribus animaduersionibus fauciant, sic habet. *Hi sunt, qui sanctissimè cadunt, & saluberrimè vulnerant; & ab his cupiant peccatores sibi vulnus infligi, ab his velle curari, ab his enim satius est ad tempus occidi, quam ab adulatoribus ad gehennam exosculari*. Mitto alios Patres, apud quos alia his quam similia alibi fortasse occurrent; ex his enim Salomonis mentem aucupari licet.**

32
Ambros.

Chrysost.

D

C *Q*uid dicit? vulnera amicorum meliora dicit: non enim ad naturam eorum, quæ sunt, sed potius ad affectionem eorum, qui faciunt, attendit. Vis discere quomodo fideliora sunt vulnera amici, &c. Osculatus est Dominum Iudas, sed osculo suo prodidit, venenum habebat os eius, malitiaque impleta erat lingua eius. Paulus vulnerauit eum, qui apud Corinthios scortatus fuerat, sed saluauit, &c. Et subinde multa attextit, quibus fraudulenta oscula diabolo, & vtilia vulnera Deo tribuit. Legatur etiam in Psalm. 140. vbi eadem Salomonis verba recolitur: Denique Philo Carpathius in c. 6. Can. *Nec durum, inquit, illi est asperius increpari, modò id domino placiturum intelligat: unde Salomon, Meliora sunt verbera diligentis, quam fraudulenta oscula inimici: hæc enim ad perennem salutem ferunt, illa miserrimè occidunt, vtrinam ab his verberibus assidue caderetur sponsa Christi (scilicet Ecclesia) non enim eos (heumiseri!) Christiani quotidie per assentationes prædicantium infelicissimè perirent. Et infra de his, qui ex vera amicitia, & beneuolentia auditores suos grauioribus animaduersionibus fauciant, sic habet. *Hi sunt, qui sanctissimè cadunt, & saluberrimè vulnerant; & ab his cupiant peccatores sibi vulnus infligi, ab his velle curari, ab his enim satius est ad tempus occidi, quam ab adulatoribus ad gehennam exosculari*. Mitto alios Patres, apud quos alia his quam similia alibi fortasse occurrent; ex his enim Salomonis mentem aucupari licet.*

Philo Car.

E

Sed vterius quedam verba ab his Patribus omiſſa à me discutienda sunt. *Meliora sunt vulnera, &c. lxx. Fidelia, aut, Fideliora*. Quibus accinit etiam in Primitiuis vox מַלְּיָא נְעֵמָא *Neemanim*. At quæ, inquires, *vulnera fidelia* dici debent? Alia quidem est acceptio fidelium vulnerum apud Iurisperitos, alia apud Medicos. Nam Iurisperiti *vulnera infidelia*, seu *אִמְסָא*, appellant illa, quæ

33

vulgò dicimus proditoria, o dadas atraicion por las *espalidas*. Ita docet Brissonius in Lexico iuris. Erunt ergo ex aduerso *fidelia vulnera*, quæ non proditoriè inferuntur, sed, vt aiunt, *cara à cara*. Tales ergo debent esse amicorum obiurgationes, *fidelia*, scilicet, *vulnera*, non quidem à tergo per detractionem, sed in faciem per corripiendi libertatem inflicta, quemadmodùm Paulus cum Petro egisse aliquando se iactat ad Galatas 2. *In faciem*, inquit, *ei restiti, quia reprehensibilis erat*. Nam quæ dolosa, & proditoria sunt, amicitiam prorsus dissoluunt. Hùc spectat illud Ecclesiastici 22. *Excepto conuictio, & plaga dolosa, in his enim redibit amicus*. Augustinus in lib. de conflictu vitiorum ac virtutum cap. 8. *Nec tacenda sunt mala proximi, nec consentienda, sed charitate fraterna in faciem est proximus redarguendus, non verò occultè detrahendus*. Et infra. *Imò magis hinc odisti, & non diligis, unde detrahis, & non corripis*.

Ad Gal. 2.

Ecc. 22. Aug.

34

Ceterùm apud Medicos *infidelia vulnera*, seu *amici*, nuncupantur ea, quæ penetrantia vulgò dicuntur, quæ nimirùm ad interna viscera peruadunt, atque adeò immedicabilia sunt. Aliter etiam apud Chirugos *amici*, id est, infideles incisiones dicuntur, quæ cum ad curationem adhibeantur, lædunt tamen partem incisam. Exemplo sit incisio tuberis, quæ ad incorruptam, & integram carnem pertundit, aut etiam incisio venæ, quæ neruum attingit, & sic de aliis. Quas loquutiones ex Galeno obseruat, Celsus lib. 1. Quapropter è conuerso *vulnera fidelia* illa appellare licebit, quæ non sunt penetrantia, nec ad interna viscera permeant, & ea etiam, quæ sic medentur affectæ parti, vt tamen ne leuiter quidem sanam carnem lædant. Ergo sic accipe, *Fidelia*, aut, *fidelia sunt vulnera diligentis*, id est, correptiones, quas amici ad emendationem morum suis familiaribus exhibere debent, vulnera esse debent *fidelia*, id est, minimè penetrantia, non iniuriosa, aut conuictiosa; hæc enim interna viscera configunt atque adeò immedicabilem plagam infligunt. Hinc est illud Diui Isidori de summo bono lib. 3. cap. 91. *Qui dilinquentem superbo, vel odioso, vel iniurioso animo corripit, non emendat, sed percutit*. Hinc etiam euocanda sunt illa Ecclesiastici verba. *Excepto conuictio, & improperio, & superbia, & mysterii reuelatione, & plaga dolosa, in his enim redibit amicus*. Rursus amicorum obiurgationes debent esse *fidelia vulnera*, ita nimirùm ad medelâ mortû exhibita, ne per excessum plus fortallè noceant, quàm medeantur. Ita cauet Chrysostomus in Psalm. 140. *Oportet, inquit, eum, qui reprehendit, multa excogitare, vt accepta sit, & salubris eius reprehensio, & magna sapientia opus est ei, qui adhibuerit tale medicamentum; ac maiore quidem sapientia opus est ei, qui reprehendit, quàm ei qui corpus scindit. Quomodo? Quoniam illic quidem aliud est quod scindit, & aliud quod dolorem suscipit; hic autem eadem est quæ scindit, & quæ dolore afficitur*. Eadem nimirum manus, quæ vulnus dat, dolorem debet sentire, atque adeò tali, ac tantâ cautione ferire debet, quali alium configens, simul etiam sibi vulnus infligat: id enim postulat amicitia, & gratia. Alibi etiam idem Chrysostomus à Nano productus sic scribit. *Non uniformiter secundum mensuram delictorum increpationes quoque oportet inferri, sed diligenter inspicere eorum, qui deliquerunt, vires; ne forte volens rupta sarcire, maiorem operetur diruptionem. Nam qui aliter faciunt, nihilo mibi dissidere videntur ab his, qui agri venam incidere volentes neruum elidunt, &c.*

Isidor.

Chrysost.

Chaldaeus habet. *Pulchra sunt vulnera amici*. Dicit aliquis *pulchra* hîc perinde esse atque *bona*: ego verò aliquid etiam non iniucundum sub hoc nomine latere existimo: nam ne quis causetur amicorum increpationes propterea respuere, quia indecorum ac turpe est homini ab alio reprehendi, ac insimulari; ea propter accommodatissimè transtulit Chaldaeus, *pulchra sunt vulnera amici*. Sanè milites accepta in castris ab hostibus vulnera non quidem turpia ducunt, sed valdè pulchra, & decora, atque adeò illa venditare, & ostentare solent. Non secus dixerim, eas plagas, quas amantium obiurgatio infligit, pulchras esse, ac decoras valde, ita vt non tegi, aut dissimulari, sed ostentari potius, ac venditari debeant. Nam reprehendentem æquo animo ferre sapientiæ præconium est; non ergo debet celari reprehensionis vulnus. Legge Chrysostomum in Homilia illa de ferendis reprehensionibus, & de conuersione sancti Pauli, vbi multis expendit quàm sibi decorum, & honestum duxerit Moyses à socero suo Iethæo commonefieri, nec sine vulnere: ait enim Exod. 18. *Non bonam rem facis, stulto labore consumeris, & tu, & populus iste, qui tecum est: ultra vires tuas est negotium*. En vulnus; ait ergo Chrysostomus. *Hæc vt audiuit, non erubuit, non est confusus, non est reueritus subditos. Qui non solum propter eos, qui ea tempestate erant, non erubuit, sed nec propter nos post se futuros. Imò tanquam honestatus hæc soceri admonitione, non illos solum, qui tunc erant homines, sed etiã eos qui vsque ad nostram aetatem secuti sunt, factum hoc literis docuit, & quod non potuerit animaduertere quid opus esset facto, & quod correctionem, & consilium à socero acceperit*. Habes ergo ex dictis quàm sint honesta, & pulchra apud homines amantium vulnera. Illud etiam nunc accipe, longè honestiora ac pulchriora esse apud Deum. Nam, vt docet Augustinus in libro de conflictu vitiorum ac virtutum. *Genus quoddam martyrij est non ignobile reprehendentè æquanimiter ferre*. Iam ergo sic apud te cogita, quod quemadmodùm martyrum corpora gloriosa vulnerum cicatrices, ac vibices passionis suæ testes seruare oportuit, vt in cælo gloriosè admodum, ac decenter ea ostentare possent: Non secus eorum animi, qui obiurgantes, ac increpantes æquanimiter tulerunt (liceat sic dicere) accepta ex obiurgationibus speciosa vulnera, & pulchros vibices martyrij æmulos, cælo, ac cælitibus omnibus aperire, & exponere gloriosum, ne dicam superbum, erit. Subdit Salomon.

Exod. 18.

Chrysost.

August.

D

E

Quàm fraudulenta oscula inimici. Oscula certè summa benevolentiae signa sunt, quæ solent nonnunquam ex fraude libari. Exemplo sit Amasa, quem propius euocatum, & osculo exceptum Ioab gladio confodit. Et Iudas, qui osculo etiam prodicionis suæ facinus perfecit. Non solum autem hæc fraudulenta oscula vitanda esse docet Salomon, sed etiam sub his omne adulationis genus, atque omnem falsam benevolentiae, & amoris simulationem; hæc enim omnia fraudulentum osculum appellat. Et sanè homines istos, qui falsa amicitiae specie veluti exosculantes, deludunt proximos suos, à Phalangis nihil dissidere existimo. Audi Clementem Alexandrinum libr. 9. Pedagog. cap. 1. *Est autem aliud quoque osculum inuestum, veneno plenum, sanctitatem simulans. An nescitis, quod etiam Phalangia si ore tantum tangant, graues dolores hominibus afferant? Est autem Phalangium araneorum genus maximè virulentum, quod ore carnem attingens dolorem grauem im-*

36

Clem. Al.

mittit, ac virus transfundit, eiusmodi erat illud A osculum, de quo Chrysof. supra. *venenum habebat os eius, & malicia repleta erat lingua eius.*

37 Alij ad Origines recurrunt, & non *fraudenta*, sed *crebra, spissa, aut densa* oscula legunt. Sensus verò in promptu est: nam iterata, & repetita oscula, maximam quandam, & summè extremam amicitia significationem continent. Ergo secundum hanc lectionem docebit Salomon crebras, & valdè frequentes amici cuiuspiam increpationes, crebris etiam, ac repetitis inimici osculis esse anteponendas. Adde etiam apud veteres de more fuisse euntes ac redeuntes officij gratia osculis excipere ac dimittere; atque adeò licebit etiam hanc lectionem ad eum morem reuocare, ita vt sensus sit: Amicus qui seueris correptionibus vtitur in amicum suum, crebrius admittendus est ad familiaritatem, & vsum, quam hi, qui fraudulenter placendi gratia eos vident, ac reuisunt, quibus adulari, & assentari volunt, id enim significant *crebra oscula.*

Denique lxx. habent *spontanea oscula.* Ambr. & August. *voluntaria*: dicuntur autem voluntaria, seu spontanea odientium oscula ad speciem tantum, quatenus illa, quæ libant, oscula, spontè, voluntariè, & ex animo à se libari omnia artificio simulare, adulatores contegunt.

VII. *Anima saturata calcabit fauum, & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* C

38 **A** *nima saturata, &c.* Hebr. *Et anima famelica omne amarum dulce.* lxx. *Anima, quæ in saturitate est, fauis illudit; egenti etiam amara dulcia videntur.* Cass. collat. 12. cap. 15. & 14. legit *Anima esuriens.* Chald. *Et anima esuriens, quidquid amarum est, dulce est.*

Huius loci non vna facies. Beda, Hugo, Dionysius, & Salonijs spiritualem ex illo sententiam eliciunt ad hunc modum. *Anima diuitum (qui habent consolationem suam in hoc seculo, de quibus dicitur in Euangelio, Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis.) Anima, inquam, diuitum fauum calcatur, quia pro terrenis bonis spernit dulcedinem regni caelestis; anima verò esuriens etiam amarum pro dulci sumet, quoniam qui esurit, ac sicut iustitiam, omnem huius vite aduersitatem auidè sumit pro amore caelestis patriæ.* Hæc verba ex vtroque carptim desumpta sunt. Reliqui interpretes literæ vestigandæ incumbunt.

Et quidem sonus verborum, & allegoriæ cortex perspicuus est, nam præterquam quod illius sensum experientia duce nouimus, vtramque partem quædam vulgò trita sententiæ confirmant. *Anima saturata calcabit fauum.* Huic affine est illud Liuij. *Copia rerum fastidium facit.* Accinit etiam illud vulgare apud nostrates, *el hombre harto no es comedor.* Subdit. *Et anima esuriens, &c.* huc spectat id quod vulgò iactari solet. *Optimum cibi condimentum est fames, nec non illud, Fames efficit vt cruda faba saccarum sapiant.* Est quoque apud Hispanos illud vulgare, *à buena hambre no ay pan duro.* Sed frangendus hic cortex, atque eruendus nucleus.

39 Ergo alij sententiam huius parabolæ malam in partem rapiunt, atque illam de libidinosâ, & infama concupiscentia captandam putant hoc modo. *Anima saturata calcabit fauum, i. homo ætate se-*

nioque confectus, quem deliciarum fastidium iam cœpit, suauissimas etiam, ac iucundissimas voluptates præ tædio aspernatur. *Et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumit.* i. iunior aliquis, vegetior, ac robustior, in quo libido exæstuat, & quem concupiscentia veluti fames hactenus vrget, ea certè, quæ nec iucunda nec volupta omnino sunt, sed amara potiùs, & austera, maxima cum auiditate transmittit. An non amarum est noctes infomnes ducere, gelu rigere, & arstu aduri, & alia eiusmodi grauissima perpeti? & tamen hæc omnia iuniorum libido non sine voluptate deuorare solet. Audi Chrysof. famelicos istos libidinum amatores nihil non deuorantes Hom. 78. in Ioan. eleganter describentem. *Non vides amantes? hi namque voluptatum amore quot mala perferunt? alapis, verberibusque casti, irrisi, innumeris iniuriis lacerati, blando tamen morbo comprehensi, omnia sibi tranquilla, & felicia arbitrantur, dum vel semel suauè aliquod, vel placidum inde accipiant, priorum omnium obliuiscuntur: Omnia secunda proueniunt, siue paupertas, siue morbus, siue quodcumque aliud vel molestissimum: vitans enim suam vel miseram, vel beatam, ex amicitia affectu ducunt. Neque humanam gloriam, neque infamiam curant, sed & contumelias, & omnia magna cum voluptate, propter illius amorem facile deuorant, & si maledicat, si in faciem inspuat, rosas aspergi se putant, &c.* Sed quid est, inquires, illud quod res adeò austeras, & amaras in iuuatatem, & dulcedinem vertit? Certè fames. Libido, inquam, quæ famis ad instar ardentissimè illorum conficit præcordia. Caterùm hæc expositio mihi nequaquam probatur.

Alij ergo eandem sententiam in bonam rapientes partem, per saturatam animam eam intelligunt, quam virtutis, & honestatis fastidium tenet, per eam verò, quam fames vrget, illam accipiunt, quæ desiderio eiusdem virtutis, & probitatis flagrat hoc sensu. *Anima saturata calcabit fauum.* i. anima, quam cepit acedia, ac virtutis tædium, iucundissimas, ac fauis ipsis dulciores, quæ ex honestate fluunt, delicias fastidit, aspernaturque. *Anima verò esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* Ea. s. anima, quæ desiderio honestatis, & probitatis capeffendæ, seu fame quadam ardentissima, penitus vrgetur, etiam ea, quæ in virtutibus amara, & austera sunt, cum voluptate deuorat. Et quidem acediam, tædium, satietatemque boni, & honesti sapius appellat. Cal. honestatis verò anorem sub nomine famis producit Chrysof. passim, sed tum maxime Hom. 24. in priorem ad Cor. Hæc etiam interpretatio mihi parum arridet.

Propiùs ad veritatem accedunt (ni fallor) Caietanus, & Iansenius, qui hoc prouerbiu eò deriuant, vt significet id hominibus proprium ac germanum vitium esse, vt quamdiu carent re aliqua, eam impensè, tanquam famelici, appetant, at postquam adepti sunt, eandem, tanquam saturi tædiosique, aspernentur. Ita que sensum sic conformant. *Anima saturata calcabit fauum.* i. anima, quæ desiderata diu re demùm potita est, quantumvis hæc dulcis, ac iucunda sit, tamen per breui interstitio eam ex satietate fastidit: contra verò, *anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* Ea scilicet quæ ardenti desiderio, tanquam fame aliqua vehementi, rem aliquam deperit, etiam si hæc non sit omnino iucunda, & delectabilis, tamen quatenus è votis cedit, ac desiderium longum explet, dulce admodum sapit. Hinc est illud vulgare ex D. Gregor. Hom. 36. in Euangelia. *Corporales delicia cum non habentur, graue in se desiderium*

Chrysof.

Caiet. Iansen.

Liuius.

Gregor.
Seneca.

accendant, cum verò habitæ eduntur, comedentem procius in fastidium per satietatem vertunt. Appetitus placet, experientia displicet, appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat. Id verò, quod de voluptatibus censuit Gregor. de quibusvis aliis temporariis bonis iudicandum est. Præsto nobis est Seneca in Epistola 118. *Homines*, inquit, *per mala nituntur in mala, petuntque mox sugienda, aut etiam fastidienda: cui enim assequuto satis fuit, quod optanti nimium videbatur?*

42
Baynus.

Proximè ad duos accedit Baynus, qui putat Salomonem in ea fuisse mente, vt significaret his verbis omnia, quæ sunt in hac vita, pro desiderio, & appetitu hominum æstimari, ac metiri, ita vt sensus sit. *Anima saturata calcabit fauam*. Quasi dicat: Nihil dulcius fauo, & tamen homo satur, ac tædiosus, illud fastidiet. *Et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet*, finge tibi etiam amaros valdè, & austeros cibos, & tamen hi viro famelico præ dulces erunt. Igitur eodem modo de omnibus aliis rebus decernere oportet. Numerata tibi omnia iucunda; & omnia delectabilia, & da hominem, qui hæc, velut satur ac tædiosus, nequaquam appetat, æquè illi cuncta felle ipso amariora erunt; rursus recense mihi omnia iniucunda, omnia aspera, & infelicia, & da similiter hominem, qui hæc, veluti famelicus, afflictim depereat, æquè illi cuncta melle, fauisque ipsis dulciora, ac suauiora contingent. Interim autem dum ait Salomon rerum omnium (liceat sic fari) saporem, & gustum ex voluntate nostra, animoque pendere, serio suadet, vt eiusdem voluntatis motus affectionesque moderemur, rerumque ipsarum iacturam ne vereamur. Audiendus hac super re Seneca. *Non, inquit, in rebus vitium, sed in animo ipso est, illud quod paupertatem nobis grauem fecerat, diuitias quoque ipsas graues faciet. Quemadmodum nihil refert vtrum agrum in lecto ligneo, an in aureo colloces, quocumque illum transtuleris, morbum suum secum transferet: sic nihil refert, vtrum ager animus in diuitiis, an in paupertate sit, malum suum illum sequitur. Ad securitatem non est opus fortuna.* Hæc ille in excerptis. Accipe etiam illud ex Chrysofostomo Homilia 65. ad Populum. *Voluntates, & diuites faciunt, & pauperes, non pecuniarum copia, nec egestas, vbi fieri diues tu pauper? licet tibi, si velis, qui prohibeat, nemo est.* Et multa subinfert in hanc sententiam.

Seneca.

Chrysof.

43

Cæterum quamuis præmissæ interpretationes mihi satis arrideant, tamen facilè mihi suadeo aliam fuisse Salomonis mentem. Hic enim (ni fallor) diuitias cum paupertate, & diuitem cum paupere confert, & ex collatione hunc præfert. *Anima*, inquit, *saturata calcabit fauam*. q. d. quid refert, an copias immensas tibi numeres, atque adeo exquisitos cibos, & mensam opulentam, ac delictiosam possideas, quandoquidem saturitas ipsa earum delictiosarum, quibus affatim abundas, fastidium, & nauream afferre solet. *Et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet*. LXX. hîc allegoriam aliqua ex parte soluentes sic restituerunt. *Egenti etiam amara dulcia videntur*. Quod perinde est ac si dicat: homo pauper, & indigens cui exiguus census viles ac prætenues escas suppeditat, beator ac foelicior est, quia eiusmodi cibos famæ vsque adeo condit, ac temperat, vt vilia, amara, & austeria illi mirum in modum dulcescant. Quid certius? Eò spectauit Seneca loco citato, vbi sic ait. *Paruo famæ constat, magno fastidium*. Sed audiendus Chrysofost. Hom. 55. ad Populum. *Dicam quos tristitias, & molestias habeant diuites*

Seneca.
Chrysof.

A delictiis inherentes. Hanc enim ipsam lautam mensam cum voluptate nunquam attingunt. Egestas enim sicut sanitatis, sic & voluptatis est mater, saturitas autem, sicut morborum, itidem, & fastidij fons, atque radix est, vbi namque satietas fuerit non potest esse appetitus; absente verò appetitu, quomodo possit esse voluptas? Propterea non tantum pauperes diuitibus prudentiores inuenimus, verum & maiorè assequentes delectatione. Itè in Hom. super oratione Annæ. Nam pauperibus & diuitibus æqua delectationis est portio definita: Imò, & hîc pauperes præstare diuitibus quis non viderit, quando, & efficaciores habent sensus, & perfectiores habent quasque susceptiones. Quapropter veraciorem hauriunt voluptatè. Et subinde rationem attexit. *Non ita suauis vini, merique potus, sicut potantis sitis delectare solet, non ita placentas comedere, sicut cum esurit vilem cibum sumere: non ita molli recubare strato, sicut dormitantes dormire. Quæ omnia magis apud pauperes sunt quam apud diuites.*

B

Sed, quod caput est, hæc nostra interpretatio est ipsius Chrysof. propria in oratione 6. de prouidentia, vbi sic habet. *Nostri victus nobis terminus sit, quod non lædat, quod famem sine offensione depellat, & nihil vltioris requiramus. Si voluptatem quarimus in eo quod facis, potius quam in delictis inueniemus. Audi quomodo in eo maior, quam in his, & vberior voluptas est. Hæc enim moderari se ipsam de cætero non potest, neque naturam sanguinum idoneam sibi inuenit, illa verò contra sibi moderari potest. Quis hoc ait? Qui maximè ex omnibus ea fructatur. Anima (inquit) vacua quæ amara sunt dulcia videntur; anima satiata etiam cum fauo ludit. Si enim in abundantia ne fauam quidem expetimus, quid volupe potest esse de cætero? si id quod suauissimum est afferre voluptatem non potest, quid potest nos in voluptate constituere? Quare si voluptatem quarimus, hîc magis, id est, in paupertate, inueniemus. Et in Hom. quod nemo læditur nisi à se ipso, sic habet. *Anima in satietate pestifera fauis illudit, ostendens etiam eo ipso, quod voluptas non in natura ciborum, sed in desiderij vigore consistit. Nam cum per abundantiam cupiditas fuerit extincta, pariter, & voluptas perimitur.**

44

D

VIII. Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum.

Sicut avis, &c. Hebr. *Sicut avis vagans à nido suo, sic vir vagans à loco suo*. Tigur. *Homo, qui de loco suo migrat, similis est passerulo derelinquenti nidum suum*: in Primitiuis est זפור Zephor, quæ vox communis est omniaui pusillæ, atque imbelli (vt notant Hebraizantes quidam) sed propriè, & germanè dicitur de passerulo, frequentissima omnium alite, vulgò gorrion, lxx. *Sicut cum avis deuolaueris à proprio nido, sic homo seruus fit, cum peregrinatus fuerit à propriis locis*. Symmachus. *Cum translatus fueris.*

45

E

Numeratur etiam locus iste inter sententias ancipites, quæ in bonam, inque malam partem rapi solent. Nam Vatab. Isidor. Clar. & Rodol. docent eos à Salomone commendari in hoc versu, qui nequaquam domi socordes hærent, sed penates suos deferentes in alienas terras negotiationis causa irrumpunt, vt inde ditescant. Hi ergo dissimilitudinem desumptam putant ab alite, quæ deferens nidum suum, per vicinum tractum ad cibos conquirendos pererrat; ita vt Salomon suadeat,

11c

ne socordiae, atque otio dediti domi maneamus, sed inde euolantes victum nostrum arte, & industria elucremur. Ita praefati auctores, quorum interpretatio parum idonea mihi videtur.

46 Aliter ergo iuxta praefatam acceptionem comparatio peti potest ab illis auibus, quae cum aetatem apud nos agant, ad aprica loca hyeme rigente sese transferunt. Ita enim suadere videtur vox illa, *transmigrans*, sensus vero sic restituendus est. *Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir, qui relinquit locum suum.* i. Quemadmodum auis locum, ac sedem, in qua est, non vertit aut mutat, nisi tunc cum vis hyemis illam expellit, & aliam naturae suae magis idoneam regionem commoditas offert. Ita etiam homo locum aut officium, in quo diu mansit, non quidem ob leuiore causas cum alio permutare debet, sed tunc cum magna aliqua vis ipsam inde expellit, aut maxima utilitas, & commoditas aliò euocat. Hinc est illud Platonis in in Dialogo 7. de leg. *Mutationem aio omnibus in rebus praeter quam in malis esse periculosam.* Quibus verbis mutationem loci, aut etiam officij, vel muneris (haec enim omnia complectitur Plato) tantum ob vitanda grauiora mala fieri indulget. Eò etiam pertinent graues quaedam sententiae vulgò celebratae, quae à mutandis, vertendisque sedibus dehortantur. Ouidius.

Qua fueris positus in statione mane.

Illud etiam satis emphaticum, quamuis inelegans.

Si qua sede sedes, atque est ea commoda sedes,

Illam sede sede, nec ab illa sede recede.

47 Ceterum licet haec expositio non careat lepore: censeo nihilominus aliam praefendam esse, quae docet, Salomonem in eos inuehi, qui rerum domesticarum curam negligunt. Ex illis ergo, qui ita sentiunt, alij locum istum parentibus, qui filiorum educationem negligenter curant, adaptandum esse putant hoc modo. *Sicut auis transmigrans de nido suo,* &c. id est, *Quemadmodum si qua auis pullos suos implumes ex alendi tadio in nido relinquat, & aliò transuolet, eos perire necesse est: ita etiam pater, qui paruulos filios educare, atque instituere ex negligentia contemnit, eos omnino perdit.* Et sane ex quibusdam auibus, quae alendorum pullorum incuriam habent, ad negligentem filiorum educationem exempla deriuare Patribus solemne est. Basil. Homilia 8. in Hexamer. *Iniquissima, inquit, volucris Aquila in educanda prole sua dicitur esse, duos enim mox ut excludit pullos horum alterum alarum verberare casum è nido deturbat, alterum autem, & eum solum exceptum ut proprium sibi adiungit familiariter. Quin hunc etiam, quem ipsa genuit, ob nutritionis difficultatem à se ablegat &c.* Eiusmodi parentes hi sunt in liberos praeduri, & inclementes, qui praetextu à paupertate quaesito, suos infantes exponunt, aut certe iniquissimos se declarant patrimonio inter liberos partiendo. Et infra. *Imitari noli crudelitatem earum auium, quibus ungues adunci sunt, & incurui. Haec enim cum suos senserint fetus volandi iam potestatem consequutos, alis eos verberant, ac nidis depellunt, nullamque prorsus circa illos extrusos deinceps diligentiam adhibent. Laudandus est sane cornicis erga suam prolem amor, laudanda est & diligentia. Haec enim suos pullos iam volantes comitatur, suppeditanque alimoniam aliquandiu enutrit.* Haec argumenta ex Basilio libauit Ambrosius lib. 5. Hexameron; sed tum maximè c. 18. vbi ex cornice quarumdam matrum in filios immanitatem obiurgat. *Discant, inquit, parentes amare filios ex usu, & pietate cornicis, quae etiam volantes filios comisatu sedulo prosequuntur.*

Tom. 2. Part. 2.

A tur, & sollicita ne ex teneritudine deficiant, cibum suggerunt, ac plurimo tempore nutriendi officia non relinquant. At verò femina nostri generis cito ablactat etiam illos, quos diligunt, aut, si diuiores sunt, lactare fastidiunt. Pauperiores verò abiciunt paruulos, & exponunt, & deprehensus abnegant. Quis docuit nisi homo filios abdicare? Quis reperit in immittit natura iura?

His similia apud alios Patres videre licet, sed tum maximè illis familiare est struthionis exemplum ad eos parètes deriuare, qui filiorum educationem profusus abiicit. Cuius auis ingenij descripsit Iob ca. 39. *Pena struthionis similis est pennis herodij, atque accipitris, quando derelinquit oua sua in terra, obliuiscitur, quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat: duratur ad filios suos quasi non sint sui. Frustra laborauit, nullo timore cogente; priuauit, n. Deus sapientia, &c.* Huic ergo ad similes profusus parètum mores, qui liberorum institutionem ex incuria insipienter negligunt. Contraria plane struthioni turturis cura, & industria: struthio enim suam sobolem bestiis proterèdā, extinguendāque permittit, turtur verò mirabili quodā actu à bestiarum incurribus tuetur: de qua sic Ambros. lib. 6. Hexam. c. 4. *Quantam Dominus etiam minusculis infundit prudentiam: turtur nido suo, non pullos suos incurset lupus, squilla folia superiacit: nouit enim quod eiusmodi folia lupi fugere consueuerint. Sed quid inde? Nouit auicula quomodo posteritatem foueat suam, & tu ignoras, tu negligis quomodo aduersus lupos nequitia spiritualis posteritatem vitae huius (id est liberos tuos) reddat tutiorem. Mitto alia eiusdem argumenti.*

Alij melius sententiam istam nequaquam coartandam putant, atque Salomonem ab inconstantia, & leuitate in vniuersum dehortari volunt, hoc modo. *Sicut auis transmigrans de nido suo,* &c. Omnes certè aues quamdiu pullos suos alunt in nidis, ibi quidem haerent, nec longius euagantur, sed circum circa obambulant: vbi autem pulli adulti euolarunt, nullibi ipsae consistunt, sed hanc illac vagae & deerrantes peruolant. Ait ergo Salomon, Omnis homo inconstans ac laeuis, qui nulla in re diutius perseverat, sed occupationes, artes, domos ciuitates, & terras in dies vertit, ac permutat, similis est aui, quae iam iam deseruit nidum suum, atque adeò nullibi consistit, cui propterea nec fidere, nec credere oporteat. Concinit cum hoc loco locus alter Ecclesiastici 36. *Quis credet ei, qui non habet nidum, & deflectens ubicumque obsecrauerit, quasi succinctus latro exiliens de ciuitate in ciuitatem.* Hanc inconstantiam, & animi mobilitatem venulè admodum infectatur Seneca in Epist. 2. Nam quae ipse ibi contra eos pronuntiat, qui libros multos perlegunt, & nulli doctori serio incumbunt, in omnes inconstantes ac leues homines apprimè quadrant. *Bonam, inquit, spem de te concipio, non discurras, nec locorum mutationibus inquietaris: agri animi ista iactatio est. Primum argumentum composita mentis existimo secum posse consistere, ac secum morari. Illud vide ne ista lectio multorum auctorum, & omnis generis volumina aliquid vagum habeat, & instabile, certis ingenij immorari atque innutrirì oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Obserua ea quae sequuntur. Nusquam est qui ubique est, in peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Non prodest cibum, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur, nihil aequè sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio, non coalescit planta, quae saepe transfertur. Nihil tam vile est quod in transitu proficit. Et alia subinde attexit ad hanc sententiam nata.*

50

Rurfus alij sunt, qui sententiam hanc non quidem ita latè patere existimant, vt quamlibet hominum inconstantiam, & mobilitatem significari putent; sed eorum incuriam, qui res domesticas minimè curant; à quibus doctoribus quemadmodum sententia, sic etiam comparatio aliter conformari debet; & quidem ille ipsis videtur appositus ad hanc rem instituendæ comparationis modus, quem spiritualemente ad sensum transtulit Beda hîc. *Sicut auis, inquit, quæ negligit ova sua, siue pullos, quos foueat, aliorum animantium, vel auium raptui dimittit: sic nimirum ille, qui custodiam virtutum, in quibus proficiebat, deserit, earundem virtutum, quas habere videbatur, immundis spiritibus ipse proditor existit, &c.* Idem ergo de rerum domesticarum neglectore decernunt, si nimirum eodem modo domum deserat: omnes enim domesticos, ac rem domesticam alienis exponit. Sic nonnulli comparationem istam sententiamque componunt. Ego verò nequaquam cum his sentio; Tamen si locum istum de rerum domesticarum iniurioso neglectore capiendum putarem, tam comparationem, quam sententiam aliter conformarem ad hunc modum. *Sicut auis transmigrans de nido suo.* Certè in ea sum mente, vt putem eam vocem *transmigrans*, de his alitibus dici, qui temporis hyberni causa regiones mutant, vt supra notauimus; sensus ergo sic habet. Sicut auis quæ hyeme appetente nidum deserit, in quo per æstatem degerat, cum rurfus post hyemem redit, nidum quidem euerfum prorsus dissipatum, disiectumque inuenit, ad eò vt nouum construere, ac fabricare ipsi opus sit: ita etiam homo, quem à domo sua, & à domesticis aliquandiu abesse contigit, cum iterum redux ædes suas repetit, omnem familiam, omnemque rem domesticam confusam, & perturbatam inuenit, ita vt omnia restaurare, ac denuò informare opus sit. Quid certius?

Sed quamuis hæc non ineptè dicta sint, tamen vt Vulgata lectio cum translatione lxx. concors sit. Salomonis mentem aliò delectendam puto. Illud ergo mihi exploratum est, in hoc loco similitudinem sumi ab ea transmigratione, quam hybernandi gratia aues quædam quotannis suscipiunt, vt aliàs obseruauimus. Adde etiam nunc id, quod etiam vsu venit. s. tunc maximè aucupes aibus insidias instruere, atque illas magno numero turmatim euolantes iactu visci, retibus, aut aliis artibus petere solitos. Hanc aucupibus solemnem artem notauit. D. Ambrosius lib. 5. Hexam. ca. 18. his verbis. *Quibus, inquit, nos inhospitali immanitate molimur insidias, & diuerso genere, nunc insida sede decipere, nunc visco eas fallere, nunc retibus, aut laqueis captare contendimus*, pende illa verba, *inhospitali immanitate*, id est, hospitij iura per immanitatem violantes. Et quidem ea tempestate grues cum sedes vertunt, vbi cumque se deponunt magno numero tam in Italia, quam in Hispania configi iaculis, aut retibus comprehendi obseruat Albertus Magnus in Grue. Syluestrium quoque anserum cum aliò peruolant ingentem multitudinè ac vim à Gallis circa Alpes captari docet Conradus in Anserè: & similiter alia aues, cum è quibusdam regionibus ad alias coactis agminibus tranfluolant, venatorum arte capiuntur. Hinc ergo Salomoni lux affertur, quem loqui existimo de his, qui patriam, & naturale solum, vbi ab omnibus coluntur, & in honore sunt, deserentes, ad alienas, & exterâs regiones excurrunt. *Sicut auis, quæ transmigrat de nido suo, &c.* id est, sicut auis, quæ à frigidis, ad apricas regiones sese transfert, tunc

A vel maximè captari, atque irretiri solet; sic vir, qui derelinquit locum suum. Id est, ad eundem modum is, qui patriam relinquit, vbi ceu liber, & ingenuus omnibus in pretio erat, sæpè amissa libertate honoribus, & immunitatibus, quibus ex suis natalitiis apud suos gaudebat, tanquam degener ac fordidus homo, aliis obseruari cogitur. Hunc sensum planè reddit translatio lxx. supra adscripta. *Sicut cum auis deuolauerit à proprio nido, sic homo seruus fit cum peregrinatus fuerit à propriis sedibus.* Quotidie videmus nobiles, ac liberos homines, quorum in patria nobilitas, & claritas comperta erat, ex eo tantum quod ex vna vrbe in aliam mouerint, nobilitatis, & claritatis iura amississe, aut saltem de his addubitari, addo etiam litigari cœptum. Nihil certius. Euripides in Medæa.

B *Malorum, inquit,*

*Non est aliud maius
Quam terra patria priuari.*

Extat etiam illud eiusdem.

*Verumtamen miserandum est illud tempus, quo
patriæ fines relinquuntur.*

Sed illud longè significantius Menandri.

Domus manere oportet, ac permanere liberum.

Aut nõ amplius viuere illi, qui verè beatus est.

Sophocles in Teræo simile quidpiam dixit.

Domus manebit vir bene beatus.

Quasi aliter non possit non esse infælix. Mitto alia, quæ passim occurrunt apud auctores in commendationem patriæ, quæ significant miserum valde esse, seruile, ac morti æquale, à natali solo abesse.

IX. *Vnguento, & variis odoribus delectatur cor, & bonis amici consiliis anima dulcoratur.*

V Nguento, &c. Hebr. *Et dulcedo amici sui à consilio animi.* Tigurina. *Et habere amicum ex animo consulentem, res dulcissima est.* Chaldaus. *Sicut oleum bonum, & aromata latificant cor, sic homo suauis amico suo in consilio animæ.* Omnia in idem recidunt. lxx. ab aliis diffidere videntur. *Vnguentis, & vinis, & odoramentis delectatur cor; dirumpitur autem à calamitatibus anima.* Aquila. *Et dulcedine perfundit amicum suum consilio animæ.* Sed quamuis translatio lxx. tantopere à nostra, & ab aliorum lectione abhorreat, eam tamen capit Originalis textus: Nam verbum רעהו *Raghehu* ex quo fluit רעהו *Reghehu*, quæ amici loco ponitur, significat frangere, ac dirumpere. Item vox מצפצפה *Meghasath*, quæ subest pro consilio, si referatur quidem ad radicem מצפה *Iaghasath*, consilium adsignificat; si verò reuocetur ad radicem מצפה *Ghasath*, coarctationem, praeclusionem, & angustiam sonat. Itaque locum istum sic ad verbum restituendum putarunt lxx. *Vnguento, aromatibus, & dulcedine latificatur cor, dirumpitur verò coarctatione anima.* Pro dulcedine autem vinum reddiderunt; sed huius translationis sensum postea dabo.

E Nostræ lectionis germana interpretatio in proprio est. Salomon enim quanta insit amicorum consiliis, & suasionibus dulcedo, & suauitas, quantumque ex illis emolumentum percipere liceat, ostendit exemplo vnguentorum, atque aromatum (adde etiam, si placet, exemplo vini cum lxx.) *Vnguento, & variis odoribus delectatur cor.* Expendo de more comparationis vim atque energiam. Sanè vnguentis, & aromatibus illud maximè proprium est, vt ingenitâ suâ facultate

Beda.

51

Ambros.

52

53

caput corroborent, & cor etiam mirum in modum exhilarent. Omnis enim vnguentorum, aromatumque varietas cordi, & capiti vt plurimum amica est. Vnguentorum vim ad pellendos cordis angores nemo nescit: quantum verò ad caput roborandum præstet, docet Clemens Alexandrinus in Pedag. lib. 1. cap. 10. cuius verba alibi dedimus, qui propterea olim vnguentorum vsum in conuiuio celebratum fuisse affirmat, vt caput aduersus temulentiam confirmaret. Ait ergo Salomon: amici vtique magno in pretio habendi sūt, quia eorum sermones, adhortationes, & consilia vnguentis pretiosissimis iucundiora, & vtiliora sunt; nam quod quidem exhilarant, omnem angorem, & tristitiam ab animis repellendo, & caput etiam roborant, mentem ab omni ignorantia, & insipientiæ ebrietate liberam præstando. Hæc enim sunt, quæ in optimis amicorum consiliis præcipua emolumenta inesse possunt, si vide licet animum reficiant, & mentem edoceant.

Aliter etiam dici potest his verbis, atque eâ vnguenti, & aromatum similitudine significatum à Salomone, amicorum consilia, & sermones tam in prospera, quam in aduersa fortuna in primis vtilia esse: nam in aduersa quidem fortuna mortuum ac delectum animum, vnguenti in morem pretiosi exhilarant: in prospera verò, & secunda contra foelicitatem veluti merum caput tentantem ipsummet caput muniunt, atque corroborant. Audi Ambrosium in libr. 1. de officiis cap. 32. *Benevolentia communis quadam est parens omnium, quæ amicitiam connectit, & copulat: in consiliis fidelis, in prosperis læta, & in tristibus mœsta: ita vt vnusquisque se magis benevolentis, quam sapientis credat consilio.* Et lib. 3. c. vlti no. *Solatio, inquit, huius vita est, vt habeas cui pectus aperias tuum, vt colles tibi virum fidelem, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur.* Et subinde. *Qui in lætis exultantem comprimat, in tristibus mœrentem erigat.* Quid illustrius?

Adde etiam, si placet, eâ similitudine aliam, quæ in sermonibus, & consiliis amicorum inest, vtilem proprietatem commendari, nempe fidelitatem. Nam Chald. habet. *Sicut oleum, vel vnguentum bonum.* Bonum autem appellat, id est, pisticum, seu fidele, non adulterinum. Succedant memoriæ ea, quæ aliàs diximus de vnguento pistico ad illa verba Ioan. 12. *Vnguenti nardi pistici pretiosi.* Vbi *miston* vnguentum appellatum diximus à voce *misic*, id est, *fides*; quasi fidele, genuinum, non adulteratum, aut falsis mixtionibus immixtum. Ait ergo Salomon. *Sicut vnguentum bonum, & aromata; sic homo suavis amico suo in consilio* (sic. n. habet Chal.) i. consilia, & cohortationes amicorum imitantur vnguenta bona, hoc est, fidelia, non falsa, & adulterina. Illud certè falsum, & adulterinum prorsus vnguentum, de quo Dauid. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum, illud fidele ac pisticum, Corripiet me iustus in misericordia.* Huc spectat illud ex Ambrosio nuper productum. *Benevolentia communis quadam est parens omnium, quæ amicitiam connectit, & copulat in consiliis fidelis, &c.* Nec non illud quod ex spurio illo. D. Aug. opere de amicitia supra dedimus. *Amici magna esse debet in suadendo auctoritas, cum nec fides eius dubia nec adulario sit suspecta.* Cicero in lib. de Amicitia. *In vera, inquit, amicitia nihil est fictum, nihil simulatum; quidquid in ea est, idem verum & voluntarium est.* Et iterum. *Cum autem omnium rerum simulatio sit vitiosa (tollit enim iudicium veri, idque*

adulterat) tum amicitia repugnat maximè. Et infra. *Nulla est hæc amicitia cum alter audire verum non vult, alter ad mentiendum paratus est.*

Denique illud etiam energiam habet, quod dicit, *Vnguento, & variis odoribus.* Heb. *Vnguento, & variis aromatibus.* Vnguentum quidem ex aromatibus pigmentariorum arte conficitur; aromata verò ipsa sunt simplices species nulla arte elaborata. Quo non obscure significauit Salomon amicorum consilia, non solum eorum, qui sapientia, & ingenio valent, atque adeo sapienter, & artificiosè suas exhortationes accommodant, sed etiam eorum qui ineruditi, ignarique sunt, atque adeo imperitè, & sine arte simplices valde admonitiones accommodant, magni esse faciendæ. Huc pertinet illud Ambrosij supra adscriptum. *Vnusquisque magis benevolentis quam sapientis consilio credere debet.*

De translatione lxx. ad extremum dicendum, quæ sic habet. *Vnguentis, & vinis, & aromatibus delectatur cor, dirumpitur verò calamitatibus anima.* Hæc verba (ni fallor) contra decoctores patrimoniorum pronuntiata videntur hoc sensu: Cum prodigi homines fortunas suas dilapidantes opiparas mensas instruunt, vino seingurgitant, vnguentis & aromatibus sese perluant, mirificè quidem gaudent, ac gestiant: at verò cum profusis omnibus copiis, ad paupertatis angustias redacti sunt, & egestatis calamitates subire coguntur: succedit quidem lætitiæ angor, ac mœror, animum, præcordia dirumpens. Quid certius?

X. *Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiseris: & domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tue.*

Amicum, &c. Hebr. *In die tui exitij, aut, subuersionis, aut, fractionis.* lxx. *In domum autem fratris tui ne ingrediaris improspere agens.* Symm. *In die afflictionis.* Aquila. *In die angustia.*

Huius loci luculenta sententia est. *Amicum tuum, & amicum patris tui, &c.* Alij duos amicos accipiunt his verbis, alij vnum: duos qui intelligunt, ita exponunt. Eum amicum, quem tu tibi parasti, nec non eum, quem pater tuus sibi adiunxit, & eundem tibi quasi ex testamento legauit, noli deserere, sed, si fieri potest, illum tibi in dies magis, ac magis copula: vterque enim, siue ille, quem tu comparasti, siue ille, quem pater tibi obstrinxit, fidelis valdè erit. Non assentior huic expositioni. Præstat (me iudice) illorum interpretatio, qui vnu aliquem amicum concipiunt hoc sensu. *Amicum tuum, & amicum patris tui.* Si fortè aliquè nactus es veterè amicum, qui non modo te, sed & parentè tuum adamarit, cuius sc. amicitia adeo constans fuit, vt cæptam olim cum parente tuo gratiam, illo etiam è viuis sublato, nō deposuerit, vel abiecerit, sed illam tecum tanquam cum quodam patris tui vicario homine: sibi prosequendam, longiusque producendam putauit: hunc ne desere, sed pro viribus illum complectere, & arctius tibi obstringe. Et sanè eiusmodi amicum tanti facere propterea iubet Salomon, quia antiquus, & eius probata iam explorataque est fides & gratia: nam eam amicitiant, quam ne ipsa quidem amici mors dissoluere potuit, sed quæ valuit ratione etiam post obitum in filio superstite perseverauit, magnam esse necesse est, cui propterea plurimum considerè oporteat. Hic certè quisquis erit, qui ad eundem modum amicos redamat, explebit vetus illud

proloquium. *Amicitias immortales esse oportet.* quippe qui etiam post amici interitum suam viuere voluit amicitiam & gratiam. Subdit Salomon.

58

Et domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis. Sunt qui hanc posteriorem partem à superiori disiungendam putant: ac volunt per fratrem hic amicum intelligi hoc sensu. Si fortuna reflauerit, & te in angustias compulerit, non statim domum amici deprecabundus adeas, ut tuam subleuet inopiam, sed tantisper expecta, donec amicus ipse stimulante amore sponte, nec tuis precibus coactus, te in ades euocet suas: sic enim eius in te animum explorabis, & verus ne, an fictus amicus sit certissimo hoc argumento deprehendes. Rodolph. etiam hanc partem à superiori distulit hoc modo. *Et domum fratris tui ne ingrediaris in tempore afflictionis:* id est, Cum fortunâ reflante ad angustias redactus fueris, noli ad amicum, quæ fratre chariorem habere debes, diuertere, ne sis illi nimium molestus: amicus enim tunc adeundus est, cum licet per illum rebus auxilium querere: at in desperatis, profligatisque rebus nequaquam conueniendus, ne pro iucunditate, quam ab illo haurire solemus, molestias rependamus: haud bonam pro gratia, gratiam referentes.

59

Sed tamen hæc mihi parum idonea videntur, tum quia cum superiori parte minimè coherent, tum etiam quia loquitur Salomon de amico veteri, cuius iam explorata fides est, atque adeò frustra eiusdem gratiam denuò explorare iuberet: eapropter prima interpretatio mihi displicet. Deinde etiam, cum præcipua utilitas amicitiae, & amicorum in rebus aduersis afflictisque spectetur, secundam expositionem non probo, quæ afflictionibus, angustisque prementibus aditum ad amicos interdicat. Melius ergo & coherentius idem Rodolph. & ex illo Iansenius in postrema interpretatione sic commenti sunt. *Et in domo fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tue.* i. Tu quisquis es qui eiusmodi amicum habes, siue paternum, siue tuum antiquitate probatum, cum fortè afflictis, profligatisque rebus, coactus fueris, ut ab aliquo auxilium expostules, ne fratrem, vel aliquem alium tibi sanguinis cognatione coniunctum, sed amicum præfatum adeundum & conueniendum tibi puta: huius enim fides certior, gratia promptior, & subsidium opportunius erit. Quantum verò præter amicum bonus fratri etiam coniunctissimo, diximus supra cap. 18. vers. 29. ad illa verba. *Melior est amicus amicus quam frater.* Lege quæ in eum locum contulimus. Subdit Salomon consimilem huic sententiam.

X. *Melior est vicinus iuxta, quam frater procul.*

60

Melior est, &c. Hebr. *Bonus vicinus propinquus, quam frater longinquus.* lxx. *Melior est amicus, qui propè, quam frater qui longè.* Sunt etiam qui ita restituerint ex Originibus. *Pulchrior est vicinus propè, quam frater longè.*

Beda, Hugo, Dionysius, & alij locum istum facile expediunt: sic enim exponunt. Præstantior est ad gratiam & benevolentiam vicinus, id est, amicus, quem amor nobis obstringit, quam frater quem sanguinis cognatio nobis deuincit, iuxta illud supra præscriptum. *Melior est amicus amicus, quam frater.* Concinit autem cum his interpretibus Diuus Ambrosius lib. 2. Offic. cap. 34.

A vbi sic habet. *Ad summum non omnibus eadem Ambrosius semper officia debentur, nec personarum, sed plerumque causarum, & temporum prælationes sunt, ut vicinum quis interdum magis quam fratrem adiue-rit. Quoniam & Salomon dicit: Melior est vicinus in proximo, quam frater longè habitans: & ideo amici plerumque se benevolentia quisque libentius committit, quam fratris necessitudini. Tantum valet benevolentia, ut plerumque pignora vincat natura.*

61

Ceterum aliam esse reor Salomonis mentem, & versum istum à superiori omnino dissiuendum puto: significat enim (ni fallor) quantum ad dirimendas, dissociandasque amicitias valeat absentia & locorum distantia. Itaque sic ait. *Melior est vicinus iuxta, &c.* Vicinum appellat non quidem amicum, aut familiarem, sed eum, qui proxime incolit: nam etiam propinquitas incolatus aliquam necessitudinem inducit. Melior igitur est, ait, eiusmodi vicinus propè nos agens, quam frater longè distitus, quem loci intercapedo & distantia non corpore solum, sed etiam animo à nobis distrahit. Neque verò Salomon hoc absentibus indulget, ut amicitiae obliuiscantur, sed naturale absentiae, ac distantiae vitium exprimit, tantamque illius ad dissoluendam gratiam vim esse dicit, ut sæpius alienus homo propè habitans grauior, ac beneuolentior esse soleat, quam frater coniunctissimus longè distractus. Eapropter inter alia, quibus amicitiam probari & explorari certum est, numeratur distantia, & longinquitas. Hinc spectat illud Nazianzeno oratione 17. *Hactenus inter nos distulisti, & diuisi fuimus, ut desiderium, & amorem nostrum virumque agnoscere, atque ipsa distantia locorum & intervallo, quemadmodum pictores tabulis, explorare possemus.* id est, locorum distantia & intercapedo hoc effecit, ut quemadmodum pictores non quidem è proximis, sed ex aliquo intervallo, & interstitio suarum picturarum pulchritudinem speculantur: ita etiam nos absentes, ac distiti, quanta esset utrimque benevolentia, inde edoceremur. Et sanè comparationem istam mutuatus videtur Nazianzenus ex Euripide in Hecuba, vbi sic illa ad Agamemnonem.

Pictoris instar non nihil tu distitus

Quanam malorum nos moles premat, vide.

D Quasi dicat: tu, ô Agamemnon, qui fœlix ac fortunatus modo es, ac propterea ab his calamitatibus, quas patimur, longius distitus, hoc age ut vel sic, pictoris ad instar, è longinquo nostra conspicias infortunia: id enim satis erit, ut rigidum tuum animum ad misericordiam fleat. Rursus idem Nazianzenus in altera ex Epistolis sic scribit. *Nonnulli etiam, quorum amorem erga me præsens nondum planè didiceram, absens compertum habeo.* Et quidem ita euenire solet, ut quemadmodum in picturis sunt quædam tabulae, quæ si cominus inspiciantur deformes videntur, si autem eminus spectentur, pulcherrimæ apparent: ita etiam in amicis quidam sunt, qui quamdiu cum illis propius agimus, non satis suam nobis commendant gratiam: at postquam ab his distrahimur, & longius arcemur, amicitiae tenaces sunt, ac de suo nos amore certiores reddunt. Sed cur distantia, & absentia amoris probatio est? Non aliunde sanè, nisi quia maxima ad amicitias vel dissuendas, vel dissoluendas distantiae vis est. Hinc est illud peruulgatum apud veteres. *Non sunt amici, qui procul viri incolunt.* In quam sententiam inuenitur Athenæus in lib. cap. 2. *Quid enim fieri potest, ut non protinus absurdum sit amicitia in loco, & non moribus desinere?* Cui ad simile est illud

Nazianz.

Nazianz.

Athen.

Chryſoſt. Chryſoſtomi Homilia 77. *Neque enim locus amicos facit.* Cum igitur ad diſſociandas amicitias tantum poſſit diſtantia, ea propter Salomon vicinum propius agentem fratri longo interſtitio diſtanti præferendum putauit.

62
Hefiod. Sunt etiam inter vicinos quædam ſubſidia mutua, de quibus extat illud Hefiodi ſatis celebratum.

Ad conuiuium

Illum potiſſimum voca, qui tibi vicinior eſt.

Si que domi inciderit res, tunc omiſſis

Adiunt vicini zenis.

Id eſt, tanta celeritate ad auxilium accurrunt vicini, vt ne ad ſumendas quidem zonas ſubiſtant: ideò inter præcepta Catonis numerat Plin. l. 18. c. 7. *Id agendum, vt diligant te vicini.* Sed audiendus ipſe Cato de re ruſtica c. 4. *Frons occipitio prior eſt. Vicinis bonus eſto. Familiam ne ſiueris peccare* (ſcilicet in vicinos) *ſi te libenter vicinitas videbit, facilius tuas vendas operas, facilius locabis operarios: facilius conduces: & ſi adificabis, operis, iumentis, materia inuabunt: ſi quid bona ſalute uſu venerit, benigne deſcendent.* Quapropter Diuus Auguſt. ad comparandam hanc vicinorum gratiam in Sermonem 1. de tempore docet vicinos ad conuiuium nonnunquam inuitandos, rogandosque.

Plin.

XI. Stude ſapientia, fili mi, & letifica cor meum, vt poſſis exprobranti reſpondere ſermonem.

63
Stude ſapientia, &c. Hebræa ad verbum ſic habent. *Sis ſapiens, fili mi, & letifica cor meum, & reſpondebo probris aſſicienti me.* Tigurina. *Vt reſpondere poſſim ei, qui mihi exprobrat.* Chaldaus. *Et reſpondeo verbum his, qui mihi exprobrant.* lxx. *Sapiens eſto, fili mi, vt letetur cor tuum, & auerte à te exprobrabiles ſermones.* Symm. *Et reſpondebo probris aſſicienti me verbum.*

Hugo, Dionyſius, & alij veteres, putant hoc in loco *fily* nomine compellatum à Salomone auditorem ſuum, ad quem orationem conuertit hoc ſenſu. *Stude ſapientia, fili mi.* Id eſt, hanc, quam tibi inſtillo, doctrinam, & ſapientiæ documenta concipe, o auditor, aut diſcipule. *Et letifica cor meum*, ſcilicet ſtudio diſcendi: nihil enim æquè doctorem conſolatur, ac reficit, ſicut auiditas, ſtudiumque diſcendi in auditore. *Vt poſſis exprobranti reſpondere ſermonem*; Ita nimirum ſermones ac documenta mea mente complectere, vt non modo ea probe teneas, & pernicè calleas, ſed etiam ad obiecta argumenta reſpondere poſſis: is enim nobilis ſapientiæ gradus eſt, quem magiſtri in diſcipulis ſuis cum primis optant, ſi quis non tantum doctrinam acceptam capiat, ſed eam etiam contra impugnantes tueatur.

64
Alij rursus docent patrem quempiam à Salomone hinc induci filios alloquentem, & cohortantem, hoc modo. *Stude ſapientia, fili mi, & letifica cor meum.* Id eſt, diligentem operam naua, dilecte fili mi, vt ſapiens euadas, atque eruditus: id enim mirificè delectabit, ac deliniet animum meum. Nihil enim æquè parentibus iucundum ac vlupe eſt, quam filii ſapientiæ, & eruditione præſtantes, *vt poſſis exprobranti reſpondere ſermonem.* Satage, inquam, ſapiens vt ſis, vt videlicet pro me poſſis vbique loqui, atque parentum tuum contra obretractatores defendere: hæc enim non minima felicitàtis pars eſt. Hinc ſpectat illud Diogenis vul-

A gò titum, apud Nanum, *In filio. Beatus eſt qui & Nanus ipſe adhuc valet, & filios ipſum defendentes robustos habet.* Si ergo felicitàti adſcribitur filios habere robore præſtantes, qui parentem læcertis ſuis contra aduerſarios ſuos contutari poſſint: longè felicitàs, ac beatus erit filios ſapientes ſibi numerare, qui parentum ſuorum cauſas agere, iura defendere, & obretractationes confutare queant. Itaque illud, *vt poſſis exprobranti reſpondere ſermonem*, non quidem accipiendum de probris, quibus filius forſan petitus fuiſſet, ſed de contumeliis, aut iniuriis parenti illatis. Nam ſi hoc ſenſu donetur noſtra lectio Vulgata, nihil abit ab Originali lectione, quam plures amplexi ſunt, *Et reſpondebo probris aſſicienti me, vel, exprobranti mihi*, quod ita accipiendum, quaſi dicat: Et ego ipſe parens per filium ſapientem obretractatoribus meis occurram, & cauſas meas, iuraque tuebor. Non enim audiendi illi, qui præfatam lectionem ſic exponunt: Vt nimirum eos, qui mihi illud obiiciunt, quod liberos ineptos, imperitos, tardosque genuerim productis oſtentatiſque iſdem filijs reuincere, ac confutare queam: id enim non eſt accommodatum.

De translatione lxx. aliud iudicium eſt. Hi .n. non tam parentum, quam ipſorum filiorum felicitàtem obſeruant: Sic enim habent. *Sapiens eſto, fili mi, vt letetur cor tuum, & auerte à te exprobratioris ſermones.* Id nimirum conare: ac contendere, vt plurimam ſapientiam adeptus lato ac iucundo ſis animo, ac nemo tibi inſipientiam, ac imperitiam obiicere, aut exprobrare poſſit. Fruſtra hinc multis.

XII. Aſtutus videns malum abſconditus eſt: paruuli tranſeuntes ſuſtinuerunt diſpendia.

65
Aſtutus videns, &c. Hebr. *Callidus videns malum abſcondit ſe, ſimplices tranſierunt: & condemnati ſunt.* Pagninus. *Puniti ſunt.* Tigurina. *Cautus videns periculum abſconditur: ſimplices præ-rumpunt, & damnum accipiunt.* Chaldaus. *Inſipientes tranſeunt iuxta illud* (ſcilicet malum) *& penuriam ſuſtinens.* lxx. *Aſtutus malis ſuperuenientibus abſcondit ſe, imprudentes autem ſuperuenientes damnum patientur.* In Primitiuis pro *aſtuto*, & *callido* occurrit vox illa ערום *Gharum*, de qua sæpè aliàs dixi ex Rabinorum ſententia iuxta propriam & germanam vim ſerpentis aſtum notare.

Certè hæc ſententia, vt in Originibus iacet, eadem eſt cum illa quæ occurrit ſupra c. 2. verſ. 3. *Callidus videt malum, & abſcondit ſe, ſed innocens pertranſiit, & aſſictus eſt malo.* Sed ad ea, quæ eum in locum contulimus, aliquid hinc ſubiicere libet. Ergo prima expoſitio eſt eorum, qui docent hinc per virum *aſtutum*, vt sæpè alias in hoc libro, virum prudentem & cautum ſignificari, ac rursus per *paruulos* Hebr. פתאנים *Pheranim*, ſtultos, vecordes, tardosque homines notari: ac ſenſum ſic demum conformant. *Aſtutus videns malum abſconditus eſt.* id eſt, vir prudens ac gnarus mente præſagâ impendentia mala prænoſcens, ſeſe proripit, atque in tuto collocat: *paruuli tranſeuntes ſuſtinuerunt diſpendia.* Stulti nimirum, ac ſtolidi homines tranſeuntes, id eſt, per mala ipſa irrumpentes, damna multa experiri coguntur. Et ſanè duplex huius loci ſententia: aut. n. per mala, crimina & malefacta capere licet, aut etiam calamitates & infortunia: vtraque enim malorum ſi-

gnificatio satis obuia est. Si ergo per mala intelligamus scelera, & malefacta sensus erit eiusmodi. Homo prudens, ac prouidens, videt utique malum, id est cuiuslibet actionis malitiam agnoscit, atque adeo ut delinquendi oblatam occasionem, ac vim suggestionis, aut concupiscentiæ animum pulsantis declinet, abscondit se, id est, fugit, ac sese eripit. Hanc enim vim habet illud *absconditus est*. Contra verò insipiens, & incautus quisque homo, sciens, ac videns transilit, grauiaque delicta perpetrat, quæ ipsi demùm innumera damna, & calamitates asportant. Hanc interpretationem spirare videntur quorundam auctorum commentaria: sed (me iudice) præstat secunda expositio, quæ *mali* nomine infortunium, & calamitatem concipit, atque adeo sic præmissa verba edisserenda sunt. *Astutus videns malum absconditus est*, id est, Cautus quisque ac sapiens homo, per mentis suæ sagacitatem imminentium calamitatem præsciens maturè, & opportunè sibi cauere, atque pedem veluti referens in tutum sese vendicat: contra verò insipiens, ac stultus, præ inconsiderantia nihil veritus ultra pergit, atque adeo superuenientia damna ipsum inuoluunt.

66 Hæc sanè germana Salomonis mens, quam quis facile assequi posset: sed illud notandum, quod cum Salomon astutum & prudentem hominem à serpentis astutia sumpto vocabulo *גחלים* gharum appellasset, aptè admodum subiecit illud *absconditus est*, quia nemo nescit eos, qui serpentis astutiam, & calliditatem extollunt, ad illa Christi Domini verba, *Estote prudentes sicut serpentes*, illud inter eximia prudentiæ exempla ac documenta in serpente obseruasse, quod aduersus vulnera caput quidem abscondit, ac reliquum truncum obiicit. Lege Augustinum in Psalmum 57. & sermo. 4. ad fratres in eremo: Chrysostomum Homilia in Psalm. 114. & in cap. 10. Matth. Hilarium in eundem locum. Ambrosium in cap. 20. Lucæ, & alios quàm plures de hac serpentis proprietate ad prudentiam nos cohortantes. Ergo sensus erit, Vir eximie prudens præuidet à longè malum, impendens, & serpentis ritu caput suum abscondit. Id nimirum celat, quod maximè tutum esse vult. Sed quamuis hæc serpentis propria conditio non infusè huic sententiæ adaptetur, tamen alia subest, quæ mihi idonea magis videtur, quàm supra loco citato obseruauimus, & hunc ad sensum traduxi: quia nimirum hoc serpentum genus hyeme appetente aperta deserit, atque in latebras discedit, illabaturque, & tamdiu ibi occultum hæret, donec illud placida veris ineuntis tempestas inuitet. Quæ proprietate eam, quæ in malis quibuslibet declinandis, vitandisque adhiberi debet cautio, & prouidentia præclare significat.

67 Secunda expositio, quæ superiori facilè cedit, est eorum, qui vocem illam, *astutus*, malam in partem vertunt, ac rursus illam, *paruuli*, ad bonam referunt hoc sensu. *Astutus videns malum absconditus est*, id est, vir callidus, & vafer, videns mali, aut damni dandi opportunitatem, *abscondit se*, ut ex insidiis aggrediatur; *paruuli autem*, id est, viri simplices, & candore animi præditi, *transcuntes sustinerunt dispendia*, id est, dum incauti, & aliud agentes pergunt, astuti hominis insidiis pereunt. Itaque sententia est, virum astutum insidiari simplicibus, & incautis hominibus, ut data opportunitate illos inuadat, opprimatque. Ad quem sensum serpentis etiam astutum euocare licet, qui semper è latibulis ad prædas præserpit. Audi Chrysostomum, qui eruditè satis serpentem cum vafro

A impostore componit Homilia 24. in Matthæum. Si comparaueris, inquit, hominem serpenti, peiorem inuenies illum; quia serpens, etsi malitiam habet, tamen hominis timorem habet, & ideo si quem abscondere potuerit, mordet, si autem non potuerit, fugit. Homo autem, & malitiam habet serpentis, & timorem non habet sicut serpens, & ideo quando non habet tempus, latet sicut serpens, si autem inuenit, irruit sicut bestia. Adhuc autem anguis siquidem irritatus fuerit, sauit, si autem irritatus non fuerit, in silentio transit. Homo autem etiam non irritatus insanit, & magis sæpe super illos insanit à quibus non fuerat irritatus. En qua ratione astuti illi insidiatore innocentes ac de se malè minimè meritis per insidias petunt, serpentes ipsos improbitate vincentes.

B Audiendus etiam Augustinus in Psal. 139. ad illa verba, acuerunt linguas suas sicut serpentes. Si adhuc quaeris hominem astutum, accipe similitudinem. In serpente maxima astutia est, & dolus nocendi, propterea etiam serpit ex occulto: non enim vel pedes habet, ut eius vestigia, cum venit, audiuntur; in eius itinere velut lenis est iractus; ita ergo repunt, & serpunt ad nocendum habentes occultum venenum sub leni contactu. Lege plura loco citato, vbi habes etiam translationis lxx. germanum sensum.

XIII. Tolle vestimentum eius, qui spondit pro extraneo, & pro alienis aufer ei pignus.

C O ccurrit etiam hic locus supra cap. 20. v. 3. vbi non perfunctoriè illud discussimus lxx. hic paulo aliter restituerunt. *Aufer vestimentum eius*, præterit enim iniuriosus, qui quidem aliena vastat. Schol. Quorum aufer vestimentum, nam cum iniuriosi sunt, alienis perniciem afferunt. Diuus Ambrosius de Tobia cap. 20. sic extulit. *Aufer vestimentum tuum*, atque ita subdit. *Hoc est vestimentum, quod etiam si oppignoraueris, recipiendum; in Prouerbis sanctus Salomon præcipit dicens: Aufer vestimentum tuum, præterit enim iniuriosus. Sapiencia vestimentum est ex illis vestimentis, quæ ex bysso, & purpura sapiencia sibi fecit, hoc est indumentum fidei, quod constat, & prædicatione celestium, & dominica sanguine passionis. Bysso enim aetherea figurantur, purpura specie mysterium sacri sanguinis declaratur, quo regnum caeleste confertur. Et per breui interstitio sic addit. Aufer vestimentum tuum, aufer scilicet, ne damnum recipias imprudentia, & ne exitum te proprio vestimento nequissimus ille communis fenerator agnoscens, confusionem tui detegere conetur opprobrii, & persuadeat tibi, ut te solius tegas, & nudum te esse conspicies in Dei verearis venire conspectum.* Hactenus Ambrosius, qui illa verba, *Aufer vestimentum tuum*, non quidem ita accepit, i. exue vestimentum tuum, sed perinde ac si dicat; cape illud, ac indue. Quapropter quæ ipsè ad mysticum sensum deriuauit, sic iuxta literam accipienda sunt. Cum feneratorum times, qui vastator est rerum alienarum indue vestimentum tuum prætiosius, ut coram illo publicè comparere possis; nam si te pannosis indutum viderit, nequaquam verebitur iniuriam irrogare & contumelias, probisque appetere: omnes enim feneratorum collectores audacissimi sunt ad contumelias, & probra: vel ne, si te laceris vestitum conspexerit, te ad angustias reductum suspicatus, magis ac magis vrgeat, sortem suam recuperare volens. Non displicet.

Tamen, ut dicam etiam quod sentio, malle

Matth. 10.

August.
Chrysost.
Hilar.
Ambros.

68

Ambros.

69

Chrysost.

certè illa verba, *Aufer vestimentum tuum*, iuxta vim verborum hoc sensu donari. Sane vestimenti nomine non modò vestem ipsam, quæ corpus tegit, sed alia etiam suppellectilia, scilicet aulæ, tapetia lecti, stromatà, & alia id genus integumenta accipi in scriptura sacra aliàs animaduerti, iuxta quam acceptionem Salomon sic ait, *Tolle è domo tua & absconde pretiosa quæque suppellectilia*, nam qui vastat omnia aliena fœnerator præterit iniuriosus. Id est, cum ad vsuras exigendas occurrit, hæc omnia per vim, & iniuriam pignoris loco auferet, & si fas erit, sub hastâ diuendet, licitabitque. Quod si illud, *Aufer vestimentum tuum*, cum Ambrosio ita capiamus, id est cape, & indue illud, sensus (me iudice) sic conformandus est: cum fœnerator omnia vastans expectatur, indue vestimentum tuum celerius, ne si ille ante occurrerit quàm illud indueris, vt est contumeliosus, & audax, etiam illud pignoris loco auferat, ac te nudum derelinquat.

70 Sed quid quod in plerisque codicibus est, *Aufer vestimentum eius*, &c. Sanè hæc lectio in aliam nos expositionem compellit: si enim de fœneratoribus capiamus, erit certè sensus: vestimenta illa, vel suppellectilia, quæ ab ipso creditore accepisti, vt cum fœnore pretium restitueres, *tolle*, id est, reconde, & occulta; nam vsurarius fortunarum alienarum vastator, nisi statò tempore vsuras appenderis, ea quidem vestimenta, aut suppellectilia à domo tua extrahet, ac reuellet. Cæterum hæc expositio mihi parum idonea visa est. Atque adèò vide tu, an locus iste iuxta eam lectionem, quam præmisimus, de seruo fugitiuo aptius exponatur hoc modo. *Aufer vestimentum eius; præterit. n. iniuriosus, qui quidem aliena vastat.* Id est, tu quisquis seruum habes, cuius tibi fidelitas necdum comperta, & explorata est, noli ipsi penitè credere, sed vestem illius apud te serua; nam seruus infidelis, vbi damnum aliquod dederit rebus Domini sui, suas si vestes apud se habuerit, statim diffugiet, ac se proripiet, iuxta peruulgatam apud nostrates paramiã, *El que tiene capa luego escapa.* Ad alia.

XIV. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicensi similis erit.*

71 **Q**ui benedicit, &c. Hebr. *Benedicens socio suo in voce grandi in mane manicando* (id est, multo mane) *maledictio reputabitur ei.* Tigurina. *Laudanti proximum suum magna voce mane consurgenti, reputabitur, ac si execratus eum fuisset.* Ixx. *Qui benedixerit amicum mane grandi voce, à maledicente nihil differre videbitur.* Illæ particulæ, *grandi voce*, absunt à Complutensi codice, & Regio, sed in plerisque aliis codicibus reperiuntur. Itaque omnes translationes in idem recidunt. Illud tantùm notatione dignum est, scilicet duo verba præmissa *benedicere* ac *maledicere*, in Scriptura sacra aliquando idem esse quod *laudare* ac *vituperare*. Psal. 10. *Quoniam laudatur peccator in desideriis anima sue, & iniquus benedicitur.* & Psal. 61. *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* Et sæpe aliàs. Adde etiam nonnunquã idem esse quod *benefacere*, aut *malesfacere*. 2. Reg. 6. *Benedixit domui Obededom, & cap. 7. Benedic. domum serui tui*, i. benefac. Genes. 12. *Maledicã maledicentibus tibi*, & Hierem. 15. *Omnes male-*

Psal. 10.

Psal. 61.

2. Reg. 6.

& 7.

Gen. 12.

Hier. 15.

A *dicunt mihi*, id est, damna, & iniurias mihi inferunt. Rursus id quod dicit, *mane consurgens* in scriptura etiam passim occurrit ad significandum præmaturum, ac velox alicuius rei peragendæ studium. Hierem. 25. *Locutus sum ad vos nocte consurgens, & loquens, & non audistis, & c. 44. Misi ad vos omnes seruos meos prophetas de nocte consurgens, & alia passim.* Item cum aliquid sit ocys quàm res postulet, atque importuno tempore, mane fieri dicitur. Eccl. 16. *Cuius principes mane comedunt*, i. nec temperatè nec tempestiue. & Isai. 5. *Va qui consurgitis mane ad ebrietatem sebandam, &c.*

Hier. 25.

& 44.

Eccl. 16.

Isai. 5.

B Prima igitur interpretatio est Vatabli, qui verba illa *maledicere* ac *benedicere*, sumit quidem pro *laudare* ac *vituperare*, ad hunc modum, *Qui benedicit proximo suo, voce grandi de nocte consurgens*, i. qui aliquem ante maturitatem magnificè collaudat, qui nimirum hominis cuiuspiam iunioris laudes elata voce, deprædicat, antequàm is ad ætatis maturitatem deuenit, ac suæ virtutis certa documenta præbuerit; hic certè *maledicenti similis erit*, id est, à vituperante non dispar existimandus est, laus scilicet illius in vituperium vertetur. Quia nimirum iuuenes laudibus intumescunt, & ad temeritatem, & audaciam proiectiores fiunt, propterea obiurgandi potius, & coercendi, quàm commendandi sunt: sed tamen huius interpretationis inelegantia meritò plerisque displicet.

C Alij ergo plures de adulatione, & assentatione exponunt ista verba hoc modo. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de mane consurgens, &c.* Audiendus est Beda. *Voce*, inquit, *grandi proximo benedicit, qui cum favore super sua laudis extollit, vel malis actibus eius contra iustitiam fauendo, vel bona plus iusto laudando: sed hic maledicenti assimilatur, quia plurimum laudit eum, cui laudando, siue in mala actione confidentiam tribuit, seu in opere recto simplicitatem puri cordis imminuit: vt videlicet bonum, quod superna virtutis intuitu inchoarat, transi orie laudis amore consumet.* Bedam sequuntur Hugo, Dionysius, Arboreus. Nec ab his recedunt Iansenius, Rodolphus: nam vterque de adulatore concipit hunc locum: sed vterius quædam verba suo quisque Marte expendit. Rodolphus quidem illa verba, *voce grandi*, perinde accipit ac si dicat, totum adulatoris obsequium est ore tenens, atque adèò vocem contendit, sed manus contrahit. Rursus illud, *de nocte consurgens*, ita ponderat id est, tempus matutinum, quod diuinis laudibus consecrari addecet, humanis impendit. Vel aliter, *multo mane* id agit, id est, intempestiue non seruans temporis circumstantiam; hoc enim adulatoris proprium est opportunè importunè laudes obtrudere. Denique extrema verba, *maledicenti similis erit*, vel, vt habent Primitiua, *maledictio reputabitur ei*, ita exponit Iansenius Adulatoris laudes vituperii loco propterea poni, quia significant eum, cui adulatur, sectatorem esse humanarum laudum, & inanis auræ vanum captorem; atque adèò assentator non minori fortasse contumelia afficit hominem, quàm maledicus: vel aliter adulator benedicens, ac nunquàm non bona precans non minus delinquit, ac peccat, quàm qui maledicit, ac contumelias onerat: de reliquo verò hi auctores cum superioribus cohærent, ac concinunt.

Beda.

D Caterum, si præmissam interpretationem ego probarem, ab his quidem auctoribus parum dissentirem; nam extrema illa verba, *maledicenti*

Iansenius.

73

similis erit, non quomolibet referrem ad dama, vel iniurias, quibus adulator eum afficit, quæ per allentationem commendat, sed ad æstimationem, & opinionem eius, qui laudatur, & commendatur, hoc modo. Quicumque magno adhibito studio, nec vulgari contentione intempestiue laudat (hec enim sunt germana adulationis signa) apud hominem prudentem, & gnarum, molesti, atque iniuriosi vituperatoris loco habetur. Hæc optimo imbuerat Diuum Augustinum, qui in Psal. 69. *Duo, inquit, sunt genera persecutorum, scilicet, vituperantium, & adulantium, sed plus persequitur lingua adulatoris, quam manus persecutoris.* Attamen ne huic quidem interpretationi omnino acquiesco.

74

Quapropter his omiffis, vt verba illa, *voce grandi de nocte consurgens*, germano aliquo sensu donem, ad solennem antiquis morem adlusum puto. Fuit enim apud veteres in vsu, vt pauperes multo mane ad diuitum fores consalutatum conuenirent, vt ab ipsis stipem, aut sportulam referrent, de quibus sic Columella de re rustica libr. 1. *Ar honestius duxerim mercenarii saluatoris mendacissimum aucupium, circumuolitantis limina potentiorum, somnumque Regis sui rumoribus inaugurantis. Neq; enim roganti quid agitur intus respondere serui dignantur.* Pende illa verba, *somnumque Regis sui rumoribus inaugurantis*, significant enim matutinos illos salutatores eo studio admitti à potentioribus, quia putabant bonis illorum precationibus mane præmissis, diurnæ felicitatis omen dati. Huc spectat etiam illud Symmachi libr. 8. Epist. 41. *Nondum ante ianuas eminentium potestatum vigilẽ noctem saluator experitusest*, i. nondum inopia in hanc satis ignobilem exercitationem compulit. Seneca in libr. 6. de beneficiis. *Amicum vocas (scilicet perperam, & immeritò) cuius disponitur saluatio? aut potest huic tibi patere fides, qui per fores mane operas non intrat, sed illabatur; cuius vulgare, & publicum verbum, & promiscuum ignotis, Aue, non nisi suo ordine emittitur.* & infra. *Ad quemcumque igitur istorum veneris, quorum saluatio urbem concutit.* Scilicet propter validas contentasque eorum voces, quibus totam latè urbem implent. Et rursus in libello ad Serenum, quod in sapientem non cadit iniuria cap. 14. *Itaque illi quoque quisquis erit, qui hoc saluatorium publicum exercet, donauit, scilicet sportulam, aut stipem.* Et Epistola 95. *Vetus salutationibus publicis fungi, & foribus assidere templorum; humana ambitio istis officiis capitur.* Sed liculentius in libr. de breuitate vitæ. *Isti, qui per officia discursant, qui se, aliosque inquietant, cum bene insanierint, cum omnium limina quotidie perambulauerint, nec vllas apertas fores praterierint, cum per diuersas fores meritoriam salutationem circumtuluerint, quorumquemque exitum immensa, & variis cupiditatibus districta videre? Quam multi erunt, quorum illos, aut somnus, aut luxuria, aut inhumanitas submoueat? Quam multi cum diu torserint simulata festinatione transcurrant? Quam multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt, & per obscuros aditus profugient? Quam multi hesternæ crapula semisomnes, & graues, illis miseris somnum suum rumpentibus vt alienum expectet, vix alleuatis labiis insurratum millies nomen oscitatione superbissima reddent? Hactenus Seneca qui perspicuis verbis tradit, quam graues ac molesti essent illi matutini ac nocturni salutatores his, ad quorum fores conueniebant. Mitto alios, qui hunc etiam morem salutandi, ac bo-*

na precandi potentioribus suis scriptis celebrant. Hi sunt Seneca in Herrule furente, Iuuenalis Satyra 5. Ouidius passim, nescio an plures.

Ea igitur, quæ ex his auctoribus colliguntur sic peritringo. Salutatores illi, antelucano tempore ad fores potentium conuersabant, ac non quidem summissa, sed elata, & prægrandi voce solennes salutandi formas consulo clamore dicebant, *Aue, Salue*, & alias. Item bonorum preces in diuites iaciebāt, & quamuis molestiam non leuem darent somnos abruptentes, & capita obtudentes, nihilominus vulgò tolerabantur, quia illis antelucanis salutationibus felicitatis diurnæ bonum omen dari sibi veteres putabant. Eapropter, & pro hoc officio & obsequio pretij loco referebant sportulam, aut stipem.

Neque verò existimo id moris quidquid est apud gentes solùm viguisse, sed etiam imbuisse Hebræorum populum, sunt enim (me iudice) pleraque loca in Scriptura sacra, quæ hanc consuetudinem, aut spirant, aut redolent, nam supra cap. 8. Sapientia sic alloquitur insipientes. *Beatus vir, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei: qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Fingit enim Salomon sapientiam tanquam heroinam quandam, eosque felices deprædicat, qui eius ad fores antelucano tempore concurrant, vt eam saluent, & vicissim ab ea salutem, & alia bona reportent. Sed ille valde illustris locus ad hanc sententiam Sapient. 16. Nam cum præmisset Salomon antiquum manna, quo Deus populum Hebræorum pavit in deserto, ante solis ortum colligi oportere, quia nimirum sole appetente illiquefactum distuebat: sic attextit. *Vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Quasi dicat: eapropter voluisti escam illam suauissimam antelucano tempore ab his leuari, vt esset omnibus compertum, quod sicut pauperes ad benedicendos salutandosque diuites euigilant, vt ab illis sportulam recipiant: sic etiam opus erat, vt eodem modo homines illi ad te benedicendum & salutandum multo mane consurgerent, vt escam illam gratissimam stipis, ac sportulæ loco referrent, & Psal. 87. sic Dauid. *Et ego ad te Domine clamavi, & mane oratio mea præueniet te. Vt quid Domine repellis orationem meam, auertis faciem tuam à me?* Subdit verò rationem, ob quam multo mane clamans exaudiri debeat, quia nimirum tanquam pauper ad diuitis fores occurat. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea, &c.* & Isaia 26. *Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritum meum in precordiis meis de mane vigilabo ad te.* Mitto alia non pauca loca satis obuia, quæ ex hac antiqua consuetudine lucem mutuari videntur, & ad Salomonis sententiam recurro.

Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, &c. id est, quicumque multo mane, antelucano scilicet tempore, surgit, vt diuitem elata de more voce, magnis clamoribus benedicat, vt nimirum *Aue*, aliasque salutes repetitis vicibus ingeminet, vt ab illo stipem referat, hic certè *maledicenti similis erit.* Vt huius clausula ac totius sententiæ vis exhauriatur, cogitandum est duplici modo locum istum accipi posse, vel ita quidem vt de ipsismet saluatoribus antelucanis ex professò, & directè loquatur Salomon; vel ita vt metaphora, vel allegoriâ ab hisce desumptâ de adulatoribus sermonem habeat. Si ergo quis ve-

August.

Columel.

Sym.

Seneca.

75

Sap. 16.

Psal. 87.

Isaie 26.

77.

lit de ipsismet matutinis saluatoribus orationem esse, succedat memoria id, quod nuper diximus, istiusmodi homines per quam molestos, & graues his esse solitos, quibus salutes decantabant, vt videre est apud Senecam, & Columellam, locis citatis, ac sensus euadet luculentus ad huc modum. Hic quisquis intempta nocte salutes inclamat, propter grauem molestiam quam salutatis affert, a maledicentibus, & mala precantibus nihilo dispar censebitur, quamuis alijs vulgò tolerari videatur. Iuxta quam sententiam dicemus quidem Salomonem illos obscuros, & illiberales homines ab ea exercitatione deterere, vilitatem illius ostendens, ac turpe esse dicens ex tam degenerere, ingratoque obsequio victitare. Eadem mens fuit Columellæ supra, vbi serò suadet hominibus, vt relicta hac infami, & indecora victitandi ratione, rei rusticanæ labores aggredi velint. Et Seneca etiam eodem nomine inhonestam hanc exercitationem infectatur in lib. illo de breuitate vitæ, & alibi.

78 Alio etiam sensu de ipsis saluantibus hæc verba captare licet. *Maledicenti similis erit.* Quia eiusmodi homines id obsequij, quod diuitibus per crebras salutationes deferebant, non quidem ex aliqua benenolentia, sed illius emolumentum colligendi gratia præstabant, nam eo nomine eos inculcat Seneca locis citatis, sed tum maximè in libro 6. de beneficiis, vbi illos, qui tales salutes ore vsurpant, animo perquam alienissimos ab his quibus bona denuntiant; atque falso obsequij nomine veros hostes esse affirmat. Erit ergo sententia: Qui eo modo nocte intempta preces ingeminat, nequaquam amici loco habendus, neque de illius beneuolentia aliquid fidendum; nam quod ad animum attinet, *maledicenti per omnia similis est;* nam fermè alienum animum sub falsa gratiæ simulatione continet. Quod quidem eò spectat, vt suadeat Salomon, ne homines hoc falso, & simulato obsequio gaudeant, aut efferantur. Nam simile quid habes Eccl. 41. vbi Iesus Syrach. inter alia, a quibus abhorreere debet vit probus, illud etiam numerat. *Ab offuscatione dati, & accepti, & a saluantibus de silentio,* i. inter noctis silentia.

79 Quod si hæc verba non de saluatore illo nocturno, sed de assentatore per metaphoram capienda potius videantur, sensus iam promptus est. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens,* &c. adulator scilicet, similis est saluatori illi antelucano: nam sicut ille non quidem ex amore, aut gratia, sed vti sportulam ac stipem referat salutes, & bonas preces inclamat; ita etiam assentator cum alicuius laudes identidem repetit, non quidem ex vera hominis opinione, & exultatione, vel ex beneuolentia id facit, sed vti lucrum aliquod reportet: id enim adulatoris ingenium, atque mores, quos accuratè describit Aristoteles lib. 4. Ethicorum cap. 6. *Is autem qui delectat, si id agit studens esse iucundus, non ob id aliud quidquam, placidus vocatur: sin emolumentum causa sui, vt inde sibi proueniat in pecuniis, & in his, quæ a pecuniis comparantur, vitiis, adulator dicitur.*

80 Sed quamuis hæc non ineruditè dicta sunt, tamen pro his, qui non satis fortasse credent antiquum illum saluandi morem Hebræos etiam imbuisse, aliam interpretationem subiucio, quæ, nescio, an reliquis præferenda sit; tu videris. Ergo verba illa *benedicere,* ac *maledicere,* perinde tibi sint; ac *benefacere,* & *malefacere,* cuius significationis supra exempla habes. Adde etiam id, quod alibi non semel obseruauimus, scilicet hæc vocabula

A *benedico, & benedictio,* ad misericordiam, & eleemosynam non rarò accommodari in scriptura; pro omnibus sit tibi testimonium Pauli ex 2. ad Corinth. 9. *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metet.* & si placet aliud ex Psalm. 131. *Vidua eius benedicens benedicam, & pauperes eius saturabo panibus.* Ergo Salomon sic ait. *Qui benedicit proximo suo voce grandi,* id est, qui beneficium, & eleemosynam largitur proximo suo, & verbo grandi ac superbo illum lædit beneficium exprobrans, aut qualibet alia ratione contumeliosè cum ipso agens, hic certè beneficium amittit, & *maledicenti similis erit,* i. non erit dispar ab eo, qui pro beneficio damnus dat. Audi Senecam in lib. Seneca 2. de beneficiis ca. 4. *Et plerique sunt, qui beneficia asperitate verborum, & supercilio in odium adducunt, eo sermone vsi, & ea superbia, vt impetrasse pœniteat.* Et libr. 1. cap. 1. pleraque enumerat vitia, quæ nostra beneficia corrumpunt, atque inter alia sic ferit. *Quis non, cum aliquid a se peti suspicatus est, frontem adduxit, vultum auertit, occupationes stimulat, longis sermonibus, & de industria non inuenientibus exitum occasionem petendi abstulit, & variis artibus properantes necessitates eludit? In angusto verò comprehensus, aut dissulit, i. timidè negauit, aut promisit: sed difficulter, sed subductis superciliis, sed malignis, & vix exeuntibus verbis. Nemo autem libenter debet quod non accepit, sed expressit. An gratus esse aduersus eum quisquam potest, qui beneficium aut superbè iniicit, aut iratus impedit, aut fatigatus, vt molestia careret, dedit.* At non longo verborum interstitio. *Vtique non contumeliosè: nam cum ita natura comparatum sit, vt alius iniuria quam merita descendat, & illa citò defluant, has tenax memoria custodiat: quid expectat qui offendit, dum obligat: satis aduersus illum gratus est, si quis beneficio eius ignoscit.* Lege Chrysol. hom. 11. in Epist. ad Hebr. vbi multis suadet eleemosynam ita pauperibus erogandam, vt omnis absit contumelia & iniuria.

81 Sed in hac expositione illud difficile occurrit, quod addit, *de nocte consurgens.* quæ verba ad superiorem sensum aptare non est procliuè. Ceterum eorum accommodatio non vno modo fieri potest; nam, vt supra animaduerti, hæc loquendi forma ad significandum studium, & conatum in vnaquaque re positum adhiberi solet. Et sanè in his, quæ ex magno amore, & gratia liberaliter fiunt ad notandam facientis propensionem, vsurpari solet, vt ex illis exemplis supra adscriptis liquet. Hierem. 25. *Loquutus sum ad vos de nocte consurgens ac loquens,* &c. & alibi. *Misi ad vos omnes seruos meos Prophetas per diem consurgens diluculo, & iterum, vt audiat sermone seruarum meorum Prophetarum, quos ego misi ad vos de nocte consurgens.* & sæpe alijs: quæ verba promptitudinem, ac studium benefaciendi, & celetitatem, seu anticipationem ad significant. Iuxta quem sensum Salomonis verba sic exponenda sunt. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens,* &c. qui nimirum beneficium in proximum collocat, atque eum simul superbis, ac conuictiosis sermonibus violat, etiam si alioqui tale beneficium non procrastinet, sed maturet ac properet, & studiosè accuratèque illud præster, eius certè donum, damni ad instar dati, obtinebit apud eum, qui accepit. Itaque sensus est: beneficium eiusmodi, quod contumelijs, & conuictis adhæret quantumuis ex omnibus alijs circumstantijs obibile, ac magnificum sit, inde prorsus vitiat, ac corrumpi. Vel aliter, formula illa dicendi, *de nocte*

Seneca.

consurgens, tempus minimè idoneum ad donandum ad significare potest. Constat autem in collatione beneficiorum tempus potissimum spectari Seneca in lib. 1. cap. 12. de beneficiis. Sit, inquit, in beneficio sensus communis tempus, locum, & personas obseruet, quia momenti singulis quedam grata, & ingrata sunt. Sicut gregalia poma etiam post paucos dies itura in fastidium, delectant si prouenire maturius, &c. & lib. 3. cap. 8. & 9. quantum ex tempore accedat beneficiis, atque etiam decedat, pluribus ostendit. Ergo licebit verba Salomonis sic interpretari. *Qui benedixit proximo suo voce grandi.* i. qui beneficium contumeliosè ingerit, & de nocte consurgens, id est, intempestiue, & sine opportunitate confert, *maledicenti similis erit.* i. pro beneficio maleficium contulisse, nec immeritò, censebitur.

XV. T. Et a perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur.

82

HAbes hæc ipsissima verba supra cap. 19. v. 13. vbi non perfunctoriè illa discussimus. Illud tamè hinc obseruatione dignum videtur quod. LXX. qui in eo loco sic restituerunt. *Et non casta vota de mercede meretricis* (quæ verba inibi expendimus, & quoad fieri potuit, ad Origines reuocauimus) hinc certè propiùs ad nostram lectionem accedentes sic conuerterunt. *Stillicidia eiciunt hominem in die hyemali de domo sua, similiter, & mulier maledica de propria domo.* Illud verbum, de propria domo, dictum non sine emphasi; nam virorum proprium erat vxores in suas domos traducere. Itaque mulieris seu vxoris morositatem, & rigidum ingenium tantùm posse dicit, vt virum è propria domo exilire cogat.

XVI. Qui retinet eam, quasi qui ventum teneat, & oleum dextera sue vocabit.

83

Qui retinet eam, &c. Hebraicè. *Abcondens eas abscondit ventum, & oleum dextera eius clamabit.* Pro verbo *retinet*, sub est quidem in Primitiuis צפון, *Tsaphon*, ex radice צפן *Tsaphan*, quod significat *abscondere, occultare*, quæ quidem vox aut est Benoni superioris verbi, aut nomen significans *Aquilonem* ventum, ac *Septentrionem*. Rursum pro *oleo* subiicitur שמן *Scemen*, dicitur etiam de vnguentis arte pigmentariorum elaboratis, & de pinguedine animantis, cui perquam affine est שמן *Sem*, id est, nomen. Demique pro verbo illo, *vocabit*, est יקרא *Ikra*, ex radice קרא, quæ significat *vocare, & clamare*; vnde liquet manifestum mendum antiquis codicibus irrepsisse, in quibus olim legebamus. *Et oleum dextera sua euacuabit.* Ex his ergo, quæ hæctenus præmissimus; locus datur translationi Septuaginta, quæ sic habet. *Aquilo durus ventus, nomine autem dexter vocatur.* Nam sacri illi interpretes per nomen *Tsaphon*, Aquilonem capiendum putarunt, & pro *Scemen* legerunt *Sem*, vt ex dictis liquet. *Aquila, & Symmachus, Absconditus Aquilo ventus, & oleum dextera sue vocabit.* Itaque partim conueniunt cum Septuaginta interpretibus, partim cum Vulgato. His etiam hæret Chaldaus.

A Sicut ventus Aquilonaris grauis est, & vnguentum dextera eius vocatur. Vatablus, *Et dextera sua oleo occurrit.*

84

Duas alias comparationes attexit Salomon, quibus vxoris litigiosæ, & cum viro rixantis indomabile ingenium expingit. Prior est eiusmodi. *Qui retinet eam quasi qui ventum teneat.* Est tamen vna atque altera huius loci expositio Prior Caietani, & Vatabli, qui vim Originalis verbi exhaurientes, quod significat *abscondere*, atque *occultare*, sic aiunt. Qui eiusmodi vxorem litigiosam, & rigidam abscondere, & intra penates cohibere conatur, ne foras prodeat: frustra quidem suos conatus in rem maximè difficilem profundit; nam facilius erit ventum aliquem vehementissimè flantem, suapte natura fugacem, & labilem includere, coercere, ac comprimere; quàm eiusmodi vxorem superbam, & cum viro suo dissentientem domi continere. Sunt qui dicant hinc comparationem sumi ab eo, qui ventos manibus premere, ac continere contenderet, ita vt huic sententiæ adsimilis sit illa ex capite 30. vers. quarto. *Quis continuit spiritum in manibus suis?* Iuxta quam similitudinis huius acceptionem sensus erit. Sicut planè impossibile est ventum pugillo manus concludere, sic etiam fieri non potest, vt vir aliquis vxorem morosam domi coercet manu, id est, industria, atque opera sua: quasi dicat; frustra in eam rem suam industriam atque operas profundet. Alii rursus significantius conferunt ista verba cum per vulgata illa dicendi formula, *ventum depascere*, de qua supra capite 10. vers. 4. multa habes ad illum locum. *Qui nititur mendacis, hic pascit ventos, &c.* vbi docui iuxta germanam vim vtriusque lectionis Græcæ & Hebraicæ, verbum *pascit*, actiue sumi, ita vt *pascit ventos*, perinde sit ac si dicat, illos tanquam pastor oues regit, ac in caulas cogit. Ergo ad eundem modum dictum puta, *Qui retinet eam, quasi qui ventum teneat*, sensus est, *quasi qui ventum regat*, seu *ventum includat*, ex eadem pastoris similitudine, id est, qui vxorè illam litigiosam moderari ac domui continere satagit, laborem suscipit ei similem, qui ventos ceu pastor quispiam regere, & in caulas impellere, ibique includere frustra adniteretur.

D

Ceterùm quamvis hæc non parùm idonea sint, tamen aliter multò aptius, ac significantius præfatam similitudinem conformari posse credo: nam in Primitiuis est. *Qui recondit illam, sicut qui ventum recondit.* Nota certè est vis, ac potestas venti, qui intra terræ viscera absconditus, & reclusus, erumpit magno impetu, & magnas sæpe moles, latissimasque regiones impetu suo impellit ac concutit. Ergo sic ait Salomon; *Qui mulierem rixosam, & difficilem contra ipsius propensionem domi concludere, ac coercere contendit, similis per omnia illi qui ventum fortem & præualidum intra terræ viscera abscondere, ac comprimere velit; quippe quæ vt foras protumpat, non domum tantùm, sed vicina etiam exturbabit, ac motibus quatiet insolitis* vide infra cap. 30. vers. 21. quæ diximus ad illa verba. *Per tria mouetur terra, vsque ad illa, Per odiosam mulierem cum in matrimonio fuerit assumpta, quia (nisi fallor) hæc sententia cum illa profus cohæret.*

E

Secunda expositio est Lyræ, Iansenii, Rodolphi, & aliorum qui non de inclusione vxoris intra lares, sed de moderatione morum ipsius hanc similitudinem capiendam putant hoc modo. *Qui*

85

82

86

retinet eam, quasi qui ventum teneat. His assentior, non tamen omnino. Ipsi enim hæc verba ita contra vxorem morosam pronuntiata volunt, vt tantummodo illius difficiles, indomabilesque mores ea similitudine adumbrari putent: ego verò sententiam istam ad virum præcipuè intendi credo, ita vt illi suadeat Salomon cum eiusmodi vxore litigiosa non quidem vi, seueritate, & imperio agendum, sed indulgendum illi potius, & cedendum, ita vt sensus sit: qui illam per vim, & nimiam seueritatem coërcere, ac comprimere contendit, laborem suum non secus frustra impendit, quàm si quis adhibita vi ventum vehementius flantem continere tentet. Ad hunc verò sensum alluci possunt omnes illæ huius similitudinis facies, quas supra exhibui. Primò ea quæ sumitur ab illo, qui ventum manu premere tentat hoc sensu. Qui mulierem difficilem rigida manu, id est, supplicio, & minis coërcere vult, similis est illi, qui contra ventum validum manum moueat: & illam qui premere, & coarctare violenter tentat, non dissidet ab eo, qui ventum manu sua, aut pugillo premere contendit: & qui eandem fuste, aut verberibus tundere vult, quasi qui ventum verberet: Quasi dicat eius fastus ac superbia, ceu ventus quidam acer, non potest manu comprimi, aut verberemendari, cedendum potius, atque obsecrandum illi est. Secundo illa etiam similitudo, quæ ab eo ducitur, qui ventos, ceu oues, pascere, & in caulas regere frustra contendit, huic etiam sententiæ non infusè adaptatur hoc modo. Qui vxorem difficilem per vim, & seueritatem emendare, ac moderari velit, ei adsimilis est, qui ventum prævalidum, ac rigentem, ceu pastor bacillo suo, moderari ac regere tentet. Quasi dicat: qui mulierem rigidam minis, supplicio, fuste, & virga moderari, ac temperare contenderit, non dissidet ab eo, qui ventos fugaces, & mobiles bacillo promere, ac gubernare velit. Denique extrema comparatio, quæ desumitur à vento intra viscera terræ penitus incluso, & recondito, longè aptius in hanc sententiam cadit hoc modo: Quæadmodum ventus infra tellurem conditus, quò grauiori mole premitur, eò violentius ipsam impellit ac quatit, ita vt magnas sæpe moles sternat, ac solo exaquet: ita etiam mulier fastu plena, rigida, & difficilis, si à viro suo acrius prematur, & coërcatur, nequaquam cedit, sed venti in morem compressi, & conclusi, erumpit magno impetu, & domum, familiamque totam concutit, atque euertit. Non longè ab hac sententiâ abit illud Chrysofomi homilia 4. in Epistolam ad Titum. *Et contra*, inquit, *his* (scilicet viro, & vxori) *perperam dissentientibus nihil salubre esse poterit, totaque simul nutabit familia*, & Nazianz. in poemate de laude virginitatis.

Chrysof.

Nazian.

*At cum discordes adarum fœdera iungunt,
Immanis labor est, dolor hic præcordia rodit
Omnia dissidiis flagrant, pax exulat omnis,
Concutiturque domus, res atque domestica
nutat.*

87

Lege plura loco citato c. 3. v. 24.

Illud tamen difficile quam ratione posteriùs hemistichium cum priori cohæreat. *Et oleum dextera sua vocabit*, non vnum de his verbis interpretum iudicium, Clarius, Baynus, & Vatablus nomine olei vnguentum odoriferum capiendum putant hoc modo. Sicut vnguentum dextera inclusum non quidem ibi latet, sed odore suo, qua-

si quodam clamore, euocat omnes, vt eius suauitate perfruantur; sic etiam vxor nequam, & cum viro suo discors, aut tanquam ventus acer, non potest domi cohiberi, aut si domi teneatur tanquam vnguentum dextera inclusum, inde moechos, & adulteros odore suo euocabit. Itaque nullum satis opportunum huic malo remedium esse dicit Salomon. Lyra, Hugo, Iansenius comparisonem istam sic conformant. Quæadmodum si quis oleum, quod manu sua tenet, vocare, id est, reuocare, ac cohibere velit, ne elabatur, ac fluat, impossibilem rem conatur; nam oleum sua lubricitate statim diffluit, atque per digitos excurrit, sic etiam qui mulierem rigidam tenere ac includere conatur, frustra id tentat, quippe quæ lenta admodum, ac lubrica est. Sed in hac interpretatione illud difficile, quod rigidam, difficilemque vxorem parum appositè cum oleo componi affirmat, quod suapte natura lene est, atque molle. Quapropter si de adultera muliere sermo est, vt quibusdam placet, aptius dicemus, ingenia, & mores mulierum describi, & quanta in illis asseruandis in vniuersum difficultas sit, his similitudinibus adumbrari. Nam cum ex his aliæ acres sint ac difficiles, has certè includere, & asseruare non minus difficile esse dicit, quàm ventum resstantem concludere, & cohibere. Cum verò sint aliæ molles, lenes, ac nimium faciles, has etiã claudere, & continere non minus arduum est, quàm oleum manu dextera cohibitum tenere: nam quemadmodum oleum mollitiæ sua diffluit, sic etiam mulier è lauibus prolabitur, atque in apertum excurrit. Itaque vtrumque mulierum genus siue asperum, & difficile, siue lentum nimis, ac facile, vix aliqua industria asseruari, & contineri posse dicit, vt propterea vir nulli confidere, nulli acquiescere debeat.

Caterum si cum his ego sentirem, qui comparisonem istam ab oleo desumptam putant, verbum illud *vocabit*, & olei similitudinem alio modo exponendam dicerem. *Et oleum dextera sua vocabit*, i. *reuocabit*: ei nimirum adsimilis est, qui effusum è manu dextera oleum, iterum recipere, reuocare, ac colligere velit: quod quàm sit difficile nemo ignorat; oleum enim vbi in terram excidit, vt est lene, atque molle, è vestigio terram peruadit, ac percolat, atque ad eò recipi, ac resummi nullo modo potest. Sensus ergo sic institutus est, Mulierem quidem à viro discordem morosam, & rigidam continere, & asseruare non minus arduum est, quàm fugacem venti naturam cohibere atque includere; at postquam erupit, & à viro discessit, eandem reuocare, & in domum referre non minus difficile est quàm oleum, quod è manu dextera in tellurem excidit inde rursus recipere, ac resumere.

Sed quamuis hæc non inerudita sint, tamen (ni fallor) alia est Salomonis mens in hoc loco. Præmittere autem oportet verbum קרא Kara, quod hic sub est pro *vocabit*, nonnunquam poni pro *allicere*, atque *inuitare*, supra cap. 9. *Et in profundis inferni conuina eius*. Hæbr. *vocati eius*, nimirum inuitati ac pellecti ab ipsa, & Isaia 54. *Quia vt mulierem, & mœrentem spiritu vocabit te Dominus*, i. alliciet, & inuitabit, &c. Rursum nomen *oleum*, sumitur nonnunquam pro lenitate, & blanditiis, Psalm. 140. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, id est, blanditiæ peccatoris non me decipiant. Et supra cap. 5. *Et nitidius oleo guttur eius*. & Psalm. 54. *sermões eius super oleum*, & alia id genus. Salomon ergo ait

Isai. 54.

Psalm. 140.

Psalm. 54.

(hoc hemistichium cum superiori sicnecto.) **A** *Qui retinet eam, quasi qui ventum teneat, id est, vir, qui vxorem fastu turgidam, difficilem, & morosam, per vim, & seueritatem continere, ac coercere velit, ei adsimilis est, qui ventum fugacē, & lubricum comprimere ac cohibere contendat. Et oleum dextera sua vocabit. Quasi dicat; è contra verò mariti lenitas, & blanditiæ ipsam euocabunt & allicient, & ad virum conuertent. Itaque oleum dextera appellat Salom. blandimenta, delinimenta, ac popymos; hi enim longè melius feminae rigida duritiem demulcent, atque emolliunt, quàm seueritas, & acerbitas viri. Nil certius. Audi Paulum ad Colossenses 3. *Viri diligite uxores vestras, & nolite esse amari ad illas.* Lege Chrysostomum in eum locum, & Hom. 26. in priorem Epistolam ad Corinthios, vbi longa oratione suadet vxorem non esse verberandam, neque manus ipsi iniiciendas, sed leniter, ac mansuetè tractandam; cuius verba, ne longus sim, hic supprimenda duxi.*

ad Colof. 3.

90

Restat nunc nodus satis difficilis circa interpretationem Septuaginta, quæ quamuis verbo tenus à nostrâ lectione longius abire videatur, tamen ad eam reuocare, & allicere, quoad fieri possit, conabor. *Aquilo durus ventus: nomine autem dexter vocatur.* Diuus Hieronymus meminit quidem huius loci non semel, nam in cap. 1. Hieremix sic habet. *Et iuxta mysticos intellectus Salomon loquitur: Aquilo durus ventus, nomine autem dexter vocatur, ab his videlicet, qui eius obrigue re frigore, & calorem fidei perdiderunt.* Ab his nimirum dexter, ac secundus appellatur hic ventus, quibus placent peccata sua. Et in cap. 31. eiusdem Prophetæ sic scribit. *Ipse quoque Dominus pollicetur se reduclurum eos de terra Aquilonis, qui ventus durissimus, nomine autem dexter vocatur, id est, de crudelitate, de frigore dominicæ charitatis, &c.* Iterum etiam in Sophoniam ca. 2. vbi accuratius locum istum versat, & cur sinister cū sit dexter appelletur, aperit his verbis. *Ab Aquilone, inquit, exardescunt mala super omnes habitatores terræ, & de quo Salomon commemorat, Aquilo durus ventus, &c.* Et subinde pulchrè admodum subdit. *Is qui mouerit pedes suos, & recesserit ab Oriente, & ad Occidentem respexerit, statim Pergit ad Aquilonem, qui non est dexter, sed nomine dexter vocatur; quod quidem, & corporaliter intelligitur, ut quicumque in Oriente steterit, & verterit se ad Occidentem respiciens ad dexteram, habeat Aquilonem, quem dextrum vocant, qui flutu illius refrigerantur, qui tantum nomine dexter est, tamen re, & opere potius in sinistro est.* Itaque Diuus Hieronymus vêtum Boream propterea dextrum vocari dicit, quia is qui ab Oriente conuersus ad Occidentem recta adspicit, à sinistra quidem Austrum, à dextra verò Aquilonem habet; tunc verò, inquit, dexter dicitur iste ventus nomine tenus, quia ventum esse dextrum aut laeuum non ab his sumitur, qui Occidentem versus adspiciunt, sed ab his potius, qui ad Orientem solem adoraturi intuentur, propterea Auster ventus Aquiloni contrarius ab Heb. appellatur תימן *Theman*, id est, *dextrum*, à radice תן quæ vox *dexteram* adsignificat. Itaque Auster propriè & germanè dicitur ventus dexter, & Boreas sinister, quia ad Orientem solem spectantibus hic ad laeuam, ille ad sinistram vergit: tamè per accidens, (liceat sic dicere,) fieri potest, vt si quis sese vertat, & faciem ad Occidentem intendat huic certè Auster ad sinistram, Aquilo verò ad dexteram cadat, ac tūm

Hieron.

quidem fiet vt Boreas nomine tenus dexter sit. Hæc Hieronymus. Addo etiam aliam rationem: quia, vt obseruauit Olympiodorus ad illa verba Iob. 9. *Qui facit Arcturam, & Orionam, & interiora Austri, vox Theman,* quæ propriè ventum Australem adsignificat; tanquam notior assumi solet ad quemlibet alium ventum notandum per synecdochè, sumpta nimirum specie pro genere; quæ est etiam obseruatio Kimhi in libro radicum. Hæc igitur (ni fallor) magis germana huius loci expositio. *Aquilo durus ventus, nomine autem dexter vocatur, id est, quamuis prædurus sit ac laeuus, nihilominus tamen aliquando nomen Theman, quod Austri proprium est, & dextrum, adsignificat, per extensionem vocabuli ipsi imponi solet.*

Kimbi.

B

His prælibatis si quis sentiat hunc versum iuxta translationem lxx. non esse necendum cum superiori, sed per se nouam sententiam cohibere, in plures quidem valde diuersos sensus illum cōpellere licebit. Nam iuxta expositionem Hieronymi supra datam, his accōmodare integrum est qui laboribus, ac tribulationibus vexantur, nam per Aquilonem, & Boream tribulationes notari docent Augustinus, & Gregorius passim. Itaque ait Salomon, *Aquilo durus ventus, &c.* illis certè qui Orientem versus adspiciunt, sinister, & infelix videtur: idem tamen ad Occidentem conuersis dexter ac felix apparet. Ad eundem modum tribulationes, & molestiæ huius sæculi his, qui ad

91

C

Orientem, id est, ad natiuitatem, & vitæ suæ principium spectant, in fœlices ac læuæ; iisdem verò si ad occubitum solis, id est, ad mortem obitumque respiciant, dextera omnino, fœlices, atque secundæ videntur; quia nimirum præmium, & coronas è proximo speculantur. Vel aliter, vt ex præscriptis Hieronymi locis constat, per Aquilonem frigus charitatis, & omnem in vniuersum improbitatem & malitiam carpere licet, iuxta quæ acceptionem, & Hieronymi mentem, præmissa verba alio modo versari possunt: Sicut Aquilo rigidus, & asper cū sit his, qui ad Orientem respiciunt, laeuus, & sinister, illis verò, qui ad Occidentem intuentur, dexter videtur; ita etiam improbitas, & malitia his, qui ad Orientem respiciunt, Deumque adorant, & illi obsequuntur, læuæ profus, atque infœlices meritò videntur: illis verò, qui ad obitum solis conuersi sunt, nimirum à Deo auersis, ad commutabilia huius mundi bona conuersis, eadem dextera, fœlices ac beatæ, non quidem re vera, sed nomine, ac specie tenus, apparent. Ad hæc, si posterior interpretatio non displicet, quæ docet illa verba, *nomine autem dexter vocatur*, ex obseruatione Olympiodori, & Rabi David illustrari, alium sensum conformare licet, ita vt Salomon prohibeat detractionem, suadeatque de proximis vtique honestè loqui, hoc modo. Ventus Boreas, quamuis rigidus, asper, & laeuus re vera sit, nihilominus tamen ascito aliunde vocabulo eundem *Theman*, id est, *dextrum*, sæpe appellamus, & eo nomine condecoramus: ad eundem modum si qui homines sint improbi ac scelerati, non statim incusandi & indecorè, contumeliosè que notandi, sed, quoad fieri possit, etiam accersitis aliunde nominibus, ac titulis, à nobis honestandi, decorandique sunt.

E

Ceterum licet ista non inconcinne dicantur, nihilominus tamen ne translatio. Sept. tantoperè abhorreat à Vulgata lectione, eorū verba ad nostrā lectionis sensum (me iudice) vocari debent.

Docet

92

Docet ergo Salomon qua ratione vir vxorē suam etiam difficilem, & morosam ad lenitatem, & mansuetudinem traducere debeat, eam nimirum amanter, & honestè compellendo, ac nunquam non honore prosequendo. Itaque sensus erit. *Aquilo durus ventus, nomine autem dexter vocatur*, quia licet solem spectantibus, quæ dignior statio est ad sinistram vergat, ad Occidentem conuersis ad dexteram cadit. Discat ergo inde maritus, cui rigida, & prædura, Aquilonis instar, cōtigit vxor, eam tamen, fastum, qui viris proprius est, deponēs, ad dexteram excipere, & peramanter honorare: quāuis enim res ea ratione aliquo modo inuerti, ac commutari videantur, quatenus illa quæ inferior est, digniori loco honestatur: quamuis etiam vir alioqui generosus valdè sit, & ab splendidissimis ortus parentibus, vxor verò degener, & obscura: tunc enim oportebit ab Oriente oculos auertere, & ad occidentem conuerti, id est, à natiuitate, ex qua disparitas manat, ad mortem, in qua summa omnium æqualitas est, oculos flectere, ac sic graue non erit cum vxori honorem deferre, ea enim ratione, & non aliter, ipsam demulcere, lenare, ac delinire licebit. Et quidem inter maximè splendoros honores, quibus viri suas vxores, imò, & matres, honestare ab heroicis temporibus soliti sunt, is præcipuo loco ponitur, si ipsas ad dexteram suam excipiant. Huc spectat illud Psal. 44. *Aspexit Regina a dextris tuis, &c.* 3. Reg. 2. de Bethsabee Salomonis parente. *Positusque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius.* Mitto plura testimonia ex prophanis; sunt enim obuia, ac vulgò trita.

Psal. 44.
3. Reg. 2.

93

Aliter etiam potest locus iste de vxore morosa intelligi, iuxta obseruationem Olympiodori, & Kimhi, hoc modo. Sicut ventus Aquilo quamlibet frigidus, & asper, tamen accersito aliunde vocabulo *Theman*, hoc est, *dextrum*, compellamus, eo nomine condecorantes: ita etiā vxor quamuis obscura, & degener, de mariti nomine iā dicitur, ex quo illam maritus ad dexteram accipit suam, atque ad eò honorari, & permagni haberi debet. Vel aliter, eiusmodi vxor, etsi difficilis, & austerā sit, non quidem contumeliosis, & probrosis verbis eam dehonestare, sed honestis ac splendidis nominibus sepius condecorare maritus debet; nā honore, & gloria longè melius, quàm probris, contumeliosisque mulcetur. Addunt aliqui ex Hebræis, vt monet inter Rabinos Dauid, nomen illud *Theman*, non quidem omni tempore aliis vētis accommodari, sed tunc cum mitiores ac leniores sunt, atque ad eò Boream, seu Aquilonem non quidem hyeme, ac brumā, cum maximè asper ac frigidus est, sed vere, & æstate, cum mitius flat, & solis ardores æstusque sua frigiditate temperat. Quò spectasse videtur Hieronymus loco citato cum ait, Boream ab his, qui ad meridiem vergunt, dextrum appellari, quia eorum ardores illo perflante intepescunt; sic enim ait. *quem dextrum vocant, qui flatu illius refrigerantur.* Quod perinde est, ac si dicat, *quem Theman vocant omnes, qui illius refrigerio vtuntur.* Liceat ergo sic comminisci: suadet Salomon maritis vxores etiam permolestas, & acerbis impensius amare; nam si amor, inquit, ferueat atque exæstuet, aliquis vxoris rigor ad illum ardorem, æstumque temperandum accommodatus erit, quemadmodum Aquilonis frigus ad æstatis calorem refrigerandum idoneus est. Quasi dicat: id eò viri vxores quædam prædura ac difficiles valdè apparent, quia eas vel oderunt, vel tepidè adamant; si enim

Tom. 2. Part. 2.

eadem ardentè diligere aliqualem earundem rigorem ad suum ardorem temperandum, boni consulerent; ita vt quemadmodum, qui ad meridiem vergunt. Boream, alioqui imitem, & asperum, *Theman*, i. *dextrum*, atque secundum vocant, ita etiam eiusmodi mariti amore æstuantēs vxorum suarum morosam earundem difficultatem nequaquam grauitè ferrent. Pergo ad alia.

XVII. *Ferrum ferro excutitur, & homo excutit faciem amici sui.*

Ferrum ferro, &c. Hebr. *Ferrum in ferro acuetur, & vir acuet faciem amici sui.* Tigurina. *Vt ferrum ferro committitur, sic homo homini consociatur.* Chaldaus & Sept. coherent cum Vulgata lectione. Caietanus habet. *Et homo acuitur coram socio suo.*

94

Certè in his locis, quæ metaphora vel allegoria constant, præcipuus labor poni debet in constituenda, conformandaque similitudine, inde enim tota sententia pendet. Rodolph. Ianfenius, Vatablus, & alii non pauci, similitudinem ductā putant ab eo, qui ferrum perfricat, atque elimat; vel ita quidem vt sit sensus, *ferrum ferro excutitur*, id est, gladius gladii mutua collisione, & confrictione aciem elimat: vel aliter, gladius, seu clauus, malleo, lima, vel aliis è ferro confectis instrumentis ad acumen perducitur. Sic Dionysius, & Arbores. Aliam etiam huius cōparationis faciem exhibet nobis Tigurina trāslatio. *Sicut ferrum ferro committitur*, id est, agglutinatur & cohæret, *sic homo homini consociatur.* Nam auctor illius translationis vocem *תחת* *tached*, quæ hîc subest, non quidem ex *תחת* *Chadad*, id est, *excuit*, sed *תחת* *Iachad*, i. *uniuit*, deducendam putauit; itaque cōparationem sic instituit. *Sicut ferrum ferro committitur, & uniuit, &c.*

Ergo ex his modis, quibus hæc comparatio conformatur, alia atque alia expositiones fluxerunt. Prima est Bayni, qui putauit hunc versum cum superiori committendum, atque ad eò fieri sermonem de marito, & vxore, cuius consilium non omnino displicet. Nam in Originibus est. *Sic vir excuit faciem socii sui.* Mariti verò socius vxor est. Ergo Rodolphus sic ait, *Quemadmodum duo gladii inuicem affricati, & collidentes, propter naturalem vtriusque duritiem alter alterius acumen exerit; ad eundem modum si vir, vxorque rigidi sint, ac duri, alius alium ad iram, & furorem excuit.* Itaque suadet Salomon viro ne contra rigidam, & ferream vxorē prædurus sit, sed mollis ac lentus; sic enim fiet, vt illius acies, id est, furor, & iracundia hebescat proorsus atq; obtundatur. Iuxta quam interpretationem sententia hæc omnino cohæret cum superioribus, quæ significant etiam vxori non quidem terrore, ac minis, sed obsequio obsistendum esse.

95

Quod si id non displicet, præmissa verba de viro, & vxore aliter, atque aliter appositè tamen, ad superiores sententias interpretari integrū est. Primò locum istum cum superioribus sic consuere licet, vt Salomon aduersus duram, rigidamque vxorem omnia probāda esse dicat, ita vt primo quidem leniter cum ipsa agere præcipiat, deinde verò si quidem rigor ille per lenitatem non emolliatur, maritus etiam rigidum, & austerum sese præbeat. Itaq; sensus erit. *Ferrum ferro excutitur, &c.* id est, prædurum ferrum duriori alio

96

ferro ictum cædit, scilicet lima exteritur, & malleo elaboratur, sic etiam vxor ferrea, quæ viri delinimenta, & lenes mores aspernatur, rigore, ceu lima quadam extenuanda, nonnunquam etiam verbere, ceu malleo, mollienda est. Ad hanc sententiam deflexit quidem illud antiquorum commentum, qui Veneris, impudentissimæ ac procacissimæ feminæ, Vulcatum ferrarium fabrum cōnubio adiunxerunt, vt significarent, contra difficiles valde, & procaces vxores, lima, malleo, & iucude opus esse.

97

Sed longè melius (me iudice) ad hanc sententiam euocatur tertia similitudinis facies. *Sicut ferrum ferro cōmittitur, sic homo homini consociatur.* Et quidem ex hac comparatione duplex sententia depromi potest. Altera est eiusmodi; Non quidē ferrum cum argento, aurove, sed cum alio ferro cohæret, ac permiscetur, ita vt in vnâ massam amico fœdere cœant: ita etiam de viro, & vxore decernendum; non enim vilis fœmina cum viro nobili, nec rursus nobilis maritus cum degeneri vxore, nec coniux prædiues cum paupere coniuge aptè committitur, aut copulatur, sed nobilis cum nobili, vilis cum vili, ditior cum dite, & pauper denique cum paupere appositè congregiuntur. Ergo Salomon sic ait; Quemadmodum ferrum, quod inter metalla vilissimum est, cum ferro aptè coniungitur, & compingitur; ita etiam maritus vilis, & pauper, cum vili, ac paupere vxore, aptè ac peramicè copulatur. Item sicut ferrum auro, vel argento non conglutinatur, sed inuicem resiliunt; sic etiam inæqualium coniugia diffidiis, atque discordiis plena sunt. Quid certius? Hûc spectat illa Salomonis sententia, quam recitat Ansonius.

Anson.

Par pari iugato coniux; quod impar est dissidet.

Chrysof.

Lege plura, quæ ad hanc sententiam illustrandam contulit Tiraquellus in quintam legem connubialem & vnum accipe Chrysofomum in libro de virginitate cap. 53. vbi pauperem virum vxorem prædiuitem ducere dehortatur his verbis. *Quid ergo est vt pauper aliquis humilis, & abiectus, ex ampla, & potenti familia, pecuniæque affluenti vxorem ducat? At hoc ipsum contempti illius hominis optatum non minus calamitatum habere reperias. Est enim alioqui superbia elatum, & impotentius mulierum genus, ob eamque causam, magis etiam perturbationibus expositum. Cum vero multas superbiae occasiones habent, nihil est quod præterea illas in officio continet: sed quemadmodum vbi sylua aliqua concepit ignem, flamma in sublime fertur, sic ipsa elata incredibiliter, & ordinem peruertunt, & summa in sima faciunt. Neque enim virum principatum tenere patitur vxor, & qua est contumacia, & arrogantia, illo de suo gradu deiecto, eum subiectum esse vult, ipsaque dominatum, & imperium occupat. Mitto conuicia, & a ceo cōtumelias: nihil ex omnibus rebus est illa intolerabilius. Et infra cōtra eos, qui sibi persuadēt fieri posse, vt hanc superbiam, factumque honestissimis, ac ditissimis fœminis sua seueritate excutiant, ita subnectit. Siquis igitur ita dixerit, primū ignorat id ex eorum esse numero, quæ magnam habent difficultatem. Deinde vt ita sit, non parum id detrimenti habet. Quod enim illa timore, ac vi in potestate viri esse cogitur, id viro grauius est ac molestius, quàm si ipsa omnem imperandi potestatem haberet. Quid ita quia omnē amorem mutuum ac voluptatem eicit ex animo ipsa vis: sublata autē amicitia, remoto studio, & metu, necessitateque illorum locū occupantibus, quid eiusmodi coniugio ad digni-*

tatem reliqui esse possit? Hactenus Chrysof. Ergo vt ad Salomonem redeam, huius sententiæ cum superioribus nexus in promptu est; nam cum premisset quosdam viris euenire solitas litigiosas, & fastu plenas vxores, quibus acquiescere potius, quàm rigide obfistere oporteat; optimam demonstrat rationem, qua grauius illud incommodum vitare liceat, si nimirum ferrum ferro, hoc est vilis, ac pauper, pauperi similiter ac vili vxori copuletur, nam omnis penè ex inæqualitate ac disparitate fastus morositasque in fœminis accidere consuevit.

98

Posterior sententia, quam ex præmissa comparatione excitare licet, sic habet. *Sicut ferrum ferro committitur, sic homo homini consociatur.* Ferrum vtique ferro ignis agglutinatur, atque immiscet, aliter si vtrumque frigidum sit nulla industria compingi, & committi possunt. Salomon ergo, qui supra vxoris, & viri diffidia, & discordias recēturat, & summam difficultatem, quæ in confœderandis, & concordia reddendis duorum coniugū rigidis moribus reperitur, luculenter ostendit; nunc quidem satis appositè ad dicta attextit duorum etiam rigidissimorum coniugum animos moresque concordare non esse omnino impossibile, sed sicut ferrum ferro agglutinatur, ita etiam durum vxoris ingenium cum rigidis mariti moribus cohærere posse, si nimirum accedat ignis, amor scilicet accensus, ardensque. Quasi dicat; ferrum vtique cum ferro, si vtrumque algeat vel frigescat, nullo modo conseri possunt, at si vnunt, alterumque igne incanduerint facile inter se cohærent, ac commiscuntur: ita etiam duo coniuges rigidi ac præduri, si odio, tanquàm frigore, inuicem algeant, nulla arte copulari poterunt, at si vterque ab amoris flamma velut igne calefactus fuerit, sponte confœderantur, & nullo negotio concordēs fiunt.

Secunda interpretatio hunc versum à superioribus disiungit, eiusque patroni inter se etiam distracti sunt. Nam plerique malam in partem rapientes ita exponunt. *Ferrum ferro exacuatur, & homo exacuit faciem amici sui, i. quemadmodum ferrum ferro allisum, & affricum aciem recipit, ita etiam amici duritie, asperitate verborum in se inuicem collidentes, ad iram, & indignationem exacuuntur. Et sanè ire acumen non ineptè accommodatur; nam vt habes supra vers. 4. pro illis verbis, ira non habet misericordiam. lxx. conuerterunt. Acuta est ira. Iuxta quam expositionem dicendum est Salomonem id suadere, ne cum alter rigescit, & subiratus est, alter contra rigorem, atque iram exerat, sed cedat potius, & acquiescat; sic enim fiet, vt alterius indignatio obtundatur. In quam sententiam quadrat illud Nazianzeni in iambico de ira.*

99

Nazian.

At lestr hic me? tu caue hunc latus irem.

At reprimetur? forsitan hinc crescet furor.

At cœpit ille? protinus verbis tuis

Frangatur, atque moribus blandissimis.

E

Eius nimirum ferrea durities ad lenes, mollesque tuos mores impacta resiliat. Cæterum hæc sententiæ huius malam in partem accommodatio nunquam mihi probari potuit.

Quapropter perplacet alia expositio, quam plures interpretes amplectuntur. Hi sunt, Beda, Lyra, Hugo, Caietanus, Iāsenius, Arboreus, Dionysius, & alii, qui hæc verba bono sensu de amicorum vsu, & familiaritate capienda esse docent.

100

Ex his verò Arboreus, & Dionysus gracile quid, ac frigidū inducere; nam ad locum istum ita fantur. *Ferrum ferro exacuitur*, &c. i. sicut malleo clavi efformantur, & acumen recipiunt, sic etiā homo vultu, persuasione, & verbis excitat in alio ingenii acumen, vt penetret quæ ab amico dicuntur. Accommodari tamen potest ad præceptores, qui ingenia discipulorum alioqui hebetia, & obtusa, disciplina, & doctrina sua exacunt, & expoliunt, vt, ceu clavi acuminati, ad difficilium rerum intelligentiam, vt ita dicam, perforant, ac peruadunt. Nec dissimili sensu, de amicorum vltimo locum interpretari æquum est, ita vt Salomon homini sapienti, & perito hoc suadeat, vti amicos etiā imperitos, & stolidos libenter audiat, nam sicut malleus, obtusus cum sit, clavi alicuius aciem extenuat exeritque sic etiam euenire solet: vt homo stupidus atque hebes, hominis sapientissimi ingenium suis documentis ac præceptis exacuat, & ad difficillima quæque penetranda expoliat.

101

Melius tamen, ac feliciter alii, qui præfatam similitudinem sic aptandam putant. *Ferrum ferro exacuitur*, &c. i. sicut ferrum ferro confricatum aciem cõcipit, ita etiam ex mutua collatione amicorum exercentur, erudiuntur, acuitur ingenia. Neque verò præfati interpretes de sola mentis eruditione, & exercitatione hunc locum capiendum putant, sed etiam de morum recta informatione, ita vt significant ex societate bonorum id lucri, & quietus semper euenire, vt alii aliorum conuictu, & exemplo ab improbitate, & honestatem inuicem elimentur. Frustra hinc multis persequar quantū valeant exempla, & bonorum conuictio ad rectè viuendum. Illud ex Victore Antiocheno ad caput 1. Marci Euangelistæ subscribere libet, ubi cum pericula vitæ solitariae, & societatis emolumenta enumerasset, illud inter alia recenset, quod conuictu, & assidua pluriūm conficitatione ferrei, & si licet dicere, chalybei sunt illi, qui inter socios diu vixerunt: sic. n. habet. *Mox vt hac conficitatione, veluti ferrum, induratus, fortior subinde enadas*, &c. Eapropter vetuit illos, qui hanc sibi fortitudinem ex societate nec dum comparauerant, in solitudinem secedere, in qua diabolus solitarium hominem grauioribus tentationum machinis adoriri solet. Itaque societatis non solum homines, alioqui ferreos, elimat expolitque, sed etiam quamlibet eorum imbecillitatem, ad ferri firmitatem, roburque perducit.

Sed quamuis hæc accommodata sint, tamen nescio quid in præmissis interpretationibus desiderare mihi videor: nam etsi ferrum ferro aliquantulum exacui mutua conficitatione soleat, tamen ad cotem allisum melius acuitur, atque ad eod aptior esset comparatio, quæ ex ferro, & cote duceretur, quàm quæ ex ferro, & ferro, qua lepidè vsus est Horatius de Arte.

Horat.

*Fungare vice cotis, acutum**Reddere qua ferrum valet, exors ipsa secandi.*

102

Qua propter comparisonem istam aliter cõformandam puto. Præmittere autem oportet in Primitiuis pro ferro esse כרזל *Barzel*, quæ vox nõ modo *ferrum*, sed etiam *Chalybem*, significat, vulgo *azero*: est autem *Chalybs*, genus ferri durissimum, quod quidem vulgari, & communi additū ferro, atque intimè permixtū, ad gladios concinnandos accommodatum est, nam commune ferrum, alioqui lentum, chalybe immixtum, ad scindendum rigescit. De hac permixtione loquitur Hier. cap. 6. *Omnes isti Principes desinant.*

Hierem. 6.

A *ambulantes fraudulentè, vt es, & ferrum*. Vatabl. ex mente Hebr. *Vt Chalybs, & ferrum*. i. omnes isti non aliter inter se confederati cohærent, quàm Chalybs ferrumque commune coeunt ad gladium concinnandum. Quali dicat: cuncti ad populi perniciem conspirant. Iam intelligis quò tẽdam? Salom. ergo sic ait. *Ferrum ferro exacuitur*. i. sicut ferrum, & Chalybs, ad gladium acutū conflandum, cõpingendumque aptè coeunt, & cohærent: nam Chalybs per se ob nimiam duritiem fragilis, ferrum etiam seorsum lentum, ac flexibile, commissa, & coniuncta ad scindendum bene temperantur, ita etiam homo *exacuit faciem amici sui*, i. cum amicus amico suo præsto est, illum quidem, tanquam gladium peracutum, & bene temperatum ad agendum, ad obfistendum, & ad quidlibet etiam audendum confirmat, & hæc est energia clausula, *exacuit faciem amici sui*, id est, illam aduersus omnes casus, & ad omnes actiones roborat. Nã, liceat sic dicere, duo singulares homines, etiam si alter Chalybeus sit, & alter ferreus, hic tamen lentus ac flexibilis, ille fragilis erit; quod si vtrumque amicitia, & familiaritas copulet, ad omnia ardua, & difficilia bene temperati, animatique erunt.

B Quod si prima expositio magis aridet, quæ locum istum cum superiori confuit, & de concordia viri, & vxoris capit, hæc similitudo, vt à nobis conformata est, ad eum etiam sensum euocari potest: Nam cum Salomon vxorem rigidam, & præduram in superiori versu descripsisset, ac maritum ad lenitatem adhortatus fuisset, appositè ad hæc subiungit, maritum, ferri ad instar, lentum, atque flexibilem, cum vxore, Chalybis in morem, rigidiori, & duriori aptè admodum concordari, & ad firmitatem vniri posse, si accedat amor, & gratia; sed tamen præferenda est superior expositio.

Victor.
Antioch.

XVIII. *Qui seruat ficum, comedet fructus eius, & qui custos est domini sui, glorificabitur.*

D

Qui seruat, &c. Hebr. non dissentiunt. Lxx. & Chaldaeus. *Qui plantat ficum*. Hebr. נצר *Notser*, ex radice *Natsar*, propriè significat *seruare, custodire*, inde tamen fit נצר *Natser*, id est, *sarcinus, aut noua planta*, quia spinis, aut aliter septa seruari solet. Hinc natae translationes lxx. & Chal. de reliquo omnes lectiones inter se cohærent.

103

Hunc locum facili negotio expediunt interpretes omnibus enim ea mens est, seruis, ac mancipiis suadeti fidelitatem erga dominos, spe emolumentum, ac præmii; id enim seruos potissimum ad laborem exacuit. Itaque sic ait: *Quem admodum ille qui ficum seruat, & culturam illi adhibet, dulcissimos illius fructus tandem carpit: ita etiam seruus qui colit, obseruat, defenditque dominum suum, ab ipso etiam gloriam, & mercedem copiosam, fructus loco, refert. At cur, inquit, herus cum fico potius quàm cum alia arbore comparatur? Possset quispiam dicere, ad dulcedinem fructuum Salomonem spectasse, ita vt sensus sit, seruum mercedem sibi maximè dulcem, & iucundam reportaturum, scilicet libertatem; hoc enim est dignissimum, & maximum beneficium, quod à dominis in seruos proficisci solet, & quod ipsismet seruis gratissi-*

Seneca.

num, ac iucundissimum accidit. Seneca Epistola 76. *Inestimabile*, inquit, *bonum est suum esse.*

Erasmi.

Illud etiam inter Cæsaris apophthegmata refert Erasmus. *Nulla voluptas viris ingenuis suavior est libertate.*

Rodolph.

Rodolphus addit: propterea herum cum fico à Sapiente collatum, quia ficus non vnum tantum fructum affert, sed duos, alterum præcocem, alterum verò temporaneum: atque adèd significat seruum, qui ad nutum domino obsequitur suo, non vnam tantum mercedem, nec vnum tantum honorem, sed alios sub aliis honores, & mercedes ab illo reportare solitum. Posset etiam quisquam sic cõminisci, duos illos fructus præcocem atque temporaneum, duo item præmia, vel duas mercedes seruitutis benè impè- se notare, bonam scilicet, honestamque tractationem dum seruit, ac demùm post aliquot seruitutis annos indultam libertatem. Et sanè verbum illud *glorificabitur*, ad libertatem, quam rectè ritèque obseruans mancipium à grato domino tandem aliquando consequi solet, referendum videtur, hæc enim seruum ex vilissima, & degenerate valdè conditione ad honestam, gloriosamque traducit. Hæc à supra scriptis doctoribus dicta sunt non insulsè.

104

Tamen (ni fallor) aliquid iucundius, & dignius sub hac fici comparatione delitescit. Quapropter obseruanda sunt seruorum leges, apud Hebræos: nam Exodi 21. & Leuit. 25. seruo cauetur vt seruis Hebr. qui necessitate compulsi, aut alia qua- uis ratione, sese dominis mancipassent, anno Iubilæi libertas indulgeretur, nec liceret dominis vltra eorum famulatu, & operis vti, nisi ipsi sponte sua seruituti acquiescerent. Itaque tempus libertati destinatum erat Iubilæi annus, vltra quem seruitutem producere heris non licebat: poterant tamen seruorum officii obstricti id tempus properare, & maturius libertatem ipsis impendere. Inde igitur affertur lux Salomoni. *Qui seruat*, inquit, *ficum, comedit fructus eius*, &c. id est, sanè præcocis fructus maximè fallax spes est in ficulneis, non enim illos satis vberes proferunt, nisi fœlices sint anni, & diligens ipsis cultura adhibeatur. Ita docet Columella de re rustica libr. 5. cap. 9. Ait ergo Sapiens, *Quemadmodum qui ficulneam diligenti cultura fouet, non temporaneas solùm, sed præcoces etiam ficus ab ea decerpit: ita etiam seruus, qui dominum colit suum, & ipsum studio- sè admodum obseruat, non modò eam libertatem, quæ statò Iubilæi tempore decreta est, quasi temporaneas ficus, sed illam aliam properatam, & spontaneam qua domini obsequiis obstricti seruos suos promeritis donare solent, tanquam præcoces ficus adipiscetur.*

105

Leuit. 21.

Ad hæc Leuitici 21. his, qui vineas, ficum, oliueta, aut aliarum arborum sata possident, sic præcipit Moyses. *Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesq; fructus eius; septimo autem anno sabbatū erit terra requietionis Domini. Agrum non seres, & vineam non putabis: quæ sponte gignet humus non metes, & vvas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam; annus enim requietionis terra est; sed erunt vobis in cibum tibi, & seruo tuo, ancilla, & mercenario tuo, & aduena, qui peregrinatur apud te.* Verba sunt perspicua, & quamuis de solis vineis eloqui videatur Moyses, tamen vinearum nomine omnes aliarum arborum sationes fuisse comprehensas communis interpretum sententia fert. Iubet ergo Deus septimo Iubilæi anno terram otuari, & arborum pomiferarum fructus nequaquam à dominis de-

A cerpi, sed poma sponte nascentia seruis potissimum, & ancillis dimitti, deinde etiam reliquias mercenariis, aduenis, & aliis exteris hominibus ad victum derelinqui. Ex hoc igitur iure ac lege peti potest alia interpretatio superioris loci. *Qui seruat ficum comedit fructus eius*, id est, seruus, ac mercenarius, qui magno cum labore colit, seruatque ficum, tandem aliquando anno Iubilæi fructus sibi decerpit, quos fundi possessor ipsi dimittere ex lege tenetur; ita etiam, *qui custos est Domini sui, glorificatur*, id est, ad eundem modum seruus, qui colit dominum suum quantumuis asperam seruitutem perferat, eodem Iubilæi anno libertatis gloriam, & honorem nanciscitur. Itaque iuxta hanc interpretationem suadet Salomon seruis labores, & iniurias seruitutis æquo animo ferre spe libertatis gloriosæ, quam anno septimo Iubilæi consequi debent.

B Septuaginta interpretes, & Chaldaeus ita extulerunt. *Qui plantat ficum, comedit fructus eius*, &c. quæ translatio alium planè sensum reddere videtur; sumitur enim comparatio ab eo, qui ferit, ac plantat; & sanè isthæc verba si capiuntur, vt sonant, facili quadam sententia donari possunt. Obseruare autem oportet ex arboribus alias esse valdè seras, quæ nimirum longissimo tempore postquam seruntur, fructus afferre incipiunt, vt oleæ, palmæ, & id genus plures; alias verò esse præcèles, quæ postquã sata sunt, non lōgo interuallo adulescunt, & fructu afferunt: inter quas refertur etiam ficus, quæ paucis post sationem annis vberimè fructificat. Hinc ergo præfatæ translationi lux afferri potest hoc modo. *Qui plantat ficum comedit fructus eius*, &c. quemadmodum qui ficulneam ferit fructus eius dulcissimos decerpit, (non enim hæc arbor vt alia sera est, fructus afferens, qui posteris profunt; sed fermè ipsemet qui ferit illam, prædulces eius fructus degustat; ita etiam qui studiosè, & accuratè domino obseruit, obsequiturque suo, non quidem serò, & post longas temporum moras, sed ocys ab illo mercedem, præmium, ac libertatis honorem obtinebit, ita vt ipse ea gloria perfrui diutius possit.

106

D Quod si hæc interpretatio non satis placet, succedat memoriæ id, quod Leuit. 19. cauetur. *Quando ingressi fueritis terram, & plataueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum, poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, neque edetis ex eis. Quarto autem anno comedetis fructus congregates poma, quæ proferunt. Ego Dominus Deus vester.* Itaque lex præcipiebat, ne cuiuspiam arboris fructus vsque ad quintum post sationem annū domino edere liceret, atque adèd per aliquot annos cultura, & labor arboribus, absque vllò vsu & emolumento impendebatur, quam demùm ipsemet arbores vbertate fructuum rependebant. Hæc igitur lex aliam huius translationis interpretationem offert ad hunc modum. *Qui plantat ficum comedit fructus eius*, id est, qui ficulneam demò ferit, & si diuturno tempore absque vllò vsu, fructuque ipsam non sine labore atque molestia colit, recoliturque, tamen post exactum tempus à lege præscriptum eius vberes fructus decerpit: ita etiam seruus, qui domino diligenter, & accuratè obseruit, quamuis aliquo tempore labor eius inutilis, & infrugifer videatur, tandem aliquando laboris sui fructum largioribus præmiis, & honoribus nanciscitur.

107

Leuit. 19.

E Hæc autem interpretatio extrema translationis lxx. ad nostram lectionem vt iterum redeam iu-

108

bet. Illud autem constituo, duplex esse genus seruatorum, aliud quidem mercenarium, qui ob decretam prius aliquam mercedem, quæ in singulos, aut menses, aut annos ipsi pendatur, operas suas locat: aliud voluntarium, & spontaneum, qui pretium nullum definit, sed se totum, atque sui obsequij pretium, præmiiue domino suo permittit. Deinde etiam mihi ad eundem est Columella loco citato, ubi de ficulnearum cultura accuratè disceptat, atque inter alia sic ferit. *Si voles sicum quamuis non natura, seram facere, & uberiores demum ex illa fructus carpere, tunc grossulos, prioremve fructum decutito, iterum alterum edet, quem in hyemem usq; differet.* Scholiastes addit. *Iterum alterum uberiores reddet, &c.* Adde etiam pro illa voce *seruat*, à nonnullis poni, *expectat*, hoc modo. *Qui expectat sicum comedere fructus eius, & qui expectator est domini sui, glorificabitur, qui similem vim inesse dicunt illis verbis seruat, & custos erit,* ita ut seruare, & custodem agere, perinde sit ac expectare. Ergo si solidum hoc est, licebit quidem nostram lectionem Vulgatam ad superiorem interpretationem vocare, aut iuxta ea, quæ præmissimus, aliam expositionem committere ad hunc modum. Quemadmodum si quis non grossulos ac præcoces ficus ex ficulnea gustare vult, sed his ab initio decussis, expectat tempestiuos eiusdem fructus eos quidem tum uberiores, tum etiam diuturniores decerpit: ita etiam seruus, qui ab ingenuo ac liberali domino non statim definitum pretium sui obsequij, ac seruitutis aufere vult, sed diutius expectat spontaneam eiusdem liberalitatem per aliquod tempus operiens; non largiorem modò, sed diuturniorem etiam mercedem, ac præmii ab illo reportare consuevit. Quid certius? Sed tamen superiores interpretationes præfero.

Columel.

XIX. Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium; sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.

109

Quomodo, &c. Hebr. sic habent ad verbum. *Sicut aquis facies, sic cor hominis ad hominem.* Quæ verba non parum anticipata sunt, & multis non modò expositionibus, sed etiam translationibus locum fecerunt. Rabi Aben Hezra ita extulit. *Quomodo aqua ad aquas, facies ad facies, sic cor hominis ad hominem.* Caietanus. *Sicut aquarum facies ad facies.* Accinunt Tigurina, & Pagninus. Chaldaeus paulò aliter. *Sicut, aqua, & sicut vultus, qui non sunt similes ad inuicem; sic cor filiorum hominum non est inter se simile.* Herent Chaldaeo Septuaginta. *Sicut non similes facies faciebibus, ita neque cogitationes hominum,* in quibusdam est, *Sic corda hominum dissimilia.* Origenes homilia 2. in Num. *Sicut diuersi sunt vultus vultibus, ita & diuersa sunt corda hominum.*

Aben Hezra

Prima igitur interpretatio satis coacta, est Aben Hezra, qui lectionem nuper datam ita exponit. Sicut aquæ aquis influentibus supercrescunt, & exundant, & facies item per facies, id est, seuera, & irata vnius facies per alterius faciem similiter iratam, & seueram, magis ac magis irritatur, ac sæuit: ad eundem modum vnius cor per alterius hominis cor, id est, dum alij alijs suos inuicem insufurrant dolos, & fraudes, ipsorum quilibet magis, ac magis dolosus, & fraudulentus euadit. Sed præterquam quòd lectionem satis difficilem marte

A suo inuenit Aben Hezra, difficiliorem interpretationem in ipsam coniecit. Longè melius hanc Hezra lectionem commentari licet ad hunc modum. Sicut aquæ aquis additæ maximam vim habent, & facies faciebibus, id est, viri viris adiuncti validissimi sunt, ita etiam corda cordibus, id est, sententiæ sententiis coherentes maximum ad persuadendam potius habent. Quasi dicat, cum plurimorum ingenia in vnam sententiam conspirant, tanquam rapidum flumen ex multis riuulis collectam, quemlibet etiam pertinacissimum hominem post se auferunt, & tanquam magna hominum manus ex multis militibus coacta ad quilibet pugnacissimam mentem debellandam satis esse solet. Sed tamen id etiam longè petutum.

B Secunda interpretatio Rabi Samuel sic habet. *Quomodo in aquis facies ad facies, sic cor hominis ad hominem,* id est, quem admodum facies in aqua resplendens oculos fallit, qui non fallam imaginem, sed ipsissimam rem sibi ad spectare videntur; ita etiam homines alij alios deludunt, mendacia, & fraudes sub veritatis specie sibi inuicem offerentes. Itaque de hominum fraudibus, & fallaci conuersatione sic concipe, alij quidem alijs pro speculis sunt; nam per simulationem gratiæ, atque benivolentiæ expressam in semetipso alterius formam vnius vni offerre videtur, & quodammodo specie totius singuli in singulorum animis alterutrinque degere putantur, sed tota hæc est vana inanisque representatio, & adumbratio, sicut imaginum in aquis latentium; omnis enim gratia falsa, & adumbrata est. Hæc etiam expositio à Vulgata lectione plurimum abhorret, atque adeò non est audienda.

110 R. Sam.

C Tertia expositio est Caietani, qui sensum huius parabola ex modo naturali, quo intellectus noster acceptis à phantasmate speciebus, ac formis; res cognoscit, depromit ad hunc modum *Sicut aquarum facies ad facies, sic cor hominis ad hominem,* (sic ipse restituit) id est, Sicut in potestate hominis est aquam non intueri, si tamen in aquam inspiciat, naturale est ipsi aquæ acceptam formam oculis reddere; ita etiam integrum, ac liberum est homini externos sensus quibusdam non bonis obiectis defraudare; attamen si sensibus hæc offerantur, sicut obuersata facies ex aquis ad oculos sponte redeunt, ita etiam res obiectæ ex sensibus externis ad intellectum, mentemque resiliunt. Itaque verba Salomonis sic expendit. *Sicut aquarum facies, id est, sicut imagines, quæ in aquis resplendent, ad facies, id est, ad veros, naturalesque hominum vultus referuntur, ita nimirum (hæc de suo addit Caietanus) ut in potestate hominis sit aquas respicere, ubi autem illas intuitus est, non possint non ex aquis ad oculos forme redire.* *Sic cor hominis ad hominem,* cor hominis appellat cogitationem, prout ex sensibus externis ad intellectum transit. Quasi dicat: ita species ab exterioribus obiectis acceptæ ad mentem pertranscunt; quamuis enim liberum sit homini sensus suos defraudando hiscè speciebus catere; tamen ubi sensibus data licentia est, non possunt non ex his ad intellectum fallaces imagines redundare. Itaque Salomon ex mente Caietani suadet homini, uti sensus externos coercet, & ab obiectis prohibitis omnes contineat, ne cor, animusque ab illis perinde eludatur, ac decipiatur, sicut formæ ex aquis, vel speculis resultantibus oculos fallunt. Non probo.

111 Caiet.

E Quarta expositio est Varabli, qui præmissam

112 Varabl.

Originalem lectionem sic exponit. *Sicut aquarum facies ad facies, sic cor hominis ad hominem*, id est, sicut in ipsa aqua vultus vultui respondet, ita cor hominis cordi hominis: quasi dicat; sicut vultus, qui in aquis apparet, similis per omnia est vultui eius, qui aquam intuetur, ita etiam cor vnius hominis similis est cordi alterius, atque adeò quilibet homo ex suo ipsius corde de aliorum cordibus discernere, & statuere potest. Non acquiesco.

113

Gen. 1.

Quinta interpretatio non inelegans Primitiue lectionis, per *facies aquarum*, ipsas aquarum superficies accipit, iuxta illud Genes. 1. *Et spiritus Domini ferebatur super aquas.* Hebr. *super facies aquarum*. Itaque sic aiunt. *Sicut facies aquarum ad facies*, id est, quemadmodum superficies aquarum ad excipiendas facies. Profectò inter specula nitida, & deterfa, atque inter aquas id discriminis versatur, quod aquarum superficies mobiles cum sint, ac lubricæ, inconstantes etiam ac mobiles, & vix ad spectabiles imagines oculis offerunt, at verò specula solida, & firma, immobiles, & constantes, ac firmas species reddunt. Hinc ergo duplicem sensum exprimere licet. Prior est: quemadmodum facies in aquis expressæ cum ipsismet aquis mouentur, & instabiles sunt, atque adeò vix, ac ne vix quidem videri se sinunt; ita etiam *cor hominis ad hominem*, id est, eodem modo vnius hominis cor, & animus, alteri homini non omnino patet. Quasi dicat: vnus homo alterius hominis animum assequi mente, & cogitatione non potest, quia cum homo à natura sua mobilis sit, & mentem sententiam, imò etiam mores in singulos dies mutet, nulla ipsi facies constans ac firma inest, ex qua illum agnoscere, atque animum illius deprehendere liceat.

114

Posterior sensus est eiusmodi. *Sicut facies aquarum ad facies*, id est, sicut in mobilibus, ac lubricis aquarum superficiebus facies quoque in illis expressæ similem ad modum mobiles, & inconstantes sunt: ita etiam *cor hominis ad hominem*, non quidem alterius hominis, sed ipsiusmet hominis. Quasi dicat: ad eundem modum cor hominis suo opte ingenio instabile, neque in sententiis suis, neque in moribus, & affectibus constantiam, & firmitatem habet. Hanc humani cordis instabilem mobilitatem pulchrè describit Basilus in lib. de virginitate non longè à principio. *At sicuti lapis in aquam cisternæ coniectus non solum adiacentem aquæ partem, in qua concidit, agit: verum orbem alios per potius vicibus excitans, eos nimirum ad ultimos lacunæ margines agitando perducit: ita lasciuus obtutus, vel sermo voluptatis delinens illecebris in virginis animam, velut in vnda purissimam, vehementer iniectus, alias post alias cogitationes amatorias excitat, totamque eius, qui fecit imaginem sanctam fluctibus agit.* Id ergo quod Basil. de imagine Dei, quæ ab ipsomet Deo animis nostris à tuæ conditionis initio impressa fuit, affirmat, eodem modo de quibuslibet aliis imaginibus, aut formis, quas postea per vsum, disciplinam, aut etiam per mores comparauimus, cogitare licet: has enim per assiduas animi perturbationes moueri, agitari, variari, & permutari necesse est. Nec dissimile est illud Virgil. 8. Æneid.

Virgil.

*Talia per Latium, quæ Laomedontius Heros
Cuncta videns magno curarum fluctuat æstu;
Atque animum celerem nunc huc, nunc diuidit
illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versas.*

A *Sicut aqua tremulum, labris ubi lumen ahenis
Sole repercussum, aut radiantis imagine lune,
Omnia per uolitat late loca, iamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia cæli.*

Sed his omissis, quæ à nostra lectione longè abeunt, eius germanum sensum perscrutemur.

Sexta igitur huius loci expositio, quam Lyræ, Hugo, Dionysius, Arboreus in Vulgatam lectionem coniiciunt, sic habet. *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Id est, quemadmodum homo in perlucida, stagnanti, & immota aqua faciem suam clarè, ac perspicuè intuetur: ita etiam non minus clarè ac perspicuè vir prudens aliorum hominum corda introspicit, atque mentem, animumque percipit. Hæc comparationis accommodatio ad hunc modum accepta parum apta quibusdam videtur. Quid enim, inquit, habet visio propriæ formæ in aqua, cum cognitione alieni animi? Hugo ergo huius accommodatio vim in eo sitam voluit, quia sicut in ipsa aquarum superficie homo seipsum intuetur, ita etiam vir sapiens ex his, quæ exterius, velut in superficie hominis, apparent, ad internos sensus peruenit, & latentia penitus studia assequi solet. Alij comparationis energiam aliunde petunt: aiunt enim in utroque Hemistichio *sapientem* repetendum esse hoc modo. *Quomodo in aquis resplendent sapienti vultus prospicientium,* id est, quemadmodum expressæ sui, vel aliorum, formæ, & imagines in aqua sapientem non deludunt, quippè qui probè nouit eas formas non esse veras sed vmbrales: *Ita etiam corda hominum manifesta sunt prudentibus*, quia nimirum illos apparentiæ, & vmbrae exteriores virtutis, aut honestatis nequaquam decipiunt: quidquid enim fucatum, ementum, & adulterinum est, sapientibus, & prudentibus non facit imposturam. Huc spectat Narcissi fabula quæ stultos, atque vecordes homines perstringit, quos scilicet vana, & inania rerum spectra deludunt, de quâ Nazianzenus in carmine ad Vitilianum, sic cecinit.

115

Lyræ,

Hugo,

Dionys.

Arbor.

B *Et sicuti lapis in aquam cisternæ coniectus non solum adiacentem aquæ partem, in qua concidit, agit: verum orbem alios per potius vicibus excitans, eos nimirum ad ultimos lacunæ margines agitando perducit: ita lasciuus obtutus, vel sermo voluptatis delinens illecebris in virginis animam, velut in vnda purissimam, vehementer iniectus, alias post alias cogitationes amatorias excitat, totamque eius, qui fecit imaginem sanctam fluctibus agit.* Id ergo quod Basil. de imagine Dei, quæ ab ipsomet Deo animis nostris à tuæ conditionis initio impressa fuit, affirmat, eodem modo de quibuslibet aliis imaginibus, aut formis, quas postea per vsum, disciplinam, aut etiam per mores comparauimus, cogitare licet: has enim per assiduas animi perturbationes moueri, agitari, variari, & permutari necesse est. Nec dissimile est illud Virgil. 8. Æneid.

C *Et sicuti lapis in aquam cisternæ coniectus non solum adiacentem aquæ partem, in qua concidit, agit: verum orbem alios per potius vicibus excitans, eos nimirum ad ultimos lacunæ margines agitando perducit: ita lasciuus obtutus, vel sermo voluptatis delinens illecebris in virginis animam, velut in vnda purissimam, vehementer iniectus, alias post alias cogitationes amatorias excitat, totamque eius, qui fecit imaginem sanctam fluctibus agit.* Id ergo quod Basil. de imagine Dei, quæ ab ipsomet Deo animis nostris à tuæ conditionis initio impressa fuit, affirmat, eodem modo de quibuslibet aliis imaginibus, aut formis, quas postea per vsum, disciplinam, aut etiam per mores comparauimus, cogitare licet: has enim per assiduas animi perturbationes moueri, agitari, variari, & permutari necesse est. Nec dissimile est illud Virgil. 8. Æneid.

D *Et data sit priscis per casus fabula nostros,
Quidam olim formæ ipse sua correptus amore
In fontem insiliit, pulchrique ex oris inani
Exilium traxit speculo, mortemque pudendam.*

Non ita sapientes, & prudentes, qui inter vmbra, imaginisque rerum, resque ipsas probè discernunt.

Nazian.

116

Sed quamuis præfato modo non sine aliquo lepore similitudo adaptatur: nihilominus tamen præstat (me iudice) septima interpretatio Iansenii, & Rodolphi, quæ non de cognitione aliorum, sed de sui ipsius notitia hunc locum sic edisserit. *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium*, id est, quemadmodum homo in profundum & candidum fontem intuens, per sui formam, & imaginem inibi impressam, seipsum, vultumque suum, & eius maculas, neuosque perspicuè agnoscit: *Ita etiam corda hominum manifesta sunt prudentibus*, non quidem aliorum hominum, sed ipsorummet sapientum, ita vt sensus sit: ad eundem modum corda hominum prudentum ipsismet prudentibus comperta sunt. Quia nimirum viri prudentes, & gnari, ad sua ipsorum corda & conscientias mentis oculos intendentes, semetipsos perspicuè agnoscunt, atque suos defectus, seu errores

Iansen.

Rodolph.

clarè admodum deprehendunt. Et sanè Salomon ideò propriam cuiusque conscientiam cum aqua potius composuit, quàm cum speculo: quia speculis quibusdam inest dolus, & fraus. De speculorum fraudibus legendus Augustinus epist. 150. ad Nebridium, & Plinius lib. 33. ca. 9. vbi alia esse dicit, quæ rerum formas augent, alia quæ imminuunt, & extenuant. alia item, quæ ex vna tantum forma imaginum populosam multitudinem reddunt: & de aliis alia satis admiranda pronuntiat. Non ita aquæ, & fontes, quos naturæ ipsius specula appellauit Aristoteles, vera nimirum, ac minimè fallacia. Audiendus certè est Seneca Naturalium quæstionum lib. 1. cap. 17. Quorsum, inquit, pertinuerit hanc comparare materiam excipiendarum imaginum potentem? non in hoc fertur, ut ad speculum barbam, faciemque velleremus, aut ut faciem viri pollueremus; At subinde inuenta sunt specula, ut homo ipse se nosceret: Multa ex hoc consequuta bona: primo sui notitia, deinde & ad quædam consilium. Formosus, ut vitaret infamiam: deformis, ut sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset: inuenis, ut in flore ætatis admoneretur illud tempus esse discendi, & fortia audendi: senex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit nosmetipsos videndi. Fons cuique perlucidus, aut laucis axum imaginem reddit.

Nuper me in littore vidi

Cum placidum ventis stare mare.

Qualem fuisse cultum putas ad hoc speculum se comitantium? At illa simplicior, & fortuitis contenta nondum in vitium beneficium detorquebat, nec inuentum naturæ in libidinem, luxumque rapiebat. Ergo ab his naturæ speculis candidissimis, atque verissimis similitudinem optimam ducit Salomon, ut homines ad sui cognitionem exacuatur, præcipiens ut perinde se in suismet cordibus, conscientis que introspectant, sicut in fontibus imagines reddentibus nostras contemplamur formas. In qua comparatione illud præterea notandum, aquam, ut imagines reddat, puram, & candidam, adde etiam placidam, & quietam esse oportere, ut ex dictis liquet: non aliter animus, & conscientia, ut suam cuique formam offerat, & ad sui cognitionem informet. munda primùm, dein quieta, & imperturbata esse debet.

Reliquum est, ut de translatione Thargum, & Ixx. aliquid subiiciamus. Septuaginta enim sic habent. *Sicut non similes facies faciebibus, ita neque cogitationes hominum.* Desiderabis fortasse aquas in hac lectione Ixx. sed rationem reddidit non iniucundam nouus interpres, qui dixit, Ixx. interpretibus ita visum, Salomonem loqui de faciebibus, quas aqua eluit, atque omne linimentum detergit. Itaque sic aiunt, id est, quemadmodum facies inter se dissimiles, ita etiam sententiæ. Respondet hæc parabola illi peruulgatæ paræmia. *Quot capita, tot sententiæ.* Mirum sanè quàm dissimilares sunt hominum facies, nulla est cuius forma cum alia penitus concordet: eapropter Aristoteles in Problematis sect. 36. homines potissimum de facie agnosci ac dignosci dixit, cum tamen ex aliorum membrorum formis vix vnus ab altero discerni queat. Sed elegantissimè hac de re Augustinus de Ciuitate lib. 21. c. 8. *Quis enim, inquit, consultata ratione non videat in hominum innumerabili numerositate, & tanta naturæ similitudine valde mirabiliter sic habere singulos suas facies, ut nisi inter se similes essent, non discerneretur eorum species ab animalibus cæteris, & rursus nisi inter se dissimiles*

A essent, non discernerentur singuli à singulis. Quos ergo similes confitemur, eosdem dissimiles inuenimus. Sed mirabilior est consideratio dissimilitudinis: quoniam similitudinem iustus videtur exposcere naturæ communis. Et tamen quoniam quæ sunt ræta, ipsa sunt mira, multò magis admiramur, quando duos ita similes reperimus, ut in eisdem cernendis, aut semper, aut frequenter erremus. Ait ergo Salomon: non minor cogitationum, sensuum, atque opinionum diuersitas, quàm facierum & vultuum: ita ut non minus mirabile sit duos in eadem sententiam conspirare, quàm duos vultu non esse dissimiles. Audi Persium.

Nulle hominum species, & rerum discolor usus.

Velle suum cuique est, nec voto viuatur vno.

Potest etiam sensus aliter institui hoc modo. *Sicut non similes facies faciebibus, &c.* id est, qualis quisque sit, & quid sentiat, ex facie illius comestati licet, nam dissimiles facies, quas vnus atque idem homo passim euariat, diuersas illius cogitationes, & studia prodit: diuersæ quoque in diuersis facies animorum etiam, atque morum dissimilitudinem innuunt. Facies enim animi index. Legè Aristotelem in physiognomia cap. de facie, & fronte, in his enim præcipua morum, ac studiorum documenta à natura obsignata multis declarat. Ambrosius verò de Helia & ieiunio ca. 10. sic habet. *Index facies plerumque est conscientia, & quidam tacitus sermo mentis, cum aut peccato compungimur, aut integritate letamur.* Et subinde. *Exterminat faciem suam, qui aliud corde gerit, aliud foris fronte præterdit.* Nos non velut quodam peripetasmate operiamus, quod intus est, foris luceat: quod foris est, intus operetur.

Chaldaus verò sic extulit. *Sicut aqua, & sicne vultus, qui non sunt similes adinuicem, sic cor filiorum hominum non est inter se simile.* Et sanè hæc translatio elegantem quandam, sibi que propriam energiam continet hoc modo. Sicut vna eademque aqua, cum plures in eam intuentur, singulis singulos, ac diuersis diuersos vultus reddit: ita etiam vnum atque idem negotium, vna atque eadem quæstio, singulis item singulas, & diuersis diuersas opiniones, ac sententiis ingerit: ita ut nullus cum alio penitus concordet. Ad quem sensum (me iudice) vocanda est etiam translatio Sept. & aqua, quæ in textu desideratur, supplenda. Audiendus Euripid. in Phœnicis:

Cunctis idem sepulcrum, & egregium forer,
Nulla esset anceps hominibus contentio.
At nunc simile nil, idem mortalibus
Nisi verba forsan inter ipsos concinunt,
Et in re, factisque conuenit nihil.

XX. Infernus, & perditio nunquam implentur: similiter & oculi hominum insatiabiles.

*I*nfernus & perditio, &c. Hebr. *Sepulcrum, & perditio non saturantur, & oculi hominum non saturantur.* LXX. concinunt cum Vulgata lectione. Profectò hic versus similis per omnia est illi, qui occurrit infra cap. 30. vers. 15. & 16. vbi sic habes. *Tria sunt insaturabilia.* Et statim primo loco, *Infernus, & os vulua, &c.* Vide ibi multa ex quibus sententiam illustrare licet.

XXI. Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis.

120

Quomodo, &c. Hebr. Conflatorium argento, & caminus auro, & vir secundum laudem suam. Sententia tamen non dispar. lxx. Probatio argento, & auro ignitio, vir autem probatur per os laudantium eum.

Beda.

De hac sententia omnibus interpretibus vna eademque mens, qui verba ita, vt sonant, accipienda putant. Beda quidem sic habet. *Quomodo probatur, &c. Laus quippe iustos cruciat, iniquos vero dum extollit, improbos monstrat.* Et quidem si verba huius doctoris ad libram euoces, agnosces planè illum de probatione auri & argenti, quæ igne fit, ita locum istum intellexisse, vt quod in hac probatione præcipuum est, scilicet ponderatio, & examinatio, quæ per trutinam fit, potissimum oblectauerit. Nam ad explorandum aurum, argentumve, primum quidem exactissimè librâ expenditur, deinde igni traditur, rursus ad trutinam redit: si vero tunc antiquum pondus nihilo leuius effecit, tam aurum quam argentum purum esse comprobatur: quod si pristinum pondus imminuit, atque ad eò ipsum libra eleuat, impurum, ac fordidum esse dignoscitur. Hæc igitur fuit Bedæ mēs. Laus, inquit, iustos sicut aurum in conflatorio cruciat, non tamen exterit: at verò improbos quemadmodum in libra, eleuat, extollitque. Et sanè hoc potissimum in laudibus humanis experimentum de se quisque sumere debet, vt videat, an post laudes ad suæ æstimationis, & opinionis trutinam iterum vocatus, ipsum commendatio leuiorem fecerit: si enim laus illum cruciat tantum, non verò extollit, iustum: si autem eleuat, & tumidum reddit, improbum se atque iniustum existimare debet. Iustus planè Augustinus, quem humanæ laudes non extollebant, sed magis grauabant: nam in sermone 5. de verbis Domini sic scribit. *Laudes istæ vestra grauant nos potius, & in periculum mittunt. Toleramus illas, & tremimus inter illas.* Hoc humanæ laudis præcipuum nocuumentum attingit Seneca de ira lib. 2. *Laus, inquit, crescit licentia, spiritus assurgit si laudatur, & in spem suam bonam adducitur: sed eadem ista insolentiam, & iracundiam generant.* Sed de damnis, quæ humana laus adportare solet luculentius ex Theodoro Antonius Monachus in melilla sermo. 51. *Multis sæpè hominibus nocet laudatio: eleuat enim, laxatque animi vigorem, & cursum impedit. Et aliquis ipsum curricula finem se consequutum existimans (hæc enim per suasio per laudem sese insinuat) currere desinit, & victoriam perdit.* Et ex Nazianzeno etiam illud subnectit. *Nimiam laudes redigunt aliquos homines ad summam elationem.* Mitto alia detrimenta, quæ laus, & commendatio hominum afferre consuevit.

August.

Seneca.

Anton.

121

Gregor.

Et præclarum, elegansque huius loci commentarium subiicitio ex Magno Gregorio lib. 22. Moral. c. 5. vbi scribit. *Qua in re necesse est, vt cum audientium utilitati non proficit laus nostra, mentem nostram fama laudabilis non eleuet, sed fatiget.* Et subinde post pauca. *At contra si cor veraciter humile est, bona, quæ de se audit, aut minimè recognoscit, & quia falsè dicuntur, metuit: aut certe si ad esse ea sibi veraciter scit, eo ipso formidat, ne ab aterna*

A Dei retributione sint perditæ: pauet enim vehementer, ne spes futuri muneris in mercedem reputetur transitorij fauoris. Quia exire agitur, vt electorum animus magno laudum suarum igne crucietur, atque ab omni corporis sui rubigine merore cogitatione excoquat: cauta enim consideratione trepidat, ne aut de his, de quibus laudatur, & non sunt maius Dei iudicium subeat, aut de his, in quibus laudatur, & sunt, competens premium perdat. Vnde plerumque fit, vt sicut iniustus ex laude sua polluitur, ita vir iustus audita sua laude purgetur. Nam dum bona quæ egit, ab hominibus profertur cognoscit, subtile contra se, vt dictum est, extremi iudicii examen metuit, ac trepidus ad conscientiam recurrit, & quidquid illic inest reprehensibile corrigat. Dum enim bona sua innotuisse formidat, subtilitatem secuturi examinis pertimescens, si qua in se mala occulta sunt, amputat. Pauet namque si talis Deo non ostenditur, qualis ab hominibus putatur, & neque contentus est, vt in quo potuit innotescere, in hoc debeat remanere: tam enim de bonis suis quasi retributionem sibi factam aestimat nisi eis & alia, quæ ab hominibus nesciuntur, adiungat. Vnde bene per Salomonem dicitur, *Sicut probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ita probatur homo ore laudantis.* Argentum quippe, vel aurum, si reprobum est, igne consumitur: si probum verò igne declaratur: sic nimirum est & sensus operantis: Nam qualis sit in eo quod laudatur, ostenditur. Si enim se auditis suis laudibus extollit, quid iste aliud quam aurum vel argentum reprobum fuit, quem videlicet fornax lingua consumpsit? si autem fauores suos audiens ad superni iudicii considerationem redit, ac ne de his apud occultum arbitrum grauetur, metuit, quasi expurgationis igne ad magnitudinem claritatis excrescit, & vnde incendium trepidationis sustinet, inde clarior effulget, &c. Hactenus Greg. cuius commentarij elegantiam nemo non suspicere & admirari debeat.

B

C

D

E

Sed dum illius verba attentius cogitationis libra expendo, duos quidem gradus agnosco eorum, qui humanas laudes sine detrimento accipiunt: alter est illorum, qui acceptis laudibus non mutantur, nec in deterius abeunt: aliud verò eorum, quibus per humanas commendationes non parum honestatis, & probitatis accrescit. Id verò suauis mihi vt verba Salomonis penitus rimarer.

D Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, &c. Certè inter aurum, & argentum, cum vtrumque igni excoquendum datur, hoc interest, quod aurum quidem etiam purgatissimum, cum in conflatorium venit, non quidem exteritur aut imminuitur, tamen illi nihil accrescit. Argentum verò non item: quia vt igni tradatur, ne ignis vrendo ipsam argenti substantiam, vt fieri solet, imminuat, aliqua plumbi portio ipsi fusioni admisceri solet. Quapropter cum plumbum, vt communis aurificum existimatio fert, nunquam non argenti aliquid contineat, sæpè accidit vt post fusionem, dum id argenti, quidquid ex plumbo relinquitur, antiquæ massæ adhæret, ad pristinum pondus aliquid accedat. Vtramque igitur probationem, siue auri, siue argenti, imitantur iusti laudibus humanis excocti: aut enim tanquam aurum defæcatissimum per laudes initum nihil amittit, aut tanquam argentum ex conflatione eorundem laudum magis, ac magis crescit, iuxta illa Gregor. verba. *Tam enim de bonis suis quasi retributionem sibi factam aestimat, nisi eis, & alia, quæ ab hominibus nesciuntur, adiungat.* Vtrumque sanè gradum, & eorum, qui auditis laudibus non decrefcunt, neque mutantur, & eorum, qui in

122

NAZIANZ.

melius proficiunt, expressit alter Gregor. s. Nazian. in oratione 14. de pace, vbi quomodo ipse inter laudes, & vituperia immutatus, & inuariatius perstaret exponit his verb. *Nec item me vel laudatores, vel vituperatores immutabunt* (quemadmodum qui cæno unguentum, aut unguento cænum admiscent, & per mixtionem qualitates confundunt) *ut s. maledicos sermones tanquam à me ipso mutatus grauius, & iniquo animo feram.* Et infra. *Quod enim sum, hoc maneo, siue maledictis afficiar, siue laudibus in calum vebar.* Idem etiam in oratione 20. de laudibus Basilij, incrementa, quæ ex laudibus accedere solent virtuti, rescribit his verbis. *Debetur quippe, ut si quid aliud, viris cum cetera egregijs, cum in dicendo copiosis, oratio. Quarum enim rerum laudes noui, earum quoque haud dubia incrementa explorata habeo, nec quidquam omnino est, quod non hac ratione augeatur.* Sed quænam isthæc incrementa, & accessiones, idem Theologus apud Antonium Monachum supra. *Præcipuum beneficium est in rebus honestis laudari: laus enim parit emulationem: emulatio virtutem, virtus saluam, &c.* Et Chrysof. ibid. *Laus enim propter egregia facta auget cupiditatem ad meliora, &c.*

Antonin.

Chrysof.

XXI. *Cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum inquirit scientiam.*

Hæc verba absunt ab Originibus, & in quibusdam etiam Vulgatis codicibus antiquis desiderabuntur: at nunc tandem in correctiori textu Vaticano iacent. Fuerant etiam olim expuncta à translatione lxx. atque ad eò in Complutensibus, Regijsque Bibliis non habentur, sed in Vaticana quoque translatione subscribuntur.

Sententia est perspicua. Salomon enim diuersa probi, atque improbi hominis studia exponit. *Cor iniqui exquirat mala*, id est, omnis ratio, & cogitatio viri improbi ad id spectat, vt malitiam, quam animo concipit, perficiat. *Cor autem rectum inquirat scientiam*: nomine scientiæ, aut sapientiæ, probitatem significari passim in hoc libro nemo nescit. Itaque, ait: Vir probus omne studium & animi sui conatus adiicit ad ea bona, quæ cogitauit exequenda. Vel aliter, vir improbus vt est ad malum procliuius, omnem mentis suæ cogitationem eò impendit, vt diuersa mala alia sub alijs adinueniat, quæ possit demùm exequi: at contra vir probus pro sua in honestatem propensione in id mente suâ incumbit, vt bona multa excogitet, in quibus sese exercere possit.

Sunt qui velint hæc verba cum superiori versu necti oportere: sed difficile nexum exhibent: nisi dicas his verbis significari diuersos effectus, quos laudes humanæ in diuersis præstant: nam improbi si laudentur ad perpetranda scelera audaciores fiunt: probi autem si commendentur, ad probitatem gnauim magis ac solertes redduntur. Sed tamen hæc leuiora sunt.

XXII. *Si contuderis stultum in pila sicut pisanas feriente de super pilo, non auferetur ex eo stultitia eius.*

Si contuderis, &c. Hebr. *Si contuderis stultum in mortario in medio* חרררררר *Harsiphob, in pistillo, non recedet de super stultitia eius.* Illud certè anceps, quid significet vox illa *Riphob*, de qua multa interpretum sententiæ. Noster quidem interpret *Pisanas* reddit, quæ vox significat hordei grana decorticata. Pagnin. *farrum conuertit.* *Si contuderis*, inquit, *stultum in mortario in medio farris contusi.* Et idem etiam in thesauro ex mente Rabi Abraham transtulit *triticeum contusum.* Sunt etiam qui hæc restituerint, *massas ficuum contusas*, ducti nimirum opinione lxx. Nam cum hæc vox bis tantum occurrat in libris sacris, hæc nimirum & 2. Regum 17. lxx. inibi *massas ficuum* reddiderunt: nam vbi nostra Biblia habent. *Tulit autem mulier, & expendit velamen super os putei, quasi siccaans pisanas*, Vaticani eodices Christiani retinent vocem originalem hoc modo. *Et siccauit super illud Riphob*, in Complutensibus autem & Regijs est. *Et siccauit super illud palathas*, id est, *massas ficuum*. Chal. legit. *Et siccauit super illud frumentum contusum.* Sanè originalis vox, *Riphob*, fluit à radice חרר *Ruph*, quæ significat conterere, aut comminueri, atque ad eò quæcumque rem contritam, & contusam notare videtur: hinc data interpretibus licentia. Dissident tamen ab omnibus alijs lxx. & Chald. nam illi sic restituerunt. *Si flagellaueris imprudentem in medio confessus inhonorans, non auferes imprudentiam eius.* Chaldæus verò sic habet. *Etiamsi percusseris stultum plagis inter cætos, idque pistillo, non transibit ab eo stultitia eius.* Qui certè putandi sunt omissa metaphora sensum tenuisse.

Huius loci sententia perspicua satis est: Salomon enim accommodatissimâ quadam similitudine ostendit, quàm sit difficile homini stolido stultitiam excutere, & illum ad prudentiam informare. Quapropter id tantum negotij datur interpreti, vt similitudinis huius vim, & energiam examinet. Dicam aliquid de exoticis translationibus.

Illi ergo, qui sic restituerunt. *Si contuderis stultum in pila sicut massam ficuum*, &c. non infulsam sententiam offerunt: nam similitudo sic conformari debet: Si quis ficum aliquam fatuam, seu euandam, cum magno dulcium ficuum numero pinfendo permiscere, & in vnâ massam cogere velit, facilè id obtinebit, vt fatuam ficum ad dulcium ficuum saporem traducat. Non ita stultum hominem, nam quamuis quis illum cum sapientibus vitis magno numero permisceat, & in eorum cætum immittat: nihil tamen sapientiæ, aut prudentiæ ab ipsis trahet, sed nihilò secius quàm antea, in sapientum conuentu desipiet. Itaque iuxta hanc lectionem parabola ista non per similitudinem, sed per dissimilitudinem explicanda est.

Quod si quispiam velit per similitudinem exponi debere, dicemus quidem similitudinem sumptam à ficis fatuis, seu malis: nam scriptura bonas & malas ficus agnoscit. Hierem. 24. & 29. Præmittere autem oportet id, quod docet Helychius in lexico ad hanc vocem *palathas*, nimirum dici massas ex ficis contusis, quæ olim

123

124

C

D

E

125

126

ad esum pauperum, & seruatorum, & ad medicinam pinsebantur. Ait enim apud Græcos in usu fuisse ex ficis siccatis prædulces quidem, & maximè bonas impermixtas dare: at verò non bonas, & fattas, in massas contondere, vt ea ratione macerata ad esum vilium hominum aptiores fierent. Et quidem (ni fallor), inter Hebræos, apud quos non minores ficorum prouentus erant, quàm apud Græcos, idem mos inoleuit, & vti ex Africanis didici, hodie ipsis solumne est ad eum modum ex deterioribus ficis massas cogere, ac compilare. Hinc ergo lucem accipit Hieremias: nam cum duos ficorum calathos à se visos per quicquam diceret, vnum quidem ex ficis valde bonis, alterum ex valde malis refertum, subdit, in his duplex hominum genus adumbratum, alterum eorum, quos Deus seruare, ac libertati donare decreuerat: alterum verò eorum, quos seruituti, & hostium potestati permittere apud se statuerat, ac de his quidem ita fatur. *Et sicut ficus pessima, quæ comedi non possunt, eo quod sint mala, sic dabo Sedeciam Regem Iudæ, & Principes eius, & reliquos de Hierusalem, &c. Et dabo eos in vexationem* (Heb. contritionem) *afflictionemque omnibus regnis terræ in opprobrium, & in parabolam, & in maledictionem.* Et rursus cap. 29. *Ecce mittam in eos gladium, & pestem, & famem, & ponam eos quasi ficus malas quæ comedi non possunt, eo quod pessima sint, & persequar eos in gladio, & in fame, & in pestilentia, & dabo eos in vexationem vniuersis regnis terræ, & in maledictionem, & in stuporem, & in sibilum, &c.* Itaque sensus Prophetæ sic habet: Sicut solumne est ficus malas pistillis contondere, & in massas subigere, & macerare, & quæ ita macerata, & subacta sunt, in vilium seruatorum cibos cedunt, quippè quæ ingenuis hominibus edules non sunt: Ita etiam Deus Sedeciam & sceleris eius confcios alienigenis gentibus conterendos, & subigendos tradet, & tanquam vilissimos homines cunctorum ludibriis exponet. Hinc ergo superiori lectioni lux affertur. *Si contuderis stultum in pila sicut palatham, id est, sicut massam ficorum, &c.* id est, quemadmodum qui ficus fatuas pinsunt, etiam illas multis ictibus macerant, nihilo dulciores, ac sapidiores easdem efficiunt: ita etiam, qui stultum flagellis ceciderint, aut grauioribus illum correptionibus percusserint, nihilo eundem sapienterem, aut prudenterem præstabit. Itaque desperatam stolidi hominis emendationem his verbis significat Salomon.

127

Pagnini.

Varro.

Plin.

Rosinus.

Secunda translatio est Pagnini, qui *farrem* conuertit hoc modo. *Si contuderis stultum in pila in medio farris, &c.* Et quidem *far*, à frangendo dictum, vt putat Varro, quia nimirum in pistillis contulim cominuebatur. Et nobilissimas Pilonorum, atque Pisonum familias apud Romanos, illam quidem à pilo, quo frangebantur farra: hanc verò ab eisdem farris pinsendis cognomina tulisse affirmat Plinius lib. 18. capite 3. Farris verò in mortario ad tundendum congesta copia *farrago* dicebatur, & inde per metaphoram, vt tradit Rosinus, *farrago* dici conuenit infima plebs, id est multitudo & fax populi, quæ propterea eo nomine censebatur, quia ipsam, tanquam *far*, tundi oportebat, vt reipublicæ utilis esset. Ait ergo Salomon, si stultum in medio farraginis pilo feriente fortiter contuderis, non abiiciet stultitiam suam: quod ita licebit accipere, si stultum hominem cum reliqua plebanorum hominum farragine concusseris, id est, si illi sordidissima illa supplicia, & turpes plagas intuleris, qui-

bus sordidissimi homines affici consueuerunt, non tamen illi stultitiam & stoliditatem excuties.

Tertia translatio Rabi Abraham, & aliorum, sic habet, *Si contuderis stultum in medio triticorum, &c.* alia etiam est huius similitudinis facies, quæ (me iudice) elegantia & lepore reliquis non cedit. Potest autem sic conformari: Quemadmodum si triticum in pistirino pilo tundente comminueris non statim abiicit fursures, & purgamenta, sed ulterius excerniculo opus est, vt similia & farina fursures deponat, ita etiam si quemlibet stultum seuerius percusseris, & acrius obiurgaueris, non tamè propterea stultitiam exuet suam, sed ad percussiones & obiurgationes aliqua etiam instructio, & disciplina adhibenda est, quæ informat stoliditatem veluti excernat, excutiatque.

Quarta lectio est Aquilæ, & Theodot. *Si cedas stultum in pila in medio pistorum in pistirino.* Vt huic lectioni lucem paremus notandum est, apud veteres multæ loco fontibus id imponi solitum, vt in pistirinum truderentur ad commolenda pilis frumenta. Terentius in Heaut. seruum quendam *pistirino dignum* appellat. Et in Andria vsus est eo dicendi modo. *Dedere aliquem in pistirinum vsque ad mortem.* Tullius de oratoribus. *Oratorem, inquit, in iudicia tanquam in aliquod pistirinum detrudi, & compinsi videbam.* Rursus in eodem libro. *Tibi mecum in eodem pistirino est, Crasse, viuendum.* Et ad Quintum fratrem inter alia supplicia, quæ sceleratis hominibus inferri solebant, numerat *detrudi in pistirinum.* Et quidem id poenæ datum est Samsoni à Philistæis, Iudicum 16. vbi sic habes. *Et clausum in carcere molere fecerunt.* De hac etiam loquitur Propheta Isaias cap. 47. *Tolle molam, & mole farinam, denuda turpitudinem tuam, &c.* Et quidem (nisi fallor) duplex erat ratio detrudendi in pistirinum: Aut enim in eum locum sons aliquis deportabatur, vt frumenta pilis contunderet: erat etiam opus hoc laboris ac fatigationis ingens: aut etiam ipse in mortaria iaciebatur, vt pilis subigeretur, ac tunderetur: quod multæ genus innunt verba Tullij supra data. *Et tanquam in aliquod pistirinum detrudi, & compinsi videbam.* Ita lego non *compinsi*, vt doctiores emendant. Pende illud *compinsi*, quod sonat pistitundi ac percelli. Nec non etiam illa Terentij. *Dedere in pistirinum vsque ad mortem.* Quæ verba non obscure innunt ab hoc supplicio alios quidem ad mortem vsque, alios verò leuius ad emendationem tundi solitos. Ait ergo Salomon. *Si cedas stultum in pila in medio pistorum in pistirino, &c.* Quasi dicat: etiam si hominem stultum pro meritis in pilam mittas, vt à pistiribus, vel pinforibus pilo desuper feriente tundatur, non tamen illi stultitiam auferes, ita illi infita, & innata vercordia est.

E

Rursus illud etiam constat, seruis, ac sceleratis hominibus, qui ob noxiam aliquam in pistirinum trudebantur, instare quempiam pistirini præfectum, qui eosdem virgâ, aut verberare ad laborem acueret. Ita docet Budæus ad legem *Si fornicatorius*. ff. ad legem Aquiliam. Et ad hunc sensum reuocari possunt verba Tullij. *Et tanquam in aliquod pistirinum detrudi, & compinsi videbam.* Id est, tanquam sceleratus aliquis in pistirinum mitti, & inibi ab instante pistirini præfecto cædi atque tundi mihi videbar. Hinc ergo sensus alter superioris lectionis sese dat ad hunc modum, *Si cedas stultum in pila in medio pistorum in pistirino.* Id est, si stultum in pistirinum ad molendas fruges

128

Rabi Abraham.

129

Aquilæ Theodot.

Terent.

Cicero.

Iudic. 16.

Isaiæ 47.

130

Budæus.

Cicero.

detruferis, & insuper illi aliquem præficias, qui crebris virgarum, aut flagellorum ictibus illum ad laborandum compellat, ne id quidem satis erit ad stultitiam illi excutiendam. Venio ad Vulgatam lectionem.

131 *si contuderis stultum in pila, sicut ptisanas feriente desuper pilo, &c.* Duplex huius lectionis interpretatio sese prodit: altera, quæ mihi ante alias probatur, petitur ex his, quæ nuper diximus, scilicet à fontibus in pistrinum missis, à quibus id supplicij exigi solitum, ut in pilis coniecti pistillis tunderentur. Ait ergo Salomon: si stultum quempiam in pilam detrusum, tanquam ptisanas, vel hordeum, ut de more est, pistillo feriente contuderis, nequaquam illi ingenitam vecordiam, & stoliditatem ademeris. Quod si huius antiqui supplicij observatio non placet, aliam expositionem subiicio ex ipsius hordei natura petitam: nam illud quidem hordei maximè proprium est quod vaginam, & corticem, seu aristas non aliter abiciat, vel extiat, nisi in pistrino. Hinc natum illud vulgare apud veteres, *hordeum in pistrino excernit aristas*: cuius meminit Aristophanes in Aulibus. Iam intelligis quò tendam? *Si contuderis stultum in pila sicut ptisanas*: est autem ptisana, ut iam adnotavi, hordeum decorticatum exutis iam aristas. Ait ergo Salomon, si contuderis hordeum in pistrino pilis ferientibus, corticem & aristas illi demùm excuties, & ptisanam facies. At verò licet stultum flagellis & verberibus assiduò tundas, & percellas, tamen illi stultitiæ corticem, sordidamque vaginam nequaquam ademeris. Utraque expositio idonea est.

Aristoph.

132 LXX. verò sententiam tenentes similitudinem missam fecerunt, sic enim restituunt. *Si flagellaueris imprudentem in medio confessus in honorem, non auferes imprudentiam eius.* Qui ex similitudine pistrini, & pistilli desumpserunt verbum illud *in honorem*, quia in pistrinum detrudi supplicium erat seruorum, ac sordidissimorum hominum: & quidem (ni fallor) lxx. adlusum putarunt ad veterem flagellandi morem. Fuit enim olim apud Hebræos solemne reos alicuius criminis coram ipsiis iudicibus pro tribunali sedentibus virgis percelli. Deuteron. 25. *Iudices impium condemnabunt impietatis: sin autem eum, qui peccauit, dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari: pro mensura peccati erit verberum modus, &c.* Quapropter similitudinem pistrini hunc ad modum accommodasse videntur. Si quemadmodum pistores hinc & inde, circa pilam sedentes, hordeum, aut frumenta pistillis maccant ac tundunt: sic etiam stultum ad concilium vocatum seueri iudices virgis ac verberibus à suis ministris subigi faciant: non tamen illi stultitiam adimere poterunt. Eundem sensum reddit paraphrasis Chaldaica.

Deut. 25.

133 Ex dictis constat, quod licet diuersæ sint similitudinis accommodationes iuxta diuersas huius loci translationes, tamen omnes eò spectant ut significant, stultos flagellis aut verberibus nequaquam emendari, & ad prudentiam traduci, ac desperatam stulti hominis eruditionem notari putant. Hinc spectat illud satis elegans dictum apud Suidam. *Etsi amissæ scapulas perdidideris aquam pinsens, semper sibi similis aqua manet.* Sumptum à remigibus: qui palis quidem remorum assiduus ictibus aquas pelagi quatiunt, & tamen nihilo sedationes redduntur. Accinit etiam illud Luciani in Heremotino. *Sicut si quis in mortario aquam immissam pistillo ferreo tundat, hæc enim contusa re-*

Suidas.

Lucianus.

fluit quidem. Sed tamen hominis stulti per quam indocile ingenium ne quidquam informari, atque adeo deferendum esse, pulchrè admodum scribit Petrarca Dialog. 41. *Sic habet, Omnes qui sunt, & qui erunt, aut fuerunt virtutibus clari, non posse unum ingenium accendere nisi aliqua intus in animo scintilla sint, quæ præceptoris spiritu excitata, & adiuta, generosum disciplinæ fomitem arripiant; alioqui algidum in cinerem ne quidquam flabis.* Simile est illud Anuli in Picta poësi.

Petrarcha.

*Indocile ingenium si pergas velle docere,
Infelix operam perdes: ut si quis asellum
In campum doceat parentem currere franco,
Qui cum quadrupedum in morem videatur
equorum
Tollere posse caput, gressus glomerare superbas,
Hunc tamen aut si enis, aut si calcariis urges
Auriculas demittit iniquæ mentis asellus
In terram, & pedibus posticis calcurat. Ergo
Desine, Nam nunquam ars naturam vincit, equusque
Nusquam ex degenerare fiet generosus asello,
Et nunquam ex stolido cordatus fiet in arte.*

Anulus.

Extat etiam illud Nazianzeni in carmine ad Nicobulum.

Nazianz.

*Quid prodest asinis auri gestare talenta.
Auri namque etiam nummis oneratus asellus
More rudis tamen ipse suo.*

Quem Theologi locum nouus auctor hic verfa-uit. *Quid prodest asino hinnitum docere, nam propterea rudere non desinet.* Mitto alia.

Adde etiam per stultum intelligi posse hominem impium, cuius animus vlque adeo allueuit delictis ac criminibus, ut eius iam emendatio, & correctio desperata sit, quem apprimè describit idem Nazianzenus in iambico contra amatores opum.

*At destinata mente cum peccas, malo
Et gloriaris, & frequens, & maxima
Committis, irrisusque frontem perfricas,
Plagisque nec ullis effici melior cupis,
(Quis eruditur quisque vel miserrimus)
Nudoque capite feris in pericula, &c.*

Frustrà hinc plura.

XXIII. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.*

XXIV. *Non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur in generatione, & generationem.*

Diligenter, &c. Hebr. *Agnoscendo agnosce facies pecoris tui, & pone cor tuum ad greges, quia non in saculum fortitudo, & an corona in generatione, & generationem?* Sic habent Primitiua ad verbum. Dissidium translationum totum est in illis verbis, *non enim habebis iugiter potestatem*; nam pro potestate subest *יחזק* Chosam, quæ vox fortitudinem significat, potentiam, thesaurum, aut opes. Pagninus ergo sic conuertit. *Quia non in saculum diuitiæ sunt duratura.* Tigurina. *Neque enim perpetuus erit thesaurus, neque corona ad perpetuam posteritatem.* Chaldaus. *Quia non in perpetuum possessio, nec pax ad perpetuam posteritatem.* lxx. *Evidenter cognosces animas gregis tui, & applicabis cor tuum cuius armentis, quoniam non in saculo viro robur, & fortitudo, neque tradit ex generatione in generationem.* Aquila, & Theodot. *Pone cor tuum suis armentis.*

134

Circa expositionem vtriusque versus secti sunt duas in factiones interpretes; alij enim putant Salomonem ad Principes, atque prefectos populorum sermonem intendere: alij vero sincerius docent curam gregum, & armentorum, vitamque pastoritiam ab eodem commendari. Inter priores sunt Beda, Hugo, Dionysius, Arboreus, & alij; ex his autem Beda sic scribit. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera. Pastori dicitur Ecclesia, diligenter adhibe curam eis, quibus te praesse contigerit, agnosce animos, actusque singulorum, & si quid in eis vitij sordidantis inueneris, citius castigare memento: non enim tu semper oves Dominicas pascendi potestatem habebis, sed aeterna est corona, quam percipies, si commissum tibi gradum suo tempore bene ministraveris.* Ex Beda Salomon, Hugo, & alij transcripserunt. Sed grauitas huius interpretationis postulat, vt illam nequaquam per excursum transigamus.

135

Illud ergo certo certius, nullam esse functionem, quae bonos Principis mores, & rectam populorum gubernationem melius adumbret quam pastoris officium, & vita pastoritia. Hinc est illud Xenophontis lib. 8. Cyropaed. vbi de Cyro sic scribit. *Et eius oratio memorie prodita est, cum diceret similia esse opera boni pastoris, & boni regis: nam & pastorem decet id praestare, vt pecora habeant feliciter, & his vis (si tamen pecudum est felicitas.) Et Regem identidem decet vrbes, atque homines felices facere, & iis similiter vii.* Sed elegantissime de hac thesi Philo Iudaus, qui primum quidem in libr. de vita viri ciuilibus, siue de Ioseph, ita fatetur. *Cepit, inquit, in hoc genere versari Ioseph (id est in pastoritio munere) annos natus circiter 17. praefectus curandis gregibus, quae disciplina cum ciuili conuenit, & hoc est, opinor, cur Poeta Reges vocant pastores populi: nam qui summus est in arte pecuaria, facile bonus Rex euadet, pulcherrimo gregi hominum praepositus, approbata industria in minori negotio: si quidem quemadmodum futuro imperatori necessaria sunt exercitia venatoria: sic ad mouendis ad curam rei publicae propriae pastoritiae ars congruit, velut praebudium quoddam magistratum.* Eandem sententiam repetit in libro 1. de vita Moysis: sed quia ultra ea, quae haecenus praescripsimus, quaedam etiam in eo loco non iniucunda intermiscet, illud subicere etiam libet. *Post eas, inquit, nuptias praefuit gregibus ad Principatum sese preparans. Nam pastoritiae ars ad regnum est praebudium, hoc est ad regimen gregis mansuetissimi. Quemadmodum bellicosa ingenia praercentur in venationibus: in feris enim experiuntur futuri praefecti militiae, brutis praebentibus materiam exercitii tam belli, quam pacis tempore. Nam praefectura mansueti pecoris habet quiddam simile cum regno in subditos: ideo Reges cognominantur pastores populorum, non contumeliae, sed honoris gratia: imo, quantum ego intelligo, non iuxta vulgarem opinionem, sed rei veritatem vestigans (rideat qui vult) solus potest esse Rex vndequaquam perfectus, qui bene calleat artem pastoritiam, & curando minora animalia didicit quomodo debeat praesse praestantioribus: impossibile enim est vt magna prius, quam parua perficiantur. Idem etiam Philo sibi similis in libro de agricultura differentiam pastoris ac pecuarij pereleganter ad eam, quae inter Reges bonos & improbos intercedit, transfert his verbis. *Hos igitur, qui tali pecori assantim praebent quidquid desiderat, pecuarios vocabimus, & diuerso pastores dicimus illos, qui de-**

A lectu verum necessarium habito, quae commodissima sunt, has illi praebent, recessa, & amputata inutili, superfluaque copia, quae non minus nocet, quam inopia, quique modis omnibus prouident, ne grex neglectus in morbos incidat: imò vasa etiam faciunt, ne qua externa calamitas ingruat. In primis autem curam adhibent, ne grex vagabundus dispergatur, merum intentando non obtemperantibus rationi, & animaduersione utendo continua, mediocri quidem in errata sanabilia; seuera autem si his accedat contumacia. Haec sunt pastorum studia, qui voluptati noxia insuauem utilitatem praeserunt. Tanta certe cura pastoritiae honestas creditur & utilitas, vt Poetarum gens Reges soleat vocare pastores populi; sicut legislator sapiens dignatur hoc nomine eos, qui soli Reges veri sunt. Introduce enim eos praefectos tanquam gregis omnium hominum, qui affectu bruto raptantur: & ideo Iacob etiam ille meditatione perfectionem assequutus pastor est. *Pascit enim hic Labanis pecora, scilicet insipientis anima, quae nihil bonum arbitratur praeter ea, quae videt, sentisque coloribus, umbrisque fallacibus seruiliter dedita.* Et subinde postquam non pauca in hanc sententiam contexit, sic demum atexit. *Oportet autem sicut caprarum, aut bubulcum, aut opilionem, aut in commune pastorem intellectum nostrum, praesse semper, utilitatem pecoris voluptati praeserendo.* Caterum prouidentia Dei prima, & propè sola causa est, ne partes anima rectore careant, sed pastorem adipiscantur omnino bonum, & inculpabilem, quo praeposito impossibile sit dispergi, quae intellectus colligit. Necessum est enim eidem omnia comparare hoc ordine vnus nutum fluctantia, quandoquidem nihil est molestius quam parere multis imperatoribus. At pastoris officium res est tam praecleara, vt non Regibus, & sapientibus viris, & animis perfecte purificatis, sed etiam Deo rectori ornatum iuste tribuatur: id quod non aliquis è vulgè confirmavit, sed Propheta, cui nos decet credere, qui sacros hymnos conscripsit: sic enim loquitur Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. Lege ibi plura. Mitto Platonem, & alios, qui ex hac pastoris similitudine Regibus praeccepta dederunt, & ad Salomonem contendo.

D

Diligenter, inquit, agnosce vultum pecoris tui. Vim illius repetitionis, quae in Primitiuis videtur, scilicet, *agnoscendo agnosce*, expressit Vulgatus illis verbis, *diligenter agnosce.* Sensus autem est perspicuus, o tu quisquis Rex aut Princeps creatus fuisti, id agito vt omnes boni pastoris mores in te exprimas, atque adeo subditos tuos tanquam pulcherrimi, humanissimi, ac mansuetissimi gregis oves (haec enim nomina habent apud Philonem) *agnoscendo agnosce.* In sacris literis agnoscere aliquem, idem est quod ipsius prouidentiam suscipere. Psalm. 36. *Novit Dominus dies immaculatum, &c.* Et supra capite

E

12. *Novit iustus iumentorum suorum animas.* infra cap. 29. *Novit iustus causam pauperis.* Ait ergo. *Agnosce agnosce.* Id est, diligentissimam illis curam impende, & eorum prouidentiam summo studio suscipe. Nam hoc est praecipuum boni pastoris munus testimonio Christi Domini, Ioannis 10. *Ego sum pastor bonus, & agnosco oves meas.* Id est, earum per omnia prouidus sum. Subdit Salomon. *Tuosque greges considera.* In Originibus est. *Et applica*

Beda.

Xenophon.

Philo Iud.

136

Psalm. 36.

Ioan. 10.

plica

plica cor tuum ad greges. Cor in scriptura sacra aliquando mentem, aliquando voluntatem significat: si de mente capiamus, erit utique sensus; in cogitanda subditorum tuorum felicitate & incrementis mentem tuam assiduo exerce: si de voluntate intelligamus, erit sententia; subditos tuos dilige impensius, atque omni animi tui studio amplectere. Licebit etiam utramque, scilicet mentem, & voluntatem, nomine cordis accipere, ita ut doceat Salomon, tam mentem, quam voluntatem subditis impendendam esse a Principe, illam scilicet, ut de ipsorum felicitate cogitet; hanc vero, ut ipsos studiosissime admet. Attegit.

137

Non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur in generatione, & generationem. Sic Vulgatus; alij interpretes utramque clausulam per negationem extulerunt hoc modo. *Non enim habebis iugiter potestatem, neque coronans in generationem.* Iuxta quam translationem simplicissimus sensus euadit hoc modo, Subditis tuis, seu bonus pastor, diligentem curam impende, de eorundem felicitate cogita attentius, eosque gratia, amore, & benevolentia tibi obstringe. Nam si contra severitate ac crudelitate eosdem violaueris, fieri certe potest ut amissa potestate, ac deposito magistratu, & imperio, in priuatorum conditionem aliquando recidas, ac tunc quidem subditos, quos prius læseras, immanissimi nos hostes experire. Vel aliter, si erga subditos tuos morosum, grauem, & molestum te præbueris, *non habebis iugiter potestatem nec coronam*, &c. quia his læssis subditi, seditione facta, ab imperij solio te deiciunt, ac neque te, neque posteros tuos in se amplius regnare patientur. Aut denique sensus erit, pastori siue Principi, nihil operæ, curæ ac sollicitudinis prætermittendum est, quod subditis non impendat, quia non erit illi iugis potestas, nec perennis, ac perpetua corona, sed tandem aliquando pastorem ac Principem exuta potestate, ac deposita coronâ, ad Dei tribunal coram pastorum Principe sisti oportebit, ut imperij administrati rationem reddat, iuxta illud i. Petri 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei providens non coactè, sed spontaneè secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè; neque ut dominantes in clericis, sed forma facti gregis ex animo; & cum apparueris Princeps pastorum percipietis immarcescibilem gloria coronam.*

i. Petr. 5.

138

Hinc autem Vulgatæ nostræ lectionis germanum sensum aucupare licet. *Non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur in generatione & generationem.* Quasi dicat: o pastor ac Princeps, in curando subditorum tuorum grege nihil industriæ prætermittas, & labori nequaquam parcas, quia labor iste diuturnus non erit, sed ocyus deposito imperio ad Principem pastorum delatus immarcescibili corona donaberis. Pro verbis illis, *immarcescibilem gloria coronam*, in Græcis est, *ἀμαρραντίνου τῆς δόξης στέφανου*, *amarantinam gloria coronam.* Habes supra cap. i. versu 8. quid sit Amaranthus ex Clemente Alexandrino. Veteres enim quoddam floris genus commenti sunt ad coronas conflatas, quod Amaranthum, id est, *immarcescibile*, appellarent: putabant nimirum id tantum floris genus nullo ævo tabescere, ac marcidum fieri. Clemens ergo fabulosum hoc commentum ad veritatem sic traducit in Pedag. lib. 2. capite 8. *Pul-*

Clem.
Alex.

Tom. 2. part. 2.

abra enim Amaranti corona ei est reposita que se rectè gesserit. Hanc florem terra ferre non potest, caelum solummodo eum potest producere. At ergo Petrus; Quicumque Principatum geritis, & pastorem, laborisque plenam curam & industriam in subditos exercetis, incumbite in hanc rem magno studio, manet enim vos Amaranthina corona, id est, *immarcescibilis*, in calo. Quasi dicat; corona ista, quas tellus fert, tempore marcescunt, atque eas deinum mors in tabem soluit: at illa, quas pro labore in administratione subditorum posito tandem reportabitis, Amaranthina sunt, perennes, atque aeternæ. Id sibi volunt illa verba, *Non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur in generatione & generationem.* Potest etiam aliter Vulgata lectio interpretari hoc modo, ea sollicitudine; cura, quæ pastorem decet, satage subditorum tuorum; si enim hoc præstiteris, potestas & imperium ex te ad minores tuos, & ad posteritatem tuam transibit. Illud enim aduerbium, *iugiter*, ad hunc sensum vocari debet: nam Hebraicè est *גִּלְגָּלִים* *Gholam*, id est, *saeculum*, quæ vox, ut obseruant sanctæ linguæ periti, vnius humanæ vitæ periodum sæpe sonat, quasi dicat, non erit hæc potestas vnius sæculi, aut vnius vitæ, sed ad posteritatem seram per plura sæcula, pluresque vitas transfertur.

B

C

Secunda interpretatio locum istum exponit de rei familiaris curandæ industria. Hanc tradit Lyra, Baius Iansenius, Vatablus, Clarius, & plures alij. Et quidem Vatablus sic ait. *Nomine pecoris fortunas intelligit, quæ antiquis sitæ erant in pecoribus.* Quapropter iuxta hæc Vatabli verba non nemo sic commentus est in hoc loco, per *pecora*, intelligi *nummos*, quia sicut Latini pecunias à pecudibus, ita etiam ab Hebræis nummos agnorum, atque ouium nomine compellari solitos nemo nescit. Genes. 33. *Emitque partem agri, &c. centum agnis.* Vbi plures restitunt *centum nummis.* Idem Iob ultimo. *Et dederunt ei uniusquisque ouem unam, & in aurem auream unam.* Vbi etiam plures reddiderunt, *nummum unum, & in aurem*, &c. Ait ergo Salomon. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, &c.* id est, pecuniam, & nummos agnosce, id est, prouidè, & cautè serua, & consideratè admodum expende. *Neque enim perpetuus erit thesaurus, neque corona ad perpetuam posteritatem.* (Ita quidam legunt cum Tigurina.) Quasi dicat: Licet Cræsus sis, pecunias seruare, & magno consilio expendere debes, quia thesauri non sunt immensi, atque aded si profusè infamantur ocyus exhauriri solent, & cum his etiã imperium & corona amitti consuevit: Nam coronas, imperiaque pecuniæ thesaurique tuentur. Non est concinna neque elegans hæc interpretatio.

139

Vatab.

Genes. 33.

E

Præferenda igitur est illa, quam reliqui interpretes amplectuntur; volunt enim Salomonem his verbis ad pastorem & bucolicam artem inuitare homines, quia inter omnes artes, quæ ad augendam, amplificandamque rem adhiberi solent, nulla vel nobilior aut etiam quæstuosior esse solet. Itaque sic ait. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera*, id est, in curandis pecoribus curæ & industriæ tuæ plurimum pone, ut ex hoc quæstu fortunas tuas augeas. Posterioris autem versus aliæ lectiones huic sententiæ sponte inseruiunt; nam si cum his legas qui sic reddunt. *Neque enim perpetuus erit thesaurus, neque corona ad perpetuam posteritatem*, sensus euadet luculentus ad hunc

140

modum, Maiorem in curandis, augendisque pecudum gregibus industriam colloca, quam in comparandis cogendisque pecuniis, aut in ambiendis muneribus publicis: nam qui in nummis sunt thesauri tandem exhausti pereunt. Et rursus *coronæ*, hoc est, imperia & magistratus, non sunt perennes, & perpetui, & quamuis eos quis toto suæ vitæ curriculo gerat, tamen non transferuntur ad hæredes: quapropter sæpè admodum euenire solet, vt Magistratum filij paterna hæreditate careant. Itaque Salomon pastoritiæ arti sese dedere melius esse dicit, quam mercaturæ & præfecturis ambiendis, quia pecuniæ, quas mercatores negotiatione congeunt, ocyus dilabi solent; & munera, magistratusque ad hæredes non perueniunt. Eundem penè sensum reddit translatio Septuaginta. *Quia non in perpetuum viro robur; & fortitudo, neque tradit ex generatione in generationem.* Iuxta quam lectionem collatio artis pastoritiæ fit cum militari exercitatione; ita vt sensus sit. Satius est pecudes curando rem augere, quam militiam sectari, & militaribus stipendiis in diem viuere, quia tandem aliquando per senectam deficiunt casto robore lacerti; atque adeò cogitur quis pauperiem, & angustias subire, tum maximè cum delicatius viuere oportebat. Adde etiam quod militare robur, & disciplina etiam ex his est, quæ non transeunt ad hæredes. Nil certius. Quàm verò sit militaris vita ab omni quæstu aliena optimè describit Menander apud Nanium.

Militia (inquit) non fert ullam opulentiam, sed vitam, qua in diem viuitur, ac temerariam quam experimur, minimè salutarem esse.

141

Difficilior est iuxta Vulgatam lectionem coheræntia posterioris cum priori versu. *Non enim habebis ingiter potestatem, sed corona tribuetur in generatione & generationem.* Iansenius putat posterius hemistichium per interrogationem efferendum esse, vt in Originibus est, in quibus sic iacet. *Et an corona in generatione & generationem?* Ita vt sensus sit; fat sit tibi curare pecora tua, hæc enim tibi suppeditabunt necessaria ad victum, ita vt frustra magistratum, aut dignitatem ambias: Fac enim te illam iam fuisse adeptum, an cogitas diurnam fore? an credis illam in te, & in tua potestate perennem futuram? Quasi dicat, minimè gentium, omnis enim potestas, ac dignitas, incertissimos suæ durationis terminos habet.

142

Cæterum hæc accommodatio (me iudice) violenta, & coacta est. Aliam subitico magis accommodatam. Succedat ergo memoriæ sententia Philonis, qui in libro de vita viri ciuilis sic habet. *Nam qui summus est in arte pecuaria, facillè bonus Rex euadet.* Et in libro de vita Moylis. *Pastoralis ars ad regnum est præludium.* Et infra. *Solus potest esse Rex vndequaue perfectus, qui bene callit artem pastoritiæ, & curando minora animalia didicit quomodo debeat præesse præstantioribus.* Cui accinit etiam illud Psalmi 77. *De post factantes accepit eum, pascere Iacob seruum suum, & Israel hæreditatem suam.* Salomon ergo, vt ad pastoritiæ artem adhortetur homines, inter præcipuas huius artis laudes id ipsum refert. Itaque sic ait, *Curandis tuis gregibus omnem solertia & industriam naua, non enim habebis ingiter potestatem.* Nullus scilicet habet iugem, & perennem dignitatem per totum vitæ suæ tempus. Quasi dicat: nemo ab adolescentia sua inchoat honores, & magistratus, atque adeò id temporis in pas-

Philo.

Psal. 77.

A cendis curandisque gregibus bene collocatur. *Sed corona tribuetur in generatione & generationem.* (Verba illa, *in generatione & generationem*, ad significandam senectam longam, & seram adhiberi solent. Psal. 60. *Dies super dies Regis adicies, annos eius vsque in diem generationis, & generationis.* Illud etiam non est dissimile. *Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in seculum, & in seculum seculi.* Nam vtrumque locum de vita ad canos vsque, & seram senectutem protrahenda exponunt recentiores. (Mitto alia his perquam similia) Itaque ait. *Sed corona tribuetur in generatione & generationem*, id est, magistratus, & honores non nisi post longum tempus in senectute sera obtinere licebit, nec licebit tantum sed *tribuetur*, inquit, quia dimirum pastorita eruditus arte à iuuentute ad capeffenda reipublicæ munera aptus, & idoneus eris; nam illa ars captimum eorum munerum præludium est, & gloriosissimi Princeps ex pastoritiæ functione ad publicos honores, ad magistratus, & ad regnum vocari solent. Pergo ad alia.

Psal. 60.

XXV. *Aperta sunt prata, & apparuerunt herbe virentes, & collecta sunt fœna de montibus.*

C

Aperta sunt prata, &c. Hebr. *Reuelat. est herba, apparuit germen, collecta sunt herba montium.* Chald. *Humilitatum est fœnum, & apparuit herba, &c. lxx. Adhibe curam his, qui in campo sunt, viridibus, & attondebis herbam, & congrega fœnum æstiuum.* Hieronymus in Abacuc 3. *Adhibe curam his, quæ in campo sunt, regionibus, &c.*

143

Hæc verba, & quæ deinceps sequuntur, satis probant posteriorem superioris loci expositionem esse præferendam, quia non possunt aptè de alia re, quàm de cura gregum exponi. Nihilominus tamen Beda, Salomius, Hugo, & alij, ad spirituales sensum traducere contendunt: in his autem Beda sic scribit. *Aperta sunt modo pascua sacramentorum celestium, quæ diu fuerant typis præclusa legalibus, apparuit nouus viror Evangelicæ veritatis & gratiæ: collecta sunt in pabulum gregis dominici scripta Patrum veterum, ablata Iudæis superbientibus falce diuina animaduersionis, & humilibus Ecclesia populis ad spirituale subsidium data.* Eandem sententiã diuersis verbis tradit Salomius. *Quid ergo, inquit, prata significant? Per prata quidem designantur celestia mysteria, quæ ideo prata dicuntur, quia pascua sunt animarum fidelium. Hæc enim prata diu clausa fuerunt sub typis figurisque legalibus. Quomodo, & quando aperta sunt hæc prata? Aperta quippe sunt, quia per gratiam Saluatoris reuelata sunt celestia sacramenta, quædo aperuit discipulis suis sensum, vt intelligerent scripturas: tunc apparuerunt herbe virentes, id est, noua sententiæ Evangelicæ veritatis, & gloriæ. Rursus per montes significantur sancti Patres veteris Testamenti; per fœna scripta eorum. Collecta sunt ergo fœna de montibus, quia scripta sanctorum Patrum collecta sunt ad pabulum omnium dominicarum, &c. Alij alia conferunt his perquam similia, quæ à literalis sensu aliena sunt.*

Beda.

Salomius.

E

Sensus igitur literalis est valde perspicuus. Iansenius & Rodolphus, quibus cæteri hærent interpretes, docent Salomonem persequi pastoralis vitæ utilitates & commoda, hoc sensu. *Aperta sunt prata, & apparuerunt herba, &c.* Quasi dicat,

144

Iansenius.
Rodolphus

Ad greges alendos non est opus multa infumere: A
nam prata ipsa sponte herbas proferunt; & hæc
omnibus peruia sunt, vt per illa liberè pecora sua
ducere pabulatum possint. Quod si in quibusdã
regionibus frigidioribus necessum est fœna col-
ligere ac compilare, vt rigente hyeme cum niues
pascua vndequaue contegunt, gregibus pascus
vel esca suppetat; hæc certè fœna ex ipsismet
montibus nulla adhibita culturâ, & labore de-
metere licet. Addit etiam Iansenius priora verba
sic accipi posse. *Aperta sunt prata*, id est, ipsamet
prata sponte sese aperiunt, cum herbas germinat,
iuxta peruulgatum illud. *Aperiat terra & ger-
minet Saluatorè*. Cui expositioni inseruit illud. *Et
apparuerunt herbae viuentes*. Habet autem singularè
energiam hæc expositio: significat enim ad greges
alendos non esse opus tellurem aratro profcin-
dere, & glebas ferro conterere; nam ipsamet
prata sponte sese aperiunt, & herbarum, grami-
numque affatim pecoribus suppeditant.

Isaia 45.

145

Cæterum quamuis hæc interpretatio mihi ac-
commodata videatur, tamen aliam aptiorem sub-
iiciam. Puto ergo Salomonem non facilitatem,
& modicos sumptus, qui in exercenda pastoricia
arte sunt, demonstrare his verbis; sed potius ad
laborem acuerè, & industriam pastoris vrgerè:
Suadet hoc translatio Septuaginta quæ sic ha-
bet, *Adhibe curam his, qui in campo sunt, viridi-
bus*, &c. Germanam ergo huius loci interpreta-
tionem offert nobis Thargum; nam sic habet.
Humiliatum est fœnum, & apparuit herba, &c. Cer-
tè in quibusdam regionibus feracissimis virgulta
& gramina tanta vbertate proueniunt, vt opus
sit per æstatem, cum gramina exaruerint, hæc at-
tondere ac demetere, aut etiam igni tradere, vt
nouæ, virides, aptæque ad pabulum herbæ lætius
succrescant. Ita docet Columella de re rustica
libr. 2. cap. 18. Salomon ergo suadet pastoribus
vt hoc sollicitè admodum peragant, vt scilicet
virgulta, quæ ariditate induruerunt, rescent,
falce deiciant, vel igni tradant, vt virides her-
bæ adolescant, quæ pecoribus cum primis gratæ
æque vtilis sunt: id sibi vult illud, *Humiliatum
est fœnum, & apparuit herba*, id est, deiectum, de-
pressumque est falce aut igni fœnum aridum, &
succreuerunt virides herbæ. Eundem sensum
reddunt translationis Vulgatæ verba. *Aperta sunt
prata, & apparuerunt herbae*. Aperta, inquam, id
est, densissimis virgultis, aut aridis graminibus
adultis, aut rescisis: nam cum hæc succiduntur,
vel vruntur, aperiuntur, ac reuelari aptè dicuntur. Et
quidem Salomon suis verbis id factum significat,
quod fieri vult, aut præcipit; eapropter lxx. sen-
tentiam eius assequuti præceptum hoc expresse-
runt. *Adhibe curam his, qui in campo sunt, viridi-
bus*. Id est, in id incumbere potissimum, o pastor, vt
exfectis, aut concrematis saltibus, virides herbæ
pecoribus alendis succrescant.

Columella.

146

Posterior clausula continet illud præceptum. E
Et collecta sunt fœna de montibus. Quæ verba eodè
etiam modo vim præcepti habent, id est, collige
item fœna multa ex montibus, vt pecora per hye-
mem in stabulis alantur: frustra de hac re pluri-
bus. At cur, inquires, de montibus potius, quam ex
vallibus ad hyberna pabula fœna demeti, & in
fœnilia asportari iubet; cum constet hæc lætius
atque fœlicitus in vallibus prouenire quam in
montibus? Ratio est in promptu, quia, vt docet
Columella loco citato, quod in vallibus proger-
minat fœnum, humidum valde est, atque adeo in
stabulis putrescere, ac tabescere solet; non ita il-

lud quod in montibus adoleuit, id enim in longam
hyemem securius adseruatur. Hæc ad pastores.

Quod si quispiam contendat ista verba ad prio-
rem illam expositionem, quam supra dedimus,
euocari etiam debere, ita vt de cura, quam Reges,
& Principes subditis impendere tenentur intel-
ligi velit, integrum ipsi erit ex his, quæ de pasto-
ribus diximus ad curam gregum attinentibus,
aliquid etiam parte proprio de Regibus ac Prin-
cipibus committet. Aut ergo, iuxta priorem
expositionem Iansenij, Salomon significat non
multa subditis à Principibus interdici aut pro-
hiberi debere, sed ita in illis agendum, vt quem-
admodum pecoribus liberum est per prata vaga-
ri, & herbas carpere, sic etiam subditis æquum sit
liberius agere ac viuere. Vel certè facilitatem in-
ruit, qua Principes nullo formè labore subditis
suis placere possunt; hi enim non valde exquisita,
vel ardua à Principibus expetunt, sed sponte na-
scentia. Quasi dicat, non opus Regibus aut Prin-
cipibus ingenta beneficia, aut officia in subditos
conferre vt contenti sint, sed sicut oues viridibus
herbis sponte nascentibus saturæ caulas repe-
tunt; ita etiam subditi humanitate & lenitate ver-
borum, quæ sponte, & natura sua sponte proue-
niunt, & quibusdam etiam honoribus, qui nullo
vel labore, vel pretio Principibus constant, subdi-
torum gratiam sibi promereri possunt.

C

Licet etiam secundum posteriorem interpreta-
tionem, quam priori præferendam duximus, de
Principibus sic commentari. Quemadmodum
pastores hoc curant, vt oues per æstatem quidem
virides, ac molles herbas carpant, quas terra ger-
minat, per hyemem verò, cum tellus riget, ac ni-
hil profert, in stabulis eas alunt ex fœno, quod
olim in fœnilia collectum conditumque fuerat: ita
etiam Principes optimi cum annona est vberior
& feraces sunt terræ prouentus, subditis indulgent
vt his victitent, sed vterius etiam habere debent
publica horrea, vt si quando fames grassetur ea
aperire, & alimenta subditis distribuere possint.
Vel aliter; sicut pastores arida virgulta, & grami-
na excidunt, aut igni tradunt, vt noua in dies
succrescant, ita etiam Principes veteres quædam
antiquasque populorum consuetudines, quæ con-
tra publica iura excrescere solent, demetere, & at-
tondere debent, vt his sublatis viridis quædam le-
gum obseruantia progerminet, totaque inno-
uet exornetque respublicas. Ad hunc modum in-
tegrum est lectori alia & alia confingere, si ita libet.

147.

XXVI. Agni ad vestimentum tuum, & hedi
ad agri pretium.

Agni, &c. Hebr. Oves ad vestes tuas, & pre-
tium agri hirci. Cald. Agni sunt ad vestimen-
tum tuum, & hedi ad negotiationem tuam. lxx. Vt
habeas oves in vestes tuas, cole campum, vt sint tibi a-
gni. Schol. vt sint tibi armenta bouum.

148

Habes etiam hæc mystico sensu donata apud
Bedam. Agni, inquit, ad vestimentum tuum, &c.
Agnos innocentes, hedos penitentes nominat. Agnorum
ergo vellere vestieris, dum bonis obedientium discipu-
lorum moribus pastor ipse profeceris, eorumque lauda-
bilia facta cernens, & in ornatu virtutum, & in calore
dilectionis ipse gloriosior exiteris. Hedi agrum com-
parabis, dum peccatores ad penitentiam vocando subli-
miorem tibi in terra viuendum locum acquires. His
perquam similia habet Hugo, Dionysius, & alij.

Beda.

Reliqui interpretes sentiunt in pastoritæ artis A
laudibus Salomonem versari, & tam in hoc quam
in sequenti versu huius artis magnum quæstum
demonstrare. *Agni ad vestimentum tuum.* Agno-
rum nomine omne lanigerum pecus comprehendit,
agnos nimirum, oues, & arietes, hi ergo inquit,
tibi vellera suggerent ad vestes concinnandas.
Et hædi ad agri pretium, per hædos, hircos etiam,
caprasque notari certum est; & hi similiter, ait,
diuenditi satis pretij ad coëmendum latissimum,
amplissimumque fundum suppeditabunt. Vel, si
aliter libet, loquitur iuxta antiquam veterum
consuetudinem, qui omnes alias res pecudibus
commutabant, vnde pecunia nomen inuenit, vt
supra vers. 22. obseruauimus; nam eò spectasse B
videtur Paraphrasis Chaldaica, quæ sic habet.
Et hædi ad negotiationem tuam, id est, capræ, capri-
que ad omnes commutationes satis erunt. Hæc
vulgò interpretes.

149

Tamen latius puto, *agnorum & hædorum* no-
mina, vt sonant, pro ipsissimis agnis, hædisque
capere; Salomon enim (ni fallor) annuos peco-
rum prouentus enumerat: hi autem sunt lana,
agni, hædi, & lac; ex his verò non modò ad vi-
tam tuendam necessaria, sed etiam ad alias pos-
siones amplificandas affluentia, & redundan-
tia affatim suppeditari affirmat. Accommoda-
tio verò singulorum ad singula liberior est, at-
que adeò non curiosius obseruanda. Itaque Sa-
lomon suadet artem pastoritiæ colentibus ne villa
ex causa pecorù greges dissoluant, aut eorum nu-
merù imminuant; sed vt his tantùm vtantur, quæ
ex gregibus proueniunt, scilicet lana, agnis, hædis,
& lacte, nam hæc, inquit, non modò ad ali-
menta, & vestes, sed etiam ad amplificandas for-
tunas, & fundos coëmendos sat superque sub-
ministrare solent. Hæc est germana huius loci ex-
positio.

Quod si velis etiam consentaneè, & conse-
ctariè ad ea quæ supra diximus, hæc verba de
Principe interpretari, *Agni ad vestimentum*
tuum, &c. referri possunt hæc verba ad vecti-
galium exactionem, ita vt sensus sit, Principes
à subditis tributa moderata exigere debere, ita
vt concinat hæc cum graui illa Tiberij sententia
quam narrat Dionysius Nizeus, qui cum de-
prehendisset Æmilium Rectum, quem Ægy-
pto præfecerat, exactiones graues fecisse, super
ea re iratus ita rescripsit. *se conderi velle suas oues,*
non deglubi, aut expilari. Vel aliter longè me-
lius ac coherentius cum germana huius loci in-
terpretatione, docet Principibus, ac magnis
Regibus in id maximè incumbendum esse, vt
subditos sibi pòpulos seruent, ita vt nullam re-
gni sui partem vel per incuriam, vel qualibet
alia ex causa amittant. Nam quemadmodum
pastor ex suorum prouentibus gregum non mo-
dò satis habet, vt se ac domum suam, totamque
familiam copiosius alat, sed ulterius etiam ad
fundos ampliores coëmendos, augendamque E
rem suam ista affluentes sumptus suppeditant:
Ita etiam Princeps ex vectigalibus annuis, quæ
subditi sponte pendunt, si eisdem bene vti sciat,
non modò acceptum regnum tueri, sed etiam
imperium suum latius extendere, ac propagare
poterit. Nil certius.

Nyxus.

*XXVII. Sufficiat tibi lac caprarum in ci-
bos tuos, & in necessaria domus tua, &
ad victum ancillis tuis.*

Sufficiat, &c. Hebr. *Sufficiencia lactis capra-
rum in panem tuum, in panem domus tua, &
vitas ancillis tuis.* Lxx. à reliquis longissime ab-
eunt. *Fili à me habes verba fortis ad vitam tuam,
& ad vitam ministrorum tuorum.* Aquil. *Ad pa-
nem domus tua.* Symmachus & Theodotus. *Ad
necessaria domus tua.*

150

Coniecit etiam in hunc locum expositionem
mysticam Beda. *Tanta,* inquit, *instantia pecus
tibi commissum pascere, ne tibi lac æstate nouum nec
frigore desit, sed tibi semper, tuisque sufficiat, id
est, tam sedulo doctrina instat, vt etiam quosdam
penitentes ad officium docendi pronehus, quatenus
per illos, qui pridem pro scditate vitiorum ad si-
nistram iudicis videbantur esse ponendi (tanquam
capræ) modo rationale ac sine dolo lac verbi paru-
lis sensu ministrent. Fit autem lac caprarum ad vi-
ctum ancillis, quando hi, qui nondum perfecti, sed
adhuc timore seruili domino deseruiunt, per verba pœ-
nitentium viuificis epulis reficiuntur, & vt ad maio-
ra virtutum proficiant incrementa iuuantur.* Ex Be-
da transcribunt Hugo, Dionysius, & Strabus.

Beda.

Reliqui interpretes docent his verbis suade-
ri pastoribus temperantiam & vitam frugalem.
C *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos,* &c. Lactis
nomine complectitur caseum, & butyrum, hoc
sensu: si parè ac temperanter viuas, sufficere
tibi poterit in cibos tuos, atque totius familiæ
tuæ, lac plurimum, quod in singulos dies ca-
præ distentis vberibus tibi suppeditabunt, &
quæ ex lacte fiunt, caseus, atque butyrum. Ad-
dit Iansenius: non tribuit in cibos ipsos agnos,
vel hædos, sed tantum lac caprarum; proponere
enim voluit simplicissimum illud vitæ genus,
quod Abel, alique illi similes ante diluuium se-
ctati sunt, qui carnibus non vescabantur, sed ex
pecoribus, quorum magnos greges pascebant,
vellera tantummodò attondebant ad vestes con-
cinnandas, & lac mulgebant in cibos frugalissi-
mos. itaque vult Iansenius his verbis abstin-
entiam à carnibus persuaderi; sed non assentior.
Certè si ad mercenarios pastores sermonem ha-
beret, qui pretio conducti alienos greges ad pas-
cua regunt, satis aptè illis hoc præciperet, vt la-
cte tantam, caseo, ac butyro vterentur, & car-
nibus omnino parcerent. Ita enim iubet Colum-
mella libro 2. de re rustica, vbi pastorum fidem,
quam Dominis præstare debent, in eo præci-
pue ponit, si lacte, & caseo cõtenti, oues, aut agnos
nunquam cædant. Sed re vera affatur Salomõ gre-
gum dominos, quibus tribuit domum, familiam, &
ancillas, atque adeò minus accommodata est hæc
persuasio. Deinde etiam ipsum non loqui de lactis
esu, comprobatur lectio Originalis, quæ ad verbum
sic habet. *Sufficiencia lactis caprarum in panem tuum,
& in panem domus tua.* Panis autem nomine ex
modo loquendi scripturæ, omne esculentum no-
tatur.

Quapropter versus iste ad sententiam supe-
rioris alluci debet: Itaque Salomon seridò mo-
net pastores, vt seruent greges suos, nec illos
dissoluant, aut diuendant, vel qualibet ex cau-
sa imminui patiantur, vt in alias facultates com-
mutent; nam quæstuosissimum est pecus, quod

151

vulgò dicitur *ganado*, & si rectè curetur, ad alendam familiam, & augendam rem sat superque suppeditet. Itaque versus iste cum superiori nectendus ita vt cum illo integram sententiam efficiat. *Sufficiat*: inquit, *lac caprarum in cibos tuos*, &c. data opera dictum illud, *sufficiat tibi*. Quasi dicat: ne greges caprarum dissipet, aut intumas, aut commutes, sed sufficere tibi debet præter hædos, quos ad permutationes adhibere iam indulsit, vt lacte, caseo, & butyro; hic enim est foelicissimus caprarum prouentus, qui sæpe ad alendam largioribus expensis copiosam familiam satis dare solet.


152

Quod si hæc etiam verba cum superioribus ad Principum institutionem traducantur, & sequamur extremam, & germanam magis expositionem, idem erit sensus huius ac superioris versus: si autem priori adhaerere collibitum sit, dicemus quidem Salomonem id Regibus suadere, vt mulgeant quidem subditos, tributa ab illis iusta exposcentes, non tamen ipsos seuerius cædant, ne scilicet exuta humanitate in ipsos sæui, & crudeles sint. Iuxta quam expositionem concinit hæc sententia cum illa,

A quam habes infra cap. 30. ver. 34. *Quia autem fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum, & qui vehementer emungit, elicit sanguinem*. Lege ibi plura.

Translatio autem Lxx. longè diuersam sententiam reddit. Nam sacri illi interpretes putantes Salomonem metaphoricè loqui, pro *lacte verba fortia* reddiderunt, nam subest quidem vox *חֵלֶב Chaleb*, quæ non *lactem* solùm, sed etiam *pinguedinem*, ac *robur* significat. Itaque sic vertendum putarunt. Sufficiat tibi pinguedo aut robur, verbis autem omiſſis, sententiam, quam sub hac metaphora delitescere existimauerunt, obtulerunt his verbis. *Habes à me verba fortia ad vitam tuendam, & ad vitam ministrorum tuorum*. Quasi dicat. Habes à me seriam valde adhortationem ad vitam pastoritiam, cui si parueris, hæc exercitatio quaestu tuo ad vitam tuam tuendam, familiamque alendam omnia necessaria subministrabit, vel, si placet, *verba fortia*, vel, *pinguia*, appellat, iuxta subiectam materiam; nam cum pastores alloquatur Salomon, addit, se stilo lusum rudi, pingui, ac bucolico.





CAPVT XXVIII.

SALOMONIS.

RUGIT impius, nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens, absque terrore erit. 2. Propter peccata terrae multi Principes eius: & propter hominis sapientiam, & horum scientiam quae dicuntur, vita ducis longior erit. 3. Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames. 4. Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui custodiunt, succenduntur contra eum. 5. Viri mali non cogitant iudicium: qui autem inquirunt Dominum, animadverunt omnia. 6. Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam dives in pravis itineribus. 7. Qui custodit legem, filius sapiens est: qui autem comessatores pascit, confundit patrem suum. 8. Qui coaceruat diuitias vsuris & faenore liberali, in pauperes congregat eas. 9. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. 10. Qui decipit iustos in via mala, in interitu suo corruet: & simplices possidebunt bona eius. 11. Sapiens sibi videtur vir dives: pauper autem prudens scrutabitur eum. 12. In exultatione iustorum multa gloria est: regnantibus impiis ruinae hominum. 13. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. 14. Beatus homo, qui semper est pauidus: qui vero mentis est dura, corruet in malum. 15. Leo rugiens, & vsus esuriens, Princeps impius super populum pauperem. 16. Dux indigens prudentia multos opprimet per calumniam: qui autem odit auaritiam, longi fient dies eius. 17. Hominem, qui calumniatur animae sanguinem, si vsque ad lacum fugerit, nemo sustinet. 18. Qui ambulat simpliciter, saluus erit: qui peruersis graditur viis, concidet semel. 19. Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, replebitur egestate. 20. Vir fidelis multum laudabitur: qui autem festinat ditari non erit innocens. 21. Qui cognoscit in iudicio faciem, non benefacit iste: & pro buccella panis deserit veritatem. 22. Vir, qui festinat ditari, & aliis invidet, ignorat quod egestas superueniet ei. 23. Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum, magis quam ille, qui per lingua blandimenta decipit. 24. Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidae est. 25. Qui se iactat, & dilatat, iurgia concitat: qui vero sperat in Domino, sanabitur. 26. Qui confidit in corde suo, stultus est: qui autem graditur sapienter, ipse saluabitur. 27. Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. 28. Cum surrexerint impij, abscondentur homines: cum illi perierint, multiplicabuntur iusti.

CAPVT XXVIII.

SALOMONIS.

I. *Fugit impius nemine persequente, iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit.*



FUGIT impius, &c. Heb. ad verbum. *Fugerunt, & non persequens impius, iustus autem sicut leoculus fides.* Pro leoculo, subest כפיר *Chaphir*, quæ vox ex Rabinorum testimonio leonis catulum propriè adsignificat: sumitur tamen passim pro quolibet leone etiam adulto. Septuaginta & alij interpretes à Vulgata non abeunt. Chaldæus vero sic extulit. *Fugerunt impij nemine persequente eos, iusti autem, sicut leo qui intendit cibo suo, sperant in sapientiam.*

Huius loci sententia perspicua est. *Fugit impius nemine persequente*, id est, impius suorum scelerum metu percussus nullo insequente fugitat, quia etsi nullus sit, qui ipsi terrorem incutiat, ipse sibi terrore est, quandoquidem validissimos, ac maximè terrificos hostes, scilicet peccata & crimina, deintus habet, quæ ipsum quolibet fugientem insectantur. Et sanè verba ista duplici sensu donari solent: aut enim Salomon describit metum, quo impius concutitur tempore delicti, sicut latro, aut adulter, qui veriti ne deprehendantur in scelere, ad leuissima quæque terriçulamenta consternantur. (De his habes *Iob 24. Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens: Non me videbit oculus, & operiet vultum suum; & si subito apparuerit aurora, arbitratur umbram mortis.*) Vel in vniuersum loquitur Salomon de quibuslibet impiis, qui ob suorum delictorum conscientiam nihil non timent, iuxta illud *Sap. 17. Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis, semper enim presumit sana, perturbata conscientia.* Vtraque expositio non est inepta.

Aliam etiam huic adiunge, quæ mihi non parum probatur: nam cum in superioribus carminibus, nec non etiam in his, quæ sequuntur, Salomon loquatur de Principibus, & de ipsorum officiis, non ineptè dicemus hoc in loco sermonem facere de tyranno, ita vt sensus sit. *Fugit impius nemine persequente*, id est, Princeps tyrannus, etiam vbi nulla subest timoris causa, mirum in modum timet. Audi *Iob cap. 15. Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis eius: Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur:*

B *Non credit quod reuerti possit de tenebris ad lucem, circumspiciens undique gladium. Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit, eum sicut Regem, qui preparatur ad prælium.* Itaque cum Salomon in superioribus Principem optimum descriperit, qui subditos, seu pastor, oues regit, atque adedò inter illos securè agens à nullo sibi timet; nunc tyrannum expingit, qui subditos multifariam diucians eorum perfidiam numquam non timet. Hæc est enim tyrannorum propria conditio omnes timere, ac nullis se permittere. Pulchrum satis est illud Xenophontis in Hierone, vbi de tyranno sic fatur. *Iam verò metueret turbam, metuere solitudinem, metuere satellitis absentiam, metuere ipsos etiam custodes, ac ne inermes illos velle habere apud sese, nec armatos videre libenter, an non res est miseræ? Tum etiam & peregrinis potius, quam ciuibus fidere, ac Barbaris potius quam Græcis? Postremo huc compelli, vt pro liberis habere cupias seruos, & ex seruis cogaris facere liberos? An non hæc tibi videntur argumenta animis terroribus attoniti, percussique? Porro non solum ipse metus tunc cum incedit animo, molestus res est, sed dum nusquam non adest, ac circumfertur, sit omnium iucundarum rerum corruptela.*

Sed quoniam modo tyrannus semper in fuga sit, pulchrè Phauorinus apud Stobæum sermone 49. *Quemadmodum (inquit) seræ retia declinantes in angustiore sapes locum se recipiunt; ita etiam & tyrannos videre est (vt subditorum insidias vitent) recedentes ex Græcia in ciuitatem, ex ciuitate in arcem, deinde in domum, postremo in cubiculum. An fieri tandem potest, vt Deum effugiant, certè quocumque fugerint, deprehendentur a iustitia.* Accedat etiam Plato, qui in libr. 6 de republica inanes tyrannorum metus falsè admodum describit. *An non carcere clausus est tyrannus, multis videlicet timoribus, & amoribus agitur. Cum verò ingenio sic apprimè cupido, huic soli neque egredi vsquam licet, neque inspicere ea, quæ liberis hominibus licita sunt; sed intra adium parietes formidolosus, veluti mulier, commoratur.*

Subditque tyrannum vsque adedò timori ac suspicionibus indulgere, vt coactus quiescere agat se cis ipse nunquam, sed aduersus inania corpora semper certet ac pugnet. Pende energiam verborum: significat enim Plato id tyrannis proprium esse, vt in summa pace, & tranquillitate, metu agitati hostes plurimos, velut inania corpora, sibi ipsis fingant, & fabricentur, quibus cum perinde ac cum veris inimicis decertare opus sit. Id sibi voluit Salomon, cum dixit. *Fugit impius nemine persequente*, quia nimirum ipse sibi per-

sequutores comminiscitur, & hostes confingit.

Denique videri posset cupiam Salomonem his verbis non quidem loqui de eo metu, ac terrore, qui homines cuiuspiam sceleris conscios, natura duce concutit, sed de alia specie terroris, quam Deus ipse pro grauioribus delictis immittere animis hominum consuevit. Genes. 4. sic Deus ad Cain. *Erisque vagus, & profugus super terram.*

Et sanè quamuis nulli tunc erant in terra homines, à quibus Cain profugere posset, nihilominus metu percussus nullo insequente fugitabat. De hoc genere terroris loquitur etiam Deus Leuit. 26. vbi sic habes. *Qui de vobis remanserint, dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folij volantis, & ira fugient; quasi gladium. Cadent nullo persequente, & corruent singuli supra fratres suos, quasi bella fugientes. Nemo vestrum audebit inimicis suis resistere.* Nec dissimile est illud Deut. 2. *Dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficiet res oculos, & animam consumptam morore, & erit vita tua quasi pendens ante te. timebis nocte ac die, ac non credis vita tua. Manè dices, quis mihi det vesperum? Et vespere, quis mihi det manè? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea, quæ tuis videbis oculis.* Et rursus cap. 1. *Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni calo, ut audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiscant, &c.* Igitur licebit dicere de hoc timore, ac tremore, quem Deus animis improborum incutere solet, Salomonem locutum hoc sensu. *Fugit impius nemine persequente, id est, virum improbum, ac sceleratum vanissimis terroribus Deus torquere solet, adeo vt animo cadens, etiam cum nulla subest timoris causa, ad spectra imaginaria, vmbraeque leuissimas percussus, non alium quam semetipsum diffugiat. Subdit Salomon.*

Iustus autem sicut leo absque terrore erit. Hæc verba ad sensum euocanda sunt præcedentium; nam si dicamus Salomonem loqui in superioribus de timore illo, qui sceleratos homines tunc percussit, cum delicta sua perpetrant, erit quidem sensus: iustus ex aduerso tunc cum benè & honestè agit, veluti leo impavidus perstat; illum enim rectè factorum conscientia constantem reddit. Sin verò de timore agit, quo meus sibi mali cuiuspiam conscia affiduo concutitur, appositè ad hæc subiungit, iustam hominem, quandiu nullius criminis sibi conscius est, ab omni metu vacuam animam gerere. Accipe Magni Gregor. verba lib. 31. Moral. cap. 13. *Iustus, inquit, quasi leo confidens absque terrore erit, in occursum enim bestiarum idcirco leo non trepidat, quia prauales se omnibus non ignorat, vnde viri iusti securitas rectè leoni comparatur, quia contra se cum quolibet consurgere conspiciunt, ad mentis suæ confidentiam redit, & scit, quia cunctos aduersantes superat, quia illum solum diligit, quem iniustus nullo modo amittat, Quisquis enim exteriora, quæ etiam nolenti subtrahuntur, appetit, sua se sponte extraneo timori subternit: infra-acta autem virtus est concupiscentia vitæ æternæ, terrena contemptus, &c.* Hæc verba ex Gregorio, Beda, & c. Beda alij etiam collegerunt, quæ rationem offerunt, ob quam bona conscientia hominem impavidum reddit. Quod si aliter propria illa verba de timore illo accipiamus, quem Deus improborum hominum animis immittere solet, quos nimirum pro meritis sic punit, vt qui Deum veriti aliquando non sunt, nihil non subinde perhorrescant, sensus erit sequentis clausulæ; vir iustus è contra, leonis in morem, non modò

vanostimotes nullos admittit, sed etiam cum timoris causa subest, impavidus perficit.

Sed quamuis hæc insulsa non sint, mihi tamen præferenda omnino videtur illa expositio, quæ tradit per *impium*, qui nullo persequente fugit, tyrannum Principem esse intelligendum eo sensu, quem nuper adscripsimus; atque adeo appositè ad illum subnectit Salomon: *Iustus autem, quasi leo confidens absque terrore erit.* Id est, iustitia & æquitate præditus Princeps, tanquam leo, qui aliarum bestiarum dux & imperator creditur, interritus perstat. Leonem quidem ab omni timore vacare docet scriptura infra cap. 30. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum.* Non solum autem feras alias, quas robore à se vinci non ignorat, vt ait Gregorius, non timet, fugitve leo: sed etiam venatoribus ipse formidolosus eisdem ipse non formidat. Aristoteles de Historia animal. libr. 5. cap. 43. *In venatu dum cernitur nunquam fugit, aut metuit, sed etiam si venantium multitudine cedere aliquando cogitur, sensim, pedetentimque discedit, crebro subsistens, atque respectans. Nactus verò opaca, fuga quam maximè potest veloci, se subtrahit, tum rursus lentè incedit.* Ex Aristotele hæc delibant Plinius, Ælianus & alij, in his autem Plinius lib. 8. cap. 16. sic habet. *Generositas leonis in periculis maximè deprehenditur, non in eo solum quod spernens tela diu se solo terrore tueretur, ac velut cogi restaret illa nobilior animi significatio. Qualibet canum, & venantium urgente vi contemptim restansque incedit in campum, & vbi spectari potest, idem vbi virgulta, syluasque penetravit, acerrimo cursu fertur, velut abscondente fuga turpitudine loco. Et paucis interiectis sic demum atexit. Cum pro catulis foeta dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expauescat.* Hæc sunt in leone impavidæ audaciæ documenta & signa, ob quæ animi constantis, & interriti symbolum vulgò habetur, vt propterea Salomon aptè admodum dicat, Principem ex iustitia, & æquitate subditos administrantem, leonis animositatem, & audaciam impavidam imitari, non solum quia Principi iusto & legitimo omnes subditi ab omni perfidia alieni vltro acquiescunt; vel quia ipsamet imperij legitime, rectè, ac iuste gesti conscientia animos Principi facit, sed etiam naturali quodam iure, cuius in leone exemplar exhibetur. Nam quid causa est, inquit Albertus, quod leo vnus etiam inter maximam ferarum multitudinem interritus est? Certè leonibus animos naturale robur non facit, nam licet quamlibet singularè feram leo vnus robore suo peruincat, tamen plurium ferarum collecta fortitudo vnus leonis vires facillè superat. Quapropter si ex aliis feris, quarum plures satis robustæ sunt, vnà multæ leonem vnum tanquam communem hostem inuaderent, ipsum certè facillè prosternerent ac disperperent, sicut multi canes vnum vrsum, aut lupum, quamuis alias singuli robore impares sint, laniare consueverunt. Inde igitur Albertus fortitudinem vereri, sed naturale illius imperium, & dominium recognoscere. Itaque Albertus eo argumento imperium atque regnum leoni in omnes quadrupedes à natura tributum esse concludit, cui nimirum, non tam vi, quam sponte vltroque reliquæ pareant belluæ: Et eadem ratione Aquilæ regnum in omnes aues alibi comprobatur Albertus.

Et sanè leonis imperium in feras passim prædicant scriptores. Basilius in Hexam. Homilia 9. vna, inquit, cum leone animositas, & ad incandescens iræ propensio illi agnata est, vitæ solitaria, ex-

Gregor. 5

Gen. 4.

Leuit. 26.

Deut. 2.

Deut. 1.

6

Gregor.

Aristot. 7

Plinius. 8

Albertus. 9

Basilius. 9

pers societatis, ad ea, quæ genus subeunt, idem, velut enim tyrannus quidam animantium rationis expertium pares honores, congressionesque cum cæteris non acceptat, sed aspernatur. Ambrosius lib. 6. Hexam. cap. 3. *Leo natura sua superbus ferocia, aliarum ferarum generibus miscere se nescit, sed quasi rex quidam plurimorum dedignatur consortium.* Mitto alios.

Hinc ergo (ni fallor) huius loci germana interpretatio petenda est hoc modo. *Iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit.* Id est, cum proprium sit tyranni metu assiduo percelli, ac nullibi securum, ac tutum degere; contra Princeps iustus ac legitimus, velut quadam leonis confidentia præditus, neminem veretur, & ubique tutus ac securus est. Et quidem de industria additum est illud, *Sicut leo confidens*: nam perinde est ac si dicat; sicut omnes feræ leoni, quem natura sibi regem præfecit, naturale eius imperium veluti agnoscentes vltro parent, ita vt non modò cum singularibus feris, quas ipse robore vincit, securus degat, sed etiam in magna belluarum ferocissimarum multitudine tutus sit: ita etiam Principi, qui naturale, iustum, ac legitimum imperium gerit, omnes vltro acquiescunt, ita vt contra illum nec singulares subditos perfidè ac proditoriè, nec multitudinem per seditionem, moueri contingat. Quasi dicat. Tam in publico quàm in secreto securus agit: hæc enim est vis & potentia legitimi ac iusti imperij.

Et sanè idem Albertus, postquam natura leonis regnum in alias feræ eo argumento comprobauit, addit statim, hoc generosum animal præ cæteris incautum esse, vt pote quod aliorum animantium insidias non perhorrescat. Neque verò insidias ex imprudentia non timet, non quia robori suo fidit maximè, sed quia nullæ ipsi insidiæ ab aliis feris, quæ ingenitum ipsi imperium quodammodò suspiciunt & verentur, dolosè, parantur. Eadem est iustorum ac legitimorum Principum conditio, & idem status, qui, leonum in morem, omnem sui prouidentiam, & cautionem abicere tutò possunt, quia nullus est, qui ipsis insidias moliri, aut dolos intruere præsumat. Comprobant hoc Hispaniarum leones (nostros Reges dico) qui legitimum ac naturale ius, quod ad regnandum habent, subditis notum esse cum sciunt, ab eorum insidiis, dolis, ac perfidia nec sibi cauent, nec metuunt, atque adedò per quandam leonum confidentiam securi, atque tuti, inter ipsos etiam sine satellitio degunt.

Chaldaus legit. *Iusti autem sicut leo, qui intendit cibo suo, sperant in sapientiam.* Profectò aiunt, leonem tunc cum deuorandæ prædæ incumbit, etiam obsidentibus aliis feris nequaquam terri, sed mira quadam confidentia operi suo vacare. Atque inde huius translationis interpretationem petere licet hoc modo, Sicut leo robore suo fidens, circumstantibus aliis etiam robustissimis belluis interritus prædæ suæ incumbit: ita etiam iustus & legitimus Princeps quandiu sapienter ac prudenter subditos regit, omnes vndeque in illum conspirantes hostes minimè veritus domi sedet, & delitiosè victitat, ita vt nihil sit quod tutam, quietam delitiosam, & pacatam illius vitam inturbet.

Est etiam aliud aliquid leoni perquàm propriū, nam cum prædam aliquam egit, ex illa ad satietatem pastus nequaquam amplius ad eam redit, sed reliquias aliis feris deuorandas dimittit. Ita docent Ambrosius, & Basilus locis citatis: Ea propter aliæ non pauca feræ leonem insequi à

tergo solent, vt ex illius reliquiis victitent. Ex hac etiam leonis proprietate aliam Chaldaicæ translationis expositionem expromere licet hoc modo; Sicut leonem plurimæ sectantur feræ, quia ex prædis, quas agunt, non modò ipsi vescuntur, sed reliquias aliis potiundas dimittunt: ita etiam Principes iusti, & legitimi, qui subditis suis honores, quibus ipsi non indigent, & beneficia quoque ex bonis quæ superant, liberaliter distribuunt, plurimos habent suarum partium sequaces. Potest etiam lectio ista de iusto, & probo homine interpretari, iuxta ea quæ supra adscriptus.

II. Propter peccata terræ multi Principes eius, & propter hominis sapientiam, & horum scientiã que dicuntur vita dñcis longior erit.

Propter &c. Heb. ad verbum. *In prauaricatione terræ multi Principes eius, & in homine intelligente, & sciente sic prolongauit.* Chald. *In peccato terræ multi Principes eius, & filij hominum, qui intelligunt scientiam, durabunt lxx.* Propter peccata impiorum iudicia suscitantur, vir autem astutus extinguet ea, Codex Complutensis habet. Propter peccata impiorum depressiones suscitantur. Aquila, & Theod. *multi Principes eorum, sicut Vulgata.*

Locum istum non vna interpretatione donare licet. Alij enim sic comminiscuntur. *Propter peccata terræ multi Principes eius.* Id est, ordinem istum Principum ac subditorum non quidem natura, sed peccatum & vitium in mundum inuexit. Natura enim omnes homines æquales fabricata est; vitium verò & culpa alios aliis præfecit. Ita quidem contemplatur Diuus Gregorius li. 21. Moral. cap. 10. ad illa verba Iob. *Nunquid non in vtero fecit me, & illum, id est, seruum, operatus est, & formauit in vulna vnus? Omnes, inquit, homines natura æquales sumus, sed accessit dispositio ordine, vt quibusdam prælati videamur: ipsæque diuersitas, quæ accessit ex vitio, recte est diuinis iudiciis ordinata, vt quia omnis homo iter vitæ æque non gradiatur, alter ab altero regatur.* Quasi dicat: Peccatum certè ac vitium in causa fuit, vt homo homini imperaret.

Natura enim omnes homines sibi per omnia æquales produxit; quia verò subintrante culpa effectum est, vt alij aliis deteriores, aut meliores essent, inde profectum, vt quidam aliorum imperio, & regimine indigerent. Si enim cuncti sponte, vnaque ad honestatem eniterentur, Principum atque Rectorum nullus tunc vsus esset. Subiungit. *Sancti viri cum præsumunt, non in se potestatem ordinis, sed æqualitatem conditionis attendunt; nec præesse gaudent hominibus, sed prodesse: sciunt enim quod antiqui Patres nostri non tam Reges hominum, quàm pastores pecorum fuisse memorantur.* Et cum Noè Dominus filiisque eius diceret, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, subdit; Et terror, ac tremor sit super cuncta animantia terræ, non enim ait, sit super homines, qui futuri sunt, sed sit super cuncta animalia terræ, homo enim animalibus irrationabilibus, non autem cæteris hominibus natura prælati est.* Hactenus Gregor. qui subinde addit, ad hoc vt homines alij aliis imperarent, necessum fuisse vt peccatum æqualitatem solueret. Sic enim factum, vt homines quidam belluinam, & irrationabilem vitam ducentes cum belluis ac pecoribus censerentur,

Ambros.

10

11

12

13

14

Gregor.

15

vt proinde aliis hominibus sapientioribus non secus atque alia pecora belluæque parerent. Apte igitur Salomon. *Propter peccata, inquit, terra multi Principes eius.* Nam si abessent culpæ ac crimina, nullus alteri iura diceret, sed omnes sui iuris essent. Caterùm hîc non disputo, an si Adamus originale iustitiam ad posteros transfudisset futuri essent in paradiso deliciarum Rectores, ac Principes, id enim alterius negotij est. Illud assero, præfatam interpretationem minime idoneam esse, quia cum sequenti clausula nequaquam cohæret.

16

Secunda igitur expositio sic habet. *Propter peccata terræ multi Principes eius.* Constans quidem est omnium sententia, optimam imperij speciem esse monarchiam, nam oligarchia plura incommoda & grauissima damna rebus publicis asportare solet. Nam Aristoteles libro 8. Ethicorum cap. 10. oligarchiam deteriore imperij speciem esse dicit. Et libro 5. Politic. cap. 12. affirmat oligarchiam ocysus in tyrannidem verti. Et cap. 10. multa enumerat, quæ oligarchiæ cum tyrannide communia sunt. Plato etiam libro 34. de legibus, dialog. 8. oligarchiam non tam gubernationem, quam seditionem quandam appellandam esse affirmat. Et in Ciuili, seu de Regno, ita fatetur. *Gubernationem illam, in qua pauci imperant, mediam censere debemus, quemadmodum quod paucum est inter unum multaque medium obtinet. Caterùm multorum administrationem per omnia debilem, utpote quæ ad alias comparat a nihil magnificentum efficere possit; quapropter legitimarum omnium rerum publicarum deterrima est.* Itaque Salomonis mens talis est, *Propter peccata terræ multi Principes eius.* Id est, quod regio aliqua, prouincia, vel natio non ab vno supremo Principe sed à pluribus per oligarchiam regatur; ingentium delictorum, ac criminum pæna esse consuevit. Quia enim ciues illius prouinciæ, aut nationis, suis delictis Deum in se concitarunt, propterea omnia incommoda, & damna illius gubernationis experiri coguntur: hæc sunt, bella ciuilia, seditiones, furta, peculatus, & alia eiusmodi. Subdit Salomon.

17

Et propter hominis sapientiam, & horum scientiam quæ dicuntur, vita dulcis longior erit. Non est facilè hæc verba ad superiorem sententiam allicere. Est tamen non nemo, qui illa cum superioribus ita contexuit vt Salomon vel ex eo maximè multorum imperium inculcet, quia non est diuturnum, ita vt sensus sit: Peccata publica sepius in causa sunt, vt regio aliqua à multis gubernetur, quæ gubernationis species multis perturbationibus, assiduisque motibus agitari solet, atque adedò diuturna esse non potest. At verò vnus hominis sapientis, qui nouit populo iura dicere, imperium, longè melius est, quippè quod à præfatis perturbationibus & motibus alienum cum sit, diutius perdurare consuevit. Et sanè oligarchiæ id esse maximè proprium, vt perbreui tempore soluatur, docuit Aristoteles Politic. lib. 5. ca. 12. & alibi. Regni verò diuturnitatem comprobatur eodem lib. cap. 10. vbi sic ait. *Regnum autem ab his quæ extra sunt, minimum corrumpitur, quapropter & diuturnius est.*

Aristot.

18

Aliter etiam ista verba cum superioribus innodare licet hoc modo, Propter ingentia alicuius prouinciæ peccata sæpe fit, vt multi Principes non satis inter se concordēs, ipsi imperent; sed hic gubernationis modus non diu perdurat; perbreui enim temporis interuallo dissoluitur,

A dissolutus autem in monarchiam definit, & inter perij summa ad vnum aliquem deuenit, qui ceteros prudentia, & astu antecellit. Et quidem ex hoc nomine cõprobat Herodotus apud Stobæum fer. 47. vnus imperium reliquis gubernandi rationibus præferendum esse. *Propositis, inquit, tribus statibus, & his omnibus optimis, vt scilicet optimè imperet populus, optimè pauci & optimè vnus: inter hæc multum antecellere vnus imperium sentio. Nam vnus viri, qui optimus sit, imperio nihil melius esse constat. Porro in statu paucorum cum plures virtuti incumbant, vehementiora priuatum odia excitari consueverunt: Cum enim quisque Princeps esse optet, & in dicenda sententia vincere, ad ingentia inter se odia cadunt, ex quibus seditiones existunt, & seditionibus cades, ex cadibus ad vnus imperium deuenitur, vnde intelligi datur quantum sit hæc illo præstantius. Iam verò plebe imperante abesse non potest, quin malitia exoritur, exorta malitia in republica inter malos nõ quidem odia sũt, sed amicitia valida. Qui enim aduersus rempublicam facinorosi sunt, mutuo se occultant, id quærandum sit, dum vnus aliquis populo præpositus tales homines compercat, is videlicet, quem populus inter ceteros admiretur. Hic verò cum admirationi est, tunc verè monarchus ostenditur, declaras in hoc monarchiam esse omnium præstantissimam.* Igitur eodem argumento Salomõ monarchiam oligarchiæ præponendam esse docet, quia multorum imperium, cum per eas, quæ in ipso excitari solent, perturbationes dissoluitur, in monarchiam abit.

Stobæus

C Denique alio etiam modo nodus iste astringi potest, ita vt sensus sit: propter graua scelera alicuius regionis fieri solet, vt à multis Principibus gubernetur, cui malo non aliter succurri potest, nisi aliquis præficiatur dux vel Princeps, ac senex, qui nimirum reliquos sapientia vincat, qui ad sententiam suam dicendam, & iura populo dictanda optimè instructus sit, & qui longiori tempore cum vixerit, multorum negotiorum periculo facto prudentiam comparet, hæc enim omnia ad recte administrandam rempublicam pernecessaria sunt.

18

D Quantum verò præstet oligarchiæ imperium monarchicum frustra hîc adscribam, cum de hoc themate multa passim legere liceat: ex omnibus autè id seligo, quod Plato dixit loco citato. *Monarchiam, inquit, ab omnibus aliis gubernationibus non aliter quam ab hominibus Deum secernere licet.* Quasi dicat: sicut gubernatio monarchica, qua Deus mundum hunc moderatur, utpote quæ cæteris facilè antecellit, nequaquam cum aliis conferenda est; ita etiam regnum, tanquam diuinum quid, cum oligarchia, & democratia conferri non debet. Multa etiam eodem argumento scribit in dialogo 4. de legibus, qui accinit etiam Euripides in Achælor, vbi sic ait. *Regnum Deorum quadam vita videtur, nam præter immortalitatem reliqua habet omnia.* Sed licet hæc non sint inconcinna.

Euripid.

20

E Nihilominus tamen tertia expositio mihi per placet, & locum istum non de multis Principibus rempublicam vna gubernantibus, sed de multis, qui alij post alios subinde populos regant, accipiendum esse puto. Non tamen probor eorum mentem, qui dicunt Salomonem populos ipsos affari hoc sensu. *Propter peccata terræ multi principes eius, id est, graua alicuius prouinciæ, aut regionis peccata ita Deus punire solet, vt multi Principes alij post alios ipsi imperent, atque adedò ea incommoda experiantur, quæ imperiorum commutationes comitari, ac subsequi solent, quæ satis magna sunt, scilicet bella, inter;*

neiones, nouas vectigalium exactiones, iura A
etiam, legesque nouas, & alia id genus grauissi-
ma damna, *Et propter hominis sapientiam, & ho-
rum scientiam, qua dicuntur, vita ducis longior erit.*
Quasi dicat; capropter illa regio, quæ mala ist-
hæc vitate cupit, deligere sibi debet Principem
aliquem sapientissimum ac prudentissimum, qui
iura & leges callens populi vitia coërceat, om-
nesque in officio contineat: sic enim fiet, vt eiuf-
modi populus iustè administratus, & secundum
iustitiam, æquitatemque viuens, longam vitam
Principis à Deo obtineat, & quæ ex frequenti-
bus mutationibus imperiorum euenire solent in-
commoda, declinet. Hanc, inquam, expositio-
nem non probo, quam tradunt Bainus, Vatablus, B
Iansenius, Clarius, & alij quàm plures.

Existimo igitur Salomonem ad ipsosmet Re-
ges, ac supremos Principes sermonem intendere
hoc sensu. *Propter peccata terra multi Principes
eius, id est, ob graua crimina, quæ populus con-
nuentibus Regibus perpetrare solet, Deus ip-
somet Reges seuerius punire solet, adeò vt illos
nequaquam diu regnare permittat; sed multi
alij post alios ocysus sublatis intereant. Et propter
hominis sapientiam, & horum scientiam, qua dicun-
tur, vita ducis longior erit.* Contra verò si quis sit
Princeps cum primis sapiens, & gnarus, qui rem-
publicam iustè administrat, & ea, quæ vulgò
prohibentur, scelera, id est, publica crimina dis-
quirens, & agnoscens serio coërceat, ac puniat,
atque adeò vniuersum populum in officio con-
tinèat, huius certè Principis ac ducis imperium
diuturnius, & vita diu superstes erit. Itaque Sa-
lomon his Principibus, quorum incuria populi
ad delinquendum licentia augetur, perbreue im-
perium, & præmaturum interitum minatur: illis
verò, qui populi vitia compescunt, & transgres-
sore seuerissimè puniunt, longum imperium,
vitamque longævam pollicetur, digna certè tali
delicto illa pœna, & dignum item talibus pro-
meritis istud præmium. De sapientia, qua Reges
pollere debent ad rempublicam tractandam,
frustra hîc multis, cum de hac thesi alibi non
pauca dixerimus. Habes etiam expositionem il-
lorum verborum, *Et horum scientiam qua dicun-
tur, quæ alij aliter exponunt; Iansen. omnes om-
nium expositiones colligit: lege inibi. Ego qui-
dem per scientiam eorum quæ dicuntur, publi-
corum scelerum cognitionem capiendam puto,
eorum, inquam, scelerum quæ fama vulgavit;
nam publica crimina subditorum coërceat præ-
cipuum Regis munus est. Nil certius.*

Lxx. locum istum aliter extulerunt. *Propter
peccata impiorum iudicia suscitantur, vir autem
astutus extinguet ea, id est, multa crimina, quæ im-
pij perpetrant, efficiunt, vt multa sint iudicia, id
est, multæ contra illos ferantur sententiæ, qui-
bus damnati pœnas subire cogantur; vir autem
astutus, id est, Princeps gnarus, ac prudens, extin-
guet ea, id est, præcauendo istiusmodi delicta ita
rempublicam administrabit, vt partim exclusis
relegatisque improbis hominibus, partim etiam
ad honestam, & piam vitam traductis, fora &
subsellia omninò sileant. Itaque iuxta hanc le-
ctionem Salomonis mens est, gubernandi pe-
nitiam non tam in eo ponendam esse, vt delin-
quentes, ac transgressores puniantur, quàm vt
non sint. Quomodo autem hæc translatio cum
Primitiuis, & cum nostra lectione cohæreat, non
fatis assequor.*

III. *Vir pauper calumnians pauperem, si-
milis est imbrei vehementi, in quo paratur
fames.*

Vir pauper, &c. Hebr. *Vir pauper opprimens
pauperes pluuia trahens & non panis.* Caieta-
nus. *Pluuia inundans, & non panis.* Vatablus.
Imber putrefaciens segetem. Chaldaus. *Sicut plu-
uia vehemens in qua non est utilitas.* lxx. *Fortis in
impietatis calumniatur pauperes tanquam pluuia
vehemens, & inutilis.* Diuus Hieronymus contra
Ruffinum: *Impius calumniatur pauperes.* Aquila,
Symmachus, & Theod. concinunt cum Vulga-
tis, sic enim conuertunt. *Vir pauper, & calum-
nians pauperes sicut pluuia non cohibens se, & non
est panis.* Et quidem lxx. in priori loco pro paupe-
re fortem subiecerunt, quia in Primitiuis subest
וַיִּרְאֶסֶ, quam vocem referre licet ad וַיִּרְאֶסֶ, id
est, egere, aut depauperari, vel ad וַיִּרְאֶסֶ, id est,
conterere, aut destruere; sic enim verbum hoc re-
stituit vbique Hieronymus, scilicet Ieremiæ 5.
vers. 17. Malach. 1. vers. 4. & sæpe alibi: itaque
violentum cuerforem significat.

Hinc ergo fluit duplex huius loci interpreta-
tio; alia quidem secundum translationem lxx.
hoc modo. *Fortis qui in impietatis calumniatur
pauperes, tanquam pluuia vehemens, & inutilis,* id
est, homo violentus, qui pauperum bona per ca-
lumniam aufert, similis est vehementi pluuia,
quæ terram diripit, & messes inundat. Et sanè
inutile, pro nocuo, passim vsurpari à lxx. sæpè
aliàs animaduerti. Itaque *pluuia vehemens, & in-
utilis,* valde violentum & noxium imbrem adsi-
gnificat. Comparationis autem huius energia sic
habet; Quemadmodum cum pluuia vehementior
è cælo depluit, aquæ omnes è montium cacumi-
nibus ad valles decurrunt, & quæ in vallibus sunt
natae messes inundant, atque conuellunt; sic etiam
si viri fortes; potentes, & sublimes, ceu montes
quidam præalti, tributa, & alia reipublicæ onera
excutiant, & hæc omnia ad pauperes, ac ple-
bános, tanquam ad valles subiectos, deuoluantur;
hi certe exhausti bonis omnibus, & ad extremam
pauperiem redacti agriculturam deserunt; & re-
ipublica famem, & victis, annonæque penu-
riam subire coguntur. Et quidem secundum hanc
expositionem dicendum est, Salomonem etiam
in hoc versu, quemadmodum in aliis superiori-
bus, Principes ac Reges affari, atque illis sua-
dere, ne pauperem plebem iniustis exactionibus
opprimant.

Quod si dicamus, sermonem esse in vniuersum
de quolibet homine potente, qui pauperibus per
calumniam damnum dat, comparatio sic institui
debet; quemadmodum cum pluuia vehemens
decidit, collectis hinc & inde riuis, torrentes re-
dundant, & agros longè latèque implent, atque
adeò messes siue in herbis, siue maturæ sint, con-
uellunt & secum auferunt; quæ verò ea ratione
collegerunt, non continent, sed in flumina alia no-
tiora, hæc verò in mare ipsum effundunt: ad eun-
dem modum quicumque per violentiam, & iniu-
riam pauperes spoliant, & eorum bona diripiunt,
nihil inde ditescunt, aut augentur: nam quæcun-
que ab his contra ius, fasque euulserunt, tanquam
torrentes quidam rapidi, in ditiores alios velut in
grandiora flumina deuolunt, & hi rursus in ma-
re effundunt, quia vel morte deseruntur, vel ob

crimen aliquod fisco adiudicantur. Hæc verò aliena sunt à Vulgata lectione.

26

Quam reliqui interpretes ad vnum sic exponunt. *Vir pauper calumnians pauperem, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames.* Certè illud pauperibus maximè proprium, vt eorum vicem indoleant, qui simili egestate premuntur, & eius, quam subleuare non possunt, inopiæ saltem ex animo misereant. Ergo ait Salomon; pauper, qui naturæ iura violans alium sibi similem pauperem per calumniam & iniuriam opprimit, vel spoliat, similis est imbri vehementiori, qui terram inundans, obruensque, aut femina denudat, aut segetes natas reuellit. Et sanè comparationis huius elegantiam in eo sitam esse dicunt, quia pluuia, quæ suapte natura ad segetes alendas, fouendisque deseruit, cum vehementior est, eandem prosternit, ac diripit. Huic verò perquam similis est pauper, qui natura etiam suadente aliorum pauperum miserecere, & ope sua quomodolibet subuenire debuerat, si. n. aliquando in pauperem alium seuire incepit, non prius iræ parcat, quam illum, vehementioris instar pluuie campos & fata diripientis, bonis omnibus spoliat, atque fortunas illius deprædat. Non displicet sanè hæc interpretatio; tamen (vt dicam etiam quod sentio) non admodum placet; quapropter aliam atque aliam expositionem subiiciam, quæ mihi accommodatæ magis videntur.

27

Prior est. *Vir pauper calumnians pauperem, &c.* Suadet Salomon pauperibus, ne sibi mutuo calumnias imponant, aut damna dent, quia facile erit cuique alium euertere, & ad extremas angustias famemque compellere. Comparatio autem sic instituenda est; Quemadmodum vehementior imber terram impluens, ipsam eradere, atque diripere, ac femina recens fata denudare, & quæ nondum actis radicibus coaluerunt, euellere solet; ita etiam pauperes, si se iniucem oppugnent, & damnis mutuis afficiant, facile alij alios spoliant; nam cum census eorum sint tenues, & infirmi, quælibet etiam exigua vis illos exhaurit, ac conficit. Itaque sententia Salomonis est, pauperibus quidem plerumque diuites iniurios esse, atque adeò inter se iniucem mutuo scedere obstringi oportere; nam si etiam ipsi sibi molestias & negotia iniucem facessant, omnis eorum res pessum ibit, atque ad extremam famem cogentur.

28

Posterior expositio, quæ mihi apposita magis videtur, sic habet. *Vir pauper calumnians pauperem similis est imbri, &c.* Profecto in republica pauperes agriculturam exercent, & telluris coloni sunt, atque adeò ex eorum operis, & industria totius ciuitatis victus & annona pendet. Vnde Aristot. li. 6. Polit. c. 4. *Optimus, inquit populus est ille, qui ex agricolis constat, & eam rempublicam cum primis ditam atque felicem esse mihi affirmat, quæ plures agrorum colonos habet.* Illud præterea certum est nihil æquè agricolas retardare, ne suas operas agris excolendis sedulo impendant, quam iurgia & lites mutuas. Quapropter Plato in sua republica vt huic malo occurreret, præcepit, vti controuersia, quæ inter agricolas excitarentur, à vicinis, & contribulibus dirimerentur, ab his s. quos ipsi arbitros sibi delegissent, ne si opus illis esset fora adire, & ad magistratus suas causas deferre, telluris culturam intermittere cogerentur. Ita scribit Postell. in lib. de republica Turcarum, qui addit etiam, apud Turcas agriculturalium causas à conuicinis vicissim iudicari ob eandem rationem. Ad hæc Dionysius Halicar. lib. . inter

Dion.
Halicar.

A alia, quæ ad bonum reipublicæ statum Romulus statuit, hæc rescribit. *Diuiso vniverso agro in pagos, suum cuique præposuit ruralem magistrum, qui eos curaret, segnes colonos obiurgaret, multa castigaret etiam, & de eorum controuersis iudicaret.* Salomon ergo, qui in superioribus carminibus Principes affatus est, hæc etiam (ni fallor) verba ad eisdem Principes intendit, suadetque illis, vti pauperum sibi iniucem per calumniam, & iniuriam damna dantium lites, & controuersias prohibere curent. Si pauper, inquit, pauperem, hoc est, agricola agricolam per calumniam laceffat, ac sibi iniucem mutuo lites moueant, dum fora & magistratus adeunt agriculturam deserent, atque adeò reipublica, annona deficiente, famem perpeti cogentur. Hinc spectat illa similitudo pluuie vehementioris, quæ sic conformanda est. Quemadmodum pluuia vehemens tellurem abradit, & iacta semina diripit, segetesque conuellit; (vel, si mauis, vehementem imbrem appellat diram grandinem maturas segetes conquassantem, & frumenta perdentem) sicut, inquam, hæc duo totum anni prouentum euertere, & reipublicæ famem adducere solent, ad eundem modum si pauperes, id est, agricolæ, sibi mutuo aduersentur, & causas, litesque sibi iniucem moueant, intermissa agricultura prouentus interibunt, & famem rempublicam inuadet; atque adeò optimi Principes eiusmodi lites & controuersias inter agricolas obortas, præcipuo studio cauere debent.

IV. Qui derelinquunt legem laudant impium; qui custodiunt, succendunt contra eum.

Qui derelinquunt, &c. Hebr. *Dereliquentes legem laudant impium, & custodientes legem litem miscebunt in eis.* Caietanus. *Custodientes legem, excitabuntur contra eos.* Chaldeus. *Qui relinquent legem, gloriantur in impietate, & hi, qui custodiunt legem, contendunt cum eis.* Septuaginta interpretes locum istum aliter extulerunt; nam codex Varicanus superiora illa verba, *tanquam pluuia vehemens, & inutilis*, ad hanc sententiam allicit hoc modo. *Tanquam pluuia vehemens, & inutilis, sic qui dereliquentes legem laudant impietatem: qui autem diligunt legem, circumdant sibi murum.* Sanctus Hieronymus in cap. 11. Ecclesiastes *Hieron. sic qui derelinquunt sapientiam, & impietatem laudant.* In Primitiuis pro illa voce *succendunt* subest *יתרגר* *ithgar*, ex radice *גרה* *Garah*, id est, *contendit litigauit, confligit*, significat etiam, *fortiter agere in bello.* Psalm. 39. *A fortitudine manus tua ego Defecti.* Hebr. à contentione. Deuteron. 2. *Ne geras cum eis pralium.* Hebr. *ne litiges cum eis.* Vtrobique autem subiicitur verbum *Garah*. Hinc natae omnes translationes præscriptæ, quæ ferè ad rem militarem spectant.

29

E

Sententia huius loci perspicua est, significat enim Salomon viros impios, & sceleratos, his semper gaudere, ac delectari, qui similem ad modum impietati se tradunt, atque eos detestari, & odisse, qui pietatem colunt. *Qui derelinquunt legem laudant impium*: id est, viri exleges, & pietatis ofores, eos certè commendant, & sibi placere ostendunt, qui impietatem pari cum ipsis studio sectantur: *Qui custodiunt succendunt contra eum*, id est, ex aduerso qui legem Dei studiose obseruant, contra eisdem impios inflammantur, & illos

30.

Sap. 2.

tur, & illos impensè oderunt. Quid certius? Impius enim ut vitiis suis auctoritatem, aut etiam excusationem quarat, gaudet plurimum, cum alij atque alij impietatem sectantur. Eapropter improbi, ac scelerati homines Sap. 2. sese inuicem ad improbitatem, & scelera exacuunt. *Nemo, inquit, nostrum exors sit luxuria nostra; ubique relinquamus signa letitiae, quia haec est pars nostra, & haec est fors, &c.* Et subinde sese mutuo conuocant aduersus iustum. *Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improprie nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinae nostrae. Factus est nobis in translationem cogitationum nostrarum; grauis est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est alius vita illius, & immutatae sunt via eius.* Praecipua capita attingit Salomon, propter quae impij iustos odio infectantur, haec sunt, dissimilitudo morum, atque sancta & pia iustorum conuersatio, quae ipsorum assiduo damnat intemperantiam, viuendique licentiam. Igitur ex aduerso iidem improbi prauos quosque propterea diligunt, & collaudant; quia similes ipsis mores habent, & dum plures improbitas sectatores sibi numerat, auctoritatem inde sumit, & infamiam sibi congenitam quodammodo eluit, ac purgat. Rursus nihil iustis, ac probis hominibus magis proprium quam improbos infectari & odisse. Psalm. 118. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Declinate à me maligni, &c.* & Psalm. 10. *Declinantem à me malignum non cognoscebam, detrahentem secretò proximo suo, hunc persequabar. Superbo oculo, & insatiabili corde cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terrae, ut sedent mecum; ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat, &c.*

Psalm. 118.

Psalm. 100.

31

Sed obseruandum est verbum illud, *succendunt contra eum*; nam Iansen. Rodolph. & alij passim putant, *succendunt* positum, pro *succenduntur*, ita ut sensus sit: probi, ac iusti homines accenduntur zelo, & indignatione contra improbum. Sed repugnat litera. Quapropter nescio an melius alij dixerint desumptam similitudinem ab excubitoribus, qui accensis facibus hostis aduentum commonstrare, & arma sumendi signum commilitonibus suis dare solent. Nec abhorret ab hac significatione nomen *שומר* *Somerim*, quod hic reperitur sub illis verbis, *qui custodiunt, seu custodientes*, quod nullus ignorat accipi pro custodibus, & excubitoribus. Itaque sensus erit, *Et custodientes legem succendunt contra eum*. i. viri probi, qui legis zelum habent, tanquam excubitores quidam peruigilant, & contra impios eiusdem legis transgressores, quasi facibus accensis, commilitones suos ad arma capellenda euocant. Quasi dicat, vir probus non solum ipse contra impios exardescit, sed zelum legis, quasi facem quandam accensam prætendens, alios etiam probos & iustos homines aduersus illos concitat, armatque.

32

Non caret etiam emphasi illa lectio. *Et qui custodiunt, legem scilicet, litem miscbunt in eis*, i. inter improbos transgressores. Quae verba non modo significare possunt viros probos, ac sedulos legum obseruatores litem mouere improbis, atque ipsis semper aduersari, sed etiam id contendere, ut inter ipsos impios lites immittant, ac mutuis illos diffidiis inter se conflagere ac decertare cogant, ne si impij inter se confederati vires coniungant, contra pietatem roborentur. Et sanè D. Augustinus in Psalm. 109. ad maximam

Tom. 2. Part. 2.

Dei prouidentiam hoc pertinere dicit, quod Deus ipse improbis inter sese conflagendi, & decertandi occasiones offert, ut quandiu inter se conferunt, pijs pareant, atque bonis nequaquam bellum moueant. Adde etiam ex mutuis impiorum conflictibus & pugnis hoc euenire, ut eos partitos, atque diuisos facilius probi expugnare possint: nam si omnes vna improbi contra probos conspirarent, quamuis impares robore, copia tamen sua mali bonos obruerent, ac profligerent.

Translatio verò lxx. alium sensum reddit, sic enim habet. *Tanquam pluuia vehemens, & inutilis, sic qui derelinquentes legem laudant impietatem; qui autem diligunt legem, circumdant sibi murum.* Describit Salomon vim atque impetum impiorum contra probos hoc sensu; Quemadmodum si per aestatem, tunc cum minime opportunum est, vehementior imber in terram decidat, collectis hinc & inde aquis torrentes rapidissimi feruntur, & obuia quaeque deturbant, ac secum volunt; ita etiam impij legum transgressores contra probos conspirantes, quasi collectis viribus, in ipsos irruunt, atque eorum firmitatem & robur tentant, id contendentes, ut, si fieri possit, eos secum rapiant, & ad similem viuendi rationem pertrahant. Ex aduerso verò pij legis amatores, qui diligunt legem, circumdant sibi murum, id est, ne illos vis atque impetus impiorum irripiat, ac secum voluat, ipsamque legis obseruantiam, tanquam murum quendam fortissimum obijciunt, quem nulla influentium aquarum vis praerumpere, aut labefactare possit. Et sanè de illis, qui legem, & mandata Dei sedulo peragunt, appositè ad haec Christus Dominus Matthaei 7. *Omnia ergo qui audit verba mea haec, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat super petram.*

33

Matth. 7.

D

Diuis Hieronymus in cap. 11. Ecclesiastes priora huius translationis verba explicuit hoc modo. *Opportune, importune suo tempore Dei sermo est predicandus, nec fidei tempore aduersariorum nubium consideranda tempestas, de qua in Proverbis dicitur: Sicut pluuia vehemens & inutilis, sic qui derelinquunt sapientiam, & impietatem laudant. Absque consideratione ergo nubium, & timore ventorum in medijs tempestatibus seminandum est: nec dicendum, illud tempus commodum, hoc inutile, cum ignoremus, quae via, & quae voluntas sit spiritus omnia dispensantis.* Itaque sanctus Hieronymus putat in hoc loco eos, qui derelictis, desertisque pietatis documentis perniciose dogmata auditoribus instillant, cum vehementioribus imbribus conferri, quae recens sata semina denudant, & eas, quae nondum actis radicibus coaluerunt, segetes conuellunt, & extirpant; id est, paruulorum mores subuertunt: robustos autem ac fortes legis obseruatores non impellunt, aut commouent: his enim ipsa legis obseruatio pro muro est, quo seiplos contra impiorum licentiam cingunt, ac muniunt.

34

Hieronym.

V. Viri mali non cogitant iudicium; qui autem inquirunt Dominum animaduertunt omnia.

35

Viri mali, &c. Hebr. Viri mali non intelligunt iudicium, & querentes Dominum intelligunt omnia. Chaldaeus. Et qui requirunt coram Domino intelligunt omnia bona. lxx. Querentes autem Dominum intelligunt in omni. Aquila Symmach. & Theodot. omnia.

Huius loci sententiam ex ipso verborum sono exigunt interpretes: quasi dicat; hoc inter bonos, & malos interest, quod mali quidem de iudicio, id est, de probitate, & iustitia ne cogitant quidem: ac viri probi, qui Deo placere cupiunt, tam iustitiam quam iniustitiam, tam probitatem quam improbitatem profus callent, atque ad eam illam profequi, & hanc vitare & declinare possunt. Ceterum hæc interpretatio exanguis est.

Quapropter Salomonis mentem hanc esse reor. Viri mali non cogitant iudicium, id est, viri improbi, quamuis humana eruditione, & sapientia plurimum valeant, nihil profus scire putandi sunt, quandoquidem ignorant ipsam honestatem & probitatem, cuius ignoratio summa insipientia est. Qui autem inquirunt Dominum animaduertunt omnia, vel intelligunt omnia, id est, viri iusti, & recti, quotquot Deo placere student, hi certè, quamuis aliàs omni humana eruditione, & disciplina vacui sint, sapientissimi tamen existunt. Nazianzenus in oratione 14. de plaga grandinis. Prima, inquit, sapientia est vita proba, & honesta, Deoque perpurcata, vel certè se purgans. Chrysostomus homil. 54. in Genesim. Iustorum conversatio, & vita, totius Philosophiæ continet doctrinam. Sed de hac numeris omnibus absolutissima viri probi, Deoque placentis sapientia absolutissime agit idem Chrysostomus homilia 19. in Epistola ad Colossens. Nihil est eo sapientius, qui ex virtute se rectè gerit: vide enim quomodo sit philosophus, probat id Chrysost. consequentibus verbis. Diuinarum, & humanarum rerum cognitio est philosophia; ergo vir iustus rerum diuinarum & humanarum cognitionem habet: nouit enim quæ sunt res diuinae, & quæ humanae, & ab his quidem abstinet: illas verò exercet, & operatur. Hæc ille. Ait ergo Salomon. Qui autem inquirunt Deum animaduertunt omnia, id est, omnia norunt, & nihil ignorant, quia diuina, & humana profus callent.

NAZIANZ.

VI. Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quàm diues in prauis itineribus.

36

Huius carminis prius hemistichium occurrit supra cap. decimo quinto, vers. 1. vbi sic habes. Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quàm diues torquens labia, & insipiens. Sed tamen in hoc loco, dum priora verba cum extremis conferuntur, diuersam reddunt sententiam. lxx. Melior est pauper vadens in simplicitate, diuitem mendaci. Chald. Quàm ille, qui peruersus est in via sua, & ipse est diues.

Interpretes hæc quoque verba capiunt, vt sonant, qui putant Salomonem eò tantum spectasse, vt paupertatem cum integritate vitæ, ac morum coniunctam his diuitiis præferret,

A quibus improbitas, & impietas hæret. Cum illis certè sentio; tamen existimo sententiam huius carminis per omnia similem esse superiori, ita vt quemadmodum Salomon ibi hominem stolidum, & rudem, qui bonis operibus Deum promeretur, & illi se gratum præbet, longè sapientiore esse affirmat illo, qui humana, & externa eruditione pollens turpiter viuunt; ita etiam in hoc versu virum pauperem, qui innocentia, & vitæ integritate præditus est, longè ditiores, ac copiosiores esse doceat diuite iniquo, turpem, & inhonestam vitam agente. Itaque vox illa, Melior est, perinde sonat ac locupletior existit, vt sæpe aliàs in hoc libro cap. 3. Melior est acquisitio eius auro, & lapide pretioso, & cap. 12. Melior est pauper & sufficiens, &c. Psalm. 36. Melior est modicum iusto super diuitias peccatorum multas: & sæpe aliàs.

B 3. Melior est acquisitio eius auro, & lapide pretioso, & cap. 12. Melior est pauper & sufficiens, &c. Psalm. 36. Melior est modicum iusto super diuitias peccatorum multas: & sæpe aliàs. P sal. 36.

Et sanè vitæ integritatem, & honestatem esse optimas hominis opes, & diuitias, quæ verè hominem locupletem efficiunt, innuit Paulus 1. ad Timoth. 6. Diuitibus huius sæculi præcipue non altum sapere. Et post pauca. Diuites fieri in bonis operibus. Quæ verba sic expendit Chrysostomus in homilia ad Psalm. 111. Scit, inquit, scriptura eas appellare diuitias, quæ sunt in bonis operibus, vt quando dicit, bona operari, & diuitem esse in bonis operibus: hæc enim sunt veræ diuitiæ: alia sunt nomine tantum, & autem ipsa carent: & rursus homilia in Psalmum 10. ad illa verba. Quoniam diminuta sunt veritates à filiis hominum, sic attexit. Est mundus verus, est etiam falsus. Quis est ergo mundus verus? qui est in anima: & quis est falsus? qui est in corpore: sunt diuitiæ veræ, sunt etiam falsæ: falsæ quidem pecuniarum, veræ rectè factorum: sed maxima pars hominum horum veritate relicta, quæ falsæ sunt persequitur. Quemadmodum enim est homo verus, & falsus, verus quidem qui viuunt, & operatur: falsus autem qui pictus est: ita etiam videre possumus in his, quæ dicta sunt. Quia nimirum bona opera iustorum diuitiæ sunt viuæ, & actiuæ: atque ad eam veræ & germanæ: at verò pecuniæ, & thesauri opes sunt demortuæ, & iacentes, atque ad eam falsæ & adulterinæ. Locupletior ergo est vir probus ac simplex, qui nimirum viuus, veris, atque genuinis diuitiis abundat, quàm diues iniquus, qui mortuis, pictis, falsis, ementitisque opibus affluit. Vide plura loco citato.

37

1. Ad Tim. 6. Chrysost.

VII. Qui custodit legem, filius sapiens est: qui autem comessatores pascit, confundit patrem suum.

E **Q**ui custodit, &c. Hebr. Et pascens comedones pudore afficit patrem suum. Chaldaeus. Et qui socius est comessatorum, exasperat patrem suum. lxx. Custodit legem filius intelligens, qui autem pascit luxuriam, inhonoret patrem.

38

Est etiam omnium interpretum in hoc loco mens vna, qui verba ista capiunt, vt sonant, hoc sensu. Qui custodit legem, filius sapiens est, &c. i. qui paret legi diuinæ, & ipsam sedulo peragit, hic filius sapiens est, atque ad eam parentibus suis: qui filiorum suorum probitate efferri solent, gloriam, & splendorem adducit: Qui autem comessatores pascit, confundit patrem suum, id est, qui acceptam hereditatem cum comessatoribus & helluonibus decoquit, hic certè confusionem

parit patri suo: quia nimirum in parentum ignominiam, & dedecus cedunt filiorum vitia. Ceterum spiritu & sanguine caret hæc expositio, & prius hemistichium cum posteriori non conuenit.

39 Ergo per legem, quam filius sapiens custodit, non vique legem, aut præcepta Dei in vniuersum capienda esse reor: sed hæreditatis portionem à parentibus acceptam, quam legitimam vocant: quod nomen idè tulit, quia secundum legem tam naturalem, quam diuinam, filiis debetur. Itaque lex hæc non communiter pro Dei mandatis, sed specialiter pro illa lege capienda est, qua Deusterram promissam inter familias distribuens alienationes vetuit. Et id tantum luxuriam filiorum indulget, vt traditas sibi portiones non tam diuendere, quam elocare, & conducere possent, sub conditione redemptionis, eo, scilicet, pacto vt in anno Iubilæi ad familiam redirent. Sic habes Leui. 25. ab illis verbis. *Terra quoque non vendetur in perpetuum*, &c. Adde etiam legem illam de successione filiorum in paternis bonis, quam

Leuit. 25. Moyses retulit ad populum, Num. 27. Itaque

Num. 27. verba Salomonis sic accipio. *Qui custodit legem, filius sapiens est*, id est, qui legitimam suam, vel acceptam ex lege hæreditatem, & quam lex etiam

40 retinere, ac minime alienare præcipit, legi ipsi patris adseruat, nec profundit, is certè filius est sapientia insignis, atque adeo parentibus suis gloriosus: *Qui autem comessatores pascit, confundit patrem suum*. Qui, scilicet, comestationibus, &

comotationibus acceptam à patribus hæreditatem profundit, ad extremam inopiam, redactus, dum in gloriam, obscurusque mendicare, aut aliis inferuire compellitur dedecore afficit parentes suos: quia nimirum eorum claritatem filiorum ignominia non parum offuscat. Hinc certè natum maximum illud gaudium, vel potius ouatio, qua pater filium prodigum, & decoctorem ad se reuertit, & ex peregrinis regionibus reducem, excepit. Luca 15. gaudebat enim bonus pater suæ gloriæ, splendorisque iacturas instaurari. Chaldeus habet. *Exasperat patrem suum*, id est, illi, si adhuc superstes sit, indignationem mouet maximam. Et quidem si de patre superstitite sermo sit illa verba *confundit patrem suum*, ita exponi possunt: Filius, qui comessatores & helluones alit, parentis sui bona exhauriens, illi inopiam, atque adeo pudorem, ignominiamque adducit.

Luca 15.

IX. *Qui coaceruat diuitias vsuris, & fœnore: liberali in pauperes congregat eas.*

41

Qui coaceruat, &c. Hebr. ad verbum sic habent. *Multiplicans copiam suam in vsura, & augmento: ad miseresendum tenuium congregat eas*. Chald. *Miserenti pauperum congregat eas*. Ixx. *Qui multiplicat bona sua cum vsuris, & excrescentia ei, qui miseretur inopum, congregat eas*.

Lyra perperam dispunxit locum istum: nam cum vocem illam *liberali*, fœnori adiungendam putasset, ita quidem exposuit. *Qui ex vsuris & fœnore liberali*. i. qui ex lucris vltra sortem acceptis per liberalem donationem eius, qui mutuum accepit, fortunas suas auget, in pauperes, i. contra pauperes, vel cum maximo pauperum detrimento, & iactura, *illas congregat*: nam diuites pecunias suas pauperibus fœnori dant, eosque ferme repe-

titis vsuris exhauriunt. Sed tamen vir Hebr. Origines non consuluit, atque adeo alienam interpretationem inuenit.

Sunt igitur ex Hebr. nonnulli, qui verba ipsa primitiua videntes à nostra etiam Vulgata lectione abhorrentem interpretationem in hunc locum coniecerunt. Nam cum sic legant. *Multiplicans copias suas per vsuras, & fœnora, ad miseresendum pauperem congregat eas*, sic edisserunt. Quicumque diuitias, & opes cumulat, seu custodit, vt ex his pauperum inopiam misericorditer subleuet, is certè eas sine modo aliquo adaucto fœnore vsurisque in dies multiplicat: quidquid enim pauperibus dilargitur, ingenti fœnore cumulatam recipit. Quæ sententia non abit ab ea, quam supra cap. 16. discussimus. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperi*, &c. lege ibi multa. Alij etiam ex Rabinis ita committuntur. Qui contra ius fasque vsuris, & fœnore, fortunas suas auget, ea certe congerit, quæ, quia male parta sunt, retineri non possunt, atque adeo vel dominis restituenda, vel in pauperes spargenda sunt. Ceterum hæc omnia coacta videntur, & tum à nostra, tum etiam à Septuag. lectione prorsus aliena.

Vox ergo illa *liberali* ad sequentem orationem aptari debet, & versus comate sic incidendus est. *Qui coaceruat diuitias vsuris & fœnore, liberali in pauperes congregat eas*. id est, quicumque per iniuriam inquis vsuratum, ac fœnorum lucris, fortunas suas auarè cumulat, is certè nequaquam illis perfruetur, sed congestas ab ipso opes Deus ad illum transferet, qui in pauperes liberaliter ipsas profundit. Eundem sensum reddunt translatio Ixx. & paraphrasis Chald. quas supra dedi. Sententia autem est verissima, & diuinæ providentiæ iustissimam dispositionem, ac legem continet, quæ cum diuites fortunarum, & diuitiarum velut œconomos, ac dispensatores præfecerit, vt eas pauperibus dilargiantur, merito quidem illas auaris eripit, & liberalibus concedit: quia munus dispensatorum exercent. Sed tamen hæc valde sunt perspicua, atque adeo illustratione non egent.

D IX. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius fiet execrabilis.*

Qui declinat, &c. Hebr. *Remouens aurem suam ab audienda lege, oratio eius abominatio*. Chald. *Qui obrurat aurem suam, ne audiat legem*. Ixx. *Et ipse orationem suam abominabilem fecit*. Aquila, Symmac. & Theodot. *Etiam oratio ipsius abominatio*.

Huius etiam loci sententia est luculenta. *Qui declinat*, inquit, *aures suas ne audiat legem*, id est, qui de industria, & ex studio aures suas auertit, ne Dei legem exaudiat, & auditam impleat, huius certè orationem, & preces abominabiles, ac detestabiles ducet Deus. Quasi dicat: par pari refert Deus: & quemadmodum improbi Dei legem audire, ac peragere ex contemptu noluerunt: ita etiam Deus eorum preces audire, & postulatis acquiescere per summam despicientiam abnuet. *Oratio*, inquit, *eius erit execrabilis*, vel, vt habent Primitiua, *erit abominatio*, id est, ipsa execratio ac detestatio. Maximum sanè supplicij genus est ea, quibus placari debuerat, per summum tardium, & fastidium à Deo auer-

44

Psal. 108.

fatis ac respui. Huic simile est illud Psalmi 108. Cum indicatur exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum. Quæ verba acutè expendit Chrysostomus homilia in eum Psalm. Eum solum, qui ei relictus fuerat, portum obstruit, rogans ut ne Deo quidem assequatur clementiam, dicens: Et oratio eius fiat in peccatum.

Chrysost.

45

Imperf.

Et sanè nisi ad orationem opera accedant, & legis diuinæ exacta obedientia, oratio Deo placere nequaquã potest. Auctor Imperfectus in Matthæum homilia 18. Si opera iustitia non facis, id est: si non pulsas, nec orare ex fide potes: nam virtus orationis est opus iustitiæ: oratio autem quasi odor suavitatis est operis boni, sicut ergo res aliqua sine bono odore esse potest, odor autem bonus sine re aliqua esse non potest; sic opus sine oratione aliquid est, oratio autem sine opere bono nihil est, & si oras: non ex fide oras. Nam sicut lucerna non quidem ex oleo accenditur, sed per oleum nutritur, sic fides orationis non quidem ex opere nascitur, sed per opera enutritur. Quomodo igitur non abominabilis, & execrabilis Deo oratio illa, quam bonorum operum aromata, tanquam gratum odorem, non spirant, sed scelerum potius, ac peccatorum fœtores, veluti tetrum odorem, exhalant? Rursus idem Imperfectus homilia 15. sic habet. Sicut oleum accendit lumen lucernæ: ita & bona opera excitant fidem cordis, & dant confidentiam animæ apud Deum orandi. & infra. Ille orat, qui iam non peccat: qui autem rogat & peccat, non tam rogat Deum, quam deludit Deum. Ergo ne placebit Deo sua ipsius irrisio? an non potius irrisores detestabitur?

46

Ambros.

Sed audiendus etiam de hac thesi D. Ambr. in c. 4. Apocal. ubi expendens illa verba Pauli, sine intermissione orate, quosdam esse ait, qui crebras ad Deum orationes, & preces fundunt, & laudes illius passim vsurpant: & tamen superbia, odio, invidia, & aliis vitiiis Deo iniuris inquinantur: de his vero sic scribit. Ad istorum cacitatem demonstrandam, quandam similitudinem proponam. Homo quidam vsque ad collum defixus in limo tenebatur: cumque vidisset quendam prateruentem extendens manum clamabat dicens, Miserere mei, & extrahere me ab hoc luto. Cumque manum porrigeret, ut ipsum extraheret: iste manum, quam extenderat, sub luto demersit. Cumque ille, qui ad extrahendum venerat, recedere vellet: iste iterum, ut erueretur, postulabat: Cumque ille secundo ad eruendum manum extenderet: iste sicut prius manum sub luto demersit. Cumque crebrius hoc faceret, ille iratus dixit: cur petis ut eruaris, cum in tuo periculo persistere velis? Et quia interitum tuum diligis, posside quod elegisti. Similiter isti Deum deprecantur assidue, ut a vitiiis eruantur, & tamen ipsa vitia ita amplectuntur, ut ab eis nullo modo diselli possint. Et subinde post pauca sic attexit. Ille ergo sine intermissione orat, qui congruis temporibus mente, & lingua Deum deprecatur, & in bonis operibus assiduus est: Ita nimirum ut quando mens, & lingua ab oratione vacans, opera ipsa intercedant. Imo quando dormit, aut aliquibus humane nature operibus occupatus est, opera eius resurgunt in conspectu Dei, & ipsa sunt intercessores eius apud Deum. Quid illustrius? Iam igitur ad nostrum redeamus institutum. An non erit illius oratio abominabilis, & execrabilis Deo, qui manus suas peccatorum ac scelerum luto, lacibusque infectas leuat, imò potius non leuat; sed tunc cum diuinam opem exposcit, eas sordibus istis altius immergit, infigitque?

47

Gregor.

Denique Diuus Gregorius lib. 18. Moral. cap. 5. appositè ad hanc sententiam sic scribit. Graui-

ter vnusquisque confunditur, quando mandata Dei, quæ legendo vel audiendo respicit, viuendo contempnit. Hinc enim Ioannis voce dicitur, Si cor nostrum nos non reprehenderit, nos fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus ab eo accipiemus. Quasi diceret: si id quod præcipit facimus, id, quod petimus, obtinebimus. Valde namque apud Deum utraque hæc sibi necessariè congruunt, ut & oratione operatio, & operatione fulciatur oratio. Hinc enim Hieremias ait: Lenemus corda nostra cum manibus ad Deum in caelos: corda cum manibus leuat, qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat; sed operari dissimulat, cor leuat, & manus non leuat; quisquis verò operatur, & non orat, manus leuat, & cor non leuat. Iuxta ergo Ioannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cum sibi prauitas nulla contradicit: & tunc etiam fiduciam in oratione abiecit, cum prauitas operum orationem oppugnat. Frustra hinc plura.

X. Qui decipit iustos in via mala, in in-
scripto suo corruet; & simplices possidebunt
bona eius.

Sic exhibetur locus iste in Vaticanis; plures antiqui codices habebant tantummodo. Et simplices possidebunt. In Primitiuis est ad verbum. Errare faciens rectos in viam malam, in foueam suam ipse cadet; & integri hereditabunt bonum. Chaldaus. In foueam cadet, perfecti autem, & immaculati hereditabunt bona. Lxx. Qui seducit rectos in viam malam, in corruptionem ipse incidet, iniqui autem transibunt bona, & non ingredientur in ea. Aquila, & Theod. Et simplices obtinebunt bona.

Duplex huius loci interpretatio sese offert; altera est communis assentientium sententiam huius versus cum ea prorsus concinere, quam supra habes cap. 26. Qui fodit foueam incidet in eam. de qua supra multis diximus, ita ut sensus sit. Qui decipit iustos in via mala, &c. id est, qui suis dolis ac technis viros rectos, & simplices à via recta deductos perdere, & in caueas, foueasque agere transuersos studet, ipse quidem dolis suis peribit, & in foueas, quas aliis aperuerit, incidet: Ac simplices possidebunt bona eius. Hæc verba cum superiori sententia non satis coherentia videntur; tamen illa sic innodare contendunt. Viri autem simplices, & doli expertes, impio pereunte bonis illius potentur, quia nimirum dicta bona ab ipso erepta, probis, ac iustis Deus largietur. Sic Iansenius, Rodolphus, Caietanus, & alij. Sed tamen hæc interpretatio inanimis iacet, atque adeò eam excitare, ac spiritu donare oportet.

Existimo igitur Salomonem loqui de eo, qui per dolos, & fraudes, hominum simplicium, & doli expertium, fortunas vsurpare apud se cogitat, atque illi consonam sceleris sui poenam minatur hoc sensu. Qui decipit iustos in via mala, id est, qui iuxta animi sui prauum institutum simpliciores fallit, ut bona illorum contra ius factæ sibi assumat, is certè in interitu suo corruet. Hebr. In foueam suam ipse cadet. id est, quam ipse contra simplices tentabat perniciem, sibi ipsi acceret. Nam simplices hereditabunt bona eius, id est, viri simplices ac minime fallaces, versa vice fortunæ eius potentur. Hæc enim sunt diuinæ prouidentia dispositiones iustitiae, quæ versutos homines in astutia sua captat, & in posturas, quas

aliis facere parant, in ipsorum perniciem vertit. A An non Amani astus Mardochai simplicitatem fallere, ac demoliri tentavit? Ita profus: sed dum ipsum ab Assueri gratia excidere, atque emori insidiosè curabat, ex aduerso factum, vt pro Mardochæo Aman periret, & in Assueri gratia, quâ diu vsus fuerat, Aman succederet Mardochæus. Nec dissimilia his exempla alia passim obseruare licet, quæ huius veritatis fidem faciunt, & diuinæ providentiæ attentam, acuratamque in rebus humanis administrandis solertiam apprime declarant.

50 Septuaginta interpretum alia mens est. *Qui seducit rectos in viam malam, in corruptionem ipse incidet.* Hæc non dissident à Vulgatis; corruptionem enim appellat dolum seu corruptelam fraudulentam. Subnectit. *Iniqui autem transibunt bona, & non ingredientur in ea.* id est, proximè erunt, vt simpliciorum fortunis potiantur, & tamen ea minimè capessere poterunt, ita vt illis bolum è faucibus ereptum dicere liceat, eosque tibi quasi Tantalos quosdam cogitare fas sit, queis scilicet aqua fugax ipsamet labra attingat, sed non perluat. optimè Basilius in Homilia de diuitiis, & paupertate. *Fluxa est, inquit, diuitiarum natura, torrenteque citius eos apud quos est, præterlabitur. Nam alias alium herum solent permutare, & perinde ac fluminis ille, qui ab alto fertur, appropinquare solet, hisque cum ripa adstant, sed simul vt eos attingit, de repente secedit; sic etiam diuitiæ celerrimum ac lubricum habent accessum.*

51 Vel aliter. *Iniqui autem transibunt bona, &c.* Audi Augustinum. *Despiceris tu pauper, qui speras quod non vides, & despicit te diues, qui a quasi tener quod videt. Noli turbari, attende, si tener, labitur hoc ab illo quod tener, vel ipse ab eo quod tener. Necessè enim est transeat, aut ipse per res suas, aut res ipsa per illum. Per quem transeunt res sue? Per eum qui viuus labefactus erit. i. qui viuus perdit res suas. Quis transit per res suas? qui in diuitiis moritur; quia cum moritur non eas secum auferat ad inferos. Domum meam habeo, iactabit se; Quæris, quam domum tuam? quam mihi dimisit pater meus. Et ille, Vnde habuit hanc domum? auus noster illam dimisit. Recurre ad proauum, inde ad atauum, & iam nomina non potes dicere. Nonne inde potius terreris, quia multos attendis transisse per illam domum, & nomen illorum secum illam tulisse ad æternam domum? Pater tuus hic eam dimisit, transiuit per illam: sic & tu transibis. Si ergo transicum habetis in domo vestra, statio est itinerantium, non habitatio commanentium. Habes inde Salomonis sententiam. *Iniqui autem transibunt bona, & non ingredientur in ea,* scilicet ad manendum, & commorandum. Quasi dicat: etiam si bona illorum stabilia sint, ipsi tamen decedent, & ea aliis relinquere cogentur, atque adèò nulla fortuna constantiam ac firmitatem habet in hoc sæculo.*

XI. *Sapiens sibi videtur vir diues; pauper autem prudens scrutabitur eum.*

52 **S**apiens sibi videtur, &c. Hebr. *Sapiens in oculis suis vir diues; & tenuis intelligens* יח קרנו יאח kerenu, id est, *perscrutabitur eum*, ex radice חקר Chakar, quæ significat inquirere, perscrutari explorare. Et sanè triplex virtus huius verbi, significat enim vim illam, quâ canes pollent ad vestigia sectanda; dicitur etiam de aurificibus, qui metal-

lorum pondera trutinâ explorant: aut etiam de exploratoribus, qui regiones inimicorum obeunt, vt eorum insidias, aut dolos deprehendant. Harum significationum exempla ex Lexicis pete. Ergo Chaldaeus sic habet. *Et pauper prudens contemnit eum.* Tigurina. *Et pauper prudens explorat eum.* lxx. *Sapiens apud se vir diues, pauper autem intelligens condemnabit eum.* Aquila, Symmachus, & Theod. *Scrutabitur eum*, vt est in Vulgatis.

53 Prima expositio est Caietani ad hunc modum. *Sapiens sibi videtur vir diues.* Quia nimirum diuitiæ illum vsque adèò inflant, vt quos sibi copius inferiores videt, sapientiâ quoque impares putet. Tum etiam, quia adulatorum hoc illis falsò persuadent, dum eorum tum dicta, tum facta in cælum vsque vehere solent: iuxta illud Ecclesiastici: *Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent,* &c. Subtextit. *Pauper autem prudens scrutabitur eum.* i. vir tenuis acumine intellectus vrgens ipsum mente explorabit suâ, & ipsum desipere ac stolidum esse certissimè comperiens eum contemnet, ac facillè seipsum illi præferet. Huic expositioni inferuire videtur paraphrasis Chaldaica, quæ sic habet. *Et pauper prudens contemnit eum.* Et sanè iuxta hanc interpretationem duplex sententia conformari potest; aut enim Salomon suadet diuitibus, neu vana, & inani sapientiæ opinione apud se tumeant, quandoquidem vel ipsi pauperes, ac tenuissimi homines eos apud se taciti contemunt, atque eorum insipientiam stuporemque coarguunt. Aut certè pauperes alloquitur, illisque præcipit, vt si sapiant, diuites nequaquam admirentur, sed magis eos tanquam stultos, & vecordes, ex animo despiciant, atque eisdem se se opinione suâ præferant.

54 Et quidem pauperes fermè sapientiores ac prudentiores esse diuitibus nemo ignorat. Chrysolomus Homil. in Psalmum 4. sic ait. *Quod si Deus finit aliquos degere in mendacitate, & inopia, id facit vt animam illorum corrigat sapientiæ studiosiorem efficiens. Sciatis enim, sciatis aperte quod diuitiæ quidem sunt vitiorum, & errorum ministres, paupertas autem mater philosophiæ. Idque res ipsa indicant quæ dicit quod pauperes sunt diuitibus prudentiores, & sapientiæ amantiore.* Quod si paupertati sapientiæ desit, importabilis certè redditur. Idem Chrysolomus in Homilia 1. de Lazaro. *Nulla, inquit, oratio possit, assequi cruciatum, quem sustinent hi, quibus cum paupertate res est, si nesciant uti Philosophiæ.* Ergo Salomon sic ait. *Pauper autem prudens contemnit eum,* id est, diuitem. Quasi dicat: tu quisquis paupertate oppressus indiges, prudens esto, sapientiæ, prudentiæ, imò, & Philosophiæ tibi acquire, atque his instructus diuitem præ te nihili facies.

55 Secunda interpretatio est Vatabli. *Sapiens sibi videtur vir diues,* quia nimirum eum dicentem cuncti suspiciunt, qui diuitias admiran- tur, atque adèò diuitibus placere cupiunt. *Pauper autem prudens scrutabitur,* vel, *explorabit eum.* id est, pauper ille, qui sapit, atque adèò suâ fortè contentus est, diuiti placere, & arridere non curans, ipsius dicta examinare, & quidquid insipienter exciderit, confutare ac refellere non veretur. Itaque secundum hanc expositionem significat Salomon, adulationem, & assentionem eorum esse, qui diuitias potentum suspiciunt ac magni faciunt: at verò pauperes prudentes ac diuitiarum contemptores nihil diuitibus deferre solitos, & ab omni af-



Hieronym. Hieronymus libr. 1. in Matthæum sic habet. *Hoc intelligendum est quod tanta paupertatis fuerit Christus, & ita nulli adulatus sit, ut in urbe maxima nullum hospitium, nullam inuenerit mansionem.* Quali dicat, idè nemini adulatus est, quia diuitias aspernabatur, & paupertatem adamabat.

56 Rodolph. Tertia expositio est Rodolphi, quam ipse Hebræorum Rabbini acceptam refert ad hunc modum. *Sapiens sibi videtur vir diues.* id est, homo auarus, & ad opes anhelus, augendarum opum industriam, & artem, optimam ac maximè nobilem sapientiæ partem esse putat, atque adè sapientissimum se æstimat, quia eam artem præclare tenet. *Pauper autem prudens scrutabitur eum.* id est, pauper spiritu; (hic enim pauper verè sapit, ac prudens est) scrutando mentem illius, redarguet eum, quia nimirum aliam longè digniorem ac nobiliorem sapientiam, & scientiam esse credit, quæ in diuitiarum contemptu posita est: hæc enim sine fortunis fortunatos, & sine diuitiis beatos efficit. Sed de hac thesi aliàs non semel diximus. Audi Senecam in Epist. 119. ab illis verbis, *Docebo, inquit, quomodo fieri diues celerrimè possis, ad maximas te diuitias compendiario ducam, &c.* scilicet per contemptum earum. Non probo.

57 Quarta interpretatio nonnullis etiam arridet, quæ sic habet. *Sapiens sibi videtur vir diues.* id est, homo qui diuitiis congerendis sedulam operam impendit, eam scientiam, & artem se tenere putat, quæ per dolos, & fraudes simpliciorum, & pauperum fortunas corradere, & suis accumulare possit. *Pauper autem prudens scrutabitur eum.* id est, si pauper non stolidus prorsus ac stupidus, sed modicè tantum prudens sit, diuitiis astutus, & dolos assequetur, atque illos declinabit. Huic verò sententiæ accommodandam putant lectionem illam, *pauper prudens inuestigabit eum*, Canis ad instar sagacis, illius fraudes, quantumlibet imò in pectore absconditas, subodorabitur, atque in apertum adductas, retectas assequetur, captabit, perimet. Certè diues cogitat apud se vsuras, & fœnora. At quid vsuræ? Basilius in Homilia in Psalm. 14. fœnoris naturam leporum similitudine præclare describit. *Lepores autem eius esse natura, ut simul pariant, & nutriant, & supersætant; sic & fœneratoribus pecunia simul tempore & dantur ad vsuram, & gignunt, & supersætant.* Atque inde fœnus à fœtu & partu appellatum censet Basilius. Igitur eiusmodi lepores latebras quærentes, id est, diuitum vsuras, quarum pactiones arcanò, & secretò semper fiunt, pauper cautus ac prudens, sagacis instar canis, vestigiis suis infectatur, & fugat, dum se fœnori obnoxium fieri nunquam sustinet.

58 Quinta expositio est aliorum, qui putant Salomonem hoc diuitibus suadere, ne altum sapiant, neu de sua vel sapientia, vel probitate, inani conceptâ opinione efferantur, sed se totos pauperum examini permittant. Et sanè huic expositioni accommodandam putant alteram illam lectionem, quæ sumitur ab eo, qui librâ pondera examinat, ita ut sit sensus. *Pauper autem prudens scrutabitur, vel examinabit eum.* Quali dicat; Homo diues si suâ se opinione & æstimatione metiatur, sapientia & probitate insignem putabit se, attamen quis ille sit, examinare, & quasi ad libræ amussim exquirere pauperis proprium est. Quod perinde est ac si dicat; Diuites non à semetipsis suæ probitatis opinionem petere debent, sed à pauperibus: tunc enim probos se æstimare meritò poterunt, cum his meritò probabuntur. Nam diuites, non

aliter boni, atque iusti esse possunt, nisi in pauperes benefici sint, atque adè eorum gratiam promereantur. Hinc est illud Chrysol. in Homilia de diuitiis & paupertate. *Diues siue bonus, siue malus in pauperum conscientiiis apparet, talis eris, qualem te æstimant pauperum greges.* *Chrysol.*

59 Cæterum quamuis ex præscriptis expositionibus aliquæ satis idoneæ sint, tamen sexta expositio mihi magis probatur, quam offert nobis translatio lxx. *Sapiens apud se diues: pauper autem intelligens condemnabit eum.* Hanc enim vim habere puto vocem illam *scrutabitur*: sumitur enim antecedens pro consequenti, scilicet inquisitio rei, quæ ante damnationem præmitti solet, pro ipsa damnatione. Itaque sensus est, Diues sapius sibi ipsi placet, & iustum se ac probum æstimat; tamen non standum illius iudicio & arbitrio, sed pauperis pij atque iusti; hunc enim Deus diuiti iudicem præfecit, ut cum ex hac vita decesserit, causam illius seriò perscrutetur, eumque vel absoluat, vel damnet. Et sanè pauperes diuitum seueros iudices futuros significauit Christus Dominus Matth. 19. qui Apostolis ita obuiuentibus, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* voluntariæ paupertati talem gratiam reddendam asseuerat. *Amen dico vobis, quod vos, qui sequuti estis me in generatione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis, sedebitis & vos super sedes duodecim, &c.* Item Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* (Recipere autem in aeterna tabernacula eorum videtur, qui ibi præfident.) Sed audiendus Ambr. libr. 1. Offic. c. 11. *Nihil, ait, tam commendat Christianam animam, quam misericordia, primum in pauperes, ut communes iudices partus natura, quæ omnibus ad usum generat fructus terrarum.* En communes iudices appellat pauperes Ambrosius, ad quos spectat de his quæ naturâ suppeditante accipiunt bonis, rationem apud Deum exposcere. Et certè nostræ salutis non parum prospexit Deus Optimus Maximus, cum tales nostræ causæ iudices præfecit, quorum gratiam donis promereri, ac seueritatem muneribus corrumpere & possimus, & debeamus. Accinit etiam Diuus Gregor. Homilia 40. in Euangelia, vbi sic habet. *Solertes agite, culpæ vestrarum intercessores quarite, atque aduocatos vobis in die iudicii pauperes procurate.* Et subinde. *Ecce importunè si pauperes offerunt, negant nos qui tunc pro nobis intercessores, ac iudices venient. Certè nos omnino rogare debuimus, sed tamen rogâmur. Videte si negare debemus quod petimus, quando patroni sunt qui petunt.* His perquam similia videre licet in aliis Patribus.

E XII. In exultatione iustorum multa gloria est; regnantibus impiis, ruina hominum.

60 **I**N exultatione, &c. Hebr. *In surgendo impios inuestigabitur homo.* Verbum est *חפס* Chapas, quod significat inuestigare, & scrutari; aliquando etiam mutare. Ex hac significatione petita est nostra lectio, quæ pro mutationibus fortunæ ruinas subiecit. Caietanus. *Et surgentibus impiis mutabitur homo.* Chaldaus. *Quando latantur iusti multa est pulchritudo, & cum surgunt impij, inuestigatur filius hominis.* Tigurina. *Exploratur homo. lxx. Per auxilium iustorum multa fit gloria, in locis autem impiorum capiuntur homines.*

Vatabl.

Prima interpretatio est Vatabli, quæ cum extrema verba sic extulisset. *Et surgentibus impiis explorabitur homo*, sic deum locum edidit; Cum prohi ac iusti homines clauum reipublicæ tenent, maxima est felicitas & beatitudo: in tanta autem felicitate non probatur, aut examinatur piorum virtus. Quod si imperii summa ad impios redigatur, tunc quidem explorabitur ciuis probus, id est, illius probitas; qualis sit, agnosceretur; nam si tunc cum acceptis ex imperio viribus triumphat impietas, ipse nihilominus pietatē seruauerit, & probitati nihilofecius studuerit, immensa quodammodo illius bonitatis cōprobatur. Si enim, ut ait Gregorius, inter quoslibet passim malos bonum esse *immensa bonitatis est*, quia nimirum improborum exempla maximam vim habent ad flectendum cuiuslibet etiam rigidissima mentis propositum; certè plus quam immensa bonitatis erit, tunc probum esse cum improbi imperant; quando quidem imperantium exempla violentius homines impellunt. Itaque, liceat sic dicere, cuiuslibet alterius hominis bonitatem metiri licet; eius verò, qui regnātibz improbis bonitatis tenax est, haud menturari probitas potest. Nam, ut ait Plutarchus in Politicis, *Mensura boni ciuis lex est*, per quam mensuram cuiuslibet optimi ciuis probitas recensetur. At qui impiis regnantibus omnis temeratur atque effringitur lex. Quapropter qui tunc boni ac pii ciues existunt, absque mensura certè boni sunt, atque eorum probitatem immensam dicere æquum est.

Plutarch.

61
Rodolph.

Rodolphus ad hanc expositionem proximè accedens, & lectionem illam amplectens, *surgentibus impiis inuestigatur homo*, sic ait: Cum improbi euecti fuerint ad publicos honores tantus dolor ciuitatem occupare solet, uti sese occultent omnes, & nemo in publicum libenter prodeat. Hæc vim habet, inquit, illud *inuestigabitur homo*, id est, requiretur homo aliquis publicè, nec inuenietur, cæterū hæc expositio sale caret; aptius sic diceret; Cum impii rempublicam gesserint, omnibus ad iniustitiam & improbitatem conspirantibus, inuestigabitur vir aliquis probus, qui hominis sit dignus nomine, nec tamen illum inuenire licebit. Succedat memoriæ illud Diogenis lepidum factum apud Laërtium lib. 6. *Qui quodam tempore lucernam laterna inclusam gestans obambulabat in foro clarissima luce quærenti similis. Rogantibus quid ageret? Hominem, inquit, quero, notans scilicet publicos ciuitatis mores ne homine quidem dignos esse.* Hoc enim tunc vel maximè contingit cum impii regnant: ita ciues corrumpi solent.

Laërtius.

62
Caiet.

Caietanus locum istum sic conuertit. *Et surgentibus impiis mutatur homo.* exponit autem ad hunc modum; Cum prohi, ac iusti imperant, omnes felices ac beati sunt; at cum impii flotent ac regnant, homines passim intus extraque mutantur; nam sibi timentes negotia intermittunt, & agendi viuendique rationes antiquas deserunt. Iacet etiam hæc interpretatio: potest autem sic excitari; Improbis imperia magistratusque gerentibus ne vnus quidem homo est qui non mutetur, & antiquos mores deserat; tūm quia omnes viuendi licentiam nacti ab antiqua probitate sponte excidunt, tūm etiam quia hominis ingenium valde mobile ad imperantium nutum semper conuertitur. Vnde Sospater apud Stobæum in ferm. 46. sic ait. *Quisnam adeo quadratus est qui per omnem fortune rerum ac imperiorum mutationem firmiter consistat, accommodans se Princi-*

Stobæus.

pius ac subditis, ac sibi ipsi cōcilians cunctos, & omnem ubique differentiam ad vnā rationem connectens? Nemo. f. Pende illa verba, quisnam adeo quadratus, qui nimirum utcumque versatus & iactatus, tanquam corpus aliquod quadratum, rectus cadat, ita ut mutatis imperiis ac Principibus, immutabilis nihilominus ipse maneat.

Tamen satius est præfatam lectionem ad Vulgata trāslationis sensum vocare. *Regnantibus impiis ruina hominum:* Nam illud *mutatur homo*, de mutationibus fortunæ capiendum puto, hoc modo; Quando prohi homines magistratus gerunt, omnes fortunati ac felices sunt; cum scelerati habenas imperii moderantur, multorum conuersiones ac ruinae passim eueniunt. Nam inter bonos ac malos Principes, inter iustos ac tyrannos hoc interest, quod iusti ad bonum commune spectantes felicitatem ciuium procurant; impii verò & tyranni suum ipsius commodum etiam cum aliorum detrimento contendunt, ut tradit Aristot. li. 8. Ethic. c. 10. Nequit. n. tyrannis stare sine multorum ruinis, quippe quæ aliorum detrimentis ac damnis sibi firmitatem parat, ut docet inibi Philosophus: Nam propria tyrannis atque iniustis Principibus hæc esse dicit, *Arma ciuibz adimere, multitudinem populi conculcare, ac ex urbe pellere, & vacuam habitatoribus urbem reddere, vexare nobilitatem, clam euertere, & palam, & in exilium pellere tanquam aduersarios & machinatores contra potentiam suam: unde Periandri consilium Thrasybulo datum supereminentes spicas decerpere quam opportunum fuerit, id est, eminentiores ciuium de medio tollere.* Hæc Aristoteles, quæ quantas rerum conuersiones & mutationes improborum imperium afferat præclare ostendunt.

Aristot.

Ad extremum subiicienda alia interpretatio, quæ cuiquam fortasse arideat. *In exultatione iustorum multa gloria est, & c. i. florentibus & imperantibus iustis felix ac beatum est illis parere: at cum improbi imperia dirigunt, & sceptrā capessunt, mutabitur homo, id est, vir prudens, ac suis rebus consulens, inde mutabitur, & ad alium, si fieri potest, Principem transibit. Nihil enim grauius quam Principem iniustum sustinere, atque adeo prudenter agit quisquis illum declinat, cum potest, & ad alium sese transfert.*

64

XIII. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

Qui abscondit, & c. Hebr. *Tegens prauaricationes suas non prosperabitur*, & c. Chald. *Miseretur eius Deus.* lxx. integrum locum sic reddiderunt. *Qui cooperit iniquitatem suam, non prosperabitur: qui autem narrat redargutiones diligetur.* Aquila, & Theod. *qui confitetur redargutiones diligetur.* Symmachus. *Qui enuntiat redargutiones prosperabitur.*

Hugo, Dionysius, Rodolph. Caiet. Iansen. & alii non pauci, verba isthæc de sacramentali Confessione exponunt hoc sensu. *Qui abscondit scelera sua, scilicet Confessario, non dirigetur.* i. auersus à Deo cum sit per culpam, nequaquam ad Deum cōuertetur; hæc. n. sola conuersionis causa est; hæc sola distortum animum ad rectitudinem adducere potest; hæc sola hominē per auia deerrātem ad viam rectam restituere valet. Hanc vim habet verbum

illud dirigetur. Subdit. *Qui autē confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordia consequetur.* i. qui delicta sua sacerdoti aperuerit cum proposito relinquendi, Dei misericordiam, hoc est, veniam delictorū impetrabit. Chrysof. in Hom. 20. de Confessione. *Apud iudicem bonum confessio mater est indulgentia.* Mater, inquam, indulgentiæ ac misericordiæ, quæ etsi videatur cum dolore ac cruciatu maximo eniti, felix tamē illius partus, quia misericordiam Dei enititur. Sed audi Tertul. in lib. de pœnitentiâ. *Itaque exomologesis proster-nendi & humiliandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiâ illicem.* Et per breui interstitio. *Hæc omnia exomologesis ut pœnitentiâ commendat, ut de periculi timore Deū honoret, & in peccatorem ipsa pronuntians, pro Dei indignatione fungatur.* Pende extrema verba, id est, hoc pœnitentiæ ac confessionis proprium, ut diuinæ indignationi vices eripiat, & dum homo in semetipsum læuit, ac seipsum testimonio suo dānat, iram Dei prauertens nihil huic iræ peragendum relinquat. Subnectit, *& temporali afflictatione æterna supplicia, non dicam frustratur, sed expungat.* Cum igitur prouoluit hominem, magis releuat; cum squalidum facit, magis mundat; cum accusat, excusat; cum condemnat, absoluit. In quantum non peperceris tu tibi, in tantum tibi Deus, crede, parceret. Hæc Tertullianus, quæ facile declarant, quantum vim habeat peccatorum confessio ad Dei misericordiam, & veniam promerendam.

66 Sed licet hæc expositio apta sit, ac dici possit iam tunc Salomonem de Confessionis sacramento, quod postea à Christo Domino institutum fuit, vaticinatum fuisse, tamen (ni mens mea me fallit) huius loci germanam sententiam assequutus est Diuus Gregorius Magnus lib. 22. ca. 10. ad illa verba Iob. *Et celati in sinu meo iniquitatem meam. Qui abscondit, inquit, scelera sua non dirigetur, &c. Sed inter hæc sciendum, quod plerumque homines & culpas confitentur, & tamen humiles non sunt. Nam multos nouimus, qui arguente nullo peccatores se esse confitentur, cum verò de culpa sua fuerint fortasse correpti, defensionis patrocinium querunt, ne peccatores esse videantur. Qui si tunc cum id sponte dicunt, peccatores se esse veraci humilitate cognoscerent, cū arguuntur ab aliis, esse se quod confessi fuerant non negarent.* Ex quibus verbis constat Gregorium ista verba non de confessione illa, per quam scelera apud Sacerdotem deponuntur, hæc verba accepisse; sed de illa, qua quis reprehensus, obiurgatusque admissas culpas non diffitetur sed quam primum aperit ac reuelat superiori. Itaque sensus est, *Qui abscondit scelera sua non dirigetur.* qui scilicet perpetrata delicta celat, non potest dirigi. i. etiam si corripiatur & obiurgetur seuerius, non tamen emendabitur & ad rectitudinem adducetur. Vel, ut habent Septuaginta, & alii, *non prosperabitur.* i. non erit impunis, vulgò diceremus, *nose ira alabando.* quia superiorum auctoritas cum illis seuerius agere, & in illos acrius animaduertere solet, qui admissas culpas abnegant pertinaciter. *Qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* i. qui alicuius criminis insimulatus statim annuerit, ac se culpæ reum fallus illam se relicturum sponderit, misericordiam superiorum ad se flectet.

67 Falsum, inquires, hoc in secularibus iudiciis, in quibus ille, qui suâ se confessione reum declarat,

A semper damnatur, sed tamen in Ecclesiasticis iudiciis, quæ recta magis ac iusta sunt, & digniorem auctoritatem habent, omnino verum. Ecclesia n. hæresis, apostasia, & aliorum id generis grauissimorum criminum reos, si delicta sua nequaquam diffiteantur, peramanter recipit, & pœnarum rigorem extenuat, & quia his misericordia impendi consuevit, idè cum obiecta sibi delicta confitentur, misericordiæ sese dedere ac permittere vulgò dicuntur: In eos verò qui pertinaciter abnegant, grauissimè ac leuissimè animaduertit Ecclesia. Et sanè hoc iudicij genus iustum magis & eum ratione conforme exiit; primò quia ipsa sceleris confessio non minima delicti compensatio est. Tertul. loco citato. *Tantum, inquit, releuat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat: confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumacia.* Deinde etiam delicti confessio resipiscentiæ præcipuū signum est. Seneca in Epistola 53. ad Lucillum. *Quare, inquit, vitia sua nemo confitetur? quia etiam nunc in illis est; somnum narrare vigilantis est, & vitia sua confiteri sanitatis indicium est.* Expergiscamur ergo, ut errores nostros coarguere possimus; sola autem nos philosophia excutabit, sola somnum excutiet grauem: Et rursus in Epistola 56. *Omnia, inquit, vitia in aperto leniora sunt. Morbi quoque tunc ad sanitatem inclinant cum ex abdito erumpunt, ac vim suam proferunt. Et auaritiâ itaque, & ambitionem, & cetera mala mentis humana tunc perniciosissima scias esse, cum simulatâ sanitate subsidunt.* Denique confessio criminis reciduos casus excindit, quatenus, cuius scelus iam inde innotuit, ut commissi olim criminis notam diluat, ab omnibus illius iterum perpetrandi occasionibus quàm longissimè se ablegat. Ergo ob prædictas causas illa duo inter se de industria copulat Salomon. *Qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea.* Quasi dicat: confiteri vitia relinquere est, ac nuntium illis perpetuum remittere. Pergo ad alia.

D XIV. *Beatus homo qui semper est pauidus: qui verò mentis est dura, corruet in malum.*

68 **B**Eatus homo, &c. Heb. *Beatitudines hominis pauentis semper, & indurans cor suum cadet in malum.* Chal. non dissentit. *Beatus vir qui ueretur omnia per metum: durus autē corde incidet malis.* Sic sanctus Cyprianus, ex quo desupsit codex Vaticanus. Complutensis verò & Regius. *Beatus vir qui timet omnia ob cautelam.* Interpretes Chrysof. tom. 1. Hom. 55. in Genes. *Beatus homo qui timet omnia ob pietatem.*

69 Prima expositio est D. Greg. quem sequitur Be-da, Hugo, Dionysius, & alii quàm plures, qui putant Salomonē loqui de timore extremi supplicij: Et quidem Greg. Homilia 40. in Euangelia sic habet. *Sic presentis vite agenda est letitia, ut nunquam amaritudo sequentis iudicii recedat a memoria: quatenus dum mens pauida extrema ultionis timore transfigitur, quantum nunc presens letitia, tantum post ira subsequens temperetur.* Hinc namque scriptum est: *Beatus homo qui semper est pauidus, qui verò mentis est dura corruet in malum: sequentis enim ira iudicii tantum tunc distulibus portabitur, quando & nunc, & inter culpas minimè timetur.* Ex Gregorio reliqui hauserunt.

69
Chryso.

Diuus Chryostomus loco citato cum sic legis-
set. *Beatus homo, qui timet omnia ob pietatem*, de
metu peccandi & mandata Dei transgrediendi,
quo assiduo percelluntur viri iusti, verba ista ex-
ponit: quæ timoris species nobilior est. Nam per
istiusmodi metum non tam quis pœnas & suppli-
cia delictis inflicta, quàm delicta ipsa veretur qua-
tenus pietatē violant, ac Dei maiestatem ledunt,
idē quasi de industria dictum *ob pietatem*. Cui
expositioni subseruit illud; *qui vero metis est dura
corrueat in malum*. i. qui animum obdurauit, vel of-
firmavit suum, nec metu delinquendi absterretur,
is corrueat certē in multa crimina. Illud verò em-
phasim habet, *qui timet omnia*, non modò *semper*,
sed *omnia*, particula *semper* complectitur omne
tempus, vox *omnia* nihil excludit; vt proinde om-
nes personas, omnia negotia, omnes occasiones,
omnemque statum vereri oporteat: omnia enim
peccatorum causas nobis offerunt, ac proinde ab
omnibus nobis timendum est.

70

Ex Theologis etiam scholasticis non pauci hoc
loco vtuntur ad confutandam vanissimam illam
hæreticorum confidentiam, quæ se iustificatos &
mundos coram Deo præsumentes per fiduciam i-
stam sanctos se effici asseuerat. Nam si beatus, in-
quirit, ille qui semper est pavidus, quoniam modo
sanctus & iustus, atque adeo fœlix ille, qui timore
deposito sanctum se ac iustum esse apud se credu-
lus statuit, ac putat? quem ego certē non verum,
sed putatiuum sanctum compellendum esse di-
cerem.

Seneca.

Atqui miserum est, inquit, semper, vbique &
omnia timere: quam miseriam eruditè describit
Seneca in Epistola 56. vbi sic ait. *Leue est illud in-
genium, nec se adhuc reduxit in torsus, quod ad vo-
cem ex accidenti erigitur. Et habet intus aliquid soli-
citudinis, ac concepti pauoris quod illum timidum
facit, ut ait Kirgilius noster.*

Virgil.

*Nunc omnes terrent aura, sonus excitat omnis
Suspensum, & pariter comisque, onerique ti-
mentem.*

35

71

Tob 15.

*Imperitus est, qui omnibus rebus suis timet, ad omnē
crepitum expanscens, quem una qualibet vox pro
fremitu accepta deuicit, quem motus leuissimi exani-
mant.* Eodem modo timore plenam describit
Iob hominis impij vitam cap. 15. ab illis verbis,
sonitus terroris semper in auribus eius, &c. Huic
obiectioni occurrit vox illa, quam data opéra
addiderunt lxx. scilicet; *ob cautelam*, solent
quidem opulentissimæ ac fœlicissimæ vrbes etiã
cum nulli hostes obsident, imò etiã cum nulli
timentur, nihilo secius prædidiarios milites in
vrbe alere; & speculatores, seu excubias mœni-
bus assignare, sed quorsum? certē *ob cautelam*.
Solemne pariter, est nauis, etiã cum pro-
pera vtuntur nauigatione, aduersus tempesta-
tem omnia expedire, certē *ob cautelam*. Ita ergo
de homine iusto cogita: non enim ex metu des-
pondet animum, aut miserum in modum conste-
uatur, sed in magna fœlicitate ac prosperitate
veretur omnia mala & aduersa, non tantum
proxima, aut è vicino impendentia, sed etiam
remotissima *ob cautelam*. Quam cautelam omnia
nullã exceptione timentis eruditè delineat: Se-
neca in Epist. 91. *Cogitanda, inquit, sunt omnia,
& animus (etsiam in magna fœlicitate) aduer-
sus ea que possunt euenire, firmandus, exilia,
tormenta, bella, morbos, naufragia meditare; po-
test te patria, potest patriam tibi casus eripere: po-*

Seneca.

A teste in solitudinem abiicere, potest hoc ipsum, in
quo turba suffocatur, fieri solitudo. Tota ante oculo-
s sortis humana conditio ponatur, nec quantum fre-
quenter euenit, sed quantum plurimum potest eue-
nire, presumamus animo, si uolumus opprimi, nec
vllis iniuriis, veluti nouis, obstupesceri. In plerum
cogitanda atque timenda fortuna est. Hæc igitur
est mens Salomonis cum ait, *Fœlix ille qui timet
omnia ob cautelam*. Hæc timoris species non
conturbat animum, sed comparat, ita vt etiam
cum aliquid ex his, quæ præsumuntur, euenit,
etiam mutante fortuna vir prudens fortunatus esse
possit.

B

Hinc autem depromere licet extremam hu-
ius loci expositionem, quam obtulit nobis Ian-
senius, qui sentit locum istum non de metu ex-
tremi supplicij, aut de timore delinquendi esse
capiendum, sed de expectatione futurorum, quæ
prudentiæ propria est. Hæc enim expectatio in
negotiis & actionibus quibusuis nunquam va-
cat timore; qui timor temeritati opponitur, & ho-
minē cautum efficit, ita vt sensus sit. *Beatus homo
qui semper est pavidus*. illi scilicet omnia fœlicia
contingunt, qui aduersos rerum euentus assiduo
expauescens, res suas ita peragit, vt, quo ad fieri
possit, infortuna declinet; contra verò, *qui mentis
est dura*, is nimirum, cuius mentem nullus metus
conterit aut percellit, sed affirmato animo quid-
uis audet, *corrueat in malum*. id est, multa mala &
aduersa experiri cogetur.

C

**XV. Leo rugiens, & ursus esuriens, Princeps
impius super populum pauperem.**

Leo rugiens, &c. Heb. *Leo rugiens, & ursus a-
uidus*. Pro urso subest vox דב, quam vo-
cem lxx. cum hîc, cum etiam alibi non semel, lu-
pum conuertunt. *Leo rugiens, & lupus sitiens, qui
cum inops sit tyrannide dominatur genti pauperi.*
Chal. *Leo rugit, & ursus clamat propter impium,
qui dominatur super populum pauperem.*

D

Describit Salomon iniustum Principem, qui
per tyrannidem populos imbelles occupauit.
Leo, inquit, rugit. De leone agit fame stimulatō;
nam leo tunc cum fames eum acrius stimulat
grandiores rugitus reddit, Psal. 21. *Sicut Leo ra-
piens & rugiens*. Et 103. *Catuli Leonum rugientes
ut rapiant, & quarant à Deo escam sibi*. Et Ezech.
22. *Sicut rugiens rapiensque*. Tunc verò cum
fame confecti ad prædas agendas descendunt,
propterea rugiunt leones, quia ipsorum vox ac
fremitus feras reliquas concutit. Ambrosius
lib. 5. Hexamer de leone sic scribit. *Cuius voci
tantus naturaliter inest terror, ut multa animan-
tium, que per celeritatem possent impetum eius e-
uadere, angientis eius sonitu velut quadamvi at-
tonitru atque icthâ deficiant, atque ipsi in prædas ce-
dant*. Eapropter fame enectus rugit. Et quidem
inediæ ac fastus maximè patiens leo est; nam sæ-
pè biduum, aut etiam triduum impransus agit,
sed cum post inediã ad cibos redit, incontinen-
ter admodum vescitur, verba sunt Aristotelis lib.
8. Histor. cap. 5. *Multaque deuorat solida sine ullo
dissectu*.

E

Ursi etiam fames celebris est tum maximè cum
ex latebris in apertum prodit. Constat enim ur-
sum per hyemē latebras petere, atque per id tem-
pus nihil edere, vt docet Aristoteles lib. 8. de Hi-
storia animalium ca. 17. *Tempore, inquit, sui lati-*

Psal. 21.
Psal. 103.
Ezech. 22

Ambros.

Arist.

74

vuli hoc animal nihil edere certum est, quippe quod neque exeat, & captum ventre intestinoque inmani videatur. Hinc fit, vt cum exit, post tam longam inedia acrior fit illius fames: capropter omnivorus est; non enim vt alia fera aut herbis, aut carnibus vescitur, sed ad famem explendam nihil non esculentum adhibet. Idem Aristoteles cap. 5. Vrsus, ait, animal omnivorum est, quippe qui & fructus arborum, quas conscendit corpore lubrico, edat, & legumina, & apes, perfringens alueos, & caneros, & formicas, carne etiam vescitur: viribus enim suis confidens inuadit non solum ceruos, sed etiam sues feros, si clam, repenteque potuerit agere; taurum aperto Marte agreditur, &c. De fame vrsi etiam Hieronymus in cap. 13. Osee. Aiunt qui de bestiarum scripsere naturis, inter omnes feras nihil esse vrsa sanius cum indignerit cibis. Vrsi etiam pre ceteris animantibus commendari solet astutia, & fraus. Ambrosius in Hexam. lib. 6. cap. 4. Vrsa, inquit, insidians licet, vt scriptura ait (Est enim plena fraudis fera.) Et in capite Apocalyp. 14. Per vrsum, quod callidissimum est animal, Antichristi astutia ad decipiendos homines demonstrari potest. Hinc Basilius dolum ipsum atque fraudem cum vrsu componendam putauit Homil. 10. in Hexam. Dolus, inquit, quoties in anima doli fraudisque concinnatrice sibi delegit domicilium, nonne vrsu quolibet in suo speleo collatebrante est implacabilior? Plinius lib. 8. cap. 36. Nec alteri, inquit, animantium in maleficio astutia solentior.

Hieron.

Ambros.

Basil.

Plin.

75

Aristot.

Ambros.

Rursus quia Lxx. pro vrsu lupum substituiunt, aliquid etiam de lupo hic prenotare libet. Luporum efuriem ex eo extollit Aristoteles in illo cap. 5. quia cum fame stimulantur, si carnes non suppetant, terram comedunt. Aiunt etiam lupos nunquam homines inuadere solitos nisi in extrema fame: lupi etiam tum astum, tum ferocitatem apprimè describit Ambrosius in cap. 10. Luca. Lupi, inquit, bestia sunt, que insidiantur ouilibus, circa pastorales versantur casas, habitacula domorum intrare non audent, somnum canum, absentiam, aut desidia pastoris explorant, onium guttur inuadunt, vt cito strangulent, fera rapaces, &c. Idem etiam in sermone 59. sic habet. Aiunt plerique lupos leonum subsequi solere vestigia, & non longè ab eorum venatibus aberrare, scilicet, vt rabiem suam rapina facient aliena, & quod ex leonum saturitate remanet id luporum rapacitate consumatur: sic & isti auaritia lupi pradonum vestigia subsequuntur sunt, vt quod illorum rapacitate superauit, horum cederet feritati. Atqui lxx. aiunt, & lupus sitiens. Nihil certè lego de luporum siti; existimo autem non de aqua, sed de sanguinis siti accipiendos esse interpretes illos: Nam lupi sanguinis cum primis sitiens sunt, ideo, vt ex Ambrosio supra habes, pecudum guttur statim inuadunt. Cui accinit Aristoteles historia. lib. 9. cap. 6. Nimirum vt sanguinem, quem sitiunt, quam primum hauriant, & exugant.

76

Aristot.

His prælibatis sententiam Salomonis exprimere opus est. Loquitur Sapiens de Principe tyranno atque illum leonis ritu, atque vrsi in morem, in subditum sibi populum scuire dicit. Sed quorsum hæc? certè per leonem scuitia, & crudelitas, per vrsum dolus, & fraus notatur. Lege Ambrosium in cap. 14. Apocalypsis vtriusque animantis mores Antichristo adaptantem, ex quibus aliquid supra præscripti. Aliquis ergo ita comminisci posset, duo isthæc tyranni Principis maximè propria ac præcipua vitia, per leonem, & vrsum hi

A adumbrati, scilicet immanitatem ac fraudem. Tyrannorum Principum immanitatem præclare describit Plutarchus in lib. de tarda Dei vindicta. Nempe abusus est nonnullis etiam vindicibus aliorum improborum carnificum loco Deus; inde assumpsit eos, vt (ni fallor) magna ex parte tyrannos. Nã vt hyena fel, phoca coagulatum, aliarumque dirarum bestiarum aliquid habent contra morbos medicaminis, ita quibusdam, quibus morsu opus est, & castigatiõne, his iniicit Deus acerbitatem tyranni impiacabilem, & asperitatem horridam iniusti magistratus; nec ante aufert aculeum, & telum, quam agrum curauerit, & purgauerit. Huiusmodi fuit Phalaris Agrigentinis medicamentum, & Romanis Marius, &c. Et Philo Iud. in lib. de confusione linguarum de eadem tyrannorum scuitia sic serit. Tyrannis profecto proclive est quiduis efficere, quod rabido effertotique animo concipiunt. Audiendus etiam Seneca in lib. 1. de clementia. Quid, inquit, interest inter tyrannum, & Regem? species enim ipsa fortuna ac licentia par est: nisi quod tyranni ex voluptate scuiunt, Reges non nisi ex causa, ac necessitate, Tyrannis scuitia cordi est, &c.

Plutarch.

Philo Iud.

Seneca.

Dolos autem, & fraudes, quas ab constabiliendum imperium adhibere solent tyranni commemorat Aristoteles apud Stobæum serm. 48. vbi tyranos omnis doli artifices appellat, qui cum non possint robore imperia tueri, ad fraudes dolosque confugiunt, atque aded leones immanitate, vrsos verutia, astuque imitantur.

77

C Appositum ad hanc sententiam est illud Seneca lib. 1. de clementia. Quod istud, dii homi, malum est occidere, scuire, delectari sono catenarum, & cinnum capita decidere, quocunque ventum est, multum sanguinis fundere, aspectu suo terrere ac fugare? Que alia via esset, si leones, vrsique regnarent? si serpentibus in nos, ac noxio cuique animanti daretur potestas? illa rationis expertia, & a nobis immanitatis crimine damnata abstinent suis: & tuta est inter feras similitudo. Apud homines tantum nec a necessariis quidem rabies temperat. Pende illa, si leones vrsique regnarent.

Rursus etiam in rugientis leonis similitudine tyranni Principis leueram vocem contemplari licet, quæ semper terrificata est, metus, minasque nunquam non sonat, quorum strepitu ciues velut attonitos ictosque sibi obsecuire non spontè, sed vi cogio, veluti leo, qui reliquas feras rugitus sui vastissimo sonitu prosternit. Huc spectat illud Phlaorini apud Stobæum in eodem sermo. Tyranni vultus semper, ac vox minax: si leges denuntiat, grauiores penas intendat, quam delicta promereantur; si adhortationes habeat, semper ad terrorem se componit, & nunquam sine minis loquitur, vt times delectatione exterriti ac uescant.

78

Stob.

D In vrsu verò tyranni insatiabilem cupiditatem seu auiditatem, quæ fortunis, & facultatibus ciuium inhiat, cogitare oportet: est enim vrsus, vt supra ex Aristotele adnotati, animal omnivorum propter nimiam ingluuiem nulli cibo parcens: quippe quod non ceruos modò, apros, taurusque, sed formicas, apes, cancriosque deuorat; sic & tyrannus ob insatiabilem copiarum appetentiam non modo opulentum, potentiumque ingentes fortunas, sed etiam pauperum atque tenuium parcissimos census voracissimam auiditate commandit, quia ad explendam eiusdem famem nihil satis est: de qua fame subinde aliquid atexam.

E Sed quamuis hæc non infulsè dici queant, ta-

79

men aliam esse reor Salomonis mentem; quam nobis offert translatio Septuaginta, *Leo rugiens, & versus esuriens, qui cum inops sit tyrannide dominatur genti pauperum.* Pende illa verba, qui cum inops sit, ac faciliè agnosces Salomonem loqui de aliquo Principe, qui ex humili fortuna euectus est ad regnum, atque hunc duorum illorum animantiù exemplo inexplebiliter fortunas, & copias sitire afficmat, ita vt sensus sit. Quemadmodù leo post biduanam, aut triduanam inedia, cum ad cibos redit voracissimus est, vt docet Aristoteles supra; & versus postquam diu delituit impransus, ad nouas epulas insatiabilem famem affert, vt ex eodem Aristotele inibi obseruauimus. Ad eundem modum cum quispiam ex inope, & humili imperium inuasit, fortunas atque opes inexplebiliter appetit, atque adeò subditos suos exhaustis facultatibus depauperat.

80

Aliter etiam comminisci licet. *Sicut leo rugiens, & versus esuriens.* Tyrannus scilicet similis est leoni famelico, & verso esurienti super populum pauperem. Quasi dicat: insatiabilis tyrannorum auiditas eò spectat, vt subditos suos exhaustis fortunis ad paupertatem compellant: eapropter in eorum bona, velut leonis voracissimi, & tanquam versi fame stimulati, debacchatur. Sed quoniam consilio Tyranni populos sibi subiectos ad paupertatem redigere studeant, aperit Aristot. lib. 5. Polit. c. 11. vbi artes commemorans, quibus tyranni imperia sua tueri solent, sic ait. *Calumniari quoque inuicem, & committere amicos cum amicis, & plebem cum nobilitate, & diuites inter se ipsos, & subditos ad paupertatem redigere tyrannica est prauitatis: vt neq; sumptus fiat in custodia, & illi quotidianis molestiis occupati vacare non possint ad consilia contra tyrannos ineunda.* Exemplum huius sit *Pyramides Egypti, & donaria Cypsilidarum, & Olympi edificatio à Pisisstratide facta, & Polycratis opera circa Samnium.* Hac enim omnia fuerunt instituta ad otium, & quietem populorum tollendam, & ad inducendam paupertatem per tributorum pensionem: vt etiam Syracusis factum est. Dionisio enim eam ciuitatem tenente contigit Syracusanos in quinque annorum tempore cunctas facultates suas in soluendis tributis consumpsisse. Sed tamen superior expositio præferenda est.

81

Quod si cum lxx. interpretibus leonem cum lupo coniungamus ad hunc modum. *Sicut leo rugiens, & lupo sitiens, &c.* alia erit istius loci facies. In primis enim ex illis Ambrosii verbis supra datis ex ferm. 59. interpretationem huius loci minimè inuisam conformare licet: Ambrosius enim ait. *Lupos leonum vestigia insequi solitos, & non longè ab eorum venatibus aberrare, vt rabiem suam rapina satient aliena, vt prædaram reliquias, quas saturi iam leones missus faciunt, ipsi commandant, atque ita famem expleant suam.* Ergo per leonem tyrannum, per lupos magistratus, & amicos, quibus ille administrationem imperii concredit, concipere fas est, quorum est similem ad modù subditam sibi plebem vexare ac spoliare, ita vt quidquid tyranni suis exactionibus reliquum fecerint, id ipsi suis quoque iniuriis corradant. Lege Aristotelem lib. 3. Polit. c. 12. vbi quàm sit proprium tyrannorum similes sibi seueros, & crudeles magistratù creare longa oratione perscribit. Plato in Dialogo 9. de Republica vbi de his, quos sibi tyranni imperij socios adiungunt, sic fatur. *Tyrannum, inquit, stipabunt, ac multa mala committent. Qualia furabuntur, parietes perfodient, marsupia incident,*

A expoliabunt, prædabuntur, sacrarapient, captos homines seruire cogent, nec non calumniabuntur, &c. Et infra. *Præter hac viro huic, (i. Tyranno) illa etiam tribuemus, quæ supra memorauimus, quod necesse sit, cum & esse prius, & postea multo magis cum tyrannidem est adeptus, inuidum, iniustum, expertem beneuolentia, impium, omnisque nequitie sentinam, ac fomitem fieri: aliosque, qui sibi adhaerent similes.*

Vel, si id non placet, cogita, si libet, in lupo sanguinis illam sitim, & ad iugulum petendum ingentem propensionem, quam ex Arist. & Ambrosio supra obseruauimus, ac similem quandam fundendi sanguinis auiditatem, & ciues iugulandi cupidinem in tyranno deprehendes. Audi Seneca in lib. 1. de clementia. *Et lucium, inquit, Syllam appellare tyrannum quid prohibet, cui iugulandi finem fecit inopia hostium. Quis unquam tyrannus tam auidè humanum sanguinem bibit, quàm ille, qui septem millia civium Romanorum contrucidari iussit, &c.* Quid illustius?

Adde etiam lupis id proprium, vt inexplebili quadam appetentiâ terram ipsam deuorent, vt ex Aristotele nuper dedimus. An non etiam hoc significare poterit insatiabilem auiditatem, quâ tyranni terras vorare, hoc est, amplissimas regiones ditioni suæ submittere impensè cupiunt. Cõtèmplare vnum Alexandrum, cui propter auiditatem regnandi totus latè orbis angustus videbatur. Vnde cum Geometriam addisceret, atque adeò terram cum cælo compositam puncti ad instar obtinere cognosceret, cælum ipsum inuadere stultâ præsumptione decreuit, atque eo consilio inter diuos referti se mandauit, vt tradit Seneca in epistola 91.

Rursus tyrannus cum lupo aptè confertur; nam inter ipsum, ac legitimum, & iustum Regem hoc planè interest, quod inter lupo, & canem. Audi Plutarch. *Debet, inquit, metuere bonus Princeps imponere magis quàm pati iniuriâ, Atque hic est Principe benigno dignus metus, subditis metuere, ne, imprudente ipso, violentur: haud secus atque canes, qui apud greges ouium excubias agunt, quando lupo audiunt truce, non pro se, sed pro illis, quos custodiunt.* Item plato in Dialogo 2. de Repub. optimum Principem cum cane componit, nam sic ait. *Existimasne differre naturam generosi canis, & generosi Principis ad custodiam agendam? Quorsum hæc utrūque ipsorum sagacem oportet esse ad sentiendum, & velocem ad insequendum, ac demum robustum cum assequutus fuerit ad pugnandum capiendumque.* Vide ibi plura, ac demum cognosces discrimen iusti Regis, & tyranni; nam sicut canis pro ouibus, lupo contra oues, sic etiam Rex pro subditis, tyrannus contra subditos erigitur.

Denique extrema accõmodatio, quam reliquis faciliè preferendam puto, ex dissimilitudine leonis ac lupi sumitur: leo enim plerumque feras alias nostras inuadit, atque ex his prædas suas agit; lupo autem ouilibus insidiatur, atque innocuas mitetque pecudes commandit. At ergo Salomon? Princeps tyrannus, vtrumque, leonem simul ac lupo refert; nam æquè fontes, & infontes, noxios & innoxios immani crudelitate trucidat. Audi Stob. in ferm. illo 49. *Antisthenes Philosophus carnifices tyrannis impietate præfererat. Cuius causam interroganti cuiquam respondit; A carnifice qui dem homines iniusti, & scelerati interimuntur, à tyranno fontes aequè, & infontes. Nimirum leonis simul ac lupi ingenium vnus in se exprimit.*

Aristot.

Ambros.

Arist.

Plato.

Seneca.

Plut.

Plato.

Stob.

XVI. Dux indigens prudentia multos opprimit per calumniam: qui autem odit auaritiam, longi fient dies eius.

85

Dux indigens, &c. Heb. Dux carens intelligentiis multos oppressionibus, odiens auaritiā prolongabit dies. Chal. Et odit calumnias, prolongabuntur dies eius. lxx. Rex egens prouentuum magnus sycophanta; qui autem odit iniustitiam, longum tempus uiuet. Symma. Dux indigens prudentia, sicut noster Schol. pro illis uerbis, magnus sycophanta, reddidit abundans extortionibus. Et subnectit, Qui autem odit iniustitiam, uitam uiuet.

Salomon quidem in hoc uersu auaritiā Principum taxat: & sanè priora uerba secundum lectionem uulgatam perspicua sunt, Dux indigens prudentia multos opprimit per calumniam. Primitiua Emphasim habent. Dux carens intelligentiis, i. nihil profus intelligens, ignarus, ac stupidus est Princeps ille, qui subditos opprimit, ac bona illorum siue iniustis uectigalibus exhaurit, siue quomodolibet per iniuriam diripit. Et sanè huius imprudentiæ multa sunt capita satis obuia, quæ tute tibi recensere poteris.

86

LXX. habet. Rex egens prouentuum magnus sycophanta. i. Princeps copiarum ac fortunarum uidus sycophantam agit. Huius nominis vim ut agnoscas, puta non unam illius originem circumferri. Interpres Aristophanis putat nomen hoc ex peculiari euentu deriuatum. Nam cum è duobus, inquit, seruis Atheniensis cuiusdã ciuis, alter ficus, que domi parata erant, absumpsisset, apud quarentem eas dominum sors innocentem accusabat. Herus ergo ut ueritatem exploraret, h. urire utrumque subrepidam aquam iussit, deinde e uomere; compertum est furtum, & exinde sycophantæ ortum est uocabulum, eo sic appellato, qui alteri mentiēdo, & cauillando, furtum impulerat: atque adeò id nominis propriissimè dictū putat de his, qui crimina nunquam admissa aliis per calumniam imponunt. Aliunde uerò huius nominis ethymologiam aucupatur Plutarc. nam in lib. de curiositate ita scribit. Sic euenisse Sycophantam nomen dicunt; nam cum exportare uetitiū esset ficos. l. Athen. qui indicabat, & deferebant exportantes sycophanta uocati sunt. Iuxta quam originem nomen hoc in omnes minimorum etiam criminum delatores sine discrimine quadrat. Festus denique, aliunde huius uocabuli initium aucupatur. Atticis, ait, iuuenibus, quod in hortos irumpere, ficosque decerpere solerent, quæ apud Græcos magno in pretio erant, capitalis pœna indicta est. Quapropter quicumque super hoc crimine quempiam conueniebat apud iudices, sycophanta dici cœpit, atque inde extensum hoc nomen ad eos, qui ob leuiora delicta grauiores pœnas fontibus irrogari curant. Et sanè in iure duplex huius nominis vis; aliquando, n. ad significat litis etiam leuissimæ accusatorem aliquando etiam latiori significatione dicitur de homine uili, ac nihili: quæ significatio ualde obuia est apud alios auctores.

87

Arist.

Ergo ut ab hac significatione exordiar, sensus uerborum talis esse poterit. Rex egens prouentuum magnus sycophanta. i. Princeps auarus copias, fortunæque appetens uilis certè ac nihili homo haberi potius, debet quam Rex. Aristot. Ethicorum

A libr. 8. c. 10. appositè ad hanc: ser teitiam sic scribit. Tyrannus quidem suum, Rex autem eorum, qui ab ipso reguntur, considerat commodum. Non est, n. Rex, nisi sit ex se sufficiens, & bonis omnibus antecellat; talis autem nullius indiget rei. Non ergo suas, sed eorum, qui reguntur, utilitates considerat: qui namque talis non est, forte potius quidam est Princeps, quam Rex. Et sanè hanc nullius rei indigentiam, quam in optimo Principe postulat Salomon, non ex abundantia, & affluentia fortunarum, ac censuum, sed ex probitate metitur: quia nimirum Princeps probus, ac iustus, nullius rei indiget, quia nullam appetit, atque adeò multis indiget, Regis nomine indignum esse, atque sycophantam, uilem scilicet, ac nullius pretii hominem merito compellari. Audi Platonem de tyranni cupiditate uerba facientem in Dialogo 9. de Repub. Animum, inquit, tyrannicum, mendicium semper, atque inexplabilem esse necesse est. Et subinde. Longè cunctorum dico hunc esse miserimum. Et paucis interiectis. Est autem re ipsa, quamuis alicui non uideatur, uerè tyrannus, uerè seruus extrema seruituti adstrictus, qui appetitus suos explet nunquam, sed plurimis indiget semper, atque inops reuera esse apparet, si quis penetralia animi eius inspexerit. Eapropter phauorinus apud Stobæum sem. 45. Dionysium tyrannum affatus sic ait. Volo aliquam feliciteratem tyrano indicare, si mortalis uoluptas, ô Dionysi, tibi cordi est: Paratibi famem ut edas, itemque sitim ut bibas. Sin uerò dextram omnino, egregiamque uoluptatem probas, tantamque quantam prioribus sæculis nullus usurpauit, tyrannidem deponere. Quasi dicat oppositum præsta, ac deponere eam, quæ tyrannidi copulata est, facultatum & copiarum sitim, & famem. Ille enim, qui quinquies decies uel mille oblamydam possessionem requirit, fieri non potest quin pluribus etiam adhuc egeat. Ergo si plura presentibus desidero, demam aliquid de presentibus, & presentia mihi sufficient.

Plato.

Stob.

C

D

E

Secunda interpretatio peti potest ex alia Ethymologia, sycophanta. Nam si sumamus pro eo, qui leuissimarum litium inceptor est, aut eum qui ob leuiora crimina graues, & capitales pœnas fontibus componi curat, appositè ad hæc dicemus. Rex egens prouentuum, magnus est sycophanta, id est, Princeps ille, quem copiarum, ac fortunarum indigentia cupidum, & auarum efficit, ad augendas opes suas leuissimas quasque subditorum causas ad se deferri curat, & pro leuioribus delictis grauiores multas in illos statuit, scilicet amissionis bonorum aut confiscationis, ut nimirum inde thesauros cõpleat suos. Quid certius? Adde etiam id, quod extrema prauitatis colophon erit, si quis Princeps, iuxta alteram sycophantæ significationem, ea de causa talis appelletur, quia falsa contra subditos crimina excogitat, ut eis amissionem, & confiscationem bonorum suorum multæ loco imponens fortunas ipsorum contradat. Nec infuerum est, id tyrannis atque iniustus Principibus, ut docet Aristoteles lib. 3. polit. cap. 6. Subnectit Salomon.

88

Qui autem odit auaritiā longi fient dies eius.

89

Hæc clausula innuit planè in priori uersu aliquid subintelligi, ac suppleri oportere, scilicet uel eò maximè Principibus imprudentiæ atque insipientiæ tribui subditos per iniuriam bonis spoliare, quia ea ratione ipsorum odium, & inuidiam sibi conciliant, atque adò uitam salutemque suam discrimini obiciunt; quatenus subditi læsi ac uolati à Principibus seditiones cogitant, ac nece-

Seneca. Crudelitatem Principum aliquando seruales quoque manus sub certo crucis periculo ultra sunt. *Plutarch.* Thales, inquit, cum peregre post longum spatium reuersus esset, rogantibus amicis quid maxime noui uidiasset, Tyrannum, inquit, senem. Viderat autem nescio quem barbaris imperantem tyrannum, qui senectam superstes attigerat. Ergo ex aduerso ait Salomon: Rex ille, vel dux qui odit auaritiam, atque adeo neque subditos grauioribus tributis onerat, neque illos per iniuriam bonis suis spoliat, hic certe ad feram perueniet senectam, quia suorum insidias aut proditones uereri non potest.

90 Quomodo ergo Regius animus erga pecunias se habere debeat, pulchre admodum praescribit Basilium Imperator in exhortationibus ad Leonem filium cap. 14. Excelsum, ait, atque inuictum Principis animum non adeo magnitudo dignitatis ostendit, ac pecunia contemptus, in eo enim generositas animi eius elucescit maxime: si ergo tu excelsio animo esse uis, esto praecipue in mentis inductione pecunia contemptior. Et rutilus cap. 27. sic addit. Rem autem publicam optime administrabis, si pecunia publica curam diligenter habebis, eique iustis rationibus colligenda studebis, non oppressione, vel ex lachrymis subditorum corradenda. Pecunia enim si iuste colligitur, possidenti multum affert emolumentum, & neruos imperio addit. Quae uero ex lachrymis subditorum, atque ex iniquitate corrasa fuerit, etiam iuste collectam dissipabit. Attrahit enim Deum, qui iustitiae leges condidit, imo etiam homines, ad uindictam iniuriam: Ignisque non ita celeriter paleam consumit, ut male, & iniuste congeste opes, etiam iure partas in perniciem secum abducunt.

los, si fieri posset, tuos, o Deus vitare uellem in tenebrosum, & occultum aliquem locum discedens. Vide hominis attoniti terrorem maximum. Omnis igitur, qui inuenit me, occidet me. Ab omnibus sibi timet uir robustus, nullum etiam maxime imbellem, & infimum excipit. Expendit tremoris huius causam Ambros. in lib. 2. de Cain, & Abel cap. 9. Sed a quo, inquit, timebat occidi, qui solos parentes habebat in terris? Potuit quidem, & incensus bestiarum timere: nam qui legis diuinam curam uolauerat, nec praesumere de subiectis animalibus poterat, qui hominem docuerat occidi. Chrysof. tantae imbecillitatis causam affert hom. 15. in Genesim: nam ex persona Cain sic ait. Facile me inuadere poterit si quis interficere uolet: neque enim ipse obtudari poterat tam imbecillia dissonataque membra circumferens, & undique contremiscens. lxx. sic habent. Et ero tremens & gemens super terram.

92 Secunda interpretatio est Vatabli, qui lectionem illam supra dictam sic edisserit. Qui per uolentiam sanguinem fuderit, ad foueam usque profugus erit, ut nemo sustinet eum. i. qui aliquem contra ius factum neci dederit, etiam si nullus eum insequatur, ipsemet sponte moriturus in puteum, aut in fossam imam sese iactabit, ita ut nullus illum continere possit. Quasi dicat: homicidæ etiam cum nullus ab ipsis pro admissis scelere poenas exposcit, in semet ipsos sauire, ac sibi necem afferre ipsi solent: nam usque adeo illos patratu criminis conscientia uiget, ut ipsimet, tanquam iudices, contra se capitis sententiam ferant, & tanquam carnifices illa exequantur. Succedat memoria Iudæ in saua ubi postquam Saluatoris uitæ insidiatus est, suæ periculis columiniferuit laqueo ex desperatione uitæ ac salutis.

93 Tertia expositio est Rodolphi, qui Originalem lectionem sic edisserit. Homo oppressor in sanguine anima, id est, qui alteri mortem attulit uolentiam, atque adeo ipse mortis reus est, ad foueam fugiet, id est, si opus fuerit, in sepulchris habitabit, ac uiuum se defodiet, ne teneant eum, id est, ne comprehendatur, ac capite damnetur: nam pro uita seruanda, actuenda, alia quæuis mala libenter sustinebit. Nec otiose id dictum quispiam putare possit, sed spiritualiter de illo capiendum, qui cum suam capitali aliquo crimine animam perimere non dubitauerit, pro expiando isto scelere quiduis perpeti debet. Fecere id non pauci, qui in spelæa, in lacus, & in sepulchra discesserunt, ut ibi delitescerent longo tempore poeniterent, ne ad mortem raperentur æternam.

94 Quarta expositio est Caietani, qui eandem lectionem primitiuam ad hunc modum discussit. Homo fraudator in sanguine, usque ad puteum fugiet, & non sustent abunt eum. Sic ipse restituit; id est, homo qui per fraudem, & vim fratri suo uitam ademit, profugus ad usque ipsa alicuius putei latibula fugiet, non enim quempiam inueniet, qui illum sustentate; aut opem ipsi ferre uelit. Quasi dicat: homicidii scelus usque adeo uulgò detestabile est, ut ei qui illud perpetravit, ad foueas, & ad latebras excurrere, & omnium hominum oculos fugere opus sit. Sunt qui loco putei, foueam, vel, specum, restituerint: quam lectionem recipit etiam uox originalis: sensum uero sic conformant: Homicidæ usque adeo apud uulgus execrabiles sunt, uti cum inter homines nequaquam tolerentur, necessum sit illis ad Ararum spelæa foueasque discedere, ut cum feris, quas immanitate ipsi superant, uitam ferinam degant. Non displicet ista expositio.

XVII. Hominem, qui calumniatur anima sanguinem, si usque ad lacum fugerit nemo sustinet.

91 **H**ominem, &c. Hebr. ad uerbum. Homo oppressor in sanguine anima, usque ad cisternam fugiet, ne apprehendant eum. Chald. contrariam reliquis sententiam offerre uidetur. Filius hominis qui sollicitus est de sanguine anima, si usque ad lacum fugerit, non comprehendent eum. Tigur. Qui per uolentiam sanguinem fuderit, ad foueam usque profugus erit, ut nemo sustinet eum. lxx. Virum, qui causa morti spondens profugus erit, & non in securitate. Sic habet codex Vaticanus. At complutensis. Pro uiro qui causa morti spondens. i. qui pro illo spondet, qui causam capitalem habet, &c.

92 Non vna huius loci interpretatio: nam diuersæ lectiones diuersas offerunt expositiones. Translatio Chald. sic edisserenda est. Filius hominis, qui sollicitus est de sanguine anima, usque ad cisternam fugiet, ne apprehendant eum, id est, homo qui necis alicuius patratæ reus existit, ne comprehendatur, ac sui sceleris dignas poenas cogatur luere, si ita opus fuerit, ut necem fugiat, in unum puteum sese demittet, ut ibi delitescat. Itaque homicidæ metum, atque terrorem expingit Salomon, quem sui sceleris conscientia usque adeo percellit, ut nullibi securum se putet. Huc spectat illud Genesim 4. ubi Cain ob necem fratri illatam tanto percussus timore dicitur, ut sic Deum alloquutus fuerit. Ecce eiicis me hodie a facie tua, & a facie tua abscondar, & ero uagus. & profugus in terra: omnis igitur, qui inuenit me, occidet me. Vide studium latendi. A facie, inquit, tua abscondar. Quasi dicat: etiam ocu-

Genes. 4.

Quinta interpretatio est Lyra, qui translatio-
nem vulgatam hoc sensu donauit. *Hominem, qui
calumniatur animam sanguinem, ist est, eum, qui
imuste hominis sanguinem fundit, si vsque ad la-
cum fugerit, id est, si vsque ad sepulchrum pœni-
tere distulerit, nemo sustinet. i. nemo potest de in-
ceps eum adiuuare, quia post mortem non est lo-
cus pœnitenti. Hæc ille non admodum apposite.*

Sed his omiſſis, quæ partim à Vulgata lectione
95 omnino abhorrent, partim eidem parum idonee
accommodantur, duas interpretationes subiiciam,
quæ mihi appositæ magis videntur. Altera sic ha-
bet. *Hominem qui calumniatur animam sanguinem.*
Certe *calumniari sanguinem* (si vim vocabulorum
teneamus) non tam significat ipsum fundere, quàm
falsum per calumniam, id est, per fraudem aut ter-
giuersationem abnegare. Ergo Salomon ait: Qui
fratrem suum aut proximum falso sanguine dede-
rit neci, & subinde per tergiuersationem aut dissi-
mulationem id abnegauerit, *si vsque ad lacum fu-
gerit*, id est, quamuis latendi gratia in lacum
aut lacum profundum petierit, *nemo sustinet*, id est,
nemo illum latere patitur. Quasi dicat: si vel vni
hoc innotuerit, is certe illum prodet, & ad iudice-
deferet. lxx. habent. *Non erit in securitate*, id
est, nullibi securus deget. Et certe quamuis plera-
que alia delicta nonnunquam tegi, & occultari per
dissimulationem quandam sinat Deus, tamen homi-
cidii crimen vix aliquando celari permittit. Nam
præterquam quod per alios homines criminis
conticos plerumque retegere ac prodi solent homici-
dæ, scimus multa homicidia diuinitus per miracu-
la fuisse denunciata. Lege Gregorium Tolosatem
in libro 40. Syntagmatum iuris vniuers. cap. 10.
Non pauca etiam cum testes nulli suppetere per
animalia ratione expertia prodita fuisse. Plu-
tarchus de fera Dei vindicta narrat Bellum quen-
dam ab hirundinibus reum patricidii denunciatum,
Et rursus de comparatione terrestrium anima-
lium, & marinorum, refert Pythi atque Hæsi-
odi interfectores à canibus fuisse detectos. Memi-
nit etiam alterius homicidæ à cane proditi. Plinius
lib. 8. cap. 4. Mitto etiam Ibyci Rhagini necem,
quam grues interfectoibus inuolantes retexerunt,
de quo est illud Ausonii.

Ibycus ut perit vindex fuit aliuolans grus.

Prætereo alia multa, atque ex his illud elicio, meritò
id Salomonem minari homicidis, eorum scelus, si
vel ad lacum effugerint, atque inibi diu latuerint, mi-
nime occultandum fore, cum prouidentia Dei tot
modis illud prodere, & manifestare soleat.

96 Extrema expositio, quam ego ceteris facile præ-
ferendam censeo, sic habet. *Hominem, qui calum-
niatur animam sanguinem, &c.* Præmittere autem
oportet hic pro lacu subesse in primitiuis notissi-
mam illam vocem בור Bor, quæ etsi nonnunquam
pro fouea, vel atida cisterna accipi solet: tamen
sæpius pro puteo, aut etiam pro lacu aquis scatu-
rientibus pleno sumitur, vt docent Thalmudistæ:
aut etiam pro cisterna, quæ aquis pluuiialibus im-
pletur, vt docet Rabi Dauid. Notandum etiam est
apud veteres solemnè fuisse, siue iudices in aliquem
hominem necis sententiam tulissent, siue priuati
homicidium inuoluntariè, atque adeo impune ad-
misissent, siue etiam milites hostem trucidassent,
antequam ad commune aliorum confortium con-
uictamque venirent, vel rem diuinam agerent,
aqua manus perluere. Ablutionis huius apud geu-
tiles notissimus est vsus. Alludit ad hunc morem

Ouidius. Ouidius in 2. Fastorum.

Ast numquam faciles qui tristia crimina cadis

Fuminea tolli posse putatis aqua.

Et Æneas apud Virgilium lib. 2. sic fatur

Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates: Virgil.

Me bello tanto egressum, cædeque recenti

Attrectare nefas, donec me flumine vix

Abluero.

Rursus etiam Seneca in Hercule farente.

Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Persica

Violentus vnda Tygris, aut Rhenus ferocis,

Tagusve, Ibera turpidus, Gaza fluens

Abluere dexteram poterit?

Seneca.

Huc spectat etiam illud Pilati facinus, qui post-
quam necis sententiam in Christum tulit, *Accepta
aqua lauit manus suas coram populo dicens, inno-
cens ego sum à sanguine iusti huius.* Hunc autem
morem etiam Hebræis solemnem fuisse aliqui me-
ritò censent: & colligunt in primis ex illis verbis
Psalm. 17. *Letabitur iustus cum viderit vindictam,
manus suas lauabit in sanguine peccatoris,* id est,
postquam peccatorem, ac fontem virum iuste ne-
ci addixerit, gaudebit ac gestiet, ac lotis manibus
ad conuictum aliorum hominum veniet. Iraque
illud, *Lauabit in sanguine,* perinde est ac si dicat:
post folum eorum sanguinem lauabit manus. Ad
hæc Psalm. 25. sic Dauid. *Odiui Ecclesiam malignan-
tium, & cum impiis non sedebam: lauabo inter inno-
centes manus meas, & circumdabo altare tuum Do-
mine.* Afferit certe Dauid ius, æquitatem sibi sem-
per cordi fuisse, atque adeo nequaquam cum im-
piis iudicibus iniquas sententias proferentibus pro
tribunali sedisse: sed potius iudicia, & sententi-
as tulisse cum iustitia, & æquitate vsque adeo coniun-
ctas, vt post damnatos capere fontes sibi semper
integrum fuerit lotis manibus ad altare Dei pro-
pius accedere, in testimonium ac documentum in-
nocentiæ. Ad hanc etiam sententiam trahunt ali-
qui verba illa Iob. 9. *Si lotus fuero quasi aquis iuinis,
& fulserint quasi mundissima manus mea, &c.* Sed
venio ad sententiam Salomonis.

97 Anceps est horum verborum sensus: aut enim
accipi possunt de priuato homine homicidium per-
petrante, aut etiam de iudice, aut de Principe in-
iuste aliquem neci adiudicante: si de priuato ho-
mine capiantur, dicemus quidem his verbis Sa-
lomonem eò spectare, vt ostendat quàm sit exe-
crabile ac detestabile apud homines homicidii cri-
men. *Hominem, qui calumniatur animam sanguinem:
si vsque ad lacum fugerit, nemo sustinet.* id est, si
quis alicui per calumniam, vel iniuriam manus at-
tulit, ac necem consciiuit, quamuis ad lacum, vel
puteum, vel cisternam fugiat, vt accepta inde aqua
manus ac se totum abluat, nihilominus tamen om-
nes illum detestantur, ac longius arcant tanquam
quid omnium abominatione, & execratione dig-
num: cuncti enim natura duce horrent magno-
pere homicidas.

98 Quod si de iudice aut Principe sermo sit, & ver-
sus iste cum superioribus cohærete credamus, in
quibus Salomon de Principe verba facit, dicemus
quidem illum in præcedenti versu auaritiam Prin-
cipum inculcare, vt pote quæ subditorum odium at-
que inuidiam illis consciscat: in hoc vero immani-
tatem & sæuitiam eorundem carpere hoc sensu.
Qui calumniatur animam sanguinem. Certe calum-
nari in Scriptura sacra sæpius idem est quod in-
iuste iudicare, & calumnia iniustam sententiam
sonat. Ecclesiast. quarto. *Verti mercedalia, & vi-
di calumnias, quæ sub sole geruntur, & lachrymas
innocentium, & nullum consolatorem, nec posse
resistere eorum violentis, cunctorum auxilio desti-
tutos.* Et Ezechiel 22. *Populi terre calumniaban-*

Eccles. 4.

Ezech. 22.

tur calumniam, & rapiebant violenter egenum, & pauperem affligebant, & aduenam opprimebant calumnia absque iudicio. Mitto alia. Itaque ait Salomon: dux aut princeps, qui multorum sanguinem fudit, & contra ius fasque innocentes capite damnauit, si usque ad lacum effuderit, etiam si quotidie acceptis ex lacu, aut puteo copiosissimis aquis manus suas lustrauerit, atque expiauerit, nemo sustinet, id est, dum ipsius imperium subditi tolerare non possunt, atque adeo illum aut imperio, aut vitâ priuare non dubitant. Hinc extremæ interpretationi magis acquiesco.

XXVIII. Qui ambulat simpliciter saluus erit: qui peruersis graditur viis concidet semel.

99.

QVI ambulat, &c. Caiet. Et transuersans vias cadet in vna. Nonnulli etiam legunt. Sed intrans duas vias corrueat in vna. Chald. Et cuius inuersa sunt via corrueat semel. lxx. Qui ambulat iuste adiutus est: qui autem peruersis viis vadit implicabitur.

Huius loci sententia in promptu est. Qui ambulat simpliciter saluus erit, id est, qui integritatem vitæ seruat, atque omnis doli expers nemini damnum infert, hic certe incolumis erit. & licet ad horam aliquid damni aut incommodi sustineat, tandem saluus indemnisque ouat ac gessit. Qui autem peruersis graditur viis concidet semel, id est, qui dolo ac fraude aliis damna inferunt, quamuis aliquo tempore impunitatem habere videantur, at vero tandem aliquando semel, vulgo licet dicere de vna, corruunt, ac miserabili ruina prostrantur. Et eodem sensu accipienda est lectio illa corrueat in vna. non enim referendum ad viam, sed ita profus effertendum caira de vna, id est, vno tantum casu penitus subuersus concidet. Opponit autem Salomon simplicibus versutos, quibus proprium esse dicit vias transuertere, aut transuersare, id est, suæ vitæ rationes sic instituire, quemadmodum in triuis, aut quadriuis sunt plures viæ, in quibus viatores aberrare & decedere solent: non aliter qui cum eis conuersantur homines, ab illis delusi in plures errores abducuntur, donec eorundem dolis malis pereunt. De his ergo affirmat suis ipsorum prauis transuersisque consiliis, tandem aliquando semel subuertendos ac perdendos iri. Frustra hic multis.

XIX. Qui operatur terram suam saturabitur panibus: qui autem sectatur otium replebitur egestate.

Iplissima hæc sententia occurrit supra capite 12. vers. 11. nisi quod illa versum sic claudit, qui autem sectatur otium stultissimus est. Hæc vero sic replebitur egestate. Sed hæc diuersitas sententiam parum euariat. Lege ibi plura lxx. Implebitur paupertate. Omnia in idem recidunt.

XX. vir fidelis multum saturabitur: qui autem festinat ditari, non erit innocens.

100.

VIR fidelis, &c. Heb. Vir verax multus in benedictionibus, &c. Item pro extrema illa clau-

Asula, non erit innocens, nonnulli restituunt, non erit impunis. Chald. Viri fidelis multa benedictiones: qui cucurrerit in iniquitate ut dicitur, non erit innocens. lxx. Vir fidelis multum benedicetur: malus autem non impunitus erit. Aquila. Vir fidem faciens, &c. Schol. concinit cum Vulgata.

BPræcipua etiam huius sententiæ pars concinit cum aliis supra adscriptis. Nam cap. 20. vers. 21. sic habes. Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. Et cap. 11. vers. 11. Substantia festinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu multiplicabitur. Lege in his locis non pauca. Sed interim quasi per excusum excutienda etiam sunt verba isthæc, vir fidelis multum saturabitur, id est, vir iustus qui sine iniuria ac fraude negotiatur, tandem aliquando copiis ad saturitatem usque affluet, vel opes nanciscetur, quæ desiderium illius expleant: tales enim sunt quæ iuste parantur. Primitiua habent. Multus erit in benedictionibus. Per benedictiones autem ingens omnium bonorum copia significatur. Quasi dicat: fortunis vndique circumfluat, vel, multa ipsius erunt benedictiones, ut restituit Chalæus, id est, eius fortunæ Deo benedicente vberimis incrementis augebuntur. Qui autem festinat ditari, non erit innocens. Diuus Gregorius Pastoral. curæ 3. parte, admonitione 21. Cum repleti homines cunctis simul opibus inardescunt, audiant quod scriptum est, Qui festinat ditari non erit innocens, Profecto enim qui augere opes ambit, vitare peccatum negligit, & more animum captus cum escam terrenarum rerum aude conspicit, quo stranguletur peccati laqueum non agnoscit. Verbi illius festinat, vim dedimus locis supra citatis. Chalæus illam expressit. Qui cucurrerit in iniquitate ut dicitur, id est qui iustitiam, iura & leges prætergrediens, ad diuitias contendit velocius, non erit innocens, id est, non potest non esse valde innocens.

Gregor.

1. Timoth.

101.

DNam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, &c. Nec currit tantum incitato gradu, sed etiam volat celerius, id est, ius omne, cunctamque æquitatem præteruolat. Homo cum semel pecunia cupiditate inflammatur (verba sunt Chrysol. hom. in Psalm. Veruntamen frustra conturbatur omnis homo viuens) nunquam desinit, sed siti auaritiæ confectus auro pallidior volitat propter diuitias, quæ sunt omnis absurditatis parentes, inuentrices malorum omnium, corruptionis adiutrices, hostes continentia, inimica temperantia, occultaque omnis virtutis fures. Sed tamen sicut fama est esse quædam loca, & lacus quæ superuolantibus alitibus perniciem afferunt: adeo ut desuper transuolantes, sapius euectæ ad ima cadant: ita etiã auari homines diuitiarum cupiditate incitati cum iura, leges iustitiamque quasi transuolare contendunt ut ocys ditescant, sæpius ipso in lapsu, misere pereunt, & in graua delicta recidunt, iuxta illud, Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, &c. Addendum etiam est illud eiusdem Chrysol. in hom. 20. in Genesim. Ars malorum omnium, & Colophon, ut ita dicam, peccatorum est rabies illa colligendarum diuitiarum.

Chrysol.

XXI. Qui cognoscit in iudicio faciem non benefa. it iste, & pro buccella panis deserit veritatem.

101.

QVI cognoscit, &c. Hebr. Cognoscere faciem, aut vultum non bonum, & super buccella panis

preuaricabitur vir. Chaldaeus. *Aestimare faciem non est bonum, & pro buccella panis peccauit vir. lxx. Qui non reueretur facies iustorum, non est bonus, qui talis est buccella panis deserit virum.* Et quidem lxx. cum ita legendum putassent, & pro frusto panis deserit virum, quam lectionem sine dubio recipiunt Origines, non sine emphasi reddiderunt. *Ven. det virum, obserua mendum in Vaticanis: habes enim ibi vendet vinum.* Fuit certe nescio quis ex neotericis hac delusus lectione, qui Græcum textum non consuluit, & adeo de illa non pauca seruit.

Qui cognoscit in iudicio faciem non bene facit, id est, iudex, qui quacunque ratione corruptus personarum acceptor est, perperam facit: simile est illud quod supra habes capite 18. vers. 5. *Accipere personam impii non est bonum.* Peruulgatum est illud, iudicem, si fieri posset, exosculatum se oportere, ne quempiam litigantium agnoscat. Hinc Plutarchus in lib. de Iside. *Thebis, ait, iudicum imagines visuntur absque manibus, & summi iudicis oculi conuident, eo quod iustitia nec muneribus captatur, nec hominum vultu flectatur.* Item Deuter. 11. sic Deus iudices informat. *Quod iustum est iudicate, siue cuius sit ille, siue peregrinus. Nulla erit distantia personarum: ita paruam audietis ut magnum, nec accipietis cuiuspiam personam, quia Dei iudicium est.* Huc spectat illud Petri Rauennatis apud Nanius in Iudice. *Nihil adeo gloriose lucet in iudice sicut amare, & exhibere iustitiam sine omni acceptione personarum. Teste enim Tullio proverbialiter dicitur, exiit personam iudicis quisquis amicum induit. Aequitas, cui iudex obsequitur, sinistram odii, vel amoris dexteram odit. Nam talis esse debet iuris minister, ut in eius manu nullius auctoritate persona titubet, aut vacillet libra iustitia.*

Chaldaeus. *Aestimare faciem in iudicio, &c. apte cadit in hunc locum verbum aestimat: nam si in aestimatione iudicis persona pondus habeat, vel leuis sit, statim iustitia ab amussi sua detorquetur.* Ideo ait Deus. *Ita paruam audietis ac magnum.*

Quasi dicat: nec iste: quia magnus, ideo grauior: ne ille, quia paruus, ideo leuior in aestimatione, & opinione vestra sit, sed vterque equali in pretio apud nos existat. Sed qua ratione tam imparium, & inæqualium rerum momenta exæquanda sunt: subiucio libens. Animus iudicis suapte sponte ad pauperes, & tenues demittendus, ac flectendus, ut ea, quæ in illis auctoritatis momenta desiderantur, per istam iudicis propensionem compensari queant. Atqui obiciis illa verba Exod. 23. *Pauperis etiam in iudicio non misereberis.* Ita ego reor, nec ob misericordiam iustitiæ trutinam flecti debere. Tamen eadem in scriptura quasi de industria dicit. *Querite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me.* Et sæpe alias aliquid pauperibus ac tenuibus deferendum esse docet, ut vel sic pondus auctoritatis quod diuitis lancem onerat miseratio erga pauperem redimere, & compensare possit, Subdit Salomon.

Et pro buccella panis deserit veritatem. Extremæ huius clausulæ non vna interpretatio occurrit: prima est eorum, qui conferunt ista verba cum illis Ezech. 13. *Violabant me apud populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis:* dicunt autem, Prophetam vsurpare aucupum similitudinem, qui hordei grana, aut panis concisas micas subter retia spargentes auiculas decipiunt: Itaque sensum sic conformandum putant: Iudex ille per-

sonarum acceptor donis ac muneribus decipi solet, non secus ac stultæ auiculæ, quæ per illas granorum aut micarum illecebras ad plagas retiaque delusæ veniunt. Itaque iuxta hanc sententiam id quidem iudicibus, qui se corrumpi sinunt, à Salomone exprobrari dicunt, quod similes sint stultis auiculis: Non enim secus ad capienda parua & nullius pretii munera cum maximo animi sui periculo sese abiciunt, quàm aues stolidæ ad colligendas panis micas sese deponunt, ac retibus ipsas inserunt, Huic interpretationi fidem facit translatio Chald. quæ verba illa. his perquam similia cap. 6. *Pretium enim scorti vix est unius panis. Mulier autem viri pretiosam animam capit, ad venationem retulit hoc modo. Quia similis est oratio mulieris meretricis frusto panis, sed pretiosam viri animam aucupatur.* Huius autem comparationis energiam inibi habes.

Secundo, alii sunt qui metaphoram hic vestigantes illam à piscibus desumptam affirmant, qui sub buccella panis tenuissima latentem hamum deuorant: ita ut sensus sit eiusmodi: Iudex corruptelis obnoxius similis est pisci stolido: quia sicut hic frustulo panis tectum hamum deuorat, atque eo confixus à naturali suo elemento ad interitum extrahitur, ad eundem modum iudex ille dono, ac munere, quantumuis paruo, tectum veluti hamum quendam, eius qui dedit, amorem & dilectionem transmittit, atque illa defixus à veritate & iustitia, quæ ipsi velut naturale quoddam elementum esse, debet, ad mendacium, iniuriamque traducitur.

Tertio, alii præscriptam similitudinem ab ariete gregis duce acceptam putant, qui ostenso panis frustulo hac illac gressus regit, ita ut sensus sit. *Et pro buccella panis deserit veritatem.* Nimirum iudex iste corruptibilis similis est arietis cuiuspiam stulto, & vecordi, qui greges præcedit, quia sicut hunc pastor obiecto pane à recta via ad auia sponte sequentem transfert, ita etiam eiusmodi iudicem oblatio aut promissio certa muneris alicuius à recto veritatis & iustitiæ tramite deuium agit.

Quarto, si metaphoris indulgere integrum est, posset etiam quispiam hunc locum conferre cum illo, quem nuper ex capite 6. vers. 26. præscripsi. *Pretium enim scorti vix est unius panis.* Et sane in memoriam reuocare oportet id, quod inibi docuit, scilicet olim more comparatum fuisse, ut panes meretricibus in turpitudinis pretium darentur. cōiecturam istam præter locum præfatum firmant etiam illa verba Isaiæ cap. 4. *Apprehendent septem mulieres virum unum dicentes, panem nostrum comedemus,* id est, nequaquam opus erit tibi pro pretio libidinis panem nobis largiri, nam nostro ipsarum pane victitabimus. Habes etiam ibi alia testimonia tum sacra, tum prophana, quibus hæc suspicio confirmatur. Adde etiam modum illum loquendi, *Muneribus corrumpi,* quod iudicibus dona accipientibus passim tribuitur, ut auctor est Gregorius Tolofanus, metaphoram esse à virginibus delumptam, quæ suam pudicitiam prostituant: quam Tolofatis suspensionem confirmat Plato in 12. de legibus li. 34. ubi iudicium, & arbitrium Principis, aut iudicis virgini conferendum dixit. *Cauere autem, inquit, pro viribus debet quisquis alium iudicaturus est, ne sponte, scilicet muneribus allectus, aut inuitus, scilicet minis, aut terrore percussus, supplicium multamue falso, & non merito inferat. Iudicium enim virgo quaedam pudica esse dicitur. Pudori autem, atque iudicio secundum naturam odio mendacium est.* Et sane per quam familiare antiquis erat iustitiam, seu virgi-

Plutarch.

Deut. 11.

Nanius.

103.

Exod. 23.

104.

Ezech. 13.

105.

106.

107.

Isaiæ 4.

Greg. Tol.

Plato.

nem aliquam, effingere, quam Aſtream vulgo dicebant.

108. Sed quod caput est, Scriptura sacra Ecclesiastici vigesimo, id nominis ipsi indidit, ac venusta quadam similitudine iudicum corruptelas adumbravit his verbis. *Concupiscentia Spadonis deuirginavit iuuenulam, sic qui facit per vim iudicium iniquum*, id est, iudex iniquus, qui muneribus, aut alia ratione promeritus iustitiam corrumpit ac violat, similis est Spadoni, qui virginem incorruptam illata vi opprimat, ac constuprat, quia nimirum iustitia incorrupta virgo est. Merito autem confertur Spadoni, hi enim Eunuchi erant, id est, custodes cubiculi virginibus asseruandis præfecti. Itaque sensus est: Quemadmodum si Eunuchus, ad quem spectat Virginem incorruptam seruare, eandem illata vi constuprare audeat, grauissime delinquit: sic iudex, qui iustitia, seu virgini cuiuspiam integerrimæ custodiendæ præpositus est, si eandem violet, grauissimum admittit piaculum. Huc spectat illud Tullianum ad Atticum libro 1. *Afflictare publica est empto, constupratoque iudicio*. Ad rem Salomonigitur ad eandem similitudinem stupri ac virginis suum prostituentis pudorem adludens sic ait. *Et pro buccella panis deserit veritatem*, id est, iudex iste personatum, ac munerum acceptor, iustitiam Virginem, liceat sic dicere, in meretricem omnium corruptelis expositam commutat: adeo ut quemadmodum infamis meretricula accepta buccella panis sine discrimine cuiuslibet procumbit: ita etiam in eiusmodi magistratibus si iustitia, & iudicium cuiuslibet passim promunere aliquo exiguo sese inclinet, prosternat, & ab illo constuprari sinat.

119. Quod si aliquid sincerius cupis, dicendum prorsus cum Iansenio, Rodolpho, Lyra, Hugone, Dionysio, atque aliis interpretibus, per buccellam panis, vilissimum pretium notari, scilicet obolum, aut quid vilius: Imo quibusdam placet obolum ita dictum, quasi *ob bolum*, pretium scilicet propter bolum, id est, propter panis fragmentum, aut buccellam datum. Eodem sentit Diuus Gregorius Nazianzenus in oratione de laudibus Athanasij ita dixit. *Hominem maza venalem, ventris causa quiduis facere, ac dicere edebum*. Neque vero eum præfatis interpretibus sentio, Salomonem hoc iudicibus exprobrare, quod vilissima munera accipiant: nam experientia docet, magistratus, ac iudices, qui corruptelis patient, non nisi ingentibus donis promereri posse: sed illis suadet, ne vel mazam, vel obolum, vel aliquid vilius accipiant: hæc enim natura humani iudicii, ut quolibet dono quantumvis exiguo, flectatur, atque inclinetur. Indulgent quidam doctores, atque iudicibus, & magistratibus esculenta, & poculenta accipere licitum esse affirmant: ne id quidem permittit Salomon, qui nec mazam quidem, aut bolum ipsis accipere indulgendo concedit, ne si vel buccellam panis accipiant, ea ratione corrumpantur, & pro illa veritatem deserant. Ob hanc rationem Imperator Iustinianus paragrapho oportet, de mandatis Princip. Auth. coll. 3. & Nouell. 29. in iuramento administrationis accipientium, *Nullum omnino neque maius, neque minus donum ab his quolibet nomine, ac titulo accipi iubet*. Oportet, inquit, *re pure sumentem administrationem, & sine omni suffragio, & omnibus aliis mundas seruare manus Deo, nobisque, & legibus, & nullum contingere lucrum, neque minus, neque minus, &c.*

110. Translatio etiam lxx. ad eundem sensum trahi

debet. *Qui non reuertetur facies iustorum, non est bonus: qui talis est buccella panis vendet virum*, id est, iudex ille, qui eorum, qui iusta defendunt (hos enim iustos appellat) non respicit vultus, sed corruptus potius munera, & personas accipit, eiusmodi, inquam, iudex etiam pro buccella panis, id est, pro obolo, virum quempiam diuendet, illum capite damnans, & neci adiudicans. Auger nimirum istorum iudicum corruptelas, qui scilicet, vsque adeo muneribus acquiescunt, ut rem maximam pro minima, id est, mortis sententiam pro obolo dare non dubitent.

XXII. *Qui festinat ditari. & aliis inuidet, ignorat quod egestas superueniet ei.*

QUI festinat, Sec. Heb. *Festinus ad opes viri mali oculi, & non sciet quod egestas veniet ei*. Chaldaeus. *Qui festinat ad substantiam, vir est oculi nequam* Septuaginta. *Festinat ditescere vir inuidus, & non nouit quod viri misericors obtinebit eum*.

De festinatis diuitiis diximus supra cap. 20. v. 1. & cap. 13. vers. 11. & in hoc etiam capite vers. 20. v. 1. ibi plura. Et sane festinum ad opes appellat Salomon avarum, cuius tanta est diuitiarum auaritas, ut, si fieri posset, subito opulentus, ac prædiues euadere vellet. Sed quid est quod eundem avarum appellat *virum mali oculi*? duplex sententia. Alii de ipsius auari concupiscentia accipientium putant. Ioannes enim auaritiam ipsam oculorum concupiscentiam appellat. Auari autem hominis malos oculos venuste delineat Chryostomus in sermone contra gulam. *Auarus, inquit, neminem vel amicum discernit, vel hostem, oculosque apertos gerens captus luminibus est*. Rursus in homilia 19. in Epistolam priorem ad Corinthios. *Et quid, ait, oculis illis impudentius, quid magis inuerecundum: Ne eius vultum & oculos intuearis, quod sunt hominis: non enim sic aspiciunt humani oculi. Non aspiciunt avarus homines tanquam homines, non aspiciunt cælum tanquam cælum, neque sursum respicit ad Dominum, sed omnia putat esse pecunias. Hominum oculi solent intueri homines afflictos, & dolere, ac misereri: isti autem raptores vident pauperes & efferrantur. Hominum oculi non tanquam propria vident aliena, sed etiam propria tanquam aliena, & non desiderant qua data sunt aliis, sed in alios quoque sua effundunt: isti autem non ferunt nisi res omnium acceperint. Non enim humanum, sed belluinum habent visum. Hominum oculi nudum videre suum corpus non ferunt: suum enim est, etiam si aliorum, quod atinet ad personam: isti autem nisi omnia denudauerint, & omnia domi reconcant, nunquam satiantur, imò vero nunquam implentur. Eadem ferme verba repetit in oratione de auaritia Tomo quinto. An aliquid hisce oculis nequius excogitari potuit? Ad hæc idem Chryostomus homilia sexagesima quarta in Ioannem. *Gravis, inquit, morbus est auaritia, oculos cæcat, & aures obstruit, & quavis bellua seniores reddit*. Præcipuum ergo ac maximum vitium, quod auari oculos tenet, est cæcitas, qui nimirum apertos oculos gerens, captus nihilominus luminibus est, ea propter ne illud quidem videre potest, quod egestas superueniet ei, &c.*

Alii rursus cum Vulgato ac Septuaginta interpretibus sentiunt, atque adeo per *malum oculum*, ut sepe aliis in hoc libro, inuidum accipiendum

putant. Et sane de malo tabifico, ac virulento inuidorum oculo iam inde supra non semel diximus. Illud proprium huius loci quod Salomon inuidiam, atque auaritiam duo esse cognata vitia significat. *Qui festinat ditari, atque aliis inuidet, inuidia auaritiam, auaritia vero inuidiam excuit.* Audi Chrysostrum in homil. 63. in Ioannem. *Gravis quidam affectus est inuidia: hic orbem terrarum innumeris impleuit malis. Hinc iudicia complentur, hinc liuiores, & pecuniarum amor.* Et paucis interiectis. *Hic morbus auaritiam peperit, quæ omnia confundit, & iustitiam corrumpit.* Rursus inuidiam ex auaritia nasci docet Augustinus tractatu octauo in Ioannem. *Si vis ditior esse quam alius homo, inuidebis ei, cum videris tibi illum æqualem: debes ergo velle omnes homines tibi æquales esse.* Et in Psal. 125. *Nemo, inquit, inuidet alteri in eo quod non vult vel esse vel videri. Alius tibi inuidet, quia diues es, hic autem aut diues vult esse, ut tibi inuideat, aut diues putari vult.* Et subinde optimum inuidiæ ac liuoris amuletum esse affirmat diuitiarum contemptum.

Qui ergo festinat ditari per auaritiam, atque adeo aliis inuidet, & rursus qui carpitur inuidia aliorum, atque ideo ditescere impensè cupit, ignorat quod egestas superueniet ei. Hugo, Dionysius, Lyra & Rodolphus, de egestate vitæ alterius intelligunt hæc verba exemplo illius diuitis avari, qui sepultus in inferno guttulam aquæ sibi à Lazaro instillari afflictum orabat, nec exorabat. Arborus iste pariter atque inuidus, non satis capit, fieri non posse ut ea ratione diues ac scælix sit: quia licet multa bona lucretur, dum per auaritiam liuore incensam multo plura expetit, semper egenus atque indigus apud se manet. Vel aliter, homo iste auarus ac liuidus, ad egestatem miserissimam compelletur, quia auaritia non sinit illum partis fortunis perfrui, & inuidia non sinit illum ea scælicitate, quam iam tenet, gaudere: atque adeo perinde se gerit, ac si vtrisque prorsus careret. Iansenius de supplicio Dei accipit hoc sensu: Nimirum sordidus iste homo, qui auaritiam inuidiæ copulauit, atque adeo alios egere vellet, ut ipse solus inter omnes diues sit, id supplicii pro meritis referet, ut aliis copias suas augmentibus, solus ipse inter omnes indigus atque egenus maneat.

Denique Caietanus ad inconstantiam fortunarum refert. Hanc certe expositionem præfero. Existimo enim hic per inuidiam non significari liuorem, sed iram & indignationem, ut sæpe aliàs in Scriptura sacra, tum in hoc libro, tum in aliis: frustra hic exempla colligam, cum sint obuia: sensum vero sic conformo. *Qui festinat ditari, id est, qui ocysus ex paupere diues euasit, atque adeo superbe, ut fieri solet, pauperibus indignatur, vel eos aspernatur, ignorat quod egestas superueniet ei, id est, non satis agnoscit diuitiarum inuidiam, & instabilem possessionem: nam fieri potest, ut fortuna commutetur, & ipse quidem pauper ex diuite, alius vero ex paupere diues fiat, atque adeo illo indigeat, quem prius violauit, ac læsit.* Similem sensum reddit translatio lxx. *Festinat ditescere vir inuidus, & non nouit, quod misericors obtinebit eum.* Qui scilicet diuitias adeptus est, atque hisce tumidus pauperes spernit, illisque indignatur, dignus certe est ut ablatas ipsi fortunas Deus ad alium virum misericordem transferat, qui de pauperibus bene mereatur.

XXIII. *Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum: magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit.*

QVI corripit, &c. Heb. *Argues hominem post me, gratiam inueniet magis quam blandiens lingua.* Chald. *Qui corripit filium hominis, gratiam inueniet coram eo magis quam ille, qui bifidus est lingua.* lxx. *Qui corripit hominis vias, gratias reportabit magis illo, qui lingua gratificatur.* Aquila. *Præ deliniente linguam.* Admonet Rodolphus ex Heb. quosdam vocem originalem אבדאי Achadai, quæ subest illis verbis *post me*, ita accipere solitos, ut litera *od*, non indicet pronomen affixum, sed paragogica sit, ac tantummodo significet *post*, suppleendumque esse aliquid hoc modo. *Qui corripit hominem post desideria sua euntem.* Sunt etiam qui putent eam vocem ad nomen immediate præcedens esse reuocandam hoc sensu. *Qui corripit post hominem, id est, qui instat homini assiduis correptionibus illum monendo.* Sed magis assentior Caietano, qui putauit vocem illam idem esse quod *postea*, & non cum antecedentibus, sed cum consequentibus esse construendam, ut Vulgarum interpretem fecisse constat. In quibusdam etiam codicibus est. *Qui corripit hominem, gratiam audiet, eodem sensu, nisi mendum suspiceris.*

Qui ergo Primitiuam lectionem horum verborum edisserunt, non vno modo accipiunt illud *post me*. Rodolphus ita exponit. *Qui corripit hominem post me, gratiam inueniet, &c.* id est, qui aliorum mores, ait Salomon seuerius corripit, non secus aliorum gratiam & beneuolentiam inibit, quam ego ipse, qui quamuis subditorum meorum mores coercere nunquam desino, nihilominus tamen ipsis pergratus sum. Vatablus magis accommodate sic explicat, *Qui corripit hominem post me, id est, qui iuxta leges ac canones, quos in hoc libello præscripti, hominum mores carpit ac vellicat, &c.* Sed tamen hæc, me iudice, idonea non sunt, standumque per omnia translationi Vulgatæ, quæ sic habet.

Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet, id est, qui alterius hominis vitam, & mores acrius coercet, quamuis initio displicere videatur, tamen postea cum is, qui corripitur, ad se redit, ac correptionis emolumenta secum reputat, suum monitorem gratia ac beneuolentia complectitur: magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit, is enim qui delictis conuiuendo ad blanditur, quamuis initio placere, & genio inseruire videatur, tamen postea cum is, cui blandiendo assentabatur, assentationis damna & detrimenta experitur, assentatorem suum odio habet. Chaldæus extrema verba sic extulit, *magis quam ille, qui bifidus est lingua: bifidam linguam adulatori dat, quia is coram præsensque delinit aures: auersus verò, absensque mordet: atque adeo duplicem quasi linguam gerit, quarum alia quidem lambit, alia vero pungit, sed hac de re alibi etiam me dixisse memini.*

Non est præteruolanda lectio illa. *Qui corripit hominem gratiam audiet, id est gratiarum actiones tandem audiet.* Accinunt lxx. *Qui corripit hominis vias, gratias reportabit.* Apposite ad hanc sententiam dixit Gregorius in prologo 3. partis Curæ Greg. Pastoralis. *Quid enim sunt intenta mentes auditorum, nisi, ut ita dixerim, quadam in cythara tensiones strata chordarum, quas tangendi artifex, ut non*

Chrysostr.

August.

113.

Hugo.
Dionys.
Lyra.
Rodol.

Arbor.

Iansenius.

114.

B

C

D

E

115.

116.

Rodolph.

117.

118.

Greg.

sibi dissimile canticum faciant, dissimiliter pulsant: & A
 idcirco chorda consonam modulationem reddunt,
 quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur.
 Unde & doctor quisque ut in una cunctos chari-
 tate edificet, ex una doctrina non una eademque ex-
 hortatione corda tangere audientium debet. Hec
 Gregorius. Ex his vero Gregorii verbis Iuo Carn-
 noten sis in serm. 26. similitudinem illam vrgens sic
 commentus est. Qui cytharam pulsat certe singulas
 chordas intendendo cum temperat ingratum earum
 sonum audire solet: at postea cum omnes tensit, & mo-
 dulate sunt ad harmoniam, suauissimum concentum
 eidem reddunt. Ita etiam doctor aut prelatus cum
 subditos suos, vel auditores coercet, & quasi laxas
 cythara chordas ad virtutis, & honestatis obseruan-
 tiam intendit, absurda solet probra, & conuicia ab
 eisdem audire: at posteaquam omnes ad honestatem
 & charitatem modulati sunt, eiusdem aures laude &
 gratiarum actione demulcent, quas prius vituperan-
 do violauerant. Longiorem illius sententiam com-
 pendio dedi.

119.

Seneca.

Contra vero is qui lingua delinit, ac primum
 quidem suauem auribus sonum offert, nescio qua
 ratione eandem postea lædit ac violat. Et quidem
 apposite admodum assentatorum blandimenta cum
 harmonia contulit Seneca in epist. 123. Quemad-
 modum, inquit, qui audierunt symphoniam, ferunt
 secum in auribus modulationem ac dulcedinem can-
 tus, que cogitationes impedit, nec ad seria patitur
 intendi: sic adulatorum, & praua laudantium ser-
 mo diutius hæret, nec facile est animo dulcem sonum
 excutere: prosequitur & durat, & ex intervallo re-
 currit. Ideo claudenda sunt aures malis vocibus, &
 quidem primis: nam cum initium fecerunt admissæ
 que sunt, plus audent. Vide autem quam ratione
 in assentatione ex concentu, & harmonia ad ab-
 surdissimam dissonantiam venit, ex inde, inquit
 Seneca, ad hæc peruenitur, id est, adultores ubi au-
 res Principum occuparunt, ita demum pronuntiare
 audent. Virtus & philosophia, & iustitia verborum
 inanum crepitus est: una felicitas, bona vita, facere
 omnia libere, frui patrimonio. Fluunt dies, & irre-
 parabilis vita decurrit: quid dubitamus, quod iuuat
 facere, & avari non semper voluptates decerpere,
 sed interim dum potest, dum poscit ingerere. Et
 alia subinfert adulatorum dogmata absurdissima,
 quæ non possunt non aures audientium dissono suo
 strepitu plurimum lædere.

XXIV. Qui subtrahit aliquid à patre, & à
 matre, & dicit hoc non esse peccatum, par-
 ticeps est homicida.

120.

QUI subtrahit, &c. Heb. Diripiens patrem
 tuum, & matrem tuam, & dicens: non est
 prauaricatio, socius est viri corruptentis. Pagni-
 nus sic extulit. Particeps est dissipantis bona sua.
 Caietanus. socius est destructoris. Vatablus. socius
 est grassatoris. Chaldeus. socius est viri dissipantis.
 Septuaginta. Qui abiicit patrem, vel matrem, &
 videtur ipsi non peccare; hic consors est viri impii.
 Aquila, Symmachus, & Theodotus. particeps
 est viri impii. Et quidem in Primitiuis subest
 מִשְׁחִיתִים Mischith, eandem vocem supra cap. 18. v.
 11. sic extulit Vulgatus. Frater est sua opera dissipan-
 tis. & Isaia 54. interfectorum reddidit. Ego creavi
 interfectorem ad disperdendum, &c.

121.

Hugo, Dionysius, Lyra, Arboreus, & alii
 non pauci, docent Salomonem his verbis illam fi-

liorum opinionem, aut hæresim potius confutare,
 quam etiam Christus Dominus Matthæi decimo
 quinto, seuerius refellit, qui asserabant integrum
 esse liberis parentes suos necessariis ad tuendam
 vitam rebus defraudare, ut ea Deo libarent, &
 templo offerrent. Nam de hac hæresi ita Christus
 Dominus. Deus dixit, qui maledixerit patri vel
 matri, morte moriatur: vos autem dicitis, munus
 quodcumque est ex me tibi proderit, & non honori-
 ficauerit patrem suum, ac matrem suam: & irritum
 fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.
 Ergo locum istum istum sic edisserendum putant.
 Qui subtrahit aliquid à patre suo, ac matre, id est,
 qui ex his, quæ naturali iure parentibus debet,
 aliquid defraudat, ut illud Deo, aut templo con-
 fectet religionis gratia, & insuper dicit hoc non ef-
 se peccatum, quia nimirum non videtur iniquum
 aut impium supremo parenti Deo tribuere ea, quæ
 humanis genitoribus eripiuntur. hic sane particeps
 est homicida, id est, iisdem apud Deum pœnis ob-
 noxius est, quibus subiacet homicida. Sed cur ho-
 micidæ pœnis dignus dicitur? ratio occurrit ex il-
 la lege petita, quam Christus Dominus allegat
 Matthæi decimo quinto, ex capite vigesimo pri-
 Exodi. Qui maledixerit patri, vel matri, morte
 moriatur. Vbi verbum maledixerit, non est acci-
 piendum de conuitiis, aut probis in parentes con-
 iectis, ut quidam putant, sed, ut alii sentiunt, ma-
 ledixerit, perinde est ac malefecerit, vel damnum
 dederit, ita ut sentus sit: Qui grauius aliquod dam-
 num intulerit parenti suo, capite plectatur. Hunc
 autem sensum confirmant verba Christi Domini,
 qui illi legi opposuit aliam contrariam, quam ho-
 minum malitia excogitauerat, illam scilicet. Mu-
 nus quodcumque est ex me, &c. Ex quo liquet eadem
 pœna affici solitos parentum violatores, atque ho-
 micidas, nam tum horum, tum etiam illorum se-
 cundum legis præscriptum pœna capitalis erat.
 Salomon ergo sic ait: Qui defraudat patrem suum
 necessariis ad vitam rebus quocumque nomine, at-
 que adeo illum pauperiem & alia incommoda sub-
 ire cogit, cum his certe numerandus est, qui pa-
 rentes suos violat, atque ex legis dispositione pœ-
 na ipsi cum homicida communis est, scilicet capi-
 talis, sic enim habes, morte moriatur.

Matth. 15.

Exod. 21

122.

Cæterum reliqui interpretes Salomonis verba
 latius patere existimant, ac vitium quoddam filius
 iunioribus familiare ab ipso coerceri, qui parentum
 suorum bona & fortunas eripere, ac furati clancu-
 lum solent, atque id minime illicitum putant, quia
 paternorum bonorum postea hæredes futuri, iam
 illa ad se pertinere existimant, atque adeo inte-
 grum sibi esse censent ea dissipare. Sed qua ratio-
 ne isti faraces filii homicidarum participes sint non
 apertum: possent tamen sic comminisci: eiusmodi
 filios qui à teneris annis parentum bona effurati
 incipiunt, exinde ad deprædanda etiam aliena as-
 suescere, ac tandem prædones ac sicarios vias ob-
 sidentes effici. Quapropter iam tunc seuerissime
 puniendi sunt, ne corruptis moribus ad deteriora
 prolabantur.

Sed tamen iuxta præmissas lectiones alii aliter
 integrum locum edisserendum putant. Caietanus
 sic legit. Qui deprædatur patrem aut matrem, &
 dicit non est crimen, socius est viri destructoris. Et
 quidem per destructorem, intelligit domus auc
 vrbis expilatorem, cum post victoriam spolia col-
 ligit, ita ut sensus sit: Filius qui patris, vel ma-
 tris suæ fortunas clepit ac diripit, idque crimine
 vacare putat, similis est hosti cuiuspiam victori do-
 mum expilanti: nam sicut is omnia bona, atque

123.

Caiet.

omnem pretiosam suppellectilem nomine spoliatorum aufert: ita etiam filius furax dormitum paternam bonis omnibus exhaurit. Itaque cum filius sit ac domesticus, ab hoste non differt.

124.
Bainus.
Lansen.

Bainus, cui haeret etiam Iansenius, sic legit, *Socius est grassatoris, aut dissipantis*. Solum verò sic conformat: Si quis filius bona, aut fortunas parentum suorum diripiat, quantum coniectari licet, non sua solum malicia, & prauitate id committit, sed quia socios habet grassatores & dissipatores, qui eam mentem ipsi iniiciunt. Et quidem ita fere contingit, ut filii decoctores cum sociis ac familiaribus bona paterna insumant, qui ipsis partim auctores, partim adiutores sunt, ut ea diripiant.

125.
Pagninus.

Pagninus alium sensum sua lectione nobis obtulit: nam sic habet. *Qui rapit bona patris sui, & matris suae dicens, non prauaricatio: particeps est dissipantis bona sua*, id est, filius prodigus, qui parentis bona, & fortunas furto aufert, idque crimine vacare putat, nihil diffidet ab illo, qui sua ipsius bona profundit ac dissipat, quia cum filius paternorum bonorum haeres ex asse futurus sit, quando parentis sui bona dilapidat, sua quidem bona, & non aliena dilapidat. Itaque iuxta hunc sensum ex eo Salomon filios à furto bonorum paternorum detetret, quia hereditatis suae partem ipsi imminuunt, & non tam parentibus, quam sibi ipsis auferunt quidquid auferunt.

126.

Sed tamen quamuis æquum sit ex superioribus expositionibus unam, vel alteram Vulgatæ lectioni accommodare: tamen alia succurrit interpretatio, quæ mihi magis idonea, magisque cum Vulgatæ textu conformis concordatque videtur. Igitur per homicidam, non quemlibet passim interfectorem accipiendum esse censeo, sed prædonem notari puto, vulgo *salteador*: neque insolens hoc in sacra scriptura. Iob vigesimo quarto. *Mane consurgit homicida, interficit egenum, & pauperem, per noctem vero erit quasi fur*. Et Isaia 1. *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena iudicii? In iustitia habitauit in ea, nunc autem homicida*, id est, latrones ac prædones, sic enim alii restituerunt. Deinde etiam notandum est, quod licet filii etiam tunc cum parentes superstites sunt, quodammodo etiam rerum paternarum domini esse dicantur, ut colligitur ex Glossa in cap. *Adrianus 63*. distinct. in ca. fin. vigesimo quarto, quæstione prima, unde à Terentio filius bonorum particeps appellatur in Adelpis.

Iob 24.
Isaia. 1.

Donec filius, inquit, redierit bonorum meorum particeps.

Tamen re vera hoc dominium qualecunque sit, quod in paterna bona filii contingit, habet impeditum usum, nec dispositionem liberam, donec pendet patris vita: licet enim filius, ut pars quædam, seu membrum patris patriarum fortunarum consors sit, quia tamen est pars subiecta, non habet vtendi libertatem, atque adeo illi in parentis fortunas minimè licet. Ergo Salomonis mens talis est. *Qui subtrahit, inquit, aliquid à patre, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum*, id est, filius qui patris vel matris suae fortunas clanculum effuratur, quasi id licitum sibi sit, falsa quidem opinione luditur: nam re vera *particeps est homicida*, id est, socius est prædonis: quasi dicat, nihil diffidet à latrone, de prædatore, qui in alia bona manus mittit, *Nose diferencia del salteador, y ladrón*. Nam simile est omnino, ac par vtriusque peccatum, imo etiam maius fortasse filii furacis crimen, quatenus ab eo aufert propria bona, cui

etiam ipse sua debebat. Hanc esse existimo germanam istius loci sententiam.

Cæterum aliam subiicio, quæ aliquibus idonea visa est, his nimirum, qui putant Salomonem hic filios perstringere, qui parentes suos ad egestatem compulso non subleuant bonis suis: itaque sic aio: *Quemadmodum Diuus Augustinus diuites auaros, qui pauperum extremam inopiam fortunis suis non leuant: coercet illis verbis. Si non pa-nisti, occidisti*, ita etiam Salomon filium, qui parentes egenos largitione suorum bonorum non reficit, homicidam vel potius parricidam appellat, itaque sic ait. *Qui subtrahit aliquid à patre, vel matre, &c.* ac si dicat, filius ille, qui parentum indigentiam non succurrit, atque adeo illis debitum naturæ subtrahit, cum homicidis, & parricidis censendus, ac numerandus est. Quod si hæc verba intelligas de pœna, & supplicio, quo parentum violatores ex hac vita sublato apud inferos afficiuntur, suppetunt verba Platonis in Phædro, vbi parentum violatores pari cum homicidis apud inferos pœna mulctari dicit. *Qui autem ingentia peccata commiserunt, veluti si contra patrem vel matrem irati per vim aliquid fecerint, sed penitentia ducti eos in cetera vita coluerint, vel qui simili quodam pacto fuerint homicidæ eos in tartarum quidem necesse est cadere, sed ibi per annum commorati à stultu ciuiuntur, homicidæ quidem per Blytum: parentum vero per Pyriphlegethontem*. Postquam vero ab his delati fluminibus ad paludem Acherunteam perueniunt, clamant vocitantque eos, quos vel necauerunt, vel iniuriis affecerunt, suppliciterque rogant, atque deprecantur, ut eos permittant progredi per paludem, ibique absolui: ac si impetrauerint penetrant illuc, sinemque malorum accipiunt, sin minus queant persuadere, referuntur ad tartarum, atque inde rursus in flumina: neque per hæc mala deferri prius cessant, quam ab his quos affecerant iniuriis, veniam impetrauerint. Hæc Plato, quæ licet commentitia & fabulosa sint, tamen facis declarant quo in loco veteres illi ponerent iniurias parentibus illatas, quandoquidem filios eorum violatores etiam post resipiscentiam pares homicidis apud inferos pœnas luere apud se statuebant. Ructus etiam innuunt quam sit honestum filiis, qui parentes suos quomodolibet læserint sui criminis veniam ab his supplices petere, quandoquidem etiam antiquis illis philosophis persuasum fuit, ne ab inferis quidem sine hac venia illos euadere posse.

Plato.

XXV. *Qui se iactat & dilatat, iurgia concitat: qui vero sperat in Domino sanabitur.*

QVI se iactat, &c. Hebraice. *Latus animo miscebit litem, & fidens in Domino impinguabitur*, subest nimirum in Primitiis רחב רחב Rechab Nephes. Occurrit etiam supra capite vigesimo primo, versu quarto. *Exaltatio oculorum, & dilatio cordis*. Ad verbum autem sic efferri debet. *Elatu oculis, & lato corde*. Chaldaicus hic. *Vr latus concitat iurgia*, in Regiis est, *Vr arrogans*, &c. lxx. *Infidelis vir iudicat temere: qui autem confidit super dominum in cura diligenti erit*. In Complutensi, Regio, & alii. *Insatiabilis vir iudicat temere*, &c. Aquila, & Symmachus. *Latus animo, vel, lati animus acuit litem*.

Illud anceps apud interpretes quid per animi latitudinem hic significetur. Rabbi Levi, Hominem

latianimem eum, inquit, intelligo, qui ut auram popularem caperet, vana opum ostentatione, & luxu sua temere profundit, & in quolibet dissipat, ut multos sibi deuinciat. Hæc ille. Locum vero sic interpretari videtur. Qui latus est animo, id est, qui bona sua temere infumit, ut multos sibi obstringat ciues, tunc cum exhaustis fortunis egere cœperit, opus erit ipsi litem aliquam singulis indicere, & amicitiam abumpere: est enim valde solemne illis, qui decoctis fortunis in paupertatem reciderunt, liugia aliis mouere, ut, si fieri possit, aliquid inde recipiant, vel potius suarum ipsi opum reliquias consumant. Aut, si id non placet, possunt certe aliter iuxta præscriptam significationem verba explicari ad hunc modum. Qui bona sua temere, & sine modo aliquo iactabundus profundit, concitat, miscet, vel, acuit lites, scilicet contra se, eò nimirum angustiarum deuenire solet, ut dum creditores multi contra ipsum lites mouent, suis cogatur bonis cedere, nec sine infamia: de qua infamia lege Gregorium Tolosatem in Syntagmate iuris vni libro 23. capite 11. vbi solemnes olim ritus cedendi bonis suis commemorat, qui extremam infamiam continebant. Et sane huic expositioni plurimum tribuo, quia in Vulgatam lectionem apte quadrat: ita enim habes. *Qui se iactat & dilatat, &c.*

Rursus idem Rabi Leui aliam expositionem commentus est: ait enim, per eum, qui corde, aut animo latus dicitur, iuxta scripturæ phrasim aliquando auarum, aliquando etiam superbum significari solitum: hic vero vtrumque simul notari. Itaque sentit latus animo in hoc loco dici eum, qui auarus vnà atque superbus est: cui ad stipulari videtur lectio Vulgata. *Qui se iactat & dilatat*, nam verbum *iactat* fastum superbiæ, verbum *dilatat* auaritiæ cupiditatem innuere videtur. Hic ergo superbus simul & auarus homo, excitat iurgia, vel, miscet lites, scilicet intra seipsum: duo nimirum vitia continet, quæ assiduò secum pugnant, & sibi inuicem lites intentant: superbia enim profusos sumptus poscit ad venditionem gloriæ, auaritia vero è contra sumptus inhihet, ac sordidum hominem reddit, atque adeo duos quasi implacatos litigatores intra se cohibet.

Pagninus per *latus animo virum*, intelligit animosum, audacem, & iracundum: iuxta quem intellectum sensus loci facillè expeditur, *latus animo iurgia concitat*. Id est vir ad iram procliuus multos in se prouocat aduersarios, atque innumeris iurgiis litibusque passim causas offert. Nil certius.

Iansenius *latus*, vel, *amplum animo* dici putat superbum: fastus enim animum dilatat, humilitas comprimit. Reliqui vero ad vnum interpretes, *latianimem* appellari affirmant auarum, qui sua quidem desideria & cupiditates non colligit, sed explicat dilatatque: quibus fauet translatio Septuaginta quæ habet ἀπλοσ ἀνδρ, Id est, *vir inexplebilis*, aut insatiabilis. Ego vero cum Rabbi Leui sentio, atque vtrumque tam auarum quam superbum his verbis notari autumo: non tamen ita ut vnus idemque auarus simul & superbus dicatur, sed diuersi. Ad hanc expositionem compellit nos translatio Vulgata. *Qui se iactat & dilatat*, id est, tam is, qui ex iactantia tumet, nempe superbus, quam ille qui animum suum latissime explicans nullis expletur bonis ac fortunis, scilicet auarus, iurgia concitat, vterque nimirum iurgiis, controuersis, litibusque causas multiplices offert. Ad auarum spectat illud Iacob. 4. *Vnde bella & lites in vobis? nonne hinc ex concupiscentiis ve-*

stris, quæ militant in membris vestris? Concupiscentis & non habetis: occiditis, & zelatis, & non potestis adipisci: litigatis & belligeratis, &c. Et Pseudo-Chrysostromus homilia 40. in Mattheum vtrumque vitium copulauit. *Vnde putas lites in Ecclesia, inimicitias, & altercationes in inuicem, nisi propter auaritiã & superbiam?* Et verus Chrysostromus homilia de sancto Philogonio felicem beatitudinis statum describens inter alia sic scribit. *Vbi non est meum acium frigidum illud verbum, & quidquid est malorum in vitam nostram inuehens innumeraque gignens bella.* Frigidum autem verbum ideo appellat, quia frigus charitati fraternæ maximum immittit, & illius flammam restinguit. De superbia autem sic sentit homilia 26. in epistolam ad Romanos. *Nihil enim adeo corpus Ecclesia scindit, atque superbia.* & infra. *Nihil enim ita à reliquis auellit & abscindit, quemadmodum si quis per fastum se sufficere sibi ipsi putauerit.* Mitto alia. Subtextit Salomon.

Qui autem sperat in domino, sanabitur. Vel ut habent Origines, *impinguabitur.* In Domino sperare opponit Salomon tam superbiæ, quam auaritiæ: vtrumque certum: nam superbus in semetipso fiduciam locat suam, auarus autem in pecuniis spem reponit, neuter autem in Domino confidit. Vtrumque remouere voluit Paulus prima ad Timotheum 6. *Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo vivo.* rationem autem fiduciæ subdit, *qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum.* Ait ergo Salomon: homo iste, qui fidem ac spem suam in Deum coniecit, atque adeo auaritiã, & superbiam repudiauit, *impinguabitur*, hoc est, diuitias inueniet pingues, scilicet *ad fruendum*, nam lites omnes, & controuersias ignorabit, quæ diuitiis honoribusque perfrui auarum vel superbum hominem non sinunt. Vel *sanabitur*, id est, sanus, & incolumis erit, nam iurgia, litesque hominem multis curis, ac molestiis implent, curæ autem atque molestiæ saluti, & valetudini insidiantur, hominemque macrum & imbecille reddunt.

At qui lxx. sic restituerunt. *Qui autem confidit super Dominum, in cura diligenti erit.* Sed hæc verba ad Dei curam referenda sunt. Quasi dicat: is, qui spem suam, & confidentiam in Deum confert: in ipsiusmet Dei diligenti ac minime fœcordi cura erit: Deus nimirum ipsius curam diligentem suscipiet, iuxta illud, *iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Eam enim fiduciæ rationem præscripsit. Paulus supra. *Qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum.* Nec caret emphasi illud *in cura diligenti erit.* Na n secundum iura, & leges ciuiles, ut auctor est Baldus, *diligentem rerum alienarum curam habere quispiam tunc dicitur, cum illas perinde curat ac si propriæ essent.* Cum igitur Salomon in *diligenti Dei cura* eum futurum dicit, qui suam in ipsum spem retulerit, plane significat eiusmodi hominem sic à Deo curandum, quemadmodum Deus curat seipsum. Nimirum ita Deum cum ipso facturum, ut sicut ipse sibi sufficiens est, ita etiam homo intra seipsum rerum omnium sufficientiam habeat. Adi Senecam in Epistola 119. vbi postquam de hac sufficientia discipulauit, ita demum absoluit. *An parum habet qui nullius rei indiget: Plus Iupiter ipse non habet.*

Greg. Tolos.

129.

Pagnin.

130.

Iansenius.

Iacob. 4.

Aut. In perf.

Chrysostr.

131.

1. ad Tim. 6

132.

Psal. 54.

Baldus.

Seneca.

X XVI. Qui confidit in corde suo stultus est, qui autem graditur sapienter, ipse saluabitur.

133.

QVI confidit, &c. Heb. Et ambulans in sapientia. ipse euadet. Chaldaeus. qui ambulat in sapientia protegetur à malo, lxx. Qui confidit audacia cordis, ipse est imprudens: qui autem ambulat sapientia, saluabitur. In quibusdam codicibus olim erat laudabitur, pro saluabitur, sed mendum hoc emaculatum est iam in Vaticanis.

Caiet.

Non vna huius loci expositio occurrit. Caietanus fidere in corde perinde esse dicit, ac sequi cordis cupiditates & libidines, hoc sensu. Qui confidit in corde suo, stultus est, id est, qui suæ voluntatis animique impetus, & propensiones ad improbitatem sectatur, stolidus ac vecors est. Qui autem autem graditur sapienter, vel, in sapientia, id est, secundum sapientiæ ac rationis præcepta & leges viuit, saluabitur, hoc est, ad salutem perueniet. Itaque iuxta hanc interpretationem suadet Salomon non secundum libidinem, sed secundum rationem operari ac viuere, Non acquiesco.

Iansenius.
Bainus.

Iansenius & Bainus, considerare in corde, idem esse dicunt, quod proprii cordis cogitationes ac consilia sequi, hoc sensu. Qui confidit in corde suo. Id est, qui suo innixus iudicio ad res agendas consiliarios non adhibet, hic plane stultus est, ac per stultitiam istam multa sibi accersit mala, & incommoda: qui autem graditur sapienter, id est, qui, vt solemne est prudentibus, non suam solum, sed etiam aliorum sapientiam suarum actionum ducem habet, hic nequaquam periclitabitur, sed ab omnibus malis & incommodis liber erit. Etiam hæc expositio vim aliquam verbis afferre videbitur.

Hugo.
Lyra.
Dionys.

Hugo, Lyra & Dionysius, considerare in corde, ad superbiam in vniuersum referunt, ita vt sensus sit: qui superbia & fastu tumens sapientem se æstimat, hic plane stultus, iuxta illud quod supra habes c. 26. vers. 12. Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habet insipiens. Sed tamen secundum hanc interpretationem posterius hemistichium non satis cohæret cum priori.

134.

Quapropter aliam esse reor Salomonis sententiam, quam nobis offerte videtur translatio Septuaginta, qui verba ista sic extulerunt. Qui confidit audacia cordis, &c. itaque confidentiam istam ad audaciam retulerunt. Inde ergo talis sensus elicitur. Qui confidit in corde suo stultus est. Id est, qui propria fretus virtute audacter in pericula & in occasiones tentationesque ruit, stultus ac vecors est: quia nimirum ipsum pericula inuoluent ac tentationes in ruinam impellent. Qui autem sapienter graditur, id est, qui caute procedit, ac gressus suos ita regit, vt discrimina ac tentamenta declinet, hic certe saluabitur, vel, vt est in Primitiuis, euadet, saluus nimirum & incolumis. Vtrumque satis certum. Simile est illud Ecclesiasticis. Qui amat periculum peribit in illo, &c. Audi Chrytostomum homilia 66. ad Populum. Tentatio, inquit, vos non apprehendat nisi humana. Precemur Deum ne intremus in tentationem. Nam illud est humilium hominum se periculis non ingerere, imo generosorum atque sapientum. Nec itaque nos geramus temerariè, scilicet in pericula & tentationes ruendo, audacis enim est: neque rebus tracti vocantibus cedamus, timidi enim hoc est: si ergo aliqua causa honesta nos vocet, nec recusemus: cū vero nulla causa, aut

Eccl. 3.
Chrysost.

A utilitas, necessitasve secundum pietatem vocat, ne corruamus: ostentatio enim est ac superba iactatio. Noli tentationes accrescere, quid superflua attrahis pericula, qua nullam habent utilitatem: semper hostem expecta, non tamen hostes tibi parias: hoc enim non est militis, sed seduliosus: (qui scilicet non oblitit hosti ad bellum accitus: sed bella ciet, & præliorum inceptor est) Si vero religionis tuba vocet, sciam progredere, & animam parui pende, multa cum alacritate descendas ad certamina hostium, aciem dissipata, confringe caput diaboli, trophæum erige. En quæ ratione non saluatur solum qui prudenter in pericula ruit, sed etiam victis hostibus ferè triumphat.

Item Cyprianus in libro de singularitate clericorum sic scribit. Verendum est dormienti in ripa ne cadat, cum dicat Apostolus. Qui se putat stare, videat ne cadat. In hac parte expedit plus bene timere, quam male fidere: & utilius est vt infirmum se homo cognoscat, vt foris existat, quam fortis videri velit, & infirmus emergat: de quare presumptores obiurgat Apostolus, Si quis putat se aliquid esse, cum nihil sit, seipsum implanat. Pro certo enim implanator proprius suam animam decipit, qui non cauendo contraria noxiis rebus semetipso commiserit. Ille autem tutius sibiconsulit, qui circa malos semper insidus, species quas cumque noxias extimescit, &c. Non minus eleganter de hac temeritate aduentium sponte pericula & tentationes, D. Ephrem in Patænesti 47. Cogitationibus temerarius ne consenseris: neque enim leones, neque dracones, neque barbati tantum nocere poterunt, quantum temeritas morem ipsi gerentibus. Et infra, Quid temeritate in mundo sanius atque atrocius? quippe quæ suos amatores hostibus tradit, ac profugos reddit: odit veritatem, mendacium diligit, disciplinam non admittit, insolentia & contumacia gaudet, Deum contemnit. Initium eius priuatio diuini timoris, finis vero ipsius perniciosus & exitus hæreditas: Vide ibi plura in hanc sententiam: atque his adiice illud ex Seneca in Hercule furente.

C

Nemo se tute periculis offerre tam crebro potest. Quem sepe transit casus, aliquando inuenit.

D. Ephr.

Seneca

D XXVII. Qui dat pauperi non indigebit, qui despicit deprecantem sustinebit penuriam.

QVI dat pauperi, &c. Hebr. Qui dat pauperi non deficiet, & abscondenti oculos suos multitudo maledictionum. Chaldaeus. Et qui prohibet oculum suum à paupere, multa erunt maledictiones eius. lxx. Qui autem auerterit oculum suum in multa erit penuria. Schol. Non prosperabitur.

136.

Huius loci plenum commentarium dedit nobis sanctus Cyprianus in oratione de opere & Eleemosina, vbi sic habet. Si vereris, ac metuis, ne se operari plurimum ceperis, patrimonio tuo larga operatione finito ad inopiam redigaris, esto in hac parte intrepidus, esto securus: Finiri non potest unde in usus Christi impenditur, unde opus caeleste celebratur. Non hoc tibi de meo spondeo, sed de sanctorum scripturarum fide, & diuina pollicitationis auctoritate promitto: loquitur enim per Salomonem Spiritus Sanctus, ac dicit: Qui dat pauperibus nunquam egebit, qui autem auerterit oculum suum, in magna penuria erit: ostendens misericordes atque operantes egere non posse, magis parcas ac steriles ad inopiam postmodum deuenire. Et paucis interiectis, Metuis ne patrimonium tuum forte deficiat, si operari ex eo largiter ceperis, & nescis miser quia dum

Cypr.

times, ne res familiaris deficiat, vit a ipsa & salus deficiat, & dum ne quid de rebus tuis minuatur attendis, non respicis quod ipse minuaris amator mammona plus quam anima tue: Et dum times, ne pro te patrimonium tuum perdas, ipse pro patrimonio tuo peres. Et subinde post pauca. Metuisne patrimonium tuum forte deficiat, si operari ex eo largiter ceperis? Quando enim factum est ut iusto possent deesse subsidia vite? Danieli in lacu ad leonum praedam iussu Regis incluso praeantium diuinitus apparatur, & tu metuis ne operanti tibi, & Dominum promerenti, desit alimentum? Unde hac incredula cogitatio? unde impia & sacrilega ista meditatio? quid facit in demofidei perfidum pectus? &c. Lege ibi plura. Et quidem de hac thesi habes multa supra cap. 15. vers. 18. ad illa verba, Foneratur Domino, qui miseretur pauperi, &c.

137 Sed in lancem mittenda sunt illa verba, qui despicit pauperem, &c. Hebr. Et abscondenti oculos suos a paupere multitudine maledictionum. Nolter interpretes per maledictionem penuriam acceperit, cuius significationis non semel aliis meminimus in hoc libro, quia sicut benedictio copiam & ubertatem rerum, ita etiam maledictio egestatem & paupertatem notat. Itaque licet sic restitueret, ut quidam non imperite vercit, Et abscondenti oculos suos multitudine paupertatum, id est, non vna paupertas, sed multiplex incubat. Nihil sane est, quod magis animum ad misericordiam flectat, quam aspectus miseriae. Salomon ergo auari hominis impietatem exaggerat, qui ne forte visa pauperum miseria misericordia pulsetur eius animus, oculos suos abscondit. Cyprianus supra, Egentem, inquit, & pauperem non vident oculi tui superflui nigristenebris & nocte comecti. inunge oculos tuos non sibi diaboli, sed collyrio Christi. Et infra. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli in auertere faciem tuam ab illo paupere: ita fiet ut neque ite auertatur facies Dei.

Cyprian.

138 Rursus cum ait non ab vna, sed à multiplici paupertate diuitem immisericordem opprimendum iri, poenam illius non parum extollit. Nam si percurras enumeretque omnia bonorum genera, nullum inuenies in quo auarus indigus non sit: omnia enim bona aut externa sunt, aut interna, aut temporalia, aut aeterna. Multiplex ergo auato homini paupertas à Salomone interminat, quia in omnibus his bonorum generibus indigus egenusque futurus asseritur, cui nimitum deficient, tam interna quam externa, tam temporalia quam aeterna bona. Audi Chrysostrum horum internam paupertatem exaggerantem. In Ecclesia ergo non solum sunt pauperes corporaliter esurientes, aut debiles corporaliter, aut peregrini secundum corpus, sed etiam spiritualiter pauperes sine cibo iustitiae, sine potu agnitionis Dei, sine vestimento Christi. Maxime autem spiritualiter pauperes sunt: qui corporaliter videntur diuites esse, quia plerumque in abundantia rerum inopia iustitiae inuenitur: sunt peregrini corde, sunt debiles animo; sunt mento caeci, inobedientia sardi, & ceteris passionibus spiritualibus egrotantes, quorum animo omnem eseam spiritualem abominantur, & appropinquauerunt usque ad portas mortis. Ad externam paupertatem pertinet quod diuites auari aut demum iacturam fortunarum subire coguntur, aut partis non fruuntur, quod egestati parem molestiam continet. Illud etiam paupertate ipsa grauius cum plura concupiscunt quam habent, atque adeo pluribus indigent, quae non vna certe, sed trina paupertas est, de qua trina paupertate Chrysostrum multa Homilia 25.

Chrysostr.

A in epistolam ad Hebraeos, & Seneca epistola 119. ab illis verbis. Neminem pecunia diuitem fecit. Ad aeternam denique paupertatem spectat illud eadem Chrysostrum Homilia 23. in Genesim. Diuites his omnibus relictis nudi hinc migrant, tantum malitia vestiti, & peccatorum oneribus inde collectis. Pergo ad alia.

Chrysostr.
Seneca,

XXVIII. Cum surrexerint impii, abscondentur homines: cum illi perierint, multiplicabuntur iusti.

B CVM surrexerint, &c. Hebraea non dissonant. Lxx. sic habent. In locis impiorum genuit iusti: in illorum autem perditione abundabunt iusti. Aquila, Symmachus & Theod. abscondentur iusti. ut est in Vulgatis.

139

Non vna huius loci expositio. Hugo Cardinalis non parum insinuat verba isthaec ad iustos intendi, & Salomonem pios homines adhortari ut cum persecutores saeuierint, latebras quaerant, ac fuga salutis consulant, ita ut sensus sit. Cum surrexerint impii abscondentur homines. Id est, quoties impii insurrexerint contra probos non prodenda statim vita sine causa, sed latebra petenda, donec persecutio desinat, ut postea iusti magno numero in apertum prodeant. Tertullianus librum conscripsit, in quo fugientes in persecutione ferio damnat. At non modo reliqui Patres ad vnum Tertulliani dogma refellunt, sed ipsi sibi plane aduersatur in lib. de patientia cap. 13. Diuus Athanasius non modo exemplo, sed etiam sermonibus fugam in persecutione iussit, sed tum maxime in Apologia de fuga sua, ubi inter alia duas praecipue rationes, ob quas tum praelatis tum etiam priuatis fuga salutaris sit, his, quae subdo. verbis complexus est. Vtilis, inquit, populis & fructuosa fuga sanctorum. Quapropter sancti fugientes sese occultabant, & per dispensationem Dei, tanquam medici, in usus indigentium reservabantur. Reliquis autem, & in vniuersum omnibus ea lex proposita est, ut fugiant dum in persecutionibus appetuntur, & occultent sese dum queruntur, neque praecipites temerariique sint in contumendo Deum; sed expectent donec desinit sibi moriendi tempus aduenire, aut index ille aliquid de his, quod sibi relictum videbitur, construxerit, qui nos semper paratos esse voluit, ut vel vocante tempore, vel apprehensi pro Ecclesia usque ad mortem dimicemus. Lege ibi plura.

Tertull.

Athanas.

Aliam rationem attigit Nazianzenus in orat. 3. Apologetica ob quam fuga in persecutione utilis est. Neque enim, inquit, Christianos quantumuis fortes, ac singulari tolerantia praeditos sui tantum rationem habere oportet, sed persequentibus quoque consulere, ne quantum in ipsis est, ad hostile periculum ex se ipsis aliquid conferant. Succedat Augustinus tractatu 46. in Ioannem, qui de Paulo ex preatro muro in porta demisso sic addit. Vidi in epistola fugientem Paulum: per murum in sponte submissus est, ut manus persequentis euaderet: non ergo illucra fuit de omnibus, quas in praesente deserebat. Fuit plane, sed illas patri in caelo sedenti orationibus commendabat, se autem vilitate conuinciendo seruabat. Sed de fuga in persecutione absolutissime agit idem Augustinus capit. 180. lege ibi multa. Redeo ad Salomonem. Cum surrexerint, inquit, impii abscondentur homines, id est, subspete se & latebras petere debent, uti probi atque utiles, cum illi perierint, multiplicabuntur

140

Nazianz.

August.

iusti. Quasi dicat: ideo autem fugere ac delitescere debent viri illi, ut sublatis postmodum peccatoribus mores instaurare, ac iustorum piorumque numerum augere exemplo, atque in iustitia sua possint. Ceterum huic expositioni non admodum acquiesco.

141

Iansen.
Rodolph.

Secunda interpretatio Iansenii & Rodolphi sic habet. *Cum surrexerint impii*, id est, cum improbi ac scelesti homines regnauerint, *abscondentur homines*, id est, includentur, atque in carceres & vincula mittentur viri iusti ac pii, ut cum libertate licentiam in tyrannos admittant. Accinit illud Xenophontis de republica Atheniensi apud Stobæum sermone 43. *Si diuites*, inquit, *atque improbi in ciuitate preualuerint, breuissimum tempus populi imperium durabit, quia bonos ignominis afficient, vinculis adstringent, pecuniis exuent, expellent, & occident: malos autem promouebunt.* Contra vero cum Principes impii de medio sublatis fuerint, & aliis iustis rectisque imperia capessere licuerit, multiplicabuntur iusti, &c.

Stobæus.

142

Tertia expositio, quam reliqui interpretes vulgò amplexantur, est eiusmodi. Cum impii ac scelerati Principes reipublice clauum tenent, *abscondentur homines* probi, non quidem patriam sponte deserentes, aut in custodiis per vim inclusi, sed tamen semetipsos in silentio continentes, & Principum oculos, conspectumque vitantes. Quapropter dum ea ratione disparent, ac sese occultant, nulli prorsus pro eo tempore in republica videntur esse iusti ac probi homines, sed postmodum sublatis tyrannis, improbisque Regibus, *multiplicantur iusti*, quia nimirum hi qui delituerant, caput attollere, & suam probitatem publice ostentare audent. Itaque sensus est, in magna republica semper esse viros iustos non paucos, qui etsi ad tempus impiis regnantibus coacti sileant, & occulti maneant, tamen eisdem sublatis palam magno numero caput exerunt, & in apertum prodeunt. Id vero significat impietatem & nequitiam non ita contra pietatem & iustitiam posse, ut eam, tunc cum maxime imperare ac regnare videtur, prorsus exterminet. Audi Aristotelem libro tertio Politic. capite tertio, ubi postquam dixit impossibile esse ut vna omnes ciues etiam in beatissima republica virtuti studeant, sic demùm ait: *Ex dissimilibus constat ciuitas* (scilicet ex probis atque improbis) *ut animal ex anima & corpore, anima vero ipsa ex ratione, & appetitu.* Quasi dicat, quemadmodum animal ex anima & corpore, ita ciuitas ex seruis ac liberis constat: item, sicut anima ex appetitu & ratione, ita etiam ciuitas ex probis atque improbis coalescit. Quid inde? Quemadmodum, inquit, cum appetitus regnat, & rationem sibi subternit, non quidem rationem, mentemque omnino extinguit, sed illius vsuram & actiones inhibet atque impedit: ita etiam cum improbi, secundum appetitum & concupiscentiam viuentes imperium tenent, pios ac probos homines secundum rationem agentes, non quidem de medio tollunt, sed eis tantum hoc interdicit, ut suam probitatem publice prodant. Rursus, sicut appetitu suppressio ratio imperat, & suas publice actiones exeret: ita etiam sublatis improbis Regibus pietas, probitasque regnat, ac suos amatores in apertum producit.

Aristot.

143

Quartam interpretationem offert nobis translatio lxx. quæ sic habet. *In locis impiorum genuunt iusti, in illorum autem perditione abundunt iusti.* Itaque lxx. verbum illud *abscondentur*, ad luctum retulerunt: solent enim qui lugent domus pene-

tralia, & ares petere. Quasi dicant: in ditionibus illis ubi impii regnant, iusti quidem ac probi homines multa perpeti incommoda, multa onera subire coguntur, sub quibus gemere opus est. Nam cum imp. obi ac scelesti homines sint fere iugi expertes atque oneris impatientes, iugum vniuersumque a tyranno & iniusto Principe viris probis iustisque imponitur, quia illos vtriusque tolerantes fore sperat. Contra vero cum sublatis impiis iusti Principes imperia capessunt, impios quidem etiam detrectantes ad iugum oneraque toleranda compellunt, & iustos proque homines econtra leuant atque exonerant: atque adeo abundant florentque. Vel aliter. *In locis impiorum genuunt iusti*, id est, regionibus illis ubi iniusti Principes imperant, gaudent quidem ouantque scelesti homines: at vero communis boni decursum non sine lachrymis ad spectant.

Sed quamuis præmissæ interpretationes non sint inelegantes, tamen id desiderare mihi videor in illis, quod extrema illa verba, *multiplicantur iusti*, cum antecedentibus parum apte coherent. Quapropter extremam expositionem subicio, quæ idonea mihi magis videtur. *Cum surrexerint Principes, abscondentur homines.* Id est, cum impii regnauerint, disparebunt viri iusti, quia paucos, ne dicam nullos, etiamsi requirantur, inuenire licebit. Contra vero ubi interierint iniusti Principes, & alii iusti probique sceptrum sumpserint, *multiplicantur iusti*, magno videlicet numero suppetent iusti ac probi homines. Itaque mens Salomonis est ad Principis exemplum & mores totam rempublicam componi, atque adeo cum Rex iniustus imperat, multiplicatis impiis, vix probum aliquem ciuem inueniri posse, cum vero iustus atque probus Princeps regnat, multiplicatis ex aduerso iustis, vix improbum aliquem ciuem occurrere. Eam enim vim habent Principum mores, ut vniuersam rempublicam sibi facili assimilent. Quapropter eos *fermento* non ab similes esse dixit Batius imperator ad Leonem filium, quia sicut fermentum totam consersionem breui tempore ad saporem suum conuertit, ita etiam Principum mores totam rempublicam ad se transferunt. Et subinde Exhortationum cap. 62. addit Principum virtutibus eam inesse vim, ut non modò superstitibus, & eos qui viuunt, sed minores etiam ac posteros ad honestatem informent. *Principis, ait, innocentia & boni mores in multas aetates protenduntur, & memoriam nominis aeternam transmittunt ad posteros. quibus virtutem tuam emulandam, quasi pharmacum, aduersus mala omnia relinques: eosque & laudatores & imitatores tuae administrationis etiam defunctis efficies.* Apte igitur Salomon ait, *Multiplicantur iusti*, quando quidem boni vnius Principis honesta vita non suo tantum sæculo, sed deinceps per multas ætates multos ad honestatem posthumos imitatores sibi creat.

E

Nec dissimilis ratio est de improba & turpi alicuius iniusti Principis vita ac moribus. Audiendus etiam Aristoteles in lib. de Rhetorica ad Alexandrum cap. 1. *Neque id, ait, te pretereat, quod hominum plurimis aliis quidem lex ipsa, aliis vero tua tum vita. tum oratio exemplo datur.* Pende energiam horum verborum, quibus significat Philosophus vitam Imperatoris, ac Principis subditis quidem viuam legem, alienis vero exemplum. Quapropter quemadmodum nihil ad ciues vel bonos vel malos, vel probos, vel improbos reddendos magis potest quam lex, ita etiam nihil ad eosdem ciues ad probitatem compellendos, vel ad improbitatem

144

Basil. Imp.

145
Aristot.

ratem traducendos magis valet, quam vita & mo-
res Principis, vt proinde plures esse in republica
viros probos aut improbos ex illius vita pendeat.
Adde etiam quod, vt docet Aristoteles, Princi-
pis mores non subditos tantum veluti lex ad hone-
statem vel turpitudinem instituit, sed etiam alie-

nos tanquam exemplum, inuitat, vt proinde ve-
rum sit peruulgatum illud proloquium.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Quia non solum eam orbis partem cui imperat ve-
luti lex continet, sed omnem aliam veluti exemplo
suo informat.





CAPVT XXIX.

SALOMONIS.

VIRO, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus: & eum sanitas non sequetur. 2. In multiplicatione iustorum latabitur vulgus: cum impij sumpserint Principatum, gemet populus. 3. Vir, qui amat sapientiam, latificat patrem suum: qui autem nutrit scorta, perdit substantiam. 4. Rex iustus erigit terram, auarus destruet eam. 5. Homo, qui blandis fictis que sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius. 6. Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus: & iustus laudabit atque gaudebit. 7. Nouit iustus causam pauperum: impius ignorat scientiam. 8. Homines pestilentes dissipant ciuitatem: sapientes vero auertunt furorem. 9. Vir sapiens, si cum stulto contenderit, siue irascatur, siue rideat, non inueniet requiem. 10. Viri sanguinum oderunt simplicem: iusti autem querunt animam eius. 11. Totum spiritum suum profert stultus: sapiens differt, & reseruat in posterum. 12. Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. 13. Pauper & creditor obuiauerunt sibi: vtriusque illuminator est Dominus. 14. Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in aeternum firmabitur. 15. Virga atque correptio tribuit sapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati suae, confundit matrem suam. 16. In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera: & iusti ruinas eorum videbunt. 17. Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animae tuae. 18. Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus: qui vero custodit legem, beatus est. 19. Seruus verbis non potest erudiri: quia quod dicis intelligit, & respondere contemnit. 20. Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correptio. 21. Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem. 22. Vir iracundus prouocat rixas: & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum procliuior. 23. Superbum sequitur humilitas: & humilem spiritu suscipiet gloria. 24. Qui cum fure participat, odit animam suam: adiurantem audit, & non indicat. 25. Qui timet hominem, citò corruet: qui sperat in Domino, subleuabitur. 26. Multi requirunt faciem Principis: iudicium à Domino egreditur singulorum. 27. Abominantur iusti virum impium: & abominantur impij eos, qui in recta sunt via. Verbum custodiens filius, extra perditionem erit.



CAPVT XXXI.

SALOMONIS.

1. Viro, qui correptionem dura ceruice contemnit, repentinus superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur.

VIRO, &c. Heb. *Vir increpationum indurans ceruicem repente conteretur, & non sanitas, vel non medela.* Sic Chald. *Et non erit ei medela.* Ixx. *Melior vir correptionum viro dura ceruicis, repente enim ardente eo non est medela.* Aquila, Symmachus, & Theod. subito conteretur, &c.

Ex Hebræis nonnulli per *virum increpationum*, non eum intelligunt, qui increpationes audit, sed illum, qui alios increpat, obiurgatque hoc sensu. *Vir correptionum indurans ceruicem.* Ille scilicet, qui aliorum transgressiones, & vitia corripit ac coercet, ipse vero rigida ceruice legis iugum excutit. Id est, qui alios monet, & suis ipse monitis præ animi sui duritia non acquiescit, subito conteretur, & non sanitas, id est, inopinata effractus ruina corruet, ac nulla medicamentorum ope sanitati restituetur. Et quidem eum hominem, qui aliorum corripit mores, nec suos ipse componit, medicamento carere eo argumento conficitur: quia si illius vitam mente atque ore proprio concepta oratio vel adhortatio veluti è proximo adhærens non curat, quam ratione sperandum ut eidem mente aliena & ore alieno efformata prolataque tum oratio, tum adhortatio, quasi è longinquo impressa mederi possit?

Verum enim vero si per *virum correptionum*, eum intelligere fas est, qui aliorum mores carpit, aliter sensum instituentum dicerem hoc modo. *Vir correptionum.* Vir scilicet, qui vitam & mores alienos carpit, *ceruicem indurans*, id est seuerissime acridissime, animum scilicet rigidum prædurum ac flecti nescium gerens, hic certe subito conteretur, & non erit medela, id est, subita ruina prostrabitur, ac nullus erit qui ipsi mederi queat: hæc enim digna prorsus pœna eius, qui nimia seueritate in correptione & castigatione aliorum vitur, ut iisdem ipse casibus & ruinis obnoxius fiat, quas in aliis ægro & lacerato animo castigat. Huc spectat illud Pauli ad Galatas 6. *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, eiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tuleris.* Ne scilicet tentatus impulsusque simili ruina prostratis: id enim proprium est eorum, qui nimia seueritate vtuntur in correptionibus. Optime Dicitur Grego-

A rius ad hæc verba in 2. parte Pastoral. c. 10. *Videlicet cum displicet ex aliena infirmitate quod conspicis, pensa quod es, ut ab increpationis zelo se spiritus temperet, dum sibi quoque dum increpat timet.* Quæ verba ex Greg. libauit Anselm. in eum locum. Ad Greg. præterea Salomon, *Et eum sanitas non sequetur*, exaggerans præscripti hominis ruinam.

Et sane non sum alienus, ut credam Ixx. interpretes eodem sensu actiue sumpsisse, *Virum correptionum*, sic enim habent. *Melior vir correptionum viro dura ceruicis, repente enim ardente eo non est medela*, id est, longe melior ad coercendos aliorum mores est vir corripens, puta benigne ac leniter, id enim sonat verbum originale יָחַד *Iachach*, ex quo fluit nomen יִחַדְךָ *Iochachoh*, quod hic subest, non enim significat proprie punire, sed aliquem obiectis rationibus coarguere. Hic ergo vir ad eum modum non ira & indignatione comminans, sed rationem & veritatem obiectans, *melior*, id est, *viro dura ceruicis*, id est, superbo, severo, ac nimis rigido ingenio, *repente enim ardente eo non est medela.* Nam si iste duro ingenio vir subita indignatione exarserit, acrioribus seuerioribusque obiurgationibus aut castigationibus vtens non curat, sed lacerat subditorum vulnera. Et sane increpationem sic esse temperandam ut rationibus, non minis aut exprobrationibus perficiatur, suadet utique Paulus supra cum ait, *eiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Id Græcis est. *Eiusmodi perscitate, vel, instaurate.* Ad hæc vero Chrysostomus. *Non dixit punite, aut condemnate, sed instaurate, id est, monitis ad salutem adducite.*

Rursus tam ab his, qui corripunt, quam ab his qui delicta puniunt, iracundiæ ardorem abesse oportere, ut alios omittam, eleganter admodum scribit Seneca in lib. 1. de ira. *Corrigendus, inquit, est itaque qui peccat, & admonitione, & vi & molli- ter, & aspere, meliorque tam sibi, quam aliis faciendus non sine castigatione, sed sine ira. Quis enim ei cui medetur irascitur?* Respondent hæc illis verbis, *repente enim ardente eo non est medela.* Imo potius quò acrior est curatio, eò maior curantis lenitas & mansuetudo esse debet. Chrysostomus Homilia trigesima in Epistolam ad Hebræos. *Non videtis, inquit, medicos quando vrunt vel secant aliquos, cum quanta lenitate opus curationis exercent: multo magis corripientem oportet hoc agere ut mansuetus ac lenis sit.* Lege ibi plura. Pergit Seneca. *Non ira, sed ratio est, à sanis inutilia secernere. Nihil minus quam irasci punientem decet, cum eò magis ad emendationem pœna proficiat, si iudicio lata est. Inde est quod Socrates sermo ait: Caderem te nisi irascerer. Ergo ad correptionem or-*

rantiu mirato castigatore opus non est. Nam cum ira delictum animi sit, non oportet peccato corrigere peccantem. Quid ergo? non irascat latroni? non irascat venefico? Non. Neque enim mihi irascat cum sanguinem mitto. Omne pœna genus remedii loco admo-ueo. Et paucis interiectis. Tibi insanabilis animus est, & sceleribus scelera contexens, & iam non causis, quæ nunquam malo defutura sunt, impelleris, sed satis tibi est magna ad peccandum causa, peccare: perbivisti nequitiam, & ita visceribus immiscuisti, ut nisi cum ipsis exire non possit. Olim miser mori quaris, bene de te merebimur. Auferemus tibi istam, quæ vexaris, insaniam, & per tua, alienaue voluntate delicta, id quod tibi bonum superest, representabimus mortem. Quare irascat, cui cum maxime profum? Interim maximum misericordia genus est occidere: si intrassem valetudinarium exercitatus, & sciens, non idem imperassem omnibus per diuersa agrotantibus. Varia in tot animis vitia video, & ciuitatis curande adhibitus sum: pro cuiuscumque morbo medicina queratur. Hunc sanet verecundia, hunc peregrinatio, hunc dolor, hunc egestas, hunc ferum. Itaque etsi peruersa induenda magistratui vestis (moris erat antiquis magistratibus, ut sententias contra fontes laturo prætextam inuenterent, & partem floridam, lucentemque introrsus ad se redderent mœoris significandi gratia) & conuocanda classico concio est, procedam in tribunal, non furens, non infestus, sed vultu legis, & illa solemnia verba, seueram magis, granique, quam rabida voce concipiam: & agi iubebo non iratus, sed seuerus: & insuam culeo, & cum mittam in supplicium militare, & cum Tarpeio proditorem, hostemue publicum imponam, sine ira, eo vultu animoque ero, quo serpentes & animalia venenata percuto. Iracundia, in-quis, opus est ad puniendum. Quid enim: videtur ne lex irasci his, quos non nouit, quos non vidit, quos futuros non sperat? Illius itaque sumendus est animus, qui non irascitur, sed constituit. Et subinde paucis intercalatis quia difficile videtur iudicis animum ad sumendas de fonte aliquo pœnas excui, nisi aliquis iræ motus suppetat, sic attexit. Erit, inquit, sapientis animus solito commotior: sentiet leuem quendam tenuemque motum: nam ut dixit Zeno, in sapientis quoque animo, etiam cum vulnus sanatum est, cicatrix manet. Sentiet itaque suspiciones quasdam & umbras affectuum, ipsis vero carebit. Aristoteles ait, affectus quosdam (in his est ira) si quis illis bene utatur, pro armis esse. Quod certe verum foret, si velut bellica instrumenta sumi, deponique possent induentis arbitrio: hæc arma ipsa per se pugnant, non expectant manum. Fortasse autem hoc sibi vult translatio Septuaginta, cum ait, repente enim ardente eo non est medela. Id est, si superior, qui mores corripit vel castigat, subita indignatione exardeat, non est aliquod remedium, quod excitatum illum ardorem opportune restinguat. Inde autem lapsus illi, de quibus Gregorius supra sic ait. Inter hæc sciendum est, quia dum ad increpationem se mens doctoris exasperat, id est, si iræ locum aliquem facit, difficile valde est, ut non aliquando, & aliquid quod dicere non debet, è lingua erumpat, & plerumque contingit, ut dum culpa subditorum cum magna iniectione corripitur, magistrilingua vsque ad excessus per verba protrahatur, adde etiam & manus per facta, cumque increpatione (vel castigatio) immoderate accenditur, corda delinquentium in desperationem adducuntur. Unde necesse est ut exasperatus rector, cum subditorum mentem, plus se quam debuit, percussisse considerat, apud se semper ad pœ-

Gregor.

A nitentiam recurrat, ut per lamenta, & lachrymas veniam in conspectu veritatis obtineat. Nimirum ita decet ut ardorem, quem ex indignatione conceperat, lachrymarum aspersione restinguat. Lege ibi plura in hanc sententiam.

Cæterum reliqui interpretes, virum increpationum, passim accipiunt, pro eo qui corripitur, aut correptione indiget, atque adeo vnus omnium sensus est, quem verba ipsa sonant. Virum qui corripientem dura ceruice contemnit. Metaphora sumitur à tauris, quibus ceruix iam obduruit, atque adeo iugi impatientes sunt, ut mōnet hic Vatabl. Itaque ait: Qui delinquit sæpius, & tamen obstinato animo, quemadmodum taurus ceruicolus,

B iugum excutit, sic etiam ipse obiurgationem respuit, repentinus ei superueniet interitus. De interitu animi accipiunt ista verba. Quasi dicat: repente, id est, tunc cum maxime sibi constans videbitur, & ad obliuendum peccatis omnibus sine aliorum monitis & correptionibus se solo valere putabit, capitale aliquod scelus ex fragilitate admittet, quo mortem sibi ipsi miseram consciscet. Notat autem Rodolphus de industria in Primitiuis dictum, subito conteretur, aut confringetur, ad significandum eiusmodi hominem tum cum maxime suo pte quasi ingenio robustum se putat, atque adeo monita aliorum detrectat, ex fragilitate peccaturum, hoc est ea delicta admitturum, quæ homines valde fragiles perpetrare solent. Addit etiam

C metaphoram desumptam à vase aliquo testaceo, aut vitreo, inde vero sententiæ huic energiam non minimam comparari dicit, ita ut sensus sit. Subiò conteretur. Ille nimirum opinione sua constans fortisque vir, atque adeo correptionum spernator, veluti testaceus vitreusue, si sit tentationibus vel leuiter pulsatus percussusue, conteretur, fractusque dissiliet. Et eum sanitas non sequetur, id est propter crebras ruinas, quas ob vitream illam fragilitatem passim incurret, insanabilis iudicabitur; scilicet tanquam vas aliquod vitreum in minutissima fragmenta dissectum, quod nulla arte integritati restituere licet. Apposite ad hæc Augustinus in sermone t. de verbis Domini, cum sic præmisisset. Prudenter ergo accipiat vnusquisque monita

D præceptoris, ut non perdat tempus misericordie Saluatoris, subinde rationem attexit huius rei. Tempus cuique nostrum proximum est, quia mortales sumus, inter casus ambulamus, si vitrei essemus minus casus timeremus. Quid fragilius vase vitreo, & tamen seruatum durat per multa secula: & inuenies calices ab auis & proauis, in quibus bibunt nepotes, & pronepotes, tanta fragilitas custodita est per annos. (Et iterum in l. 40. hom. 28. vbi Augustin. eandem similitudinem vsurpat.) Nos ergo fragiliores vitro sumus, quia & casus omnes qui non cessant in rebus humanis, fragilitate utique nostra quotidie formidamus, & si ipsi casus non accidant, tempus ambulat, vitat homo ictum, nunquid vitat exitum? Vitat quæ extrinsecus eueniunt, nunquid quod intus nascitur, pellitur? Hæc Augustinus. Sed quæ ipse de vitæ humanæ fragilitate ibi serit, ipsissima nos de morum infirmitate & imbecillitate capere licet: vitrei sumus: & dum superiorum ac rectorum monita nos fouent ac protegunt, integri ad multa etiam secula duramus: hoc vero integumento exuti passim impingimus, ac subito vulnere insanabili & inmedicabili conterimur.

Sed quamuis hæc expositio idonea sit, alia succurrit, quæ mihi appositae magis videtur. Igitur illa verba, repentinus ei superueniet interitus,

Aug.

IV. Rex iustus erigit terram : vir auarus destruit eam.

Rex iustus, &c. Heb. Rex in iudicio stare facit terram, & vir oblationum diruit eam. Alii per oblationes intelligunt dona, quibus principes corrumpi solent, atque adeo sic restituunt. Et vir accipiens dona destruit eam. Alii ad tributa referunt. Ita Vatab, qui locum istum sic conuertit. Iudicio Rex ditionem suam firmam facit: at qui tributa extorquet destruit. Caiet. vero sic extulit. Et vir eleuationum diruet eam. Subest enim vox תרומה Teromoth, à radice תרומה Rum. i. eleuauit, exaltauit, atque adeo propterea eleuationes & exaltationes sonat: vsurpatur autem pro oblatione, aut donario, quod Deo exhibetur. Quod propterea exaltationis nomine censetur, quia liba, & oblationes sursum coram Deo leuari solebant. Neque alicubi occurrit hæc vox in script. sacra, ubi pro donis alteri quam Deo oblatis accipiatur, nisi in hoc loco. Hinc nonnullos suspicio hæc incessit, sermonem de principe auaro, qui sacris etiam, ac Deo oblatis bonis non parcit: à quibus non dissentio. Noster interpretes omnia complexus est, cum reddidit. Vir auarus destruet eam. Chald. Vir impius diruet eam. lxx. Rex iustus erigit regionem: vir autem iniquus destruit.

Prima interpretatio est Rodolphi, qui cum sic legisset. Rex per iudicium stabiliet terram : & vir munerum diruet eam, ita exponit. Rex, qui exacto iudicio, & iusta electione, promeritis ad imperium euectus est, temp. firmam stabilemque præstabit: qui vero per ambitum & munerum largitiones dignitatem istam inuasit, eandem temp. euerter. Primò, quia hæc vna causa esse solet, ob quam imperia his deferuntur, qui ad regnandum idonei non sunt. Deinde alteram obtulit Basil. Imp. ad Leonem filium, exhortat. c. 43. ubi hoc suadens filio, ne Magistratus acceptis muneribus diuenderet, ad hunc modum scribit. Auro, & muneribus venales honores, & dignitates cauere habeas, sed eas dignis largire gratis: qui enim magistratū precio emit, subiectos illi magistratui multo magis emit, ut muneribus qua dedit fretus ipse audacius munera capiat. Proba igitur, atque explora diligenter, atque ita demum prouehere eos, qui sine muneribus ambiunt, si vis à republica omne sordium, & concussionis labem exulare. Nam qui dat, ut magistratū capiat, questum sibi à magistratu captat: dat. n. ut ius capiendi habeat, contra leges hoc agens, ut nullis legibus teneatur. Qui enim magistratum mercari didicerit, is nunquam munera capere desinet, & sine munerib. aliquid facere nunquam volet: te autem corruptionis ac sordium habebis magistrum. quem debuerat habere vindicem. Neque ipse solum munera capiet, sed eos etiam, qui sub ipso erunt, munera capere coget. Hactenus Basil. alteram causam attingens, propter quam illi, qui datis munerib. imperia sibi pariunt, resp. euertunt: quia nimirum eo animo dant, ut accipiant, & per parua quæ aliis dederunt, sibi ius ad maxima quæque accipienda quæsitum putant, atque adeo subditorum fortunas exhauriunt. Ita Iustin. qui de hac re sic scribit. Quamobrem eius, quod ab eo acceptum est triplum, magis autem, si oportet verum dicere, decuplum erit, quod à subiectis nostris exigitur, & ex hoc etiam fisc. imminuitur. Rurs. cum eisdem subditos simul cum magistratibus ipsis se commisit apud se statuunt, in illos quasi in seruos, & mancipia emptitia sibi licere putant: inde autem regum publicarum subuersio, & infelicitas maxima.

A Caiet. præmissa verba sic extulit. Rex in iudicio faciet stare terram : & vir eleuationum diruet eam. Exponit autem de potestate iudiciaria Principis, per quam fontes punit, quod suum est, unicuique tribuit, & honores iuste distribuit: hæc enim sunt iustitiæ partes. Itaque sic ait: Rex optimus, qui iuste iudicat in omnibus, reip. felicitatem stabilem efficiet: qui autem munerib. aut qualibet alia ratione corruptus, non ex iure, sed ex affectu aut libidine iudicia pronunciat, ocyùs eandem rem publicam subuerter. Nam cum temp. leges ac iura incolorem seruent, quoties Princeps prætermisissis legibus ex arbitrio suo, ac libidine decernit, reipublicæ status, ac salus periclitatur. Inter alia vero sic Caiet. Contra Rex est vir eleuationum, hoc est susceptor munerum (qua eleuationes vocantur, quia, tanquam eleuentur, offeruntur Regibus) Talis Rex diruit terram, &c. Itaque munera regibus collata propterea eleuationes dici putat, quia ea quæ donantur Principibus, ex eo eleuari plurimum, atque honestari putantur, quia ipsi eadem accipiunt: nam doni splendorem, & magnitudinem non ex dante solum, sed etiam ex accipiente metiri solemus. Putat autem Caiet. vel ex eo dona, ac munera à Principe refundenda esse, quia si ad accipiendum facilis sit, omnes illi donare student. Nam existimantes ea ratione, donis suis auctoritatem parari, Principem donis promereri cuncti student: atque adeo omnium muneribus corruptus iustitiam deferere cogitur. Sed tamen hæc minora sunt. Melius fortasse, & accommodatius quispiam diceret præfata dona eleuationes dici, quia animi firmitatem & constantiam, quæ maxime Principes decet, impellunt: aut etiam quia grauitatis & auctoritatis regis pondus imminuunt. Nam cum regium plane sit donare subditis, sordidum omnino videtur ab illis accipere.

Rursus alii per eleuationes, vel oblationes, eas proprie significari putantes, quæ Deo offeruntur, videlicet primitias, decimas, aut alia dona sacra: ita locum istum edisserunt. Rex iustus. i. pius ac religiosus in Deum, firmat terram, firmitatem nimirum, ac robur præstat Reipublicæ: vir autem oblationum. i. qui in oblationes, ac dona Deo sacra manus iniicit, reipublicam subuertit. Huius certe rei magna exemplorū vis nobis suppetit: nam felicitissimas olim respublicas submersas prorsus, ac profligatas hodie videmus, ex quo Principes bona Ecclesiastica contingere ausi sunt. Nullusq; hactenus fuit Princeps, qui ad eiusmodi bona auaras manus adiecerit, qui non fuerit ad extremam redactus inopiam. Frustra hic multis.

Extrema denique expositio huius loci docet Salomonem discrimen assignare Regis boni, & tyranni, Nam vt supra cap. 28. ver. 12. ex Aristotele, atque aliis præscriptimus, inter eiusmodi Principes hoc interest, quod Rex ad bonum commune semper spectat: Tyrannus vero propriis vtilitatibus & emolumentis studet: atque adeo ille iustus, hic auarus existit. Hanc vero expositionem ideo reliquis præferendam puto, quia cum Vulgata lectione melius congruit, & omnes alias superiores interpretationes complectitur: nam tyranni auaritia nec à muneribus abstinere, nec parcit etiam rebus sacris. Sensus itaque sic conformandus est. Rex iustus erigit terram: bonus scilicet rex, qui eo nomine dignus est, atque adeo postpositis propriis commodis, ad commune bonum semper spectat, reipublicam olim iacentem erigere, atque excitare solet. Vir auarus destruet eam. Non regem, sed virum de industria appellat Salomon: nam qui ea ratione prætermisso communi bono, priuatis vtilitatibus

vacat, Regis nomine indignus est, & tyranni nomen fert: hic ergo auarus, ac tyrannus, rempublicam quamlibet, etiam felicissimam, & fortunatissimam ocyus subuertit. Vtrumque satis certum. Rex, inquit, *iustus erigit terram*. Accinunt Septuaginta. *Erigit regionem*. Reliqui conuertunt: *firmat, vel, stabilem reddit terram*. Omnia in idem recidunt. His simile est illud Sap. 6. *Sapiens stabilimentum populi est*. Et de Ioseph, cum Aegypti principatum gerebat, sic Ecclesi. 49. *Firmamentum gentis, rector fratrum, & stabilimentum populi*.

Sap. 6.

Ecclesi. 49.

18

Sed cum hic Salomon *terram dixerit*, non regnum, nimirum *stabilem facit terram*, non inepte dicemus regem comparari cum centro terre, quod ipsi firmitatem, & constantiam præbet. Et sane haud incongrue dicemus centrum ad commune vniuersi bonum spectare. Nam dum omnia corpora ad ipsum sponte sua conuertuntur, triplex inde beneficium consequuntur, vt tradit Philosophus libro primo de Cælo, & mundo, scilicet vnitatem, conseruationem, & quietem. Nam corpora graui ad centrum contententia, sese mutuo stipant, atque vrgent: in centro autem posita, quia non appetunt vltius moueri, ætutum quiescunt, & quia ibi etiam à contrariis remota sunt, diutius conseruantur. Eadem, si libet, de iusto rege apud te cogita: hic enim centri ad instar, ad commune reipublicæ bonum vel genitus, vel institutus est: atque adeo dum ciues omnes ad illius obsequium sponte veniunt, sublatis intestinis discordiis, aut licibus, in ipso vnitatem consequuntur, Rursus iidem ciues iustum Principem nacti alios nequaquam affectant, aut concupiscunt: Quapropter in eodem velut in centro conquiescunt: neque seditionibus, aut bellis ciuilibus agitantur. Ad hæc cum præfatus Princeps in id potissimum enitatur, vt omnem hostium vim à suo prohibeat regno, ac ditione, in ipso demum quasi in centro, remotis contrariis, incolumes seruantur populi. Et sane isthæc omnia in regno considerat Aristoteles, prout à tyrannide distinguitur, lib. 5. Polit. cap. 10. vbi plures enumerat causas, ob quas tyrannides corrumuntur: de regno vero sic scribit. *Regnum autem ab his, quæ extra sunt, minimum corrumpitur: quapropter diuturnius est*. Et subiungit. *Regnum spontanea gubernatio est: quia nimirum subditi sponte sua Regi parent: & ob eam causam nulla in regnis seditiones, aut odia, sed omnia quæta, pacata, & amica*. Lege ibi plura.

Aristot.

19

Vir auarus destruet eam. Auarum appellat tyrannum, qui priuatis commodis semper studet, atque adeo nullam prætermittit rationem augendæ proprietatis rei. Accipe descriptionem tyranni ex Greg. Tolos. de rep. l. 6. c. 18. qui ferme verba carpit ex Arist. *Tyrannus nihil aliud meditatatur, nihilque agit, quam quod possit in utilitatem conuerti propriam: ideo non parcit populo, vita, aut facultatibus, aut honori eius. Tondet ad vinum, imo vero excoriat, premit, necat gregem, donec sibi satis sit: illud autem satis nunquam accedit*. An non iste rempublicam, cuius imperium tenuerit, subuertet? Necesse profus: talis. n. resp. (licet ita fari) excentrica est, à legitimo nimirum Principe, velut à centro suo dimota, ac diuisa. Quapropter quemadmodum si à terra centrum, & à grauibus corporibus ingenita in centrum propensio tolleretur, omnes telluris partes diuisæ, ac disiectæ nullo modo inter se compingerentur: ita etiam si in rep. pro legitimo, ac iusto principe tyrannus regnet, pacem violari, ac ciues passim seditionibus, discordiisq; disiungi, ac distrahi necesse est. Item sicut corpora è centro separata

Greg. Tol.

A non quiescunt, sed vi sua ad vltiora nituntur: ita etiam ciues tyrannum Principem nacti, incredibilem vim sustinent, atque adeo in ipsius obedientia non diu persistunt, sed inquieti, ac mobiles alium cogitant, & alium affectant. Deniq; sicut præmissa corpora à centro disiecta à contrariis suis corrupti solent: ita etiam imperia, quæ ad tyrannos Principes deuenerunt, ab externis hostibus petita facilius euerti, ac destrui solent. Habes hæc omnia apud Arist. loco citato, vbi tyrannidis corruptioni obnoxiam conditionem ab iisdem capitibus petit.

Princeps ergo bonus ab omni auaritia, & cupiditate alienus esse debet, atque illud Themist. apud

20

B Stobæum serm. 46. apud se tacitus versare. *Vir bonus, qui gentis alicuius, aut ciuitatis imperium suscepit, non propter fiscum, aut dona capienda, & à diuitibus pecuniam comparandi causa, similis est homini, qui pretiosum aliquod depositum accepit. Nam ut hic, quod datur, non retinendi, aut sibi vendicandi gratia sumit, sed vt custodiat, & integrum reddat ei, qui deposuit, quandoque reperierit: Ita Principem quoque non ob questum priuatum, sed ob salutem, custodiamque subditorum omnium facere oportet, sic vt ipsos, quoad efficere potest, illosos, & infelices statu ei, qui credidit, restituat*. Quanti vero facere oporteat eiusmodi principem ab omni auaritiæ sordide mundum, ac purum, perspicue declarat illud Iamblici in Epist. ad Dyscolum. *Inter omnia inquit, Principum opera plurimi facio, & admiror Iamblicus. magnanimitatē, & magnificentiam, & maxime cum bene merendo de hominibus, non exactis, & auarīs rationibus vtuntur, neque parcunt in largitionibus, nec tanquam in lance, ac trutina, aequalia pro aequalibus commutant, sed gratias ingenue proferunt, non tantum ex vase fundentes illas (vt Poeta canunt) nec aliis huiusmodi organis inclusas, sed nudas, intractas, & sine velamentis externis continuas, sibi que coherentes benigniter, ac beneuole porrigunt, vt decet, & gratiosum est. Huiusmodi enim gratiarum decus merito coronam imperii appellauerim*. Id vero propterea addidi, vt constaret non tantum auaritiæ Principis tribui, si aliorum bona contra ius, fasque sibi atroget, sed etiam si sua liberaliter non eroget. Nam satis sordidum est illi non esse munificum: nec minima inde rebus publ. pernicies imminere solet, cum Principes præparcos, nec de subditis suis bene merentes, aut eos sibi beneficiis minime obstringentes inuenerunt. Huc spectat illud Platonis in Epist. ad Dionys. *Meminisse, inquit, te volo, Plato. Poetas tragicos, cum tyrannum aliquem percuntem inducunt, eiusmodi illis voces attribuerē. Heu mihi pereo nullis fultus amicis: auri vero defectu percuntem nullus hæcenus retulit Poetarum*.

D

E

V. Homo qui blandis, fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.

Homo, qui, &c. Heb. *Vir leniens super facio suo, rete expandens pedibus eius*. Subest פתח פגהאמא, quod sic efferte licet, pedibus. Hinc nata translatio Septuaginta. *Qui preparat ad faciem sui amici rete, circumdat illud suis pedibus*. Sic habet textus Vaticanus. Complut. autem, & regius codex paulo aliter dispunxerunt, & restituerunt. *Qui preparatur ad vultum amici sui: rete circumiaciet ei pedibus suis*. Chaldæus vero sic extulit. *Vir qui diuiditur à socio, rete expandit gressibus eius*. Sed vnde fluxit ista locutio? In Original. pro illis verbis, *blandis fictisque sermonibus*, subiicitur מלה

21

non de spiritali, sed de temporali interitu accipienda esse autumo, hoc sensu: *Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, &c.* is nimirum, qui ab initio obstinato animo increpationes morum respuit, atque adeo effræmate per scelera omnia bacchatur, tandem aliquando per summam delinquendi licentiam graue aliquod crimen admittit morte dignum, propter quod subito, id est, cum minus sperabat neci adiudicatus interit sine aliquo auxilio, aut remedio. Et sane veritas istius sententiæ experientia ipsa comperta est: sapius enim illos, qui ob graua scelera capite damnantur correptionum sibi à maioribus adhibitarum aspernatio & contemptus eò adducere solet. Ad do etiam illa verba, *dura cervice contemnit*, non sine energia huic expositioni inferuire: Nam vt docet Vatablus, metaphora desumpta est à boue iugi impatiēte: atque adeo sensus sic conformari debet: vir ille quitquis, tauri ad instar ferocis, correptionis iugum dura cervice respuit, emori tandem cogetur. Quia nimirum sicut taurus aut bos cornupeta, qui iugum detrectat, & bubulci industria ad agriculturæ vsus edomari se non sinit, tunc cum liberius exultat, rapitur ad macellum, ac lanienam: ita etiam homo improbus qui correptionis iugum recusat, nec increpationibus, vel exhortationibus perdomatur, ob graua facinora morti demum adiudicatus perit. Denique illa verba, *Et cum sanitas non sequetur*, vel, vt est in Primitiuis, *& non est sanitas*, rationem continent, ob quam istiusmodi fontes correptionum impatiētes morti destinantur, quia nimirum insanabiles censentur. Vnde Plato rempublicam suam istituentis dialogo nono de Legibus, postquam præmisit delicta, quasi morbos animi, si sanabilia sunt benignius curari oportere, sic demum attexit. *Quos vero insanabiles legislator esse senserit, ultimo supplicio hos afficiet, non ignorans sanius esse his, qui insanabiles sunt, mori quam viuere, ac si vita priuentur dupliciter prodesse ceteris. Nam horum exemplo à peccato ceteri deterrentur, & improbis hominibus ciuitas ipsa mundatur, &c.*

Plato.

II. In multiplicatione iustorum letabitur vulgus: cum impii sumpserint principatum gemet populus.

IN multiplicatione, &c. Pagninus. Cum dominati fuerint iusti, &c. Vatablus. Cum iusti regnant. Chaldaeus. In multitudine iustorum, &c. Lxx. Dum laudantur iusti letabuntur populi: imperantibus autem impiis gemunt viri. Aquila. In multiplicatione iustorum. Caietanus vt vim vocis primitiuæ exhauriret, sic exulit. *Gaudentibus iustis letabitur populus.*

Certe in priori hemistichio multiplicatio non debet referri ad numerum, sed ad incrementum potestatis & imperii, atque adeo appositè reddunt quotquot reddunt. *Cum iusti regnant, aut dominantur*: est igitur vna omnium interpretum mens, quæ sic habet. *In multiplicatione iustorum letabitur vulgus*, id est, Cum iusti potestate & imperio aucti sceptrum capessunt, gaudent mirum in modum subditi populi, quia leuatis oneribus recreantur. Cum vero impii sumpserint principatum, gemet populus: quia nimirum Principes impii ac tyranni, non exonerant subditos, sed tributis ac vestigalibus magis illos grauant atque opprimunt, ita vt sub onere ingemiscere cogantur. Vtrum-

A que satis certum iuxta quam expositionem dicemus quidem Salomonem, vel ad ipsos populos sermonem intendere, ne videlicet eligant præficiantque sibi iniustos Principes, sub quorum postea imperio gemere cogantur: vel ad Principes ipsos orationem dirigere, eosque à tyrannide deterrere: hæc enim illis vulgi ac plebis odium conciliat, inde autem ad seditiones ampla referatur via.

Sed quamuis hæc idonea sint, tamen, nisi mea me fallit suspicio, de sola Principis bonitate ac probitate loquitur Salomon, idque asserit Principe iusto regnante plebem lætari & gaudere, & quælibet etiam graua onera sponte & alacriter ferre: contra vero cum improbus dominatur, populum sub illius imperio gemere, hoc est, coactè & per vim inferuire. Quantam vero vim habeat Principis probitas, vt plebs illi alacriter inferuiat, colligere licet ex Aristotele, qui cum non semel aliàs dixisset, sed tum maxime lib. 8. Ethicorum cap. 10. inter regem, ac tyrannum hoc interesse, quod Rex vere ac proprie non est nisi ex se sufficiens, & bonis omnibus virtute antecellens: Tyrannus vero improbus quisque, ac subditis deterior esse potest: cum libro quarto Politicorum capite decimo inter tyrannidem atque regnum id ænique discriminis versari inquit, quod regno pareant subditi sponte, at tyrannidi coactè & inuoluntarie.

C Erant enim regia, ait, potestates ex eo, quia uolentibus imperabant. Nam necesse est tyrannidem illam monarchiam esse qua nullis subiaceat legibus, & dominetur per vim aequalibus, & melioribus. ac respiciat ad propriam utilitatem, non ad utilitatem subditorum. Quapropter inuoluntaria est, cum nemo liber sponte sua ferat huiusmodi seruitutem. Obserua illa verba, *Et dominetur per vim aequalibus*: hæc enim rationem continent ob quam plebs egre fert improbum principatum. Quia nimirum cum Principes virtute, & probitate superiores subditis non sunt, his certe non sponte, sed coactè subditi acquiescunt: nemo enim pari, aut etiam inferiori hærens obsequitur. Eapropter Basilii Imperator ad Leonem filium exhortationum cap. 10. sic dicitur. *Caue, ne regni malus custos degeneris aliquid atque indigni committas, sed cum ceteris prælatus es vt omnibus imperes, ita contende, vt virtute quoque ceteris antecellas. Virtus enim omni principatus, omnique auctoritate præstantior est. Si ergo dignitate quidem reliquis præstas omnibus, virtute autem ab aliis præcelleris, Imperator es in eo, quod minoris excellentiæ est, in eo vero quod præclarior est, Imperator non es: imo alterius imperio iuberis. Ne sis ergo velati supposititiuus, atque adulterinus Dominus, cum te alius præstantior reperiat: sed verus Imperator cum ceteris omnibus virtute antecellat.* Item Plato per Dialogum, qui inscribitur. *Ciuisilis*, aut, de regno, id vnum probare contendit, Regem esse non posse, nisi illum, qui sciētia, & virtute reliquis præstat, ita vt dicere ausus sit eum hominem, qui ea ratione virtute aut gubernandi peritia præstans est, etiam si priuatam agat vitam, Regem esse: sic enim ait. *Quisquis ea præditus est (scilicet virtute ac sciētia) seu publico fungatur munere, siue priuatus uiuat omnino, secundum hanc peritiam Regius merito nuncupetur.* Et infra. *Atqui virum illum quicumque regia peritia instructus est, Regem vocare, siue dominetur: siue priuatus degat, oportet.* Denique Seneca in Epistola 90. *Natura est*, inquit, *porioribus deteriora summittere. Mutis quidem gregibus aut maxima corpora præsent, aut vehementissima. Nam præcedit armenta*

Aristot.

Basil. Imp

Plato.

Seneca.

degenerat auris, sed qui magnitudine ac tauris catervis mares vincit. Elephantorum gregem excellentissimus ducit. Inter homines pro summo est optimus: ideoque summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse nisi melior. Tantum enim quantum vult potest qui se, nisi quod debet, non putat esse. Ergo cum hoc sit naturæ profus conforme, ut potiores deterioribus imperitent, illud plane contra naturam, atque adeo violentum, si deteriores clauum teneant.

Propterea populi bonis quidem Principibus, velut natura suadente, sponte & alacriter parent: iniquis vero imperantibus contra naturam violentiam passi gemunt. Vel, ut Caietanus restituendum putat, suspirant. Suspirare enim est ad aliud cum dolore aspirantis. Hinc est illud Iuuenal.

Suspirat longo non visam tempore matrem.

Et Tibullus.

Quod si forte alios iam nunc suspirat amores.

Et Ovidius.

Hanc cupit, hanc optat, solam suspirat in illam.

Populus ergo iniquo Principe regnante suspirare dicitur, quia illius oppressus imperio dolens alium rectorem cogitat, alium suspirat. Hinc seditiones, &c.

III. Vir qui amat sapientiam, letificat patrem suum: qui autem nutrit scorta, perdet substantiam.

VIR qui amat, &c. Heb. non dissonant Chal. Et qui adheret meretrici perdet substantiam suam. lxx. Viri amantis sapientiam letatur pater eius: qui autem pascit meretrices, disperdet diuitias.

Prior huius carminis pars occurrit supra cap. 10. vers. 1. Filius sapiens letificat patrem. Ad eum locum. Puto autem eam partem, ut cum sequenti apte cohæreat, non esse intelligendam de patre superstitite, sed de illo, qui post mortem filium hæredem reliquit. Nam, ut obseruauit ad eum locum, verbum *משמח* Samach, quod hic subest, non modo lætificare, sed magnificare etiam significat. Atque adeo sensus erit: Filius sapiens qui amat sapientiam, id est, qui sapienter agit, ac secundum virtutem viuit, parentem suum honestat, atque magnum splendidumque reddit: quia nimirum filii virtus, probitas & splendor omnis ad Patrem recurrit, quatenus virtutum paternarum hæres filius vulgo æstimatur.

Posterior autem pars per se est luculenta. Qui autem nutrit scorta, perdet substantiam. Accinit Christus Dominus apud Lucam, vbi de prodigo filio sic ait. Et ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. Quæ verba sic expendit Chrysologus. Quæ composita fuerant Patre moderante, prodigente filio dissipantur. Et infamiam huius profusionis exaggerans attexit. Moritur virtutibus, qui vitiiis crescit, sepelitur fama, perit gloria, qui manet turpitudini, crescit infamia. Sed de filiis decoctoribus absolutissime Arist. lib. 4. Ethic. cap. 1. Nam, inquit, homines qui sunt incontinentes, & ob intemperantiam pecunias profligant, prodigos vocitamus. Quapropter tales homines sunt flagitiosissimi: multa namque vitia simul habent. Est autem prodigus, qui malum unum aliquod habeat, scilicet corrumpere patrimonium. Videtur autem, & patrimonii dissipatio interitus quidam ipsius esse, propterea quod patrimonio ac facultatibus visitur. Itaque ma-

A ximam huius vitii turpitudinem in eo ponit Philosophus, quod decoctione patrimonii sibi quodammodo mortem consciscit. Vnde pater Prodigii filii Luc. 15. de illo post reditum sic pronuntiauit. Epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat & inuentus est. Et in eodem cap. paucis intercalatis Arist. sic inquit, Prodigiorum donationes non sunt liberales: non enim sunt honestæ, nec honestatis gratia, nec, ut oportet, efficiuntur: sed fere quos oportet esse pauperes, eos diuites faciunt: & his quidem, qui bene morati sunt, nihil dant: adulatoribus autem multa, aut quampiam aliam afferentibus voluptatem. Quapropter intemperantes sunt: nam cum facile erogent, prouident ad sumptus in flagitiis faciendos.

B Item opponitur filius prodigus sapienti, & cordato, quia prodigi, et si specie quidem sapientes videantur, re ipsa tamen furiosi censentur. Ideo leges statuunt illis curatores in leg. his qui in ea caus. 12. paragrapho 1. de tuto. & curato. dat. Et l. 26. P. tit. 5. vbi Vlpianus matris querelam de filiis prodigis admittit, ut curatorem acciperent, his verbis. Non est nouum quosdam, et si mentis suæ videantur ex sermonibus compotes esse, tamen sic tractare patrimonia ad se pertinentia, ut nisi subueniantur eis, deducantur in egestatem. Eligendus itaque erit, qui eos consilio regat: nam æquum est prospicere nos etiam his, qui, quod ad bona ipsa pertinent, furiosum faciunt exitum, perinde itaque illis ac furiosis interdictum est, ne obligare sine curatore possint. Addit etiam Briss. formulam, qua interdictio fiebat, his conceptam verbis. Quando bona tibi paterna, auitaque nequitia tuâ disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi eâ re commercio interdico.

C Adde etiam quod prodigis, tanquam furiosis, ac mente captis, testari prohibitum est in l. Is cui bonis, de verborum obli. P. & leg. Iul. 10. de curatore furiosi in P. Huc spectat illud Euangelicum apud Lucam de filio prodigo, qui vbi prodigalitate peractus, de reditu ad parentem deliberare secum coepit, In se reuersus dicitur, nimirum ex amentia ad sanitatem mentis. Accipe verba Vlp. in l. 1. de curatore furiosi §. 1. quæ apposita sunt ad hanc rem. Lege, inquit, duodecim tabularum prodigo interdictur bonorum suorum administratio, quod moribus quidem ab initio introductum est. Sed solent hodie Prætores, vel Præsides, si talem hominem inuenerint, qui neq; tempus, neque finem expendarum habet, sed bona sua dilacerando, & dissipando profundit, curatorem ei dare exemplo furiosi, & tandiu erunt ambo in curatione, quandiu vel furiosus ad sanitatem, vel ille ad sanos mores redierit.

D Ad hæc, filius iste prodigus in meretrices rem suam profusus dicitur. Et qui nutrit scorta, perdet substantiam. Hoc certe prodigis maxime solemne, & hæc potissima, imo potius vna furoris, & insanix ratio: nam cum prodigalitas ex se sola dementem reddere soleat, cum accedit luxuries, hominem mirè insanum, ac vecordem efficit, atque adeo ad profundendum largissimum. Quapropter per leges ei qui adolescenti luxurioso dat pecunias, non est ius repetendi, quia sciens ac volens homini certissime perdituro illas donat §. si adolescens li. 12. l. 17. tit. 1. Vnde Tiberius Cæsar, ut scribit Dio Cassius li. 57. Senatori cuidam luxuriosè viuenti curatorem assignauit, quasi pupillus esset.

Iuuenal.

Tibullus.

Ouidius.

10

Vlpianus.

Brissoni

11

Vlpianus

12

E

Machalik, ex radice, *Chalak* quam vocem noster interpres paraphrastice conuertit: ipsa vero æque significat assentari & diuidere, seu partiri. Ad posteriorem significationem referenda est translatio Sept. ita vt perinde sit illud. *Qui preparat rete ad faciem*, &c. sicut. *Qui diuidit rete ad faciem amici sui*, &c. Diuidere enim rete sumptum est pro explicare, & extendere.

Vulgatæ nostræ translationis sententia tota ad assentationem, & adulationem pertinet: continet autem sensum facilem, & sæpe aliàs in hoc libro inculcatum. *Homo, qui blandis ficitisq; sermonibus loquitur*, &c. is scilicet quisquis tunc cum amicum corripere & obiurgare oportet, eidem assentari, & sermonum blanditiis ipsum delinire non dubitat, ante pedes illius spargit rete, vt maculis eius implicatus corruat. Illud non omnino apertum in his verbis, an scilicet sermo intendatur ad adulatorem, an ad eum, qui se adulationibus emolliri sinnit: nam ad vnum, vel alterum non sine lepore aptari potest. Si ergo dicamus Salomonem eis, qui adulationes libenter audiunt, id concilii dare, sensus erit. *Homo, qui blandis, ficitisq; sermonibus loquitur amico, rete expandit gressibus eius*. Quasi dicat: o tu quisquis audis præcepta mea, adulatorem caue: is enim non est amicus, sed hostis. Quapropter quoties aliquem mollia blandaque verba auribus tuis instillantem videris, hunc caue pro certo habens eundem retia tibi expandisse, quibus implicatus costuas. Metaphoram sumptam esse puto à venatoribus qui fistulis, atque aliis instrumentis imitantur eas auium aut ferarum voces, quibus tunc cum amoribus indulgent, ad socias euocandas vt solent: his autem, quas ad eum modum vocalibus blanditiis inuitant, retia instruunt, quibus, vbi conuenerint, aut deuolauerint, quamprimum implicentur, & pereant. His enim perquam similes sunt adultores, cum animum hostilem claudentes, & alioqui perniciem eius cui assentantur affectantes, voces tamen & sermones amicorum imitantur, ac simulant. Ergo eiusmodi homines summo studio fugere, ac declinare iubet Salomón.

Quod si dicamus sermonem intendi ad ipsum adulatorem, alius euadet sensus ad hunc modum, *Homo, qui blandis ficitisq; sermonibus*, &c. id est, Quisquis amicitiam ex animo colere vult, adulationem vitare debet: nam quicumque blanditiis, sermonibusque ad assentationem compositis cum amico suo vitatur, non amicè ac beneuole, sed hostiliter agit cum illo, expandens, ac circumiaciens retia pedibus illius, vt his illigatus corruat. Metaphora etiam secundum hanc sententiam petita videtur à venatione, diuerso tamen schemate: sensus enim sic conformandus est. Quemadmodum euenire solet, vt auis aliqua à venatore prius capta, & cauea inclusa, dulce inde modulans sui generis alias ad retia, & vicum euocet, etiamsi illa amore stimolata, vt socias ad amorem sui accendat, cantum edat suum, de insidiis, laqueis & retibus nihil cogitans: Ita etiam euenire solet amicis vt licet ex amore, & beneuolentia ad conciliandos, artiusque sibi denunciandos sociorum animos verba adhibeant blanda, atque mollia: eos nihilominus in retia, & laqueos pertrahant, innumeris erroribus implicent, malisque subiungant: ideo Salomon ab adulationibus abstinere iubet. Et sane venationis & adulationis comparatio non est insolens apud auctores. Plutar. in libro de Adulatoris & Amici discrimine sic habet. *Adulator trahit, & in laqueum iniicit imitando*. Et post pauca. *Nec se-*

ram moratur, sed ipsum in plagas conicit, & indagine cingit venatorem. Vide ibi plura. Seneca natural. quaest. lib. 4. in præfatione. *Nec adulatoribus latus praebeas: artifices enim sunt ad captandum superiores*. (En qua ratione venatores ipsos ad retia sua pertrahant: subdit. *Mihi crede, capieris si proditori ipsorum te tradis*. Plato vero in Gorgia. *Adulator, inquit, optimi nullam habet curam: sed semper eo, quod dulcissimum est: quasi hamo incautam illaqueat mentem, & usque adeo decipit, &c. Mitto alia*.

Septuaginta interpretes alium ad sensum isthæc verba vocarunt: sic enim habent. *Qui preparat ad faciem amici rete, circumdat illud suis pedibus*, id est, qui alteri instruit dolos, ita vt ipsi eos conspiciere & animaduertere liceat, non tam illi, quam sibi met ipsi, laqueos parat. Sententia vero vt aliquid Echycum contineat, sic est conformanda: Salomon homines astutos, & dolorum artifices commonet, ne technas, & insidias aliis instruere velint: sæpius enim eiusmodi technæ, atque insidiæ, etiamsi versutissime celetur comparere tamen, ac sese nimium prodere solent. Quapropter sicut auiculæ quædam ea, quæ nimium parent, retia vitare solent: ita etiam his, qui dolis petuntur, facile est dolos vitare: vnde fit, vt illi ipsi tantum suismet fraudibus pereant qui illas instruxerunt. Hanc esse puto mentem Septuag. secundum lectionem Vaticanam: illa. n. quæ in Complutensi & regio codice habetur, non caret suspitione mendii. Si tamen aliquid boni sensus reddit, id quidem ad Vulgatæ lectionis sententiam alluci debet, hoc modo. *Qui preparatur ad faciem amici sui: rete circumiaciet ei pedibus suis*. Id est, qui assentationibus & adulationibus sese ita condit, & temperat, vt placeat amico suo (hanc enim vim subesse existimo illi verbo, *Qui preparatur*, Græce *παρασκευάζει*), quod de eduljiis, atque cibis enuntiari solet. Lege Platonem in Gorgia, vbi adulationem coquinariam non semel vocitat, & eam cum coquinaria componit: quia nimirum sicut coquinaria ad voluptatem comparata est: sic etiam adulatio eò spectat, vt placeat. Ex eadem arte similitudinem non semel petit Plutarchus in lib. de adulatoris, & Amici discrimine: Is ergo, qui eo modo ad voluptatem amici sui sese temperat, & condit, perinde facit, ac si illius pedibus rete implicatissimum innecteret. Cæterum hæc parum concinna, & condita videntur: ab vna enim comparatione in aliam insulse pertransitur. Nisi fortè ex vtraque vnam conflare liceat ex venatione petitam, ad hunc modum. Homo assentator, & adulator subdolos, duo simul vnaque præstat, venatores, vel aucupes imitatione simulans: nam & seipsum tanquam escam, seu pulmentum temperat ad inescandum incautum hominem, & suarum technarum, ac fraudum rete subtile spargit, ad eius pedes implicandos, & obligandos, vt ipsum ruina inuicabili prostrare possit. Ad alia.

VI. Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus, & iustus laudabit, atque gaudebit.

Peccantem, &c. Heb. In prauaricatione viri malus laqueus: & iustus præconia dicit, & latibitur. Cæter. vero sic extulit. *Et iustus cantabit, atque gaudebit*. Chald. *Vir malus in peccato suo capitur, &c. Sept. Peccanti viro magnus laqueus: iustus autem in gaudio, atque latitia erit, &c.*

22

Seneca.

Plato.

24

25

23

D

E

Plutarch.

26

Rodolph. hunc versum cum superiori consue-
dum putat, ita vt sensus sit. Laqueus ille, seu rete,
quod subdolosus homo subter blanda, & delicata
verba spargit ad incautum hominem captandum,
ipsummet arctius implicabit, & ad tuinam pertra-
het: ex aduerso autem vir iustus, quem ipse dolis
adorfus fuit, ab eius insidiis ereptus gaudebit pluri-
mum. Sed tamen si ita placeat versum istum cum
superiori connectere, sensum paulo aliter confor-
mandum puto. Superioris carminis hemistichium
est. *Et rete expandit gressibus eius: reliqui, pedibus
eius.* Huius autem prior clausula sic habet. *Peccan-
tem virum inuoluet laqueus.* In Primitiuis est. *In
peccato viri malus laqueus.* Sep. *Magnus laqueus.*
Ego vero per *malum*, seu, *magnum laqueum*, vin-
culum intelligo gutturi iniectum ad strangulandū,
& præfocandum: hic. n. satis apte *laqueus malus*,
aut, *magnus*, id est, lethifer appellatur. Itaque Sa-
lomon ait: Vir dolosus & vaser, quicumq; frau-
des, dolosque aliis instruit sibi ipsi potius perni-
ciem parat: nam cū rete aliquod pedibus tantum-
modo spargat eius qui fallaciter illudere vult, sibi-
met ipsi laqueum magnum iniicit, arctissimum. s.
vinculum collo implicat suo. quo strangulatus mi-
fere depereat. Ad hunc modum versatus hic locus
luculentam magis sententiam reddit.

27. Tamen lubentius sentio cum Caiet. Ianf. & aliis,
qui versum istum à superiori exsoluunt: ex illo ve-
ro eiusmodi sententiam expriment. *Peccantem vi-
rum iniquum inuoluet laqueus.* i. vir impius quoties
peccat, suismet peccatis, ac criminibus arctius de-
uincitur, ac fortius quam vllis vel laqueis, vel ca-
tenis: *iusus autem laudabit, atque gaudebit.* i. liber
ac solutus hisce vinculis pro sua libertate Deum
laudabit & præ læticia, & gaudio gestiet. Non dis-
plicet hæc sententia: tamen puto eam, ne iaceat,
ac repat, tantisper excitari debere, ita vt cōparatio-
nem in hoc carmine, sicut in superiori ab aucupio
ductam dicamus, hoc modo. Vir improbus, quem
sua ipsius peccata arctius illigatum tenent, similis
est aui cuiquam ex his, quæ aucupis arte deceptæ
laqueo caput inferuerunt, atque adeo neci proxi-
ma est: talia. n. sunt, imo deteriora mentis malæ si-
bi conscia vincula, & nexus. Ex aduerso autem
iusus laudabit, atque gaudebit. Caiet. habet *canta-
bit, atque gaudebit.* i. similis erit aui exsolutæ, ac li-
beræ, aperto celo deerranti, & præ gaudio iucunde
ac modulate perstreptenti. Ad iustos sub ista auium
canentium similitudine spectant illa verba Isaie 35.
n. 8. secundum translationem Sept. *In siticulo a ter-
ra erit fons aqua, illic erit lætitia auium.* Cyril. autem
ad hæc verba. *Fons, ait, aqua viua Christus Salua-
tor, in illo factus est auium concursus, & lætitia. A-
ues hic dicit eos, qui ultra res terrenas euolant, &
qui libertate spiritus vtuntur, qui alti sunt propter
virtutem, & que supra sunt, sapiunt.* &c. Lege
Hieronym. in eundem locum.

28 Sed licet hæc non admodum insulsa sint, ta-
men aliam esse puto Salomonis mentem in hoc lo-
co. Nisi enim mea me fallit suspicio, loquitur de
desperatione, ac spe. Ergo per *laqueum malum*, aut,
magnum vinculum intelligo collo iniectū ad stran-
gulandum, & præfocandum, vt nuper animadu-
erit: sensū autem huius loci sic instituo. *Peccantem vi-
rum iniquum inuoluet laqueus, seu, Peccanti viro ma-
gnus laqueus*, vt habent Septuag. i. Peccatorem
maximorum criminum reum sæpe admodum sua
ipsius conscientia ad desperationem adducit, &
collum laqueo inferere cogit, suo ipsius damnatum
iudicio. Exemplo sit Iudas proditor, qui admissi
sceleris conscientia stimulatus sibi ipsi laqueum in-

A iecit. De quo sic Ambros. in l. 50. *Sua ergo senten- Ambros.
sentia Iudas proditor condemnatur. Mirum forte sit,
vobis, quod non eum populus indicauerit non præ-
ses addixerit. Hoc sacrilegi solet esse iudicium, vt
impunitatem ipse suam dum recordatur, puniat, &
scelus suum dum recognoscit, vindicet: omnium
enim supergreditur sententias, qui à sua conscientia
sua sententia condemnatur.* Et hæreticum cum lu-
da conferens subinde atexit. *Talis igitur hæreticus
pœna damnatur, vt idem ipse sui & reus sit sceleris
& index sit vltionis.* Tanta enim est maximorum
delictorum enormitas, & deformitas, vt reus sibi
ipsi displicere incipiens ne sibi quidem ignoscat.

B Quod si laqueum non corporaliter, sed spiri-
tualiter accipere libeat, sic accipe, omnem ani-
mam, quam peccatorum suorum grauitas ad des-
perationem compellit, collum suum laqueo quo-
dammodo insinuare, ac suspendium crudelissi-
mum sibi indicere. Audi Augustinum in homil. 27.
de diuersis. *Iudam, inquit, traditorem non tam sce- 29.
lus quod commisit, quam indulgentia desperatio fe-
cit penitus interire. Desperando verius se occidit,
& laqueo suspendit se, suffocauit se: quod fecit in cor-
pore suo, hoc factum est in anima ipsius: spiritus enim
dicitur etiam iste ventus aeris huius. Quomodo ergo
qui sibi collum ligant, inde se occidunt, quia non ad
eos intrat spiritus aeris huius: sic illi, qui desperant
de indulgentia Dei, ipsa desperatione intus se suffo-
cant, vt eos spiritus sanctus inuisitare non possit*
Deinde quemadmodum qui se laqueo præfocant,
dum guttur strangulant, vocem opprimunt: ita
etiam his, qui per desperationem animum stran-
gulant suum, euenire solet, vt quasi erepta voce,
ad eum clamare, cumque fufis præcibus placare
non possint. Huc spectauit D. Greg. Nazianz. in Nazianz.
Iambico de Christo patiente, vbi de Iuda sic ce-
cinit.

*Eo ipse nam procedis dementia
In posterum, vt cuius firma tibi capere, & bona
Consilia liceat, & relictis omnibus
Ad genua Domini procidere, largas genis
stillare lachrymas: penslem contra implicas
Laqueum, viam omnem vocis, vt tibi obstruas,*

Hæc ille, significans id prorsus laqueum collo in-
nexum egisse exterius, quod desperatio interius
peragebat. Subdit Salomon.

Et iustus laudabit, atque gaudebit. i. ex aduerso
vir iustus spe erectus ac confirmatus, præ gaudio
gestiens, in Dei laudes erumpet. vide oppositio-
nem, & antithesim vtriusque partis: ille per des-
perationem, ac diffidentiam spiritum sibi abstulit,
vocem eripuit hic contra per confidentiam, &
spem, spiritum gaudio relaxat, & vocem in diui-
nas laudes effundit. Caietanus legit: *Cantabit, at-
que gaudebit*, eodem sensu. Hinc Paulus ad Rom.
spei gaudium accommodat. *Spe, inquit, gauden-
tes.* Sed de spei solatiis & ingenti gaudio alibi non
pauca diximus. Pergo ad alia.

VII. *Nonit iustus causam pauperum, & im-
pius ignorat scientiam.*

30 **N**onit iustus, &c. Hebr. non dissonant. Chal-
dæus etiam concinit. Sept. verba ista paulo
aliter reddunt. *Nonit iustus indicare pauperibus:
impius autem non cogitat scientiam: & inopi non
inest mens cognoscens.* Sic habetur locus iste in Va-
tican. Complutenfis, & *impius non cogitat causam,*

vel, iudicium Regia, non intelliget iudicium. Omnia in idem recidunt.

Omnium fere interpretum concursus iudicium circa sententiam huius carminis: sermo est ad iudices & magistratus publicos. *Novit iustus causam pauperum.* i. iudex rectus ex iure, & æquitate sententiam dicens, dat operam, ut causam, seu litem hominis pauperis, à quo nihil emolumenti ipsi evenire potest, recte calleat, & iustitiam eiusdem attentius perscrutatur, ne non illi ius suum deferaat. *Et impius ignorat scientiam.* i. iniquus iudex pauperis ius non satis intelligens, ipsum incognita causa damnat. Sic ferme interpretes. Ego vero huius sententiæ energiam tantisper vrgendam, & extremum hemistichium hoc sensu donandum existimo. *Et impius ignorat scientiam, vel, causam* (ut habet editio complutensis) i. de industria ignorantiam affectat, & de pauperis hominis iure edoceri non vult, ne cognita æquitate cogatur pro illo ferre sententiam. Et sane haud scio, an sit aliquid, in quo rectitudo iudicis explorari melius queat, quam in pauperum causis ac litibus.

Addunt Septuaginta illa verba: *Et inopi non est mens cognoscens*, quæ duplicem sensum reddere possunt. Alter, nullus autem vix aliquis est, qui ad cognoscendas pauperum causas, & eorum iura intelligenda mentem adiciat. Quasi dicat, ideo rectitudo, & integritas iudicis in cognoscendis, ac perscrutandis pauperum causis agnosceatur, quia nullus fere est, qui sponte id faciat. Vel paulò aliter: ideo iudex rectus pauperis causam, & ius attentius exquirere debet, quia fere pauperes non habent patronos, & advocatos, qui eorum actiones tueantur. Eapropter in quibusdam Rebus publicis pie, ac religiose admodum advocati, & patroni publico ære conducti ad pauperum causas litesque pro virili defendendas adscripti sunt: sed tum maxime in curia Romana, ut tradit Pet. Greg. in syntagmate iuris l. 49. c. 6. n. 11. & in plerisque etiam Academiis quotquot in iure laureas accipiunt, pauperum lites gratis à se defendendas prius vouent, ac iurant. Alter sensus eorum verborum esse potest. *Et inopi non inest mens cognoscens.* i. propterea iudex rectus, atque integer in cognoscendam causam, & ius pauperum mente incumbere debet, quia fere pauperes stolidi sunt, & inepti, suasque ipsius causas exponere & iura allegare non satis norunt: atque adeo ne iniqua sit sententia, iudex, si fieri possit quasi adiacens vel assistens pauperis mens esse debet, ut eas res intelligat, quas ille præ stoliditate non assequitur.

VIII. *Homines pestilentes dissipant civitatem: sapientes vero auertunt furorem.*

Homines pestilentes, &c. In Primitiuis est *לצרף* *לצרף* Anse latson. i. viri pestilentia, ex radice *latson*, cuius significationes alias non semel dedit. n. irridere, illudere, deferre. Sept. sæpius ad pestem referunt: eorum vestigiis adhæsit hic Vulgatus: alii vero aliter verterunt. Chald. *Viri derisores loquuntur mendacium.* Tigurina. *Viri illusores illaqueant civitatem.* Accinit Pagn. Alifer Caiet. *Viri derisionis facient sufflare civitatem.* Sept. *Viri impii*, in quibusdam est *לצרף*. i. pestilentes, *exusserunt civitatem.* Symma. *incenderunt.* Ex Hebræorum magistris aliqui sic restituerunt. *Viri delatores fluctuare faciunt civitatem.* Hanc translationum dissimilitudinem peperit verbum *לצרף* *Iapichu*, quod hic subest, ex radice *לצרף* *Iaphach*, quod significat

proprie *efflare*, aut, *sufflare*, aliquando etiam *mentiri*. Ex hac posteriori significatione translationem suam petiuit Chald. Reliquæ lectiones ex priori acceptæ sunt: nam cum verbi *Iapach* in hoc loco, non sit propria, sed translata, & metaphorica significatio, diuersi interpretes de hac metaphora diuersa senserunt: eorum dissidia statim subtexam.

In posteriori hemistichio: *sapientes vero auertunt furorem*, nulla occurrit lectionum diuersitas. Ad rem.

Viri derisores loquuntur mendacium: sic locum extulit Chaldæus, qui pro civitate *mendacium* restituit, nescio quo consilio. Est qui dixerit Chaldæum locum istum ad verbum sic conuertendum putasse. *Viri derisores loquuntur civitatem*: nomine autem civitatis rude vulgus accepisse, quod fere mendacis, fabulisque serendis distineri solet. Quasi dicat: Viri illusores ridiculi quidam sunt de vulgo homines mendacis efflandis, spargendisque vbiq; assueti: apud nostrates de vicio dicaci & loquaci ita iactari solemus. *Qui habita mosque in pueblo entero.* Sed tamen cum hæc prior pars parum apte consuatur cum posteriori, omnino reuellenda est.

Viri delatores fluctuare faciunt civitatem. Sic ex Rabinis non pauci, qui verbi illius *Iapach*, metaphorice significationem non insulse accommodarunt, putantes similitudinem ductam à mari, cum ventorum diuersis, imo aduersis flatibus concussum miscetur, ac fluctuat. Itaque sensus est. Quemadmodum si plures contrarii, ac secum pugnantes venti mari incumbant, illud insanis quibusdam fluctibus impellere, & agitare solent: ita etiam homines delatores, & susurriones (vulgo *soplones*) urbem commouere, & pacem concordiamque civitum exturbare, ac seditiones excitare solent. Apposita est susurrionum & ventorum pelago incumbentium similitudo. Posterius etiam hemistichium cum hoc priori optime confabulatur: *Sapientes autem auertunt furorem*, id est. Ex aduerso viri prudentes, & industrii, qui paci, & concordie semper student, seditiosos ciues placent, & (liceat sic dicere) quandam sedatis fluctibus malicie similem tranquillitatem Reipublicæ afferunt. Quid certius?

Septuag. interpretes, & Symmach. alio schemate huius carminis sententiam illustrarunt: nam verbum *Iapichu*. i. *sufflauit*, ad ignem retulerunt, qui flatibus accendi solet. *Viri impii*, aut, *pestilentes exusserunt civitatem.* i. Quemadmodum si ignis domum aliquam corripit, atque subinde venti validi incumbant, in alias & alias ædes flammam deferre, & totam demum urbem exurere, ac concremare solent: ad eundem modum si adsint delatores, & susurriones, sequissimas discordias, quæ vel inter paucos subocce sunt, tanquam ingruentes venti, vsque adeo succendere, atque inflammare solent, ut grassate odiorum incedio, magnas vrbes imo & regna, & nationes seditionibus nonnunquam deflagrare videamus. Accommodata est etiam hæc similitudo, cum qua necitur bene etiam consequens clausula: *Sapientes vero auertunt furorem.* Viri. scilicet prudentes, concordie, pacisque amatores, ex aduerso dissidiorum ignem, antequam sæuiat, opprimunt, & accensos, inflammatoque paucorum civium animos, quasi inspersa aqua restingunt, antequam latius serpat incendium.

Sed licet hæc idonea sint, tamen aliquid idoneum magis protulit Vulgatus interpres: hic enim metaphoram ab stipulis, seu paleis quas ventus dissipat, & hac illac proicit, delumptam existima-

uit, ita vt sensus sit. *Homines pestilentes dissipant civitatem.* (illud dissipant, perinde est ac diffluant, seu dispergunt.) Quasi dicat. Viri delatores, susurriones, & discordiæ seminatores (hos enim hic pestilentium nominis notari existimo) ceu venti quidam validiores, leues civium animos stipularum in morem difflant, id est, ab invicem dissidiis distractos separant, ac disjungunt. Huius comparationis lepos in promptu est: nam pulchre admodum ostendit humanorum animorum leuitatem, quos leuium palearum ad instar, vel subtilis susurrationis flatus facile dissociat, ac dirimit. Significatur etiam accommodatè quanto studio delationes ac salutationes prohibendæ sint à civitatibus, ac cœtibus: quia nimirum his non aliter mouentur, impelluntur, ac disperguntur animi leues, quam stipulæ ventis afflatæ.

Subdit Salomon: *Sapientes vero auertunt furorem,* id est, imprudentes detractiones, delationes, & susurra magno studio vitantes, omnium dissidiarum & contentiõnũ causam de medio tollunt. Huc spectat illud Epicteti Philosophi apud Stobæum lectum. 43. *Quemadmodum faces in portu sublata magna flamma in paucis cremis excitata nauibus per mare errabundis multum auxilia ferunt: sic & viri splendidi in vrbe periclitante paucis ipsi rebus contenti, magnis beneficiis ciues afficiunt.* Similitudinem istam cum secunda expositione componere, quæ ex tempestate desumpta est. Tres præmissæ comparationes accommodatè sunt, & ad rem natæ, eandem sententiam diuersis schematibus comparatam exhibent.

Restat altera illa translatio, quam secuti sunt Pagnin. & Tigurina. *Delusores illaqueabunt civitatem* Et sane licet verbum *Iapach* eam significationem aliquando subeat, tamen in hunc locum parum concinne eadit. Nisi dicas sensum illum cum vulgari apud nostrates dicendi modo congruere. *Vn hombro malsin basta para enredar vna ciudad entera,* id est, satis est, vt alios & alios verbis implicet suis, & ad mutua conuertat odia.

IX. Vir sapiens, si cum stulto contenderit, siue irascatur, siue rideat, non inueniet requiem.

VIR sapiens, &c. ad verbum sic habent. *Vir sapiens iudicium subiens cum viro stulto, & irascetur, & ridebit, & non requies.* Chaldaeus. *Vir sapiens contendens cum viro stulto, siue irascatur, siue rideat, non conteretur.* Sept. *Vir sapiens indicabit gentes, vir autem nequam succensens deridetur, & non terret.*

Circa sententiam huius loci non vna interpretum censura: quippe quos illa verba. *siue irascatur, siue rideat,* in varias expositiones compulerunt, dum alii de sapiente, alii de stulto accipienda esse dicunt. Vatablus ergo de stulto enuntiata esse putauit, atque sensum ita conformat. *Vir sapiens si cum stulto aliquando contenderit.* i. contraxerit, aut commercium habuerit, *siue irascatur, siue rideat,* scilicet ipsemet stultus, non inueniet requiem, puta, sapiens ipse, id est, illius stoliditatem diu perferre non potest. Quasi dicat: Stultus homo, siue ex gaudio placide ridens, siue ex ira in furorem actus, importabilis est sapienti: omnia enim temere, importune atque incondite gerit. Cæterum hæc expositio mihi non admodum condita videtur, nisi amplius vigeatur.

Quapropter si quidem illa verba, *siue irascatur, siue rideat,* stulto accommodentur: locum istum

A duplicem ad sensum vocari posse existimo. Aliter sic habet: viro sapienti importabilis est stultus, non solum cum irascitur, sed etiam tunc cum ridet, & placere cupit. Sensus autem sic vrgendus est, vt particula, *siue,* comparationem vtriusque partis innuat hoc modo, *siue irascatur, siue rideat,* id est, non minus intolerabilis est sapienti stultus tunc cum ridet, quam cum irascitur. Quasi dicat: stulti hominis tanta stoliditas est, vt vel tunc cum ex studio, & de industria gratum se, ac iucundum exhibere vult: plurimum displicet, & molestiam magnam afferat homini sapienti, non minus quam si ipsum ex iracundia peteret aut lacesseret. Quæ sententia vera est, ac stulti inconditos mores satis declarat. Cæterum alter sensus mihi attridet magis, quem tradit Rodolphus ad hunc modum. Si quando vir sapiens cum stulto disceptauerit, vt ipsum corrigat & ad sapientiam, seu bonos mores traducat, nihil præstat: nam *siue rideat, siue irascatur, non inuenit requiem,* ipse videlicet stultus partim in suum exhortatorem iram effundens, partim eiusdem monita irridens, & iocose declinans, à suis delictis nunquam quiescit, aut cessat. Itaque Salomon iuxta hanc interpretationem, stultum inemendabilem, atque incorrigibilem esse decernit: quia vel irascendo, vel sublacando, correptionis seueritatem eludit, atque adeo non tam verbis, quam verberibus emendandum esse.

Sed licet superiores interpretationes accommodatæ videantur, tamen in alteram mens pendet mea: existimo enim illa verba, *siue irascatur, siue rideat,* non ad stultum, sed ad sapientem pertinere: illa vero, *non inuenit requiem,* ad stultum esse referenda: sic enim verbis, vt in textu iacent, nulla affertur vis. Præfero autem expositionem Caietani, quæ sic habet. *Sapiens si cum stulto contenderit,* id est, si cum stulto de illius emendatione egerit, siue ipsi irascatur, & simulata indignatione illum seuerius coerceat, siue eidem morem gerat, & ridens, placidusque ipsum blande commoneat, *non inuenit requiem* stultus. i. non quiescit, vel potius non acquiescit sapienti ipsum admonenti. Quasi dicat, ad stultum hominem emendandum ars nulla idonea est, quia neque minis, neque gratia, & lenitate adduci potest. Albertus Magnus de historia animalium lib. 1. tradit feras, quæ animosæ sunt, atque prudentia & sensu pollent, partim castigatas partim delinitas facile cicurari, ac mites reddi (eiusmodi sunt elephantus, leo, accipiter, & aliæ ad similes) eas vero, quæ stolidissimæ sunt, nec cicurari, nec mitescere: quia nimirum nec popysimis deliniuntur, nec castigationibus sedantur. Ad eundem modum de sapientibus, ac stultis decernere oportet: hi quidem, liceat sic dicere, tanquam stolidissimæ feræ, nec blanditiarum popysimis, nec correptionum castigationibus ad mitematem traduntur: illi contra instar animantium prudentia, & sensu præstantium, vtrisque sedantur, ac mitescunt.

E De translatione Septuaginta ad extremum aliquid subijcere opus est, qui locum istum sic extulerunt. *Vir sapiens indicabit gentes: vir autem nequam succensens deridetur, & non terret.* Hæc sententia discrimen assignat, quod inter probos, atque improbos Magistratus intercedit, hoc modo: Viro sapienti, ac probitate prædito iudicanti, & rem publicam gerenti, gentes, & populi sponte acquiescunt, quia nimirum probitati eius, & sapientiæ cuncti deferunt. Quod si improbus aliquis vir magistratum inerat tunc cum seuerius agit, à suis subditis deridetur, & cū minas intentat, non terret: quia cum ipsi ob improbitatem nihil deferant, eius seueritatem

Stob.

36

37

Vatabl.

38.

Albertus
Mag.

39.

tatem, & minas facile contemnunt. Quæ sententia docet iudici, & magistratui præcipuam auctoritatem ex probitate comparari, vt subditi sponte ipsis pareant. Aduocandus hîc Eusebius apud Stobæum in serm. 44. vbi sic scribit. *Homines inobedientes sunt illis, qui cum iniuste viuunt, aliis præesse volunt: obedientiam autem facilem apud subditos efficit quiuis, qui quæ ipsum facere decet, diligenter exequitur, & eorum, quæ facere conuenit, subditis sese exemplum præbet.*

X. *Viri sanguinum oderunt simplicem: iusti autem querunt animam eius.*

Viri sanguinum, &c. Hebr. non dissentiant. Chald. verò sic expressit. *Viri sanguinum oderunt simplicitatem; recti autem querunt eam.* Sept. *Viri sanguinum participantes odio habebunt sanctum, &c.* Extrema verba huius sententiæ continent modum dicendi in scriptura solemnem. *Iusti autem querunt animam eius:* cuius satis anceps significatio est: nam in bonam, inque malam partem verti solet. Ad bonam spectat illud Psal. 141. *Non est qui requirat animam meam, &c.* Sæpius autem ad malum refertur. Psalm. 85. *Synagoga potentium quaeserunt animam meam.* Et Psal. 69. *Confundantur & reuereantur qui querunt animam meam.* Psal. 34. v. 4. Pl. 37. v. 17. Pl. 53. v. 15. & passim alibi. Hinc locus factus diuersis interpretationibus. Sunt igitur qui illa verba ad malum vertentes, ita locum istum edisserunt. *Viri sanguinum oderunt simplicem: iusti autem querunt animam eius.* Id est, contra virum iustum, atque pium, nescio quâ lege, omnia conspirant: non enim modò improbi ipsum graui odio insectantur, quia eius probitas, & pietas ipsis molesta est: sed etiam sæpius ipsimet iusti falsa opinione ducti de ipsorum vita inquirere, facta perferunt, aliquando etiam damnare, & punire solent. Itaque authores isti putant Salomonem iusti ac pii hominis ærumnosam conditionem in hac vita describere voluisse, significando ipsius mercedem ad alteram differri.

Cæterum huic expositioni parum tribuo, & cum his sentio, qui illa extrema verba, *Iusti autem querunt animam eius,* ad bonam partem referunt: qui vnam, & aliam expositionem tradunt. Altera est, *Viri sanguinum oderunt simplicem,* id est, viri homicidæ, & sicarij, hominem sanctitate, & integritate vitæ præditum tanquam sibi infensum, & moribus suis valde dissimilem immittissimis odiis prosequuntur: sed tamen hunc, quem improbi insectantur, probi omnes, ac recti insequuntur, vt eius vsu, & familiaritate perfruantur. Vel, *querunt animam eius.* id est, incolumitati eius prospiciunt, & vitæ illius asseruandæ student. Sic plerique. Sed Rodolphus magis appositè sic habet. Viri sicarij, & homicidæ, hominem pium, ac sanctum tanto perè oderunt, vt ipsum neci dare, & de medio tollere non dubitent. Nam ipsimet fontes Sapient. 2. sese inuicem ita exacuunt. *Con:umelia, & tormento interrogemus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpissima cõdemnemus eum,* &c. Sed tamen rectissimi, atque integerrimi iudicis partes sunt inquirere animam illius, id est, mortem ipsi iniuste illatam vlcisci, ac punire. Hanc expositionem commendat ille alter locus Psal. 141. qui similem ad sensum vocari debet. *Et non est qui requirat animam meam.* i. non est qui vlciscatur. Cui etiam ad simile est illud Tom. 2. Part. 2.

A *Ezech. 3. Sanguinem autem eius de manu tua requiram, & Baruch. 6. Angelus enim meus vobiscum est; ipse verò exquiram animas vestras, id est, illatas vobis iniurias vindicabo.*

Hanc interpretationem libenter præfero: ira enim reor Salomonem iudices, ac rectores affari, atque hoc illis suadere, vt iniurias, & damna simplicibus, innoxiiisque hominibus illatas vlciscantur. Nam cum eiusmodi homines sancti, & infontes, iniurias iniuriis non remetiantur, & damna damnis non compensent, maxime congruum est, vt rectores iusti, ac iudices integri de ipsorum iniuriis seridò vindictam sumant, atque fontes grauius puniant. Ita suadet faciendum Menander apud Stobæum in sermone de iustitia, & huius rei rationem subdit. *Si improbis in integrum esset probos & iustos homines vexare, esset, inquit, hoc valde indecens.*

Omni tempore, quod iustum est, vincere debet, vnus iustus infinitos non iustos vincit, Deo, & iustitia adiuuantibus.

Id verò propterea adiecit Menander, vt suaderet, tunc cum plures iniusti ad iustum opprimendum conspirant, non idè parcendum, aut indulgendum, quasi dampnum vnus plurimorum damnis cedat. Nam si ita, inquit, aliquando contigit, vt vnus aliquis iustus ab innumeris improbis hominibus damna perpeffus sit, haud verendum erit etiam ab innumeris pro vno tantum penas expetere, ita vt si opus sit, vnus probi hominis caput permultis improborum capitibus luat. Et sanè Dei maiestas læsis, ac violatis iustis hominibus mirum in modum læditur: nullæ autem ad ipsius iram sedandam magis idoneæ hostiæ, ac victimæ, quam fontes pro delictis mactati. Hîc spectare videtur illud Phocilidis in eodem sermone. *Scelesti iuste necati victima Iouis sunt.* Expunge Iouem, & sic adscribe, *victima Dei sunt,* quibus eius ira in nos concepta delinitur, atque placatur.

XI. *Totum spiritum suum profert stultus; sapiens differt, & reseruat in posterum.*

Totum spiritum, &c. Extrema verba in Originibus Hebraicis sic habent. *Et sapiens in posterum sedabit eum.* Pagninus, *quiescere faciet eum.* Caietanus, *in posterum laudabit eum.* Tigurina, *retorsum cohibet eum.* Chaldaus *Omnem furorem profert stultus: ac sapiens in prudentia reprimat eum.* Septuaginta. *Totum iram suam profert stultus: sapiens autem dispensat per partem.* Cassianus, *per partes.* D. Hieronymus, *dispensat in partem.* Symmachus, *in nouissimo mitigat eam.* Has omnes lectionum differentias ad Primitiua reuocare procliuè est.

Diuersæ huius loci interpretationes ex diuersis acceptionibus illius vocis, *spiritus,* fluxerunt: nam *spiritus* in scriptura multa sonat; sed ex multis tria sunt, quæ huic loco aptari solent ab interpretibus. Hæc sunt, *robur, sermo, & ira.* Spiritus pro robore sumitur Psal. 103. *Auferes spiritum eorum, & deficient, &c.* & 141. *In deficiendo ex me spiritum meum,* & sæpe alibi. Pro sermone supra capite 25. *Melius est in loquendo cohibere spiritum suum, &c.* & c. 17. *Pretiosi spiritus vir eruditus.* Deniq; nihil obuium

magis vel in hoc l. vel in reliqua Scriptura sacra, quam spiritum pro ira usurpare, l. c. 27. *Impetum concitati spiritus sustinere quis poterit?* & alibi.

His prælibatis, prima loci expositio est. Hebr. qui eum nomine *spiritus* robur accipian, sic verba ista edisserunt: *Totum spiritum suum profert stultus*, &c. id est, hominis est parum cordati, ea, quæ agit, tanto conatu aggredi, ut ab initio totum robur, & vires profundat suas: inde enim fit, ut exhaustis viribus, solutisque lacertis oculus deficiat. *Sapiens autem differt, & reseruat in posterum*: is scilicet, qui sapit, non ita, sed rebus agendis ita ab initio vires impendit suas, ut eas in posterum ad alias, & alias res fortiter agendas adseruet. Id autem consilii accommodatum est ad eos commonendos, qui in aditu virtutis, & honestatis inchoatæ, inedia, vigiliis, & aliis afflictionibus corpus atterunt, & profligatis viribus, ac valetudine, officia pietatis deserere coguntur. Id ergo stultitiæ tribuit Salomon. *Totum spiritum suum profert stultus*. Hebraicè כֶּסֶל *Chefil*, de cuius nominis vi alibi diximus: fuit autem ex radice כֶּסֶל *Chasal*, quam nonnulli Hebræorum magistri ex germana sua significatione perinde esse putant, ac *cadere*, vel *prosterni*. ita ut *Chefil* subditum, subiectum, aut feruilem significet. Ergo illum, qui ad eum modum suas vires corporis imprudenter effundit, ac deperdit, aptè admodum Salomon appellat *Chefil*, id est, stultum, vel (si ita placet) subiectum, ac seruituti obnoxium hominem: huius enim hominis stultitia in eo sita est, quod imperantem hominis partem, scilicet animum, ei, quæ obseruire debet, sponte subiicit, ac subternit, dum graues morbos sibi accersens corpori inferuire cogitur.

45
Basil.

Audiendus D. Basilius in libr. de vera Virgini. ubi sic scribit. *Igitur corporis, & virium cura necessario habenda est, non ipsius gratia, sed ut seruitio illius ad philosophia studia uti possimus: impossibile enim est, nisi famulatum corporis obtemperatem habeamus, vel diuinis lectionibus operam dare, vel mentem corpore agro, & languente conuenienter insistere, vel omnino quidquam eorum, que ad philosophiam conferunt, in nostram, vel sociorum utilitatem operari.* Et paucis interiectis, ita subnectit. *Ea tantum ratio castigandi corpus adhibenda est, ut seruituti subiiciam, & Domino obsequi ritè compellam: at verò qui seruum ita per inediam subiicit, ut non solum ad ministerium domini fiat inutilis, verum nec sibi ipsi sufficere possit, quid aliud, quam serui sui se famulum fecit; Necessè enim est corpore inualido ad seruiendum, & per infirmitatem tabescente contra illi seruire dominum, dum semper circa infirmitatis eius curam versatur attonitus, & in serui sui obsequio vita tempus omne consumit.* Hæc Basilius apposicè ad præscriptam expositionem.

47

Secunda interpretatio Caietani, Rodolphi, & aliorum, per *spiritum* secretum sermonem capit, & locum istum ad hunc modum exponit. *Totum spiritum suum profert stultus*, id est, stolidus, ac mentis impos homo nihil arcanum, & secretum seruat, sed quidquid animo continet suo, statim effundit. *Sapiens autem reseruat in posterum*, id est, ea, quæ nouit, tacitus apud se premit, ut opportune ea proferat, & in palam det. Similis est hæc sententia ei, quam supra cap. 25. non perfunctoriè discussimus. *Melius est in loquendo cohibere spiritum suum.* & cap. 17. *Pretiosi spiritus vir eruditur*; nec non etiam alibi in hoc libro de tegendo

A secreto verba fecimus: atque ad eò ad tertiam interpretationem contendo.

Chaldaus, & Septuaginta verba ista de moderatione iræ exponunt; his assentior. Itaque sensus est. *Totum spiritum suum profert stultus*, &c. id est, stolidi, atque stupidi hominis est, ex qualibet causa ira, & furore subito inardescere: *sapiens autem reseruat in posterum*. i. vir maximè sapiens subitos iræ motus coërcet, & differendo iram fallit. Et sanè ad frænandam iram nullum accommodatius, vel efficacius remedium est, quam eiusdem dilatio: nam subitus ardor, & vlciscendi libido, si non statim illi obsequamur, interim dum differtur, se ipsa mitescit, atque lenitur. Quid certius?

Huc spectat illud Athenodori Stoici documentum, à quo cum Augustus Cæsar monitum aliquod sapientiæ exquiret, ita respondit. *Quoties irasceris, nihil dicere, aut facere tentes, priusquam viginti quatuor alphabeti literas tecum recitaueris.* Et quidem merito spectabat Athenodorus futurum, ut furoris primus impetus breuissima illa mora coërcitus illico desiniret. Audi Senecam in lib. 3. de ira cap. 1. *Mora inquit, lentum præcipitis mali remedium est.* Sed luculentius libr. 2. cap. 28. *Maximum remedium est ira mora. Nec ab illa pete initio, ut ignoscat, sed ut iudicet: desinet, si expectat. Nec uniuersam illam tētaueris tollere: graues habet impetus primos: tota vincetur, dum partibus carpitur.* Hunc sensum (me iudice) reddit translatio Septuaginta, ita ut ab illis potius accepta, quam à Seneca mente proprio enuntiata videatur. *Totam iram suam profert stultus sapiens autem dispensat per partem.* Quasi dicat, inter sapientem, & stultum hoc interest, quod stultus læsus totam iram statim effundit, nam iræ obsequens suæ, vindictam, quam illa suadet, statim exequitur: sapiens verò ira incitatus, non totum statim sibi excindere, aut euellere furorem adnititur, sed per partes sibi medetur, ista secum initio surgentis iræ deliberans, non ut parcat profus vindictæ, sed ut differat contendit: interim verò dum moram haud longam sibi indicit, ratio è vestigio succedens præcipitem iræ impetum comprimit.

Denique idem Seneca libr. 3. cap. 12. iterum de hoc remedio sic ferit. *Nemo se differt, atqui maximum ira remedium dilatio est, ut primus eius feruor relanguescat, & caligo, quæ premit mentem, aut resideat aut minus densa sit. Quædam ex his, quæ te præcipitem ferebant, hora, non tantum dies molliet, quædam ex toto euanescent.* Pende illa verba: *& caligo, quæ premit mentem, resideat, aut minus densa sit.* Lipsius enim putauit similitudinem desumptam ex nebula, quæ sole exurgente aut expellitur, aut extenuatur. Ita enim scribit: *Donec resideat, aut minus densa sit à sole rationis depulsa.* Hac etiam similitudine v-

E fus est Plutarch. in Moral. *Nemo, inquit, vindicat in seruum quod decimo, aut quinto die iam ante admiserit, neque tunc eum flagellat, quod pulmentum adusserit, mensam euertit, segnitus audierit. Atqui ea sunt, quibus admittis, tumultuamur, & placari non possumus. Enim vero ut per nebulam corpora, sic res per iram apparent gradiores.* Iam tenes energiam huius sententiæ: ideò enim isti Philosophiæ moralis præstantes magistri primos iræ impetus per dilationem eludere serio præcipiunt, quia ex ira, non secus atque ex nocte, densiores nebulae mentem obruunt: interim autem sicut corpora inter crassiores nebulas

48

49
Athen.

Seneca.

50

Lipsius.

Plut.

grandiora, ita etiam iniuriæ, ira mentem obnubilante, immaniores apparent: atque adeò tantisper expectandum, donec ratio, ceu sol exoriens, nebulas vi sua, aut fuget, ac penitus dissoluat, aut tenues reddat.

50
Arist.

Audiendus etiam Aristoteles ab eodem Lipsio aduocatus. Ad hoc ipsum, ut ira coquatur, tempore opus est, nec aliud salubrius remediū occurrit. Mens autē Philosophi est eiusmodi. Ira similis est cibis indecoctis, & in acorem conuersis: atque adeò sicut eiusmodi cibos alii quidē molestissimè euomunt, alii vero salubrius, ac leuius, haud longa mora vomitum differentes tādē acidos humores decoquunt, & molestia liberantur. Ad eundem modum de iratis cogita: alii enim, cum primum iræ acres, & amarulenta passio animum subit, illam ocyus in aduersarios suos euomunt: alii vero salubrius retinent, atque vltionem differentes omnem amaritudinem patientia diluunt. Quapropter non longè absum, ut putem illam patientiæ descriptionem, quam in Iambico de definitionibus inseruit Nazianz. ex Aristot. desumptam fuisse. Patientia, inquit, molestiarum decoctio est.

Nazianz.

51
Cassian.

Sed redeo ad translationem Septuaginta, quam aliter expenderunt Hieronymus, & Cassianus: subitio autem Cassiani verba, quæ fermè ab Hieron. mutuata videntur. Hic ergo in Collat. 16. cap. 27. sic scribit. Totam iram profert stultus: sapiens autem dispensat per partes. Stultus nimirum ad vltionem sui iræ perturbatione succenditur: sapiens autem illam paulatim maturitate consilii, ac moderationis extenuat, & expellit. Tale est, & illud, quod ab Apostolo dicitur: Non vosmetipsos vindicantes, charissimi, sed date locum iræ, id est, non sint corda vestra sic impatientia, & pusillanimitatis angustiis coarctata, ut violentam commonitionis procellam, cum irruerit, sustinere non possitis: sed dilatamini in cordibus vestris, suscipientes aduersos iracundie fluctus in illis extensis sinibus charitatis, ita ut mēs vestra habeat in se consiliorum salutatores regressus, in quibus receptus quodammodo, ac diffusus terribimus iracundie fumus protinus euanescat. Quasi diceret, de manera que tengayschimene a por donde se euapore el humo de la ira. Et breui interstitio verborum ita subnectit. Hac. n. natura est ira, ut dilata languescat, & pereat: prolata verò magis magisque conflagret. Hæc ille, quæ ad sententiam Vulgatæ nostræ lectionis spectare videntur.

52

Addo etiam aliam huius translationis expositionem cum eadē vulgata magis conformē. Sapiens autem dispensat per partes, id est, non statim effundit iram suam, sed fallit quodammodo illam, non subito comprimens, aut restringens, sed per partes, nimirum per interualla quædam vindictam differēs. Nam ira ex tempore surgente hanc legē sibi indicit, ut ad breue tempus indulgeat, & cum illud tempus abiit, iterum à semetipso impetrat, ut diuturniori mora parcat, & subinde sibi ipsi inducias alias ex aliis præscribens, tamdiu iram defraudat, quoad eius ardor intepescat. Hoc sibi vult illud, dispensat per partes, i. per interualla quædam differendo fraudat.

53

Denique non est prætermittenda illa lectio. Totum furorem suum profert stultus: sapiens autem retrorsum cohibet eum, quæ duplicem sensum reddere potest. Alter est sincerior ad hunc modum; Stultus iræ erumpenti habenas soluit, sapiens verò restringit, & cedere retrò cogit. Eodem sensu

A Seneca li. 2. de ira. Allud quidem refert, quantas vires, quamque integras habeat ira (cognoscere) vtrum verberanda, & agenda retrò sit, an cedere ei debeamus. Similitudo autem ducta videtur ab equo in cursum ruente: præmiserat enim Philosophus. Quod maxime desiderasti, Nouate, nunc facere tentabimus, iram excindere animis, aut certe refrenare, & impetus eius inhibere.

54

Alter interpretatio, quam non nemo præmissæ lectioni aptauit, sic habet: Sapiens autem retrorsum cohibet eum. Quasi dicat, Stultus iram, & furorem in alios exerit, atque immittit: sapiens verò eundem erumpentem coercet, & retrò, id est, in semetipsum redire compellit, qui nimirum iræ erumpenti veluti ponè accidit. Appositus est ad hanc sententiam Ambrosii locus libr. 1. Officior. c. 21. Si irascimini, vobis ipsis irascimini, quia commoti estis, & non peccabitis: qui enim sibi irascitur, quia citò commotus est, desinit irasci alteri: qui autem vult iram suam iustam probare, plus inflammat, &c.

Ambros.

XI I. Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios.

C Princeps, &c. Hebr. Princeps, qui attendit super verba falsitatis, &c. Chald. non dissonat. Septuag. sic extulerunt. Rege audiente sermonem iniustum, omnes subditi iniusti.

55

Ex hoc loco duæ interpretationes excipere possunt. Alteram offert translatio Septuaginta ad hunc modum. Rege audiente sermonem iniustum, omnes subditi iniusti, id est, Princeps, qui detractionibus delectatur, & eorum sermones, qui aliorum famam, & honorem iniuste violant, sibi probari innuit, nullum subditum satis probum, & iustum habebit: nam dum alii aliis mutuo derogant, cuncti, apud ipsum male audiunt, atque ea demum ratione fit, ut nullum satis vtilem ministrum Rex nanciscatur, cui rempublicam permittere possit. Quapropter Princeps sic se gerere debet, ut calumniatorum mendacia sibi perquam inuisa esse nunquam non ostendat. Ita suadet Basil. Imperator Leoni filio in libello Exhortationum ca. 55. Præbere, inquit, aures auditioni vana noli, & calumniatores in sinu tuo ne foue, & improbis ne temere crede: isti enim sapiens viros bonos affligere solent, & proprie improbitatis iras euomentes, innocentis sanguinis reum te constituent, aut suspectum reddent, quasi improborum consuetudine gaudeas. Quibus enim consuetudine familiariter letaris, & quibus fidem adhibere soles, eorum mores tu quoque habere non immerito iudicaberis.

Basil. Imp.

Posteriorem interpretationem reddit translatio vulgata. Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. Missam facio expositionem Rodolphi, qui locum istum de adulatione interpretatur, hoc modo. Rex, qui adulatoribus sibi fallaci assentatione blandientes libentius auscultat, improbos valde ministros publicæ rei gerendæ præficit: Quia fermè ita accidit, ut eiusmodi Princeps assentationibus suis oblectatus, eisdem magistratus, & publica munera deferat. Atqui adultores nunquam non improbi, ac sceleresti homines priuata commoda publicis damnis redimentes.

56

Aliam ergo esse cenfeo Salomonis sententiam

illum enim de Rege, aut Principe virum inson-tem damnare, & reum peragere volente accipi debere existimo, ita vt sensus sit. Quoties Rex alicui subiratus est, atque ad eum eos, qui illi etiam falsò crimina imponunt, libenter aut cultat, omnes ministros habet impios, seu iniustos: cuncti enim, vt Regi pergratum faciant, contra innocētem quiduis falsò denuntiare, & contestari, non dubitant. Ob eam causam sacerdotum Principes, & Pharisei plures nacti sunt falsos testes contra Christum, & eisdem postea etiam contra Stephanum falsos quoque testes permultos producere liberum fuit. Mitto alia exempla, sunt enim obuia tam ex veteri, quam ex nouo Testamento.

XIII. Pauper, & creditor obuiauerunt sibi, & vtriusque illuminator est Dominus.

P *Auper, &c. Hebr. Pauper, & vir contriti-
num. Alii, & vir fraudulentus obuiauerunt
sibi, illuminans oculos amborum ipsorum Domi-
nus. Chaldaeus. Pauper & mediocris fortuna ho-
mo obuiauerunt sibi inuicem: & Deus illuminat o-
culos amborum. Septuaginta. Fœneratore, & de-
bitore ad inuicem conuenientibus, inspectionem fa-
cit vtriusque Dominus. Sic Complut. & Reg.
Textus verò Vatican. Visitationem facit vtrius-
que Deus. Aquila, Symmachus, & Theodotion
concinunt cum Vulgatis.*

Prima interpretatio huius loci, quam Caieta-
nus, & Rodolphus Rabinorum adherentes ve-
stigijs amplectuntur, sic habet. *Pauper, & vir fra-
ctionum obuiauerunt sibi. i.* Frequenter accidit, vt
vir paupertate, & penuria rerum oppressus, & is,
qui qualibet alia ratione, laboribus aut molestiis
premitur, sibi inuicem obuiam fiant: quia nimi-
rùm simile gaudet suo simili, & miseri à se mutuò
solatia expetere solent. *Illuminans oculos vtriusq;
Dominus, id est, tunc cum destituti sunt omni o-
pe, & auxilio humano, præsto adest Deus, & con-
uersa fortuna, oculos vtriusque ex miseriarum,
quibus premitur, caligine, & nocte, ad consolati-
onis, & fœlicitatis candidissimi nam lucem trans-
fert. Huic tamen expositioni parum tribuo.*

S *Secundam interpretationem offert Rodolphus
in hunc modum. Pauper, & vir fractionum occur-
rerunt sibi, id est, vir tenuis, & is, qui eum opprimit,
aut diuexat, sibi inuicem obuiam facti sunt: illu-
minans vtriusque oculos Dominus, i. quamuis dis-
par sit vtriusque conditio, & mores dissimiles, ta-
men vtriusque Deus miserefecit, cuius scilicet tam
latè patet clementia, vt solem suum super bonos, æ-
què ac malos oriri faciat, & vtriusque suæ lucis
splendorem irradiet.*

Ego verò assentior Iansenio, qui existimauit
locum istum iuxta Vulgatam lectionem nec latū
vnguem discedere ab illo, quem habes supra cap.
22. ver. i. cuius sententiam non perfunctoriè per-
scrutati sumus. *Diues, & pauper obuiauerunt sibi:
sed vtriusque operator est Dominus. Quod enim ibi
nominat operatoris, aut conditoris. hoc ipsū hîc per
illuminatorem notatur: nam illuminare in scriptura
nonnunquam idem est, quod lucis vsura ali-
quem donare, vitamque, & spiritum illi infunde-
re. Iob. 10. Quare misero data est lux, id est, vita &
cap. 38. Auferetur ab impiis lux sua, id est, & viuis
auferentur. & 33. Vt renouet animas eorum à corrup-*

A *tione, & illuminet luce viuentiam, id est, vt vitam,
& spiritum illis afflet; & sæpe aliàs. Ad eum
locum.*

Ad eundem sensum licet transferre alias lectio-
nes præter vnā translationem Septuaginta, que
sententiam diuersam exhibere videtur. *Fœnerato-
re, & debitor ad inuicem conuenientibus, inspectio-
nem, seu visitationem facit vtriusque Dominus, id
est; Quamuis is, qui pecunias fœnori dat, & is,
qui accipit, inter se ex pacto conuenerint de vsu-
rarum quantitate, ita vt tam fœnerator, quam de-
bitor contenti sint, hic forte accepta, ille vsuris
decreto tempore accipiendis; non propterea trā-
facta res est, & contractus ille iustus apud Deum
habetur, sed Deus ipse, cui eiusmodi iniusta pa-
ctio mirum in modum displicet, super illam vltē-
rius inquit, & tam vsurarii iniusti, quā eius qui
vsuras accipit, inspector, & visitator est, vt ab
vtrouque rationem exigat, & vtrouque pro meri-
tis seuerius puniat. Sic in e. pretatur locum istum
Basiliius Hom. 2. in Psal. 14. ad illa verba. Qui pe-
cuniam suam non dedit ad vsuram, &c.*

B At inquit, fœneratoris culpa comperta est;
eius autē, qui fœnori accipit, nullum apparet de-
lictum grauius, vt propterea seuerissimum diuini
iudicii examen sustinere debeat, quandoquidem
iure suo vti, & vexationem redimere, aut excute-
re videtur? Fateor accipientium vsuras longè le-
uiorem esse culpam, tamen addo illos frequen-
tius culpa non vacare, quam eleganter obserua-
uit Basil. loco citato, vbi sic scribit. *Ne recipas su-*

C *per te fœneratorem, ne te veluti prædam quandam
exquiri, & vestigari patiure. Sumere mutuo, aut fœ-
nori, initium mendacii, ingratitude, occasio per-
fidiæ, ac periurii. Alia verba sunt, quando sumis,
& alia quando, vt reddas, exigeris. Et alia multa
subtexit, quibus eius qui vsuras accipit, culpas
amplificat, &c. Ad extremum dico Vulgatam e-
tiam lectionem hunc ad sensum haud coactè alli-
ci posse, dummodo per illuminatorem, inspecto-
rem intelligas: quod non abhorret ab vsu scriptura
Sacra. Eccl. 24. Penetrabo omnes inferiores
partes terra, & inspiciam omnes dormientes, & illu-
minabo omnes sperantes in Domino, &c. visitabo,
aut perscrutabor, hanc. n. vim habet ibi verbum
illuminabo.*

**XIV. Rex, qui iudicat in veritate pau-
peres, thronus eius in perpetuum firma-
bitur.**

R *Ex, qui iudicat, Hebr. cohærent cum Vul-
gatis Sept. Regis iudicantis in veritate
pauperes, sedes eius in testimonium construetur.
Lucifer pro S. Athanasio, Sedes eius in testimo-
nium surget. Aquila, in posterum. Symmachus in
sempiternum Theodot. in saculum. Chald. hæret
Vulgatis.*

Locus etiam iste secundum translationem
Vulgatam concinere videtur cum alio, quod su-
pra habes cap. 20. *Misericordia, & veritas custo-
diunt Regem, & roboratur clementia thronus eius:*
nam quod ibi de clementia, ad ipsum de veritate,
aut iustitia hîc denunciat Salomon, futurum præ-
dicens, vt Regis qui veritatem, & iustitiam sanctè
coluerit, thronus in perpetuum seruandus, &
constabiliendus sit. Itaque ait, *Rex, qui iudicat in
veritate pauperes, &c. Pauperes verò propterea
hîc adscribuntur, quia illis iniuriam inferre, &*

Xenoph.

fidem fallere Regibus facilius est: atque adeo Princeps, qui hoc etiam cauet, ne pauperibus fide, aut iure desit, hic planè iustitia, & veritatis studiosissimus amator putari debet. Quantum verò veritas, & fides integra Principis ad eius imperium confirmandum possit, elegantissimè Xenophon in lib. 7. de expeditione Cyri, ubi in oratione ad Seleutem Principem habita, quātum ad imperiorū, regnorumque stabilitatem, Regis veracitas, & fidei data integritas faciat, multis aperit: atque inter alia sic scribit. *Magnum quiddam ego eiusmodi viro esse statuo non videri promeritos de se homines nulla relata gratia ablegasse, magnū etiam à sex millibus hominum predicari: maximum tamen omnium nequaquam committere, ut in his, quæ dixeris, parum fidei mereare. Vnde enim orationem hominum promissa non seruantium vanam, & imbecilem esse, ac sine honore hinc inde vagare: at Principes, qui palam se veritatis studiosos, ostendunt, eorum verba petentium aliquid non minus possunt, quam vis aliorum. Si quem castigare velint, non minus hos minis efficere animaduerto, quam alios puniendo: si cui quid polliceantur, nihilominus aliquid impetrant, quam alii statim largiendo. Tu ipse tibi in mentem reuocato, qui prius nobis dederis, quam societatem tecum coierimus? Nihil profecto: sed tamē creditus fore verax in his, quæ dicebas, tot homines excitasti ad militandum tecum, & ad occupandum regnum; quod non solum quinqueaginta talentis, quæ hi sibi deberi abs te putant, sed multo pluris estimandum. Ergo primum hominis fide digni estimatio, quæ quidē etiam regnum tibi peperit, abs te hac pecunia venditur, &c.* Hactenus Xenophon veracitatis estimatio, & opinio ad regni constantiam, & firmitatem quantum valeat in Principe, luculentis verbis adstruit.

62
Basil. Imp.

Sed audiendus etiam Basilius Imperator in Paranesi ad filium Leonem dicto cap. 29. *Maximi inquit, pendito veracem te esse in sermone: ita enim & firmus, & constans in omnibus, & factis, & dictis estimaberis, ac veram, & non suspectam tuorum ergate beneuolentiam retinebis. Si autem vanitatis, & mendacii in suspicionem veneris, indigna facere imperatoria maiestate, qua audiens, conuinceris, efficiesque, ut subiecti semper formidolosi, rerumque omnium incerti, ac turbantes vacillent, &c.* En qua ratione Regis veracis, ac fidē seruantis thronus firmus ac constans est: eius verò, qui fidem fallit & mendacis suspicionem, & notam sibi aduffit, imperium inconstans, & mobile semper vacillat. Denique quanto studio Princeps mendacium, & falsitatem vitare debeat, omnium optimè docuit S. Tho. in opusculo de eruditione Principis c. 7. ubi sub finem inter alia ita decernit, Principem eapropter veritatem semper colere, ac verbis profiteri debere, ut proditorum subditorum fugiat: nam si erga sibi subiectos populos infidelis, ac fœdifragus existat, eos etiam erga se infideles, ac fœdifragos experietur. Aptè igitur, & germanè Salomon affirmat Regum thronos veritate affirmari, ac stabiles, constantisque reddi.

63

Sunt qui per veritatem iustitiam hinc accipiendam putant, vt sit sensus. Princeps, qui nullum iniurius lædit, sed suum cuique ius ex æquitate tribuit, regnis, atque imperiis suis ea ratione firmitatem quærit. Non repugno: nam sententia est æquè illustris, ac certa. Sed tamen locum de veritate, aut veracitate accipiendum suadet translatio Septuaginta, qui sententiam istam sic exci-

plērent. *Principis iudicantis in veritate pauperes, sedes eius in testimonium constituetur.* Hæc igitur vt probè teneas, cogitandum est, quod quemadmodum in rebus, quæ ad fidem diuinam spectant, omnis certitudo resoluitur in veritatem ipsius Dei dicentis: sic etiam veritatis humanæ omnis constantia, & firmitas in veritatem, seu veracitatem Principis supremam sedem tenentis resoluitur, ita vt quidquid Princeps è throno suo respondens indixerit, & nomine suo, aut sigillo munitum dederit, hoc verum, ratumque vulgò habeatur. Hæc videtur esse mens S. Thomæ in opusculo illo de eruditione Principis ca. 7. ubi sic ait. *Deus veritatis amator, eiusdem veritatis voluit esse tutor; unde sui nominis assumptione (hoc est, iureiurando) veritatem voluit confirmari, & in eius veritatem cunctam fidei Catholice veritatem resolui.* Quid inde? vult etiam, inquit, quod Princeps, qui eius locum tenet, eius sit tutor, & scripturam suam, & sigillo suo eam confirmet. Vnde sic colligit S. Doctor. *Sed si vna voci Principis mendacis non credatur, quomodo scriptura eius, & sigillo credetur?* His positis, sensus præmissæ translationis est luculentus. *Principis iudicantis in veritate pauperes sedes eius in testimonium constituetur*, id est, eo vel maximè veritatem colere, atque eloqui nunquam non debet Rex, quia omne responsum, aut rescriptum, quod ab ipso pro tribunali sedente egreditur, constantissimæ veritatis testimonium existit, & in omni loco, ac tempore indubitata fidem continet.

D. Thom.

Sunt qui translationem Septuaginta hunc ad modum extulerunt. *Principis iudicantis in veritate pauperes, sedes eius testimonio ponetur:* eā verò sic illustrant. Rex qui veritatis studiosus amator est, secundum veritatem semper iudicat, & suam ipsius sedem, aut thronum testimonio, hoc est, ipsimet veritati subternit, vt ei infideat, atque inde loquatur. Quasi dicat: nō tam ipse è throno, quā veritas ipsa ius dicere, & responsa dare videtur. Vel aliter, *thronum suum testimonio ponere*, perinde est, ac cunctam potestatem suam veritati subdere: iuxta illa verba, quæ S. Thomas iii præcitato opusculo cap. 13. ex Bernardo producit. *Princeps suam potestatem veritati debet subicere, vt indicat illud Apost. 2. ad Corinth. 13. Non possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate, &c.*

2. Cor. 13.

XV. *Virga, atque correptio tribuit sapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati sue confundit matrem suam.*

Virga, &c. Hebraic. & puer dimissus, pudore afficit matrem suam. Chald. & puer, qui non recipit correptionem. Septuaginta. *Plaga, & correptiones dant sapientiam: puer autem errans confundit parentes suos.* Aquila, & Symmachus. *Iuuenis autem dimissus* In Originibus pro dimisso subest מְשֻׁלַּח Mesulach, ex radice Salach, quæ permissum significat. Ex Hebrais aliqui agnoscunt hinc similitudinem pulli equini, qui liber dimittitur, nec frænum ore excipere cogitur.

65

Sensus est luculentus. *Virga, atque correptio tribuit sapientiam*, id est, pueri plagis emendati sapiunt, & ad bonam frugem adducuntur: *puer autem dimissus, &c.* si quis scilicet puer ex indulgentia parentum suæ voluntati, ac libidini permittitur, nec correptionis fræno constringitur, ac ver-

bere coërcetur, ad instar pulli equini effranis euadit, & per omnia præcepta delicta, confusionem, & pudorem affert parentibus suis. Eandem infrenis equi similitudinem vsurpauit Iesus Syrach, Eccles. 30. *Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadit præceptis.* Quod igitur ibi apud Ecclesiasticum significat nomen *remissus*, id ipsum apud Salomonem vox illa *dimissus*, quæ subest Primitiuis, vt nuper monui.

Eccles. 30.

66
Plutarch.

Accedit Plutarchus in libro, qui inscribitur, *de officio auditoris*, seu *de audiendo*, vbi sic ait. *Atque equus qui ritè alunt, ita comparant eos, vt os habeant freno obsecundans: pueros verò orationi audientes esse oportet, &c.* Ac rursus in libro, *Quod brute animantes ratione utantur*, vt quantum educatio, & institutio in pueris possit ostendat, exemplum ab equis petit, de quibus sic fatur. *Et qui in theatris decubitus, tripudia, & stationes periculosas, motionesque nec hominibus admodum pronas exactè effingunt edocti, ac reminiscetes ad demonstrandam docilitatem suam, &c.* Inde verò ad puerorum institutionem parentes acuit, futurum prædicens, vt hi etiam edocti disciplinas meliùs arripiant. Qualis autem esse debeat hæc institutio puerorum, ipsi etiam equi nos edocent, de quibus idem Plutarchus in libro *de animantium comparatione*, sic scribit. *Ipsi, inquit, vel canes, vel equos multant delinquentes, non nequidquam, sed ad eos corrigendos, inuuntque eis tristitiam, quam penitentiam nominamus, &c.* Eodem modo coërcendi, & multandi sunt pueri, vt ad bonam frugem adducantur. Denique de puerorum institutione, similitudine ab equis ascita, eleganter scripsit Seneca in lib. 2. de Ira. *Plurimum, inquit, proderit pueros statim salubriter institui: difficile autem est regimen, quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus, aut indelem refundamus.* Et paucis interiectis sic scribit. *Sic itaque inter vtrumque regendus est, vt modo frenis utamur, modo stimulis, &c.* Mitto alia his perquam similia, ex quibus ita demùm conficere licet, quod sicut equorum pulli quauis generosa stirpe sati, nisi accedat institutio, quæ verberare, freno, ac stimulis perficitur, indociles, ac præcipites euadunt: sic etiam pueri quantumuis generosi, nisi adsit recta educatio, & morum correctio, naturalem licentiam coërcens, ac restringens, periuicaces, proterui, & ad omne nefas proiectissimi fiunt.

Seneca.

67

Subnectit Salomon: *confundit matrem suam: per matrem vtrumque intelligit parentem.* Ita suadet translatio Septuaginta, quæ sic habet. *Puer autem errans confundit parentes suos.* Quod si hæc verba studiosè à Salomone dicta velis, vt notaret stoliditatem, & degeneres filiorum mores ipsi matribus cum primis indecoros, ac turpes esse, & confusionem, pudoremque illis maximum afferre, habes de hac re non ineruditam notationem sup. cap. 10. ver. 1. Ad ea verò, quæ ibi scripsi, aliquid etiam hîc adscribam. Aduocandus autem nobis est Philo, cuius verba producit Maximus locorum commun. serm. 9. qui patris, matrisque nomina, & munera ad Deum transferens, vt illum mundi huius, quem omnipotentia sua condidit, patrem simul, & matrem esse monstraret, in libro de eo, quod deterior semper insidietur potiori, ita scribit (subiuncto verba eo modo, quo iacent apud Maximum) *Patris, inquit, ac matris appellationes communes, sed potentiæ differentes sunt. Illum igitur, qui hanc vniuersitatem molitus est, artificem simul, & patrem sui operis rectè, iustèque appellamus: matrem autem, ipsius fabricatoris scientiam, cum qua*

Maximus.

A *congressus Deus non more humano, generandi semina in seuit, quibus illa seminibus acceptis perfecta, secundissimo partu amabilem, & sub sensus cadentem filium (scilicet mundum istum) peperit.* Hæc Philo, cuius in verbis illud obseruatione dignum videtur, quod sapientiæ diuinæ matris munus accommodauit. Optimam verò huius accommodationis rationem obtulit quidam superioris loci Scholiastes, quia nimirum sicut fœtus in vtero matris elaboratur, & formatur: ita etiam mundus per Dei sapientiam ex politus, & conformatus est. Itaque vniuersitas hæc à Dei omnipotentia, velut à patre, & genitore habuit, vt esset: at verò integritatem, perfectionem, formam, & pulchritudinem, qua præditus est, à Dei sapientia, tanquam à genitricis aluo accepit. Accedat nunc Augustinus, qui contra Manichæum quædam creaturas malas esse denuntiantem, illud passim producit dogma ipsi Deo, atque omnibus illius attributis, sed tum maximè sapientiæ, contumeliosum, & probrosum esse. Nam postquam seriò affirmavit, & rationibus pluribus euicit omnem creaturam à Deo necessario factam, & conditam, vt consequenter omnem etiam bonam, nullamque malam esse demonstraret, ab authore, & conditore id probat: quia si quid malum profusus Deus effecisset, non omninò ipse bonus esset. Addit verò inter alia attributa diuinæ sapientiæ probrum ingens inde potissimum parari: nam sicut in arte factis malitia omnis, & imperfectio ita opifici tribuitur, vt in artis, & peritiæ inopiam reiici omninò soleat: ad eundem modum si quid in creaturis malum occurreret, imperitiæ, & insipientiæ Deus infimulari posset. Iam tenes, quod dico. Quemadmodum ergo si, data hypothesi impossibili, in creaturis, ac mundo malitia reperiri posset, fieret quidem, vt hæc ipsiusmet mundi matrem, Dei sapientiam præcipuè dehonestaret, ac pudore afficeret: ita etiam concipere debes filiorum malitiam, & prauos mores ad matrum suarum dedecus, & turpitudinem potissimum spectare. Rursus ita mecum statuo, naturam ipsam morum magistram esse: atque adeò sicut natura generationem corporis sic instituit, vt fœtus à patre breui mora progenitus, in matris vtero per plures menses formetur, & perficiatur: ita etiam in educandis, & formandis eorundem animis per rectam morum institutionem natura duce præstandum reor, vt sit corporis, ita etiam animi longior formatio, ad matrem spectet. Vnde Paulus inter præcipuas notas præstantis mulieris illam inferuit. *In operibus, inquit, bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, &c.* Quapropter quemadmodum si quæ in natorum corporibus ex generatione apparent deformitates, aut vitia, hæc matribus potissimum adscribi solent: ita etiam quæcunque in eorundem animis morum labes, & vitia ex mala educatione sese produnt, eisdem tribui, & aptari, atque adeò ex illis confundi, & erubescere debent. Ad alia.

68
Augustin.

B

C

C

D

D

E

E

XVI. In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera; & iusti ruinas eorum videbunt.

IN multiplicatione, &c. Hebraicè. In multiplicari Impios multiplicabitur prauaricatio, &c. Sept. Cum multi sunt impij, multa sunt peccata: iusti

1. Tim. 3.

69

autem, illis cadentibus timidi fiunt. Extrema verba A
Hebr. aliqui sic restitunt. *Et iusti propter ruinas
eorum gaudebunt.* Sed sensus eodem recidit.

Lectio Vulgatæ vna, & altera sententia sub-
iicitur. Nam *multiplicatio* vel referri potest ad eo-
rum fortunas, vel ad personas. Si referatur ad for-
tunas, sensus erit. *In multiplicatione impiorum
multiplicabuntur scelera*, id est, impij auctis opi-
bus, ac fortunis deteriores redduntur: ipsa enim
bonorum accessio delinquendi amplio rem mate-
riam illis suppeditat. Et sanè iste loquendi modus
non est insolens in scriptura. Psal. 4. *A fructu fru-
menti, vini, & olei multiplicati sunt.* i. fortunis om-
nibus aucti, & ditati, & Psal. 91. *Iustus ut palma
florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur*, id
est, ditescet valde; & passim alibi. Sententia etiam B
verissima est. Nam ferè impij, ac scelerati homi-
nes copiis, atque fortunis abutuntur ad scelera, &
crimina grauiora perpetranda. Sed de hac thesi
sæpe aliàs diximus in his commentariis.

Libet tamen etiam hîc aliquid ex Chryso-
stomo dare, qui de diuitiis ad impios redactis sic scri-
bit. *Diuitias dico luxus omnis, ac nequitia parentes,
intemperantia omnis, ac libidinis patronas, vitij om-
nis inuentrices, exitiosarum omnium voluptatum ad-
iutrices, continentia hostes, pudicitia inimicas, clan-
destinas virtutis omnis fures.* Sic recitat Chryso-
st. verba D. Damascen. in Paralelis libr. 2. cap. 17. &
ex Basilio sic adscribit. *Quousque tandem studio
aurum eris animarum laqueus, mortis hamus, pecca-
ti illecebra? Quousque diuitia bellorum parentes, ob
quas arma cudiuntur, enses acuuntur? Ob eas causas
cognat naturam non agnoscunt, fratres infesto, ac
sanguine oculo sese intuentur. Propter opes solitudo
predones alit, mare pyratas, vrbes sycophantas. Quis
mendacii pater est? Quis falsæ conscriptionis arti-
fex? Quis periurii procreator? Nonne opes? Quis
vobis ea, quæ vestra sunt, ad perniciem vestram con-
uertit? Ad subsidium vita, an ad vitiorum mate-
riam, & adiumentum opes concessæ sunt? &c.* Et ite-
rum ex eodem. *Vide ne cum opes innumeris labori-
bus tibi cumulaueris, peccatorum materiem tibi, at-
que aliis compares, sicque duplicem pœnam tibi ac-
cersuisse comperiaris; nempe tum ob eos, quibus abs-
te iniuria illata est, tum etiam ob eos, quibus vitio-
rum ansam, & viaticum ministrasti.* Hæc, &
alia de diuitiis, cum ad improbos possessores de-
uenerunt, tradunt Patres, ex quibus constat, ex
earum incremento, & accessionibus, crimina, sce-
lera, & piacula in his redundare, & affluere. Salo-
mon ergo iustos de improborum fœlicitate, vt ita
dicam, apud Deum querulos ita consolatur. *In
multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera.*
i. Impiorum fœlicitati, & fortunæ nequaquam in-
uidere oportet: nam copiæ, & diuitiæ, qui-
bus in dies augentur, plurimorum peccatorum, &
scelerum materiem, ac mensem illis ministrant.
Ex quo fit, vt ea ipsa peccata, quæ assiduo perpe-
trant, eos ocys in ruinam impellant, & suarum
calamitatum spectaculum non iniucundum tan-
dem aliquando iustis præbeant.

Cæterum quamuis hæc prior expositio non in-
eptè verbis accommodetur, tamen posterior præ-
ferenda est, quæ multiplicationem ad personas
refert. Ita enim suadet translatio Sept. quæ sic
habet. *Cum multi fiunt impii, multa fiunt peccata,*
&c. Et vti quasdam minùs eruditas expositiones
missas faciam, Vulgatæ lectionis sententiam sic
conformandam reor. *In multiplicatione impiorum
multiplicabuntur scelera.* Sanè iustorum numerus
minor longè est quàm improborum: ne ergo iu-

sti propterea animum despondeant, & impiorum
numero victi illis cedant, sic denunciat Salomon.
Quò plures fiunt impij, & scelerati homines, eò
plura sunt eorum delicta, & peccata: hæc autem
ad eum modum multiplicata eos ad exitium, &
extremam perniciem ocys adducunt: fitque vt
iusti incolumes, salui, ac superstites ruinas eorum
spectent.

Translatio verò Septuaginta aliam sententiam
offert. *Cum multi fiunt impii, multa fiunt peccata:
iusti autem, illis cadentibus timidi fiunt.* Sanè cum
tam sit copiosa improborum hominum multitu-
do, verendum prorsus erat, ne iustorum paruum
numerum vincentes ad suos mores traherent.
Non ita, inquit Salomon: nam impij quò plures
conspirant, eò plura, & grauiora perpetrant cri-
mina, & piacula, quæ illis exitium, & perniciem
tandem afferunt: atque inde fit, vt iusti eorum
ruinas spectantes, eorumdem calamitates, & æ-
rumnas vereantur potius, quàm mores adament.
Itaque Dei prouidentiam commendare videtur
Salomon, qui sæpius fontes propter admissa pec-
cata seuerius punit, & ad perniciem extremam
adducit, vt iustorum numerum valdè exiguum
non tam sceleratorum licentia ad crimina inuiter,
quàm pœnatum eisdem inflictarum conspectus
contineat.

XVII. *Erudi filium tuum, & refrigerabit
te, & dabit delicias animæ tuæ.*

Erudi filium, &c. Hebr. *Corripe filium, & re-
quiescere te faciet.* &c. Accinit etiam Chald.
Sept. *Erudi filium tuum, & requiem dabit tibi, &
dabit ornatum animæ tuæ.* Symmach. & Theodot.
delicias, sicut nostra. In Primitiuis est מְרִיבֵי
Maghadanim, quam alibi etiam Sept. κοσμών, i. or-
natum reddiderunt.

Sententia huius loci est luculenta: suadet enim
Salomon parentibus, vt filios suos erudiant, qui-
bus verbis non solum rectam eorum educationem
in vniuersum præcipi existimo, sed vlteriùs etiam
patres moneri, vt liberos suos literarum, ac scien-
tiarum cognitione imbui curent. Itaque sensus
est. *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, &c.* id est,
si fieri potest, susceptum filium liberalium disci-
plinarum cognitione instrui, & informari cura, vt
doctus, ac literalis euadat: inde enim tibi plura bo-
na suppetent, scilicet *refrigerium, requies, delicia,*
ornatus: hæc enim omnia in præscriptis translatio-
nibus continentur. Nam vbi filius tuus per eam,
quam adeptus fuerit, in disciplinis facultatem, rei-
publicæ munera, aut dignitates inierit, & fortuna-
tus esse cœperit, efficiet vtique te in senecta à la-
boribus feriari, & requiem capere; filijque erudi-
tio & sapientia erit tibi non solum solatio, sed
etiam emolumento & gloriæ. De hac thesi ele-
gantissimè scripsit Seneca in lib. 2. de Beneficiis,
vbi quanta ex filiorum sapiëntia, & dignitate in pa-
tres redundant emolumenta, & commoda ad cõ-
pensandum generationis beneficium aperit, ac
primum, filium quendam, qui vitam suam pro
bis moribus excoluerat, & parentis vitam copiis
suis sustentauerat, eundem parentem sic affan-
tem inducit. *Putam me vitam tibi pro vita reddidisse:
sic quoque munus tuum vici, cum ego dederim sen-
sienti sentiens me dare, cum vitam tibi non volupta-
tis mea causa, aut certe per voluptatem dederim, cum
sanctò melius sit recinere spiritum, quam accipere,*

Psalm. 4.

Psalm. 91.

70
Chrysof.

Damasc.

72

73

D

E

Seneca

74

71

quasi ad mori ante mortis metum. Ego vitam dedi-
 tim illa usuro, tu nescituro an viserem. Ego vitam de-
 di mortem timenti, tu vitam dedisti ut mori possem.
 Ego vitam tibi dedi consummatam, & perfectam, tu
 me expertem rationis genuisti onus alienum (id est
 matris.) Vis scire quàm non sit magnum beneficium
 vitam sic dare? si exposuisses, nempe iniuria erat ge-
 nuisse. Quo quidem colligo minimum esse beneficium
 patris matrisque concubitus, nisi accesserint alia,
 quæ prosequerentur hoc initium muneris, & aliis of-
 ficiis ratum facerent. Nihil certè venustius aut di-
 ci, aut excogitari posset: Sed aliquid vltterius ad
 thesi. n. nostram magis aptum attexit Seneca, lo-
 quitur autem idem filius. Deinde ut nihil aliud di-
 cam, quàm bonis artibus me studuisse, ve cursum ad
 rectum iter vita dirigerem, in ipso beneficio tuo ma-
 ius, quàm quod dederis recepisti. Tu enim me mihi
 rudem, & imperitum dedisti, ego tibi filium reddi-
 di, qualem genuisse gauderes. Aluit me pater? si idem
 præsto, plus reddo, quia non tantum ali se, sed a filio
 ali gaudet, & maiorem ex animo meo, quàm ex ipsa
 re percipit voluptatem: illius alimenta ad corpus
 tantum meum perueniunt, ego animum ipsius alo.

75

Ex his intelliges quàm aptè Salomon illud ad-
 iecerit. Et dabit delicias animo tuo. Sed ne quid
 desiderares in hoc Philosopho, appositè ad id,
 quod Septuaginta interpretes sua translatione
 expresserunt, Et dabit ornatum animæ tuæ, eodem
 sermonis filo sic scribit. Quid si quis filius in tan-
 tum aut eloquentia per gentes innotesceret, aut iusti-
 tia, aut bellicis rebus patri quoque ingentem circum-
 funderet famam, tenebrasque nat alium suorum cla-
 ra luce discerneret? Nonne inastimabile in parentes
 suos beneficium contulit? An quisquam Aristonem
 & Gryllum nisi propter Xenophontem, ac Platonem
 filios nasset? Sophroniscum Socrates, expirare non pa-
 titur. Cæteros enumerare longum esset, qui viuunt ob
 nullam causam aliam, quàm quod illos liberorum
 eximia virtus tradidit posteris: Vtrum maius benefi-
 cium dedit Marco Agrippa pater, ne post Agrip-
 pam quidem notus, an patri dedit Agrippa nauali
 corona insignis vnicum adeptus inter dona militaria
 decus? Qui ter in vrbe maxima opera excitauit, quæ
 & priorem magnificentiam vincerent, & nulla po-
 stea vincerentur. Vtrum Octavius maius vllum be-
 neficium dedit filio, an patri Diuus Augustus:
 quamuis illum umbra adoptiui patris abscondit?
 Quantam cœpisset voluptatem, si illum post debella-
 ta arma ciuilia vidisset securæ paci præsidentem; non
 agnoscens bonum suum, nec satis credens quoties res-
 pexisset ad se, potuisse illum virum in domo sua nas-
 ci, &c. Lege ibi plura, quibus eandem sententiam
 vrget, ac persequitur Seneca.

76

Interim etiam illud a nota, Septuaginta extre-
 ma illa verba sic exscripsisse, Et dabit ornatum ani-
 mæ tuæ: fuit enim non nemo, qui rationem quæ-
 fierit, ob quam ornatu iste, splendor, & gloria,
 qui ex filiorum eruditione redundat in parentes,
 eorum animis tribuendus dicatur. Leuius quidem
 est hæc quæsitum, cui ille aliter, & aliter non ad-
 modum falsè responderet. Ego verò sic quasi per
 lusum illi occurrendum censeo. Primò, quia, vt
 alio in loco de filiorum educatione, & eruditione
 verba facientes diximus, pater, qui filium tantum
 genuit, & aliis erudiendum tradidit, corpore tan-
 tum modo pater existit: qui autem ad generatio-
 nem naturalem vltterius eruditionem, & informa-
 tionem morum adhibet, eiusdem filij parens ani-
 mo, ac mente esse incipit. Ergo cum pater per fi-
 lij eruditibnem, & institutionem, animo ipso fi-
 lium procreare dicendus sit, eapropter ornatu &

A gloria, quæ ex recta educatione filij ad ipsum re-
 dit, eidem animo aptè accommodatur. Et dabit
 ornatum animæ tuæ. Rursus honor, & splendor,
 natura ipsa duce, & à parentibus ad filios descen-
 dit, & à filiis ad parentes redit, vt fusè docuimus
 supr. cap. 8. vers. 13. Id ergo inter parentes, & filios
 interest, quod hi parentibus tunc honorem, &
 gloriam suis rectè gestis afferunt, cum illi benefi-
 cium percipiunt, ac sentiunt: patres verò sapius
 filiis natu minoribus, & honoris, & decotis bene-
 ficium impendunt, tunc scilicet, cum illud nec-
 dum sentire, ac percipere valent (vt de vitæ dono
 nuper dicebat Seneca:) ideò ornatus ille, qui à
 filiis proficiscitur in parentes, eorum animis, ac
 mentibus donari dicitur. Demiquè ornatus iste,
 & ea gloria eapropter parentum animis impensus
 dicitur, quia ipsis etiam corporibus intermorien-
 tibus cum eorundem animis perennat, vt com-
 probant exempla illa à Seneca adducta multo im-
 parentum, quorum memoriam filiorum nobilitas,
 & splendor ad feram posteritatem traduxit; &c.

XVIII. Cum prophetia defecerit, dis-
 sipabitur populus: qui verò custodit legem
 beatus est.

Cum prophetia, &c. Hebr. In non visione fe-
 riabitur populus. Sic habet Regius codex.
 Pagninus, rebelliserit populus. Caietanus. In non
 visione nudabitur populus, id est, spoliabitur. Alij
 etiam legunt, retrocedet populus. Alij discooperietur.
 Hanc dissimilitudinem lectionum peperit
 verbum פָּרַע Pharaugh, quod hîc subiicitur in
 Primitiuis, quod significat cessare, rebellare, spolia-
 re, nudare, discooperire, retrocedere, & alia non pau-
 ca. Chald. locum istum paulò aliter restituit. In
 multitudine iniquorum dissipabitur populus. Sept.
 Non erit enarrator genti iniquæ: custodiens autem
 legem beatissimus. Aquila, & Symmachus con-
 cinunt cum Vulgatis.

77

Aliqui hæc verba vaticinio spiritu à Salomone
 dicta esse volunt, ita vt tunc demùm Hebræorum
 populum dissipandum, & urbem Hierosolymita-
 nam subuertendam prædicat. cum Prophetæ, &
 vates ex Dei afflatu responsa fundentes deside-
 rati cœperint, quod aliàs in scriptura non semel
 prædictum affirmant. In hanc expositionem
 propendere videtur Lyra, sed non audiendus. Illi
 etiam minimè auscultandi, qui verba illa, Cum de-
 fecerit prophetia, ita exponunt: Cum expletis iam
 iis, quæ à Vatis futura olim denuntiabantur de
 Christo, & Ecclesia, prophetia, & vaticinium ef-
 se defierit: nam omnis, inquit, prophetica præ-
 dictio tunc demùm cum decreto tempore imple-
 tur, vaticinium quodammodo esse desinit, & mi-
 grat in narrationem rei factæ.

His igitur omisiss, quæ à mente Salomonis lon-
 gissimè abeunt, præmittendum est nomen Pro-
 phetia, & Prophetæ, in scriptura non semper pro-
 vate, aut vaticinio accipi, sed pleraque alia signi-
 ficare. Septem prophetiæ significationes colligit
 noster Martinus del Rio in sua Magia l. 4. cap. 1.
 q. 1. de quibus etiam erudite dixit Pradus in cap.
 28. Ezech. Et sanè illa satis vulgaris significatio
 Prophetæ pro interprete, qui in explicandis, aut re-
 ferendis scripturis operam ponit: cuius significa-
 tionis vsus non semel inuenitur apud Paul. 1.
 Cor. II. Omnis autem mulier orans, aut Prophetans,
 &c. Et cap. 14. sectamini charitatem, amula-

78

Del Rio.
 Pradus in
 Ezech.

1. Cor. II.
 & 12.

mini spiritualia magis autem ut prophetis. Et post pauca, Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad edificatorem, & exhortationem, & consolationem. De hoc igitur prophetiæ genere interpretatus est D. Petrus Actor. 2. verba illa Ioclis 2. *Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus) effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiae vestrae.* i. interpretabuntur scripturas. De hoc igitur prophetiæ genere capiendum esse Salomonem docent passim interpretes, & confirmat translatio Septuaginta, qui propheta loco enarratorem, aut interpretem restituerunt.

Joel. 2.

79

Ait igitur Salomon. *Cum defecerit prophetia dissipabitur populus.* i. si quis populus caruerit his, qui sacras Scripturas secundum germanum, & genuinum sensum exponant, & veræ religionis dogmata denuntient, is certè continuò dissipabitur, i. in varios errores, atque hæreses disseccabitur: hanc enim vim subesse illi verbo docent Hugo, Caietanus, Lanfenius, Rodolphus, & alij. Sunt qui dicant ei populo subversionem, & perniciem extremam à Salomone denuntiari. Non repugno: sententia enim utraque verà est.

80

Ego verò in ea sum opinione, ut credam iuxta Vulgatam lectionem in hoc loco nomine *Prophetia* non significari prophetam, aut interpretem legis, aut scripturarum, sed religionem ipsam veram: & idem etiam notari puto in posteriori hemistichio per *legem*. Nam prophetia secundum magis germanum sensum significat omnem doctrinam cum fide conformem: ita etiam definit Paulus ad Rom. 12. *Et unicuique sicut Deus divisit sive prophetiam secundum rationem fidei, &c.* Itaque sensus est. *Cum defecerit prophetia, dissipabitur populus,* i. si desit in populo religio, & veri numinis cultus, continuò pax soluitur, & in factiones plebs secatur. Et quidem ita persuasum fuit semper omnibus, qui de Rerum publicarum felicitate scripserunt nullum imperium sine religione diutius stare posse. *Religio una civium animos adstringit, & contubernia, societatesque confirmat.*

Ad Ro. 12.

Philo. Seneca.

August.

81

Flau. Vopisc.

Verba sunt Philonis in Moysse. Seneca in Epist. 95. *Primum (inquit) militia vinculum est religio.* Quod vsque adeò verum est, ut falsas etiam religiones, ac sectas ad illigandos civium animos ab infidelibus Principibus inventas affirmet Augustinus lib. 3. de Civitate, cap. 32. ubi sic scribit: *Sicut enim demones nisi eos, quos fallendo deceperint, possidere non possunt: sic & homines Principes non sanè iusti, sed demonum similes ea, qua una esse noverant, religionis nomine populis tanquam vera suadebant, hoc modo eos civili societati velut artius alligantes, quo similiter subditos possiderent.* Hinc fortasse natum religionis nomen, quod, à religando dictum inter alios docuerunt Augustinus, & Diu. Thomas. Quæsitum olim à Flavio Vopisco, qua demùm tatione olim factum, ut Romanorum res publica, etiamsi plures imperarent, cum aliis qui ex eo administrationis genere seditiones, & bella civilia evenire soleant, nihilominus tamen longo tempore vixit, atque diuturna fuit. Et lib. 2. sic occurrit. *Romanorum res publica inter multorum imperia per religionem stetit.* Et sanè quamvis falsæ etiam religiones hominum societates aliqua ratione vincire, & adstringere natæ sunt, tunc cum plures fallaci aliqua veritatis opinione induti in eas conspirant: tamen eam vim ante alias habet catholica religio, & veri numinis cultus, quæ una cum sit, & Deum unum colendum, amandum, credendumque docet ad animos devinciendos, & fœdere mutuo alligandos magis

idonea est: aliæ enim sectæ, & religiones falsæ, aut plures Deos admittunt, aut de eodem Deo vsque adeò diuersa, & dissimilia docent, ut multos potius quam unum Deum inducere dicendæ sint. Quapropter populos eas consecrantes dissipari, hoc est, soluta pace dirimi, & in factiones secari necesse est.

Aliæ verò lectiones, scilicet *Rebellis erit, nudabitur, spoliabitur, discooperietur, retrocedet,* aptè admodum quadrant in eum populum, qui à vera religione defecit: eas tamen propterea in expensas dimitto: nam quidquid mali ei populo indicunt, aut minantur, id quidem ex illa antiorum dissolutione, ac diuisione fluit, quam translatio Vulgata significat. Subnectit Salomon.

82

Qui verò custodit legem, beatus erit, id est, populus legem, id est, veram religionem observans (hanc enim per legem notari nuper monui) fortunatissimus erit. Lege Augustinum in eo libro tertio de Civitate Dei capite trigesimo quarto, ubi de felicitate imperij Hebræorum disserit, illamque in veri Dei cultum refert. Frustrâ hinc

XIX. *Seruus verbis non potest erudiri: quia quod dicit, intelligit, & respondere contemnit.*

C **S**ERUUS, &c. Hebraicè. *Quia intelligit, & non respondet.* Chaldæus conspuit cum Vulgato. Septuag. *Verbis non erudietur servus durus: nam est intellexerit, non obediet.*

83

Vnus est D. Augustinus, qui hæc verba ad hæreticos convertit in Epist. 48. & 50. quibuscum ita agendum esse dicit tanquam cum seruis, ita ut ad verba adhibendæ sint severæ correptiones, ac non tantum cohortatione, sed pœnarum etiam metu coerceantur, quia fidei veritatem satis norunt, & tamen illi acquiescere recusant.

August.

Reliqui secundum literalem sensum de seruorum inobedientia exponunt hoc modo. *Seruus verbis non potest erudiri, &c.* i. servus ubi inbediens, & refractarius esse cœpit, non emendatur verbis, sed verberibus, ac plagis: non enim idem non parer, quia mandata aut non tenet satis, aut illa peragere nescit, sed quia non vult obedire: quapropter ad ea agenda, quæ sponte præstare renuit, vi adigendus est. Et quidem seruos plagis impositis coercendos docet sæpe aliàs scriptura. Eccles. 33. *Cibaria, & disciplina, & onus asino: pennis, & disciplina, & labor seruo.* Sed quis servus iste, qui tam severè tractandus dicitur? Attegit Eccles. *Seruo maleuolo torcular, & compedes.* Eum ergo, quem in illo loco Iesus Syrach maleuolum servum appellat, describit hinc Salomon: cum ait: *Quia, quod dicit, intelligit, & respondere, seu obedire contemnit.*

84

Eccles. 33

E Ego verò puto extrema ista verba non tam rationem reddere, propter quam serui verberibus coercendi sunt: quàm eos designare, quibuscum ea severitate uti oportet. Nam cum sæpè aliàs dominis atque liberis præcipiat Salomon, ut seruos sapientes, & ad agendum promptos, expeditosque liberaliter & honestè tractent, certè in hoc loco, quisnam sit ille servus, qui plagis, & flagellis dignus est, venustè aperit. Duplex enim malorum seruorum genus cogitare hæc: aliud quidem eorum, qui præ nimia stoliditate, & vecordia mandata domini sui aut non tenent, aut peragere

85

nesciunt: aliud verò eorum, qui & præcepta capiunt: & eadem exequi probe norunt, tamen ex nimia proteruita illa perficere detrectant. Ergo priores stolidi, ac vecordes serui, non plagis, sed miseratione digni sunt: posteriores verò verberibus omninò macerandi, & emolliendi. Et hi certè sunt, quibus Salomon in hoc loco plagas decernit, cum ait. *Seruus verbum non potest erudiri, quia quod dicit, intelligit, & non respondet.* Quali dicat, seruus ille, qui domini mandata mente concipit, & eadem nihilominus peragere detrectat, is certè non verbis, sed verberibus emendandus est. De hoc enim seruo contumaci loquitur Eccles. cum subinde attextit. *Quod si non obaudierit, curua illum compedibus, & non amplifies super omnem carnem: verum sine iudicio nihil facias graue.* In Græcis est: *& non sis nimius omni carni,* &c. id est, ne in subigendo, & macerando seruo modum excedas, quo caro debet tractari: nam cum omnis caro imbecillis sit ac fragilis, etià cum punitur, mitius cum illa agere oportet. Id sibi vult illud: *verum sine iudicio nihil facias graue.* Et sanè ex hoc Eccles. præcepto desumptam puto constitutionem Iustiniani Imp. Inst. de his, qui sui, vel alieni iuris sunt, §. in potestate, vbi inter alia sic decernit Imperator. *Sed maior austeritas dominorum eiusdem principis constitutione coercetur. Nam Antoninus consulens à quibusdam præsidibus prouinciarum de his seruis, qui ad adem sacram, vel ad statuas principum confugiunt: præcepit ut si intolerabilis videatur austeritas dominorum, cogantur seruos suos bonis conditionibus vendere, & pretium dominis detur, & rectè: expedit enim Republicæ, ne suare quis malè utatur.*

Iustin.
Imperat.

86

Et certè glossa in eum locum sic percontatur an liceat aliquando seruum nulla ex causa, eo solum nomine quia seruus est, & vt seruum se esse meminerit, vel modicè verberare. Respondet autem affirmatiuè, putat scilicet, diurnam impunitatem in seruis contumaciam alere, fastumque illis, & spiritus augere. Ego verò neque id semper damno, nec semper etiam id probo: sed pro seruorum ingenio, ac moribus id æquum, aut iniuriam, vtile aut inutile fore censeo.

87

Sed vide an posteriora illa verba: *quia quod dicit, intelligit, & respondere contemnit,* ita capienda sint, vt duplex mali serui vitium incusetur à Salomone; alterum quidem illis verbis: *quia quod dicit, intelligit,* ita vt seruis vitio vertat sapiens, quod rerum sibi demandatarum rationem querant, & non magis indiscussis præceptorum causis ad nutum obtemperent. Q. D. vel eò seruus plagis dignus est, *quia quod dicit, intelligit,* & non potius actutum mentem quoque suam domini obsequio mancipat. Et sanè inter alias rationes, quas offert Cuiacius Iuriconsultus, ob quas serui in iure capite diminuti dicuntur, Instit. de Capitis diminutione, & leg. 2. §. 1 ff. de Capitis diminutione, hanc etiam inferuit. *Serui etiam ob amissam libertatem capite diminuti dicuntur, quia velut ratione, & consilio priuati proprie, coguntur aliena ratione, & consilio agere, & viuere.* Hæc autem ad cæcam Religiosorum obedientiam traducere procliuè est.

Cuiacius.

XX. *Vidisti hominem velocem ad loquendum, stultitia magis speranda est, quam illius correctio.*

Vidisti hominem, &c. In Primitiuis ad verbum sic habetur. *Vidisti virum velocem in verbis suis, spes stulti præ illo.* Chald. non dissentit. Sept. sic habent. *Si videas virum velocem in verbis, cognosce, quia spem magis habet insipiens eo.*

88

Aliqui putant verbum istum cum superiori conferendum: nam cum in sequenti carmine Salomon de seruo iterum loquatur, putant etiam hæc, quæ interferuntur verba, de eodem seruo concipi debere. Ergo sic aiunt. *Vidisti hominem velocem ad loquendum stultitia est,* &c. id est, si quando occurrit tibi seruus quispiam, qui datis sibi mandatis ex contumacia respondet obloquitur, excusat se, obtretrat, hic certè vix aliquando adhibitis etiam seuerissimis correptionibus emendabitur, ita vt sperandum sit alium stolidissimum, ac stupidissimum seruum prius ad sanitatem, & sapientiam adduci posse, quàm istum ad obedientiam, & obsequium sui domini. Et sanè inter alias boni serui conditiones numerari solet silentium, ita vt si fieri posset, omnes serui *muti & elingues,* essent, vt ex Nemesio tradit Stobæus serm. 45. Et Philo Iudæus in libr. qui inscribitur, *Quis verum diuinarum*

Philo.

Chæres. Est, inquit, serui laus maxima nihil ex iussis dominicis contemnere, sed impigre, industriè que vel supra vires conari cuncta exequi ex illius animi sententia. Serui etiam audire debent potius quàm loqui, ad quos nimirum dicitur. Tace, & audi: præceptum pulcherrimum, &c. De seruo etiam sic cecinit Plautus in Milite glorioso. *Plus oportet seruum scire, quàm loqui.* Et quidem haud facillè est seruis, hero aliquid sibi grauius demandante, illud exequi, & verba opprimere. Vnde seruus quidam contumax apud eundem Plautum in Persa, domino sibi silentium indicenti ita respondet.

Plaut.

Seruum operam, & linguam liberam herus meus me iussit habere.

Ceterùm hæc interpretatio idèò displicet, quia vim aliquam verbis afferre videtur.

D Secunda expositio est Bedæ, Lyræ, Caietani, Hugonis, & aliorum, qui hæc verba de loquacitate, & verbositate in vniuersum accipienda esse docent: hi enim per *virum velocem ad loquendum,* hominem vaniloquum garrulum, & quidquid in buccam venit sine delectu effundentem intelligunt, hoc sensu. *Vidisti hominem velocem ad loquendum,* &c. id est, si quando incidisti in hominem, qui temerè verba sua profundit, ab hoc quidem speranda potius stultitia, quàm correctio, aut emendatio: nam verbosi multa ineptè dicunt, & vix aliquando multis correptionibus adduci possunt vt verbis parcant. Itaque Beda putat extremis verbis verbosum cum fatuo conferri, & hunc quidem facilius emendari posse dicit, quàm illum: sic enim scribit. *Graue quidem vitium stultitiæ, sed non leuius verbositatis: nam sapè contingit, vt idiotæ aliquis citius verba correptionis accipiat, quàm verbosus: hic enim sua, quæ nouit, magis iacet, quàm aliorum monita audiat.* Quibus verbis rationem offert, ob quam difficilior est emendatio loquacis, quàm stulti: quia nimirum dum ad multa, quæ diciturus ipse est, animo intendit: ab his, quæ ipsum audire oportet, mente distrahitur.

89

Bedæ.

90
Gregor.

Virum ad loquendum velocem exactè describit D. Gregorius Magnus Moral. lib. 8. cap. 2. nam postquam eum, qui verba prius effundit, quàm ea mente recolat, aut pensitet, ad loquendum velocem esse dixit, ita subnectit. *Is qui loquitur, de verbis suis auditoris sententiam expectat, & quasi eius iudicio supponitur, à quo auditur. Qui igitur in dictis suis reprobari metuit ipse prius debet examinare quod dicit: quatenus inter cor, & linguam æquus quidam, discretusque arbiter sedeat subtiliter pensitans si verba recta cor efferat, quæ utiliter suscipiens ad auditorum iudicium lingua perducatur.* Et post pauca sic scribit. *Si in eo quod ad nos per gressum locutionis exitis reprehendi non vultis, intus iustitiam libram tenere, ut tanto foris quod dicitur ex veritatis pondere placeat, quantum hoc interius trutinam discretionis pensat.* Hactenus Gregorius, qui similitudinem ducere videtur ex peruulgato fori vsu: nam ne his, qui res suas trutinam expensas vendunt, pondera & mensuras permutare, aut corrumpere, atque emptores fraudare liceat, libripens, seu ponderum exactor, vulgò *almoracem*, legibus institutus est, qui ea, quæ alij ponderarunt, iterum ipse rependat, & si qua momentis suis imminuta pondera inuenerit, hæc damnet, ac fraudem iniusti venditoris puniat. Gregor. igitur ad hunc modum statuit, eum, qui dicit, similem esse ei, qui res suas ad trutinam diuendit: eum verò, qui audit, libripendem imitari, aures suas tanquam balances ad excipiendas alterius voces accommodantem (ita enim Hebr. aures appellantur *מִזְנֵי*, & *זַנְיִים*, id est, balances.) Quapropter quidquid dicenti minus accuratè expensum excidit, hoc prudens auditor libripendis in morem taxat, atque repudiat. Quapropter idè vel maxime verba sua quilibet accuratius pensitare debet, ne prudens auditor ea taxet, quæ ipse in expensa, & inæstimata dedit. Salomon ergo hunc, qui ad eum modum in expensa verba pronuntiat, *velocem ad dicendum* appellat, & ei stultum alioqui tacentem, & verba opprimentem omninò præferendum esse affirmat.

92
Iansen.

Iansenius tertiam interpretationem marte suo inuentam offert, ad hunc modum. *Vidisti hominem velocem*, id est, si quis ad dicendam sententiam suam ocyus processit non expectate aliorum sensu, & consilio, *stultitia potius speranda est, quàm illius correptio*. i. putandum omninò illum pluraque stulta, & fatua pronuntiatum: postquam verò, ita pronuntiauerit, desperanda est illius correptio, quia eorum, quæ semel asseruit, tenax defensor erit, nec ad mutandam sententiam multis rationibus adduci poterit. Hanc expositionem eo modo, quo à me tradita est (aliquid enim ad mentem Iansenij addidi) superioribus præferendam esse puto.

93
Rodolph.

Subest tamen quarta expositio Rodolphi, quæ mihi ante alias probatur de illo, qui antequam probè edoctus sit, ad alios edocendos veluti præceps venit. Itaque ait Salomon. *Vidisti hominem velocem ad loquendum*, i. si quem videris ad docendum alios properantem, qui videlicet priusquam ipse sibi satis doctrinæ comparauerit, ad alios erudiendos temerè ruit (sic accipio hæc priora verba, & eundem sensum subesse puto illis, quæ ex Iacobo in Canonica ca. 1. recitari solent. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum.*) Q. d. ita suadeo omni homini, ut audire, & discipulum se præbere his, qui ipsum edocere possint, præproperè velit: (omnis. n. ætas ad audiendum idonea est) ad docendum verò alios se-

Iacob. I.

rus accedat: nimirum postquam ipse ex aliorum doctrina sapientiæ plurimum collegerit. Nam qui aliter tempus ad docendum maturum præuertit; *stultitia potius speranda est, quàm illius correptio.* Vel, ut est in Primitiuis, *Spes stulto præ illo.* Quibus accinunt Sept. *Spem habet magis insipiens eo.* Quæ verba sensu coherent cum illis quæ supra exposuimus c. 26. *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit insipiens.* i. melior longè est conditio hominis insipientis, qui præ stoliditate obtutescit, & alios audit, quàm eius, qui sapientem se effertus, alios auscultare detrectat. De his ergo, qui à aliis edocendos properant, antequam ipsi disciplinas, quas aliis tradunt, probè teneant, aliàs non semel diximus in his Commēt. Sed quia Salo non eiusmodi homines cum stultis confert, opportuna sunt hæc verba Nazianz. in Orat. 1. A. *Nazianz.*

94

vbi inter alia, quæ de hac thesi venustè dicit, sic interserit. *Hæc cum nobiscum ipse non pessimis fortasse consiliariis, beneuolis quidem certè, colloctus, præstabilius esse duximus, cum ea, quæ dicenda, & facienda essent, resciremus, e. i. discere, quàm nescientes docere.* *Præclare n. cum eo agitur, cui vel in profundam senectutem canus sermo veniat, eamque vim habens, ut recenti adhuc in pietate anime, adiumento esse possit.* Iam vides quàm seruum ad loquendum doctorem venire iubeat Nazianz. qui sic subiungit. *Nam certè alios docere aggredi, priusquam ipsi satis edocti simus, valde stultorum, aut temerariorum hominum esse videtur: stultorum quidem si ne insipientiam quidem suam cognoscunt: temerariorum, si cum eam cognitam habeant, hoc tamen negotium aggredi non verentur.* En qua ratione homo ille doctrinæ deproperator cum stulto collatus deterior fit: nam cum ipse etiam insipientia, & stultitia labore, & eam ignorat, & audire alios detrectat, stultitiam excutere nunquam poterit: secus alius quilibet stultus, qui suæ conscius insipientiæ ad alios auscultandos promptus est. Audiendus etiam Plutarchus in libro de officio auditoris. *Pila, inquit, ludentibus simul & mittere, & accipere pilam disciplina est: at in sermonis vsu accipere rectè, quæ emittere, sicut in partu conceptus, & retentio stantium.* Quemadmodum ergo fœmina, quæ ante menses fœtum edit, non tam parere, quàm abortum pati dicitur: ita etiam ante idoneum tempus docere, non partus, sed perituræ ocyus doctrinæ quidam abortus est. Addit Plutarchus. *Atque auibis quidem vrina puerpersa, fœtusque rudium quorundam, ac sudorū exordia conceptu serunt esse. Adolescentibus verò, qui audire non sustinet, neque fructū didicerit ex auditu capere, vrina reuera excidit oratio.* *Obscura in nubibus euanuit, atque inhonora.*

95
Plutarch.

Hæc Plutarchus, qui *vrina* appellat oua subientanea, & euanida seu sterilia, vulgò *gueros*.

XXI. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum, postea sentiet eum contumacem.*

Qui delicatè, &c. Hebr. *Nurriès delicatè à pueritia seruum suum, & in nouissimo suo erit filius* Hinc datus locus aliis lectionibus: nam Chal. sic extulit. *Qui delitiis indulget à pueritia seruus euadet, & ad extremum euertetur.* Accinunt etiam Sept. *Qui delitiatur à puero, famulus erit, nouissimè autem dolebit super se.* Symm. habet, & *in nouissimo erit murmuratio.*

96

Vulgatæ lectionis sententiam ad sensum allegoricum, aut metaphoricum transferendam esse

aliqui putant, ita vt ad literam sit sermo de corpore, quod animo obseruare cogendum est, hoc modo. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum, &c.* id est, qui corpori suo, quod tanquam ignobile, mancipium animæ obtemperare natum est, delicatè ab initio indulget, illud denique spiritui rebelle, refractarium, & proteruum experiri cogetur. Huic etiam expositioni obseruit translatio Hebr. *in nouissimo suo erit filius*, id est, eiusmodi corpus delicatè enutritum excussa naturali seruitute filij loco numerari, & tanquam cum filio secum agi volet. Nihil autem magis alienum à corporis degeneri conditione, quam liberalitas, & ingenuitas filij. Libet hinc aliquid assuere ex Nazianz. de corporis seruitute, qui in Orat. 16. ad hunc modum scribit. *Hi nos precipuo quodam miserationis affectu permouere debent, qui sacro morbo correpti sunt, atque ab hoc improbo, & infido corpore proditi.* Ad nota verborum vim Nicetas per *sacrum morbum* lepra intelligit: assentior tamen his, qui eo nomine regum, seu caducum morbum appellatum malunt. Et quidem paruuli, qui nimium delicatè, & indulgenter ab infantia tractantur, caducum morbum sibi accerere solent, vulgò *gota coral.* de quo sic Cornelius Celsus lib. 4. *Caducus morbus pueris ex delitiosa educatione contingere solet.* Est autem huius morbi proprium, eos, quos corripuit, extra se factos passim subitis, & improuisis casibus prostrare: vnde alios in aquam, alios in ignem, alios in præceptis huius morbi insana vis dedit. Ergo Nazianz. mens sic habet. Sicut is, qui filium delicatè nimium enutrit, morbum sacrum, id est, caducum illi adducere solet: sic etiam qui corpori, plusquam satis est, indulget, eum morbum caducum ipsi immittit, id est, ad subitas ruinas, & frequentes admodum culparum casus veluti à mente abalienatum disponit, ac pertrahit.

98
Nazianz. Appositè igitur ad hæc Salomon de eodem corpore ait. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum, &c.* Addit vterius Nazianz. similitudinem proditoris: *atque ab hoc improbo, & infido corpore proditi,* significans illis, qui corpori fidentes ipsi acquiescunt, quam citissimè illud in proditorem verti: & subinde eodem sermonis stilo subdit. *Cui quam modo coniunctus sim, haud equidem scio quoque pacto simul & imago Dei sim, & cum cæno voluter. Quod & cum pulchra valetudine est, bello me lacepsit: & cum bello premitur, mærore me afficit. Quod & uti conseruum amo, & veluti inimicum odi, atque auersor: quod & ut vinculum fugio, & ut coherens vereor. Si debilitare illud, & conficere studeo, iam non habeo quo socio, & opitulatore ad res præclarissimas utar, sin contra ut cum socio, & adiutore mitius agam, nulla iam ratio occurret, qua rebellantis impetum fugiam, atque adeò non excidans compedibus degrauiatus. Hostis est blandus, & placidus, & insidiosus amicus. O miram coniunctionem, & alienationem! Quod metuo, amplector: quod amo, pertimesco. Antequam bellum gesserim, in gratiam redeo: antequam pace fruam, ab eo disideo, &c.* Ex quibus constat quam difficile sit cum corpore nostro ex iure agere, & ita ipsum regere, vt naturale rationis imperium fractis viribus sustineat, &c.

99
Ceterum alij interpretes Vulgatam lectionem secundum literam de seruo intelligendam esse docent (in his Iansenius, Rodolphus, Caietanus, & Lyra, quibus ego etiam assentior) nimirum de verna, seu mancipio domi nato: ita vt verba eum sensum reddant, quem sonant. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum, postea sentiet eum contumacem.*

A Id est, qui vernam suum, dum puer est, ætati deferens delitiosè & indulgenter tractat, nec statim illum obsequio, & labori assuescit, tandem cum illo uti & seruilibus officiis addici oportebit, contumacem, & obsequia detrectantem eum experietur. Producit Lyra in huius contumaciæ exemplum Siba seruum Miphiboseth alterius ex filiis Saul, qui ab hero suo ab infantia peramanter educatus, & indulgentia domini sui abusus ipsum aliquando spreuit: de quo nimirum ipse Miphiboseth 2. Reg. 19. sic loquitur. *Domine mi Rex, seruus meus contempsit me. Insuper & accusauit me seruum tuum ad te dominum meum, &c.* In Primitiuis est: *in nouissimo suo erit filius*, id est, excussa seruitute filij loco haberi volet, & tanquam filius honestè ac decenter tractari: atque adeò ad indecoras seruorum functiones sese ægrè admodum adiiciet.

100
Translatio Septuaginta alium sensum offert: nam cum verba originalis per se ancipitia sint, & de verna, aut de filio accipi possint, sacri illi interpretes ad filium retulerunt hoc modo. *Qui delitatur à puero, famulus erit: nouissimè autem dolebit super se.* Id est, filius, qui ab infantia indulgenter & in delitiis educatus, luxui, ac voluptatibus deditus, inertia, socordiaque solutus patrimonium suum ocys decoquit, demum inopia compulsus alij obseruare, & famulari cogitur. Et quidem Septuaginta illius prodigi filij adolescentiam apprimè delineasse videntur, de quo sic Christus Dominus apud Lucam cap. 15. *Peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. Et postquam omnia consummasset, &c. cepit egere, & abiit, & adhasit uni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.* Id est, semetipsum in seruum conduxit, vulgò diceremus, *se ignalo con vn ciudano de aquella tierra.* Et post pauca ita subneçit. *In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo, &c.* Quæ verba ad amissum respondent illis, *In nouissimo autem dolebit super se, &c.*

D
XXII. *Vir iracundus prouocat rixas, & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum procliuor.*

101
Vtr iracundus, &c. In Primitiuis ad verbum sic legimus. *Vir nasi miscebit litem, & author excandescentiæ multus prauaricatione.* Chal. *Et viri furiosi multa sunt peccata.* Lxx. *Vir indignabundus suscitatur contentionem: & vir iracundus effodit peccatum.* In priori etiam hemystichio habent aliqui codices Græci *δρῶσται*, id est, *fodit rixam.* Symmachus, *irritat pugnam.*

E
Prior pars huius carminis, vt iacet in textu, occurrit supra cap. 15. vers. 18. posterior autem parum abest, vt sit mera repetitio prioris. Et quidem Salomonem in hoc loco non quemlibet ira percitum hominem capit, sed eum, qui primus iram suscipit, & discordiæ, ac contentionum occasionem offert. Ita suadet Originalis lectio, quæ sic habet. *Et qui author est excandescentiæ, &c.* Pro qua noster appositè conuertit. *Et qui ad irascendum facilis est:* nam qui facilè ad iram concitatur, hic rixas, & contentiones ordiri solet. De hoc ergo Salomon sic pronuntiat. *Erit ad peccandum procliuor:* nam qui iram, & rixam inchoauit, vt ei, quæ incitatus est, vlciscendi libidini obsequatur,

tur, in quodcumque delictum temere ruit. Chaldaeus. *Et viri furiosi multa sunt peccata*: furor enim multas delinquendi occasiones offerre solet, & cum ira pleraque alia eohærent peccata: scilicet detractiones contumeliæ, iniuriæ, probra, iurgia blasphemiarum, homicidia, & alia his similia, quæ iraramos nuncupavit Gregorius Magnus in Moralibus, ex ira nimirum, tanquam ex radice, ac stipte progerminantes.

102 Septuaginta habent. *Et vir iracundus effudit peccatum*. Et quidem verbum *fodio* (vt alibi monuimus) cum ad mentem refertur in scriptura, significat attentam cogitationem: ita enim de homine cogitabundo enuntiare solemus: *que es homine que caba en las cosas*. Aque adeo sensus esse videtur; Homo iræ obsequens suæ *effudit*, id est, attentius cogitat peccata: atque adeo solâ mente & intentione passim delinquit. Nam vel ex eo solùm quod apud se tacitus de vindicta cogitat, atque deliberat, grauius peccat. Et sanè hanc esse puto germanam Salomonis mentem, qui eò spectat, vt suadeat iræ parcere, & primos eius motus inhibere: nam ei, qui iracundiæ fecit locum, primum valde, ac procliue est (liceat sic dicere) *cabando en ello*, vel solâ cogitatione pleraque graua delicta. s. homicidia, & parricidia admittere. Ea propter Ioannes in sua I. Canon. in eum, qui odio habet fratrem suum, sic inuehitur. *Et qui odit fratrem suum, homicida est*. At quonam iure homicida appellatur, qui nondum aliquem gladio confixit suo? Non loquitur Apostolus (inquit Augustinus de effectu, sed de affectu, nam qui aliquem ex animo odit, statim vulnera, & neces apud se versat, ac cogitat. Quanta verò affluentia eiusmodi cogitationes menti occurrant, perspicuè significauit D. Ephræm Syrus in tractatu de virtutibus, & vitiis, §. de iracundia. *Et ira, inquit, mens perturbatur, sensus debilitatur, & cogitationes vindictæ fluminis instar scaturiunt*. Quis ergo huius fluminis ruentem impetum conuertere, & coercere queat?

103 Fuit nescio quis, qui translationem Septuag. alium ad sensum vocauerit. *Vir iracundus effudit peccatum*, id est, vir irâ incitatus contumeliam, vel iniuriam sibi olim illatam) hanc enim peccati nomine compellat) quantumuis longâ obliuione conspultam, & altissime demersam effudit, atque iterum memoria repetens vlciscendi libidinem, eâ recordatione incitat, atque exacuit. Certè sententia vera est, & huic loco non sine lepore adaptatur: tamen (ni fallor) à literalis sensu longè abhorret. Quod si non omnino displicet, ego quidem per peccatum non iniuriam acceptam, sed delictum, aut crimen alterius intelligerem. Nam qui ex iracundia in aliquem furit, ea etiam delicta, & crimina, quæ obliuio longa obruerat, velut effodere, & in apertum adducere, atque ei, cui iratus est, obiicere, & exprobrare solet. Quid certius?

XXIII. *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria, &c.*

104 *S*uperbum, &c. Hebr. *superbia hominis humiliabit eum, & humilis spiritu assequetur gloriam*. Chald. *Et qui submissus est spiritu, diuidet gloriam*. Septuag. paulò aliter. *Contumelia virum humiliat: humiliter autem sentientes firmat gloria Dominus*.

Tom. 2. Part. 2.

Verba sunt perspicua ex quadam comparatione, aut contentione humilitatis, & superbiæ. Coincunt autem cum aliis huius libri locis. cap. 16. ver. 18. *Contritionem precedit superbia, & ante ruina exaltatur spiritus*. Et cap. 18. *Antequam contemnatur, exaltatur cor hominis, & antequam glorificetur, humiliatur*. Adi ea loca, & quæ in ea coniecimus, huc aduoca.

Translatio Septuaginta aliquid dissimile offert. *Contumelia virum humiliat: humiliter autem sentientes firmat gloria Dominus*. Tota sententia ad perpeffionem iniuriarum spectat, & ad eam, quæ ex hac perpeffione euenire solet, humilitatem, & demissionem animi pertinet.

105 Sensus autem sic habet. Contumeliæ, iniuriæ, & probra hominum factum deprimunt, & elatos spiritus deiiciunt: illis verò, qui ad eum modum per contumelias se humiliari boni consuluerunt, gloria denique Deo auspice obtingit, qua obfirmati aduersus suos calumniatores constantes redduntur. Quia nimirum cum vident ex Dei prouidentia calumnias, atque iniurias sibi demum in gloria, & decorem verti, eas deinceps non verentur, sed firmo, & constanti animo sustinent. Vel aliter. *Humiliter sentientes gloria firmat Dominus*: quia nimirum gloria, quæ humilitatem sequitur, humiles in ipsa humilitate continet. Est enim duplex gloriæ genus: aliud vanum, & inane, quod augeat superbiorum factum, & spiritum: aliud solidum, quod cum ad humiles venerit, illis nouam sese demittendi materiem, ac segetem offert: nam dum se eius, quæ illis obtingit, gloriæ indignos æstimant, ex ipsamet gloria humilitatis messem faciunt, & animi demissionem decerpunt. Hæc igitur Salomonis mens est, Deus Optimus Maximus humilibus gloriam, & splendorem adducit, ac peream hoc præstat, non quidem vt efferantur, sed in humilitate magis, ac magis obfirmantur, & altiores radices agant.

106 Ad hunc sensum proximè allicere possumus translationem Chaldaicam. *Et qui submissus est spiritu, diuidit gloriam*, quam aliqui ita exposuerunt: Tantam humilis obtinebit gloriam, vt non ipse solum ex illa resplendeat, sed cum aliis gloriæ partiri possit, ita vt ex illius consortio multi fulgeant. Aliter etiam sensus institui potest: *humilis diuidet gloriam*, id est, eam sibi integram nequam sumet, sed aliis, & aliis distribuet, & suæ gloriæ socios asciscet: hoc enim inter humilem, & superbum latissimum intercedit discrimen, quod hic gloriæ consortes non admittit, ille accersit, atque euocat. Hæc omnia cõpertissima sunt,

XXIV. *Qui cum fure partitur, odit animam suam: adiurantem audit, & non indicat.*

107 *Q*ui cum fure, &c. Hebræicè. *Execrationem audiet, & non annuntiabit*. Alij legunt, *perisurum audiet, &c.* Chald. *Iusurandum defertur ei, & non confitebitur* Septuaginta hunc versum cum sequenti cõtexit ad hunc modum. *Qui participat furi, odit animam suam: si autem iuramentum propositum audientes non annuntiauerunt timentes, & reueriti homines supplantati sunt: qui autem confidit in Domino, letabitur*.

Huius loci communis expositio sic habet. *Qui confors est furci* (& idem iudicium est de quolibet alio capitali crimine) *odio habet animam suam*. Anima non vnum quid significat in Scriptura: sicut

mitur enim pro vita, & pro ipsissima anima rationali. Vtramque verò significationem complexus hinc videtur Salomon, cum ait: *odit animam suam*, id est, vitam suam in discrimen adducit: nam eius criminis conuictus, cum fure simul publico iudicio emouitur coetur. *Adiurantem audit, & non indicat*: hic scilicet furti particeps homo aliquid etiam animæ exitiale vterius admittit: nam vocatus in iudicium, & iureiurando furtum alterius prodere coactus, religionem iuramenti non veritus neque reum, neque furtum, quod fortassis apud se retinet, manifestare vult, atque adeo quodammodo fure ipso deterior est: hic enim aliena diripuit: ipse verò alienorum retentor est, & diuinæ maiestatis temerarius violator. Sic Iansenius, Rodolphus, Caietanus, & alij. Inuehitur autem Rodolphus in Lyræ, quod inter eas res, ob quas homo confors fit furti, vel alterius criminis ab alio admissi, extremo loco numerat non indicare, aut prodere tunc, cum de tali crimine publicè inquiritur. Nam si furtum (inquit) secretum, & furis alioqui fama integra fuerit, non licebit illum spoliare suâ famâ, vt alteri res ablata restituatur, quandoquidem integrum non est maius damnum vni inferre pro minori alterius damno vitando, aut redimendo. Cæterum quidquid sit de hac ratione (quæ non admodum robusta est) Rodolphi aculei Lyræ non attingunt: hic enim non explicat locum istum de quocunque homine furti conscio, sed de illo, qui à publico magistratu accersitus, & iureiurando interrogatus fuit: iste verò absque dubio cognitum alterius crimen ex communi omnium Doctorum suffragio prodere atque indicare tenetur.

108

Cæterum neutra interpretatio mihi satis probatur, quia duo hemistichia parum accommodatè consunt. Ego igitur Salomonem in hoc loco ad testem verba intendere existimo: ad testem (inquam) qui vocatus in iudicium, & adiuratus respondet. De illo ergo sic pronuntiat. *Qui cum fure participat, odit animam suam: adiurantem audit, & non indicat*. In Originibus autem ad verbum sic legitur. *Partiens cum fure, odiens animam suam, adiurationem audiet, & non annuntiabit*. Quæ verba non ita accipienda, quasi dicant consortem furti, etiam si adiuretur, haud indicare solitum alterius crimen: hic enim sensus marcet omninò, ac friget: sed ita vt quasi oppositam sententiam reddant. Nimirum testem, qui à publico magistratu ex iure quæsitus, & iuramento interrogatus, furtum, quod planè cognouit, celat. & abscondit, furti consortem efficit, & suam ipsius animam odio habere, quandoquidem illam grauissimo periurij crimine fauciat. Et quidem sententia ad hunc modum explicata illustris est, ac Salomone digna, addo etiam, verissima est, quia qui alterius furtum non aperit, cum debet, ac tenetur, in causa est, ne furtum prohibeatur, ac ne domino restituatur res sua: vtrumque autem satis est, vt in ipsius furti consortium vocetur. Hæc enim inter alia, quæ participem criminis esse euincunt, numerantur hinc Lyræ, producens illa Iurisperiti vulgò vsurpata carmina.

Lyræ,

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus, Participans, mutus, non obstant non manifestans.

109

Gregor.

Et quidem ex criminis reticentia, & non manifestatione, tunc cum vrget obligatio manifestandi, eiusdem participium, & communionem argui confirmat doctrina Magni Gregorij, qui affirmat

A propterea cunctum populum Iosue 7. propter vnius Achan furtum, qui contra præceptum Domini pretiosa quædam suppellectilia ex anathemate vrbs Iericho subripuerat, sauerè punitum, quia differebatur manifestatio criminis, & tandiu populus in eiusdem peccati consortio esse videbatur, quandiu crimen suppressum erat. At, inquit, nullus fortasse delictum illud nouerat. Occurrit D. Augustinus in libr. quæstionum super Iosue, aliqualem populi culpam fuisse in re tam graui ex inertia sic se gessisse, vt furti illius notitia omnes effugeret: ac sic demùm annectit. *Hoc modo apud illos, qui talia merent, disciplina sancitur, vt non se solum quisque curet in populo, sed inuicem sibi adhibeant diligentiam, & tanquam vnius corporis, & vnius hominis alia pro aliis mēbra sollicita sint. Simul etiam ostenditur, quantum connexa sit in populi societate ipsa vniuersitas, vt non in se ipsis singuli, sed tanquam partes in toto existimentur. Per vnius igitur peccatum, mortēque paucorum admonitus est populus tanquam in corpore vniuerso quærere quod amissum est*. Hactenus Augustinus optimam rationem accommodans, propter quam in qualibet cōmunitate omnium sociorum, aut concuium interest plurimum, vt pro salute, & bono vniuersali alia aliorum crimina indicet, adeo vt si fieri posset, nihil delinqui sine conscio, nihil sine accusatore committi possit, seruato fraternæ correptionis ordine.

Septuaginta interpretes versum istum cum sequenti consuerunt ad hunc modum. *Qui participat furi, odit suam animam: si autem iuramentū propositum audientes non annuntiauerint, timentes, & reueriti homines supplantati sunt: qui autem confidit in Domino, latabitur*. Sensus eodem recidit: persuasum enim fuit sacris illis interpretibus per subsequētia verba crimen testis, qui adiuratus furtum alterius celat, amplificari. Si enim (inquunt) testestam pusillo animo sint, vt iureiurando interrogati, metu aliquo percussi sceleratorum crimina, & delicta manifestare non audeant, labuntur planè, & suo ipsorum delicto supplantati corruunt: si autem Deum, cuius nomine adiurati sunt, tantùm timeant, & hominum minas aspernati veritatem annuntient, ipso Deo seruante, læti gestient. Itaque secundum hanc lectionem suadet Salomon testibus, qui iurati in iudicio sistuntur, vt Deum potius, cuius nomine vera se dicturos spondent, quàm homines vereantur: sic enim, & sibi, & animæ suæ melius consulent. Et quidem non longè absūm, vt credam sequentem versum etiam secundum translationem vulgatam ad præfatam sententiam euocandum esse. Subdit enim Salomon.

110

Septuag.

XXV. Qui timet hominem, citò corruet: qui sperat in homine, subleuabitur.

Qui timet hominem, &c. Heb. Tremor hominis dabit laqueum & fidens in Domino eleuabitur, &c. Chald. Calumnia filij hominis accersit ei offendiculum: & qui sperat in Deo, roborabitur. Quia verò Sept. interpretibus (vt alibi in his Cōmentariis nō semel monui) cū locus aliquis occurrit anceps duas capiēs trāslationes, vtrāque exprimere solēne est: certè in hoc loco versum istum ita cum superiori contexuerunt, vt cum sem sibi etiam seorsum dandum putarent: atque adeo sic restituerunt.

111

Impietas vero dat prolapsionem: qui autem confidit in Domino saluabitur.

Si locus iste à superiori exsoluatur, vt plures putant, sensum continet perillustrem. *Qui timet hominem.* Id est, qui hominibus defert plurimum, ac veritus ne illis displiceat, eorum gratia inferuit, cito corruet (aliqui sic exponunt) ocius ab eorum gratia excidet, & tunc cum maximè illis placere, & gratus esse volet, ingratum se, atque iniustum eisdem reddet. Alij sincerius, *cito corruet*, id est, passim delinquet: nam studium inordinatum placendi hominibus multorum criminum occasiones offerre solet. Septuaginta interpretes casum istum, seu ruinam exaggerant. *Impietas vero dat prolapsionem.* Quæ verba obseruatione digna sunt: nam primò timorem hominum *impietatis* nomine accommodatissimè vocauit: hi. n. qui homines verentur ne ipsis displiceant, quodlibet scelus aggredi non timent. Vel nomine *impietatis*, eius, quod Deo debetur, obsequij defraudationem significarunt: ita enim vsu venit, vt qui hominibus, plusquam satis est, defecerunt, obsequio, & cultui diuino non parum deficiunt. Deinde etiam eam, quæ ex hoc timore humano contingere solet, ruinam, per quandam exaggerationem *Prolapsionem* appellamus. Vtrumque autem complexus videtur Dauid Psal. 52. *Deum non inuocauerunt, ubi trepidauerunt timore, ubi non erat timor*, id est, quia homines verebantur in quibus nihil est, quod timorem afferre debeat (iuxta illa verba Christi Domini Matt. 10. *Ne ergo timueritis eos.* Et iterum. *Et nolite timere eos,* &c. Et Luca 12. *Ne terreamini ab his.*) Idem religionè, & pietatem Deo debitam deseruerunt. Sed quid inde?

Psalm. 52. Deum non inuocauerunt, ubi trepidauerunt timore, ubi non erat timor, id est, quia homines verebantur in quibus nihil est, quod timorem afferre debeat (iuxta illa verba Christi Domini Matt. 10. *Ne ergo timueritis eos.* Et iterum. *Et nolite timere eos,* &c. Et Luca 12. *Ne terreamini ab his.*) Idem religionè, & pietatem Deo debitam deseruerunt. Sed quid inde?

Matth. 10. Et iterum. Et nolite timere eos, &c. Et Luca 12. *Ne terreamini ab his.*) Idem religionè, & pietatem Deo debitam deseruerunt. Sed quid inde?

Quoniam Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quia Deus spreuit eos. Ecce prolapsionis magnæ damna; scilicet omnium ossium fractio, confusio, & Dei aspernatio. Ad hunc modum interpretatur locum istum Pseudo Bernardus in serm. de Miseria humana. In Primitiuis est, *Timor homini dabit laqueum*, id est, timor de homine susceptus laqueum homini sternit, eumque ad ruinam pertrahit, eodem sensu. Est aliquis interpres, qui lectionem istam non de laqueo pedes illigante, sed collum implicante intelligendam esse dixerit, hoc modo; Quicumque hominum gratiam studiosè aucupatur, & illis displicere timet, ei adsimilis est, qui laqueo collum inferuit suum: quia nunquam non suspensus hæret quamdiu ex hominum voluntate, & studio pendet: atqui eo modo pendere perinde est, ac suspendi, ne dicam strangulari. Subnectit Salomon.

Qui autem sperat in Domino, subleuabitur. Id est, etiam si corruerit, è ruina extolletur. Sic plerique Iansenius verò, & Rodolphus aliter sentiunt: imprimis enim aiunt non dictum: *Qui timet Dominum*, sed: *Qui sperat in Domino*, quia Deo gratior est confidentia, & amor, quam timor. Deinde docent verbum, *eleuabitur*, hinc additum sumptam metaphoram à munitioibus, aut turribus in excelsis rupibus locatis, ad quas milites, confugiunt. Nam in originibus est *ישגב יסוגב*, ex quo *ישגב* *Misgab*, id est, *munitio*, aut locus hostibus inaccessible. Iuxta quam acceptionem sensus sic institui potest. Ideo homines metuendi non sunt, quia tunc cum illi molestiis aliquem vrgent, aut insequuntur, præstò adest iusto spes, & confidentia in Deo sita tanquam turris cellissima, & munitissima, ad quam ab eisdem hominibus profugus se recipiat, & ab eorum molestiis tutè maneat.

XXVI. *Multi requirunt faciem Principis, & iudicium à Domino egredietur singulorum.*

Multi requirunt, &c. Hebr. *Multi quærentes facies dominantes: & à Domino iudicium viri.* Chald. *Et à facie Domini iudicium viri.* Septuag. *Multi colunt facies ducum: à Domino autem fit iustum viro.*

Faciem requirere, in scriptura perinde est, ac gratiam alicuius promereri. Psal. 26. *Faciem tuam Domine requiram.* Et Psal. 23. *Quærentium faciem Deum Jacob.* Et Psal. 104. *Quærite faciem eius semper.*

Duplex ergo huius loci sententia occurrit. Aliam offert translatio Septuaginta. *Multi colunt facies Ducum: sed à Domino iustum viro.* Id est, aliqui in id incumbunt maximè, vt gratiam Principum, & magistratum inean, qui putant eâ ratione futurum, vt in suis litibus, ac controuersis iustas obtineant sententias, quos oportet potius Dei gratiam promereri, quia omnis æqua, & iusta sententia à Deo proficiscitur: is enim Regum, ac Principum arbitria, & iudicia pro nutu regit suo: quapropter ab ipsomet Deo potius pendere debemus, quam ab illis. Non displicet hæc expositio.

Ceterum communis est altera interpretatio, quæ iuxta verborum sonum hunc locum sic edisserit. *Multi requirunt faciem Principis*, id est, complures sunt, qui Principum beneuolentiam sibi parare muneribus, obsequiis, diligentia, & studio contendunt: nam quia res suas ex eorum arbitriis, iudicioque pendere certò sciunt, ne illos in ferendis iudiciis seueros experiantur, omnibus officiis sibi obstringere impensè cupiunt. *Et iudicium à Domino egredietur singulorum.* In hoc posteriori hemistichio aliqua per reticentiam suppressit Salomon, quæ nunc exprimenda sunt: arguit enim hominum stuporem, qui cum aliàs certò sciant in grauiissima salutis nostræ causa Deum iudicem supremum esse futurum, tamen ipsum placare, & muneribus, officiisque gratiam illius elucrarari non satagunt. Quasi dicat? miræ cuiusdam stoliditatis est humana iudicia reuereri; & diuina aspernari.

Sed licet præmissæ interpretationes mihi appositæ videantur, tamen aliam subiiciam, quæ mihi accommodatior videtur. Ergo *faciem requirere* (nisi fallor) in hoc loco non est gratiam, & fauorem quacumque ratione aucupari, sed munerum, ac donorum corruptione. Sicut enim iudex, qui se donis corrumpi sinit, dicitur passim *faciem accipere*, vel *faciem agnoscere*: ita etiam illius corruptor dicitur *faciem quætere*. Atque ad eò sensus est, *Multi requirunt faciem Principis*, id est, quamplures sunt, qui iustitiæ diffidentes suæ, vt arbitria Principum ad se detorqueant, eos donis, ac muneribus lentare, & flectere contendunt. *Et à Domino iudicium egredietur singulorum.* Quod perinde est ac si dicat; Quamuis Principes, & magistratus muneribus inflexi iniustam sententiam ferant, non idèò acta res est, & causa perfecta, adhuc enim restat extremum aliud iudicium, cui tam Princeps, quam is, qui illum donis corrumpit, subiici oportet, vt ex iure absoluantur, aut damnentur: hoc autem est ipsius Dei seuerissimum, & incorruptissimum arbitrium, quod effugere nulli integrum est.

**XXVII. Abominantur iusti virum impium:
& abominantur impij eos, qui in recta
sunt via.**

117

A bominantur, &c. Heb. *Abominatio iustorum vir iniquitatis: & abominatio impij rectus via.* Septuaginta. *Abominatio iustus vir viro iniusto: abominatio autem iniquo recta pergens via.* Omnia in idem recidunt.

Sensus est luculentus. Salomon enim, qui alter est ex tribus, qui in conuiuio Sapientiae interlocutores sunt (vt non semel aliàs præmonui) cum plæraque de probitate, & improbitate, deque probis atque improbis seruisse, denique concludit hæc duo inter se maximè pugnare, & mutuis dissidiis nunquam non confligere. *Abominantur iusti virum impium*, non quidem ipsum, sed eius impietatem immitti prosequuntur odio: & vicissim etiam *abominantur impij eos, qui in recta sunt via.* Nec mirum: fieri enim non potest, vt studia vltique adeò diuersa inter se non decerent. *Quæ enim societas luci ad tenebras: aut quæ conuentio Christi ad Belial?* 2. ad Corinth. 6. Hinc Augustinus in libris de Ciuitate Dei, duas illas ciuitates excogitauit: alteram impiorum, iustorum, alteram, easque sibi per vices implacabilia bella mouere nunquam non dicit.

2. Cor. 6.
August.118
Janjen..

Iansenius putat Salomonem his verbis præcipere hominibus pijs, vt confortia, & commercia impiorum declinent, quia eos omnis probitatis implacabiles hostes semper experientur. Non displicet. Addo Salomonem fortassis iustis suadere, vt scilicet improbis omnibus nunquam non bellum moueant, & eorum improbitatem, insectentur. Rationem autem offert, quia ipsimet improbi probos ac probitatem debellare nunquam cessant. Existimo enim particulam, &, vt sæpè aliàs in Scriptura sacra, habere vim causalis, quia, hoc modo. Subiicio Originalem lectionem *Abominatio iustorum vir iniquitatis: & id est, quia abominatio impij rectus via.* Quasi dicat: eapropter iusti impios odisse, & impietatem persequi, & infestare debent, quia improbi iustos, iustitiamque nunquam non infensissimè insectantur: atque adeò ne pietas impietati, & probitas improbitati victa cedat, semper in castris esse, & bellum non modo sustinere, sed etiam dare, & inferre debet.

XXVIII. Verbum custodiens filius extra perditionem erit.

119

Verbum custodiens, &c. Hic locus desideratur in Primitiuis, abest etiam à Græcis co-

A dicibus: illum tamen vsurpat D. Augustinus de Mendacio ad Consentium cap. 18. sed tamen illi aliqua intermiscet verba ad huncmodum. *Verbum excipiens filius à perditione longè aberit: excipiens autem excipit illud sibi, & nihil falsi de ore illius procedit.* Eiusmodi autem commentario donat. *Dicit aliquis non aliud hic accipiendum esse, quod positum est: Excipiens verbum filius, nisi verbum Dei, quod est veritas. Ergo excipiens veritatem filius à perditione longè aberit, referturque ad illud, quod dictum est: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Quod verò sequitur. Excipiens autem excipit illud sibi, quid aliud insinuat nisi quod Apostolus dicit: Opus autem suum probet unusquisque, & tunc in semetipso habebit gratiam. & non in altero. Qui enim excipit verbum, id est, veritatem, non sibi, sed vt hominibus placeat, non eam custodit, cum eis videri placere posse mendacio. Qui autem excipit sibi, nihil falsum de ore ipsius procedit: quia etiam cum placet hominibus mendacium, non mentietur illi, qui veritatem non qua illis, sed qua Deo placeat, excipit sibi. Itaque non est cur hic dicatur: Omnes quidem perdet qui loquuntur mendacium. Hactenus Augustinus.*

120


Caterùm si locus iste capiatur, vt iacet in vulgatis codicibus, crediderim potius de ipsiusmet Salomonis verbis, quæ hactenus in hoc libro leuitur esse intelligendum. Succedant memoriæ ea, quæ diximus in Isagoge huius Commentarij: & subinde etiam sequenti c. ver. t. non perfunctoriè dicemus. s. hunc Salomonis librum esse quoddam Sapientiae Conuiuium, in quo Salomon se ipsum, duosque illos Agur, & Lamuelem inducit, sententias, & problemata fundentes. Vbi illud etiam vlteriùs addidi, librum istum ab initio contextum, vt cap. 25. & quæ deinceps sequuntur vsque ad cap. 29. illum absoluerent, quæ postmodum à viris Ezechiae à suo loco in alium translata fuerunt, huius translationis causam ibidem obtuli. Itaque si germanam, & propriam huius libri contexturam teneamus, & rem ad sua reuocemus initia, versus iste vltimus est ad Proverbiorum opus claudendum extremo loco additus. Hinc autem sensum illius aucupari licet. Nā postquam Salomon tot tamque salutaria documenta, & sententias vsque adeò graues, vtilisque profudit, ita demùm opus suum claudit. *Verbum custodiens filius extra perditionem erit.* Id est, quicumque ea, quæ ego hactenus dictaui verba, & documenta probè tenuerit, & seriò obserauerit, incolumitatem assequetur, & ab omni perditione, & interitu liber erit, id est, vitæ & salute æternâ donabitur. Similis enim videtur hæc clausula, qua veluti epiphonemate Salomon opus suum absoluit, his, quibus Christiani oratores conciones abfoluunt, *Et con esto nos dara Dios aqui su gratia, y despuer su gloria, &c.*



CAPVT XXX.

SALOMONIS.

VERBA Congregantis filij Vomentis. Visio, quam locutus est vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus, ait. 2. Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. 3. Non didici sapientiam, & non noui scientiam sanctorum. 4. Quis ascendit in caelum atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligauit aquas quasi in vestimento? quis suscitauit omnes terminos terrae? quod nomen est eius, & quod nomen filij eius, si nosti? 5. Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se. 6. Ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inueniarisque mendax. 7. Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar. 8. Vanitatem, & verba mandacia longè fac à me. Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria. 9. Ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei. 10. Ne accuses seruum ad dominum suum, ne forte maledicat tibi, & corruas. 11. Generatio, quae patri suo maledicit, & quae matri suae non benedicit. 12. Generatio, quae sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis. 13. Generatio, cuius excelsi sunt oculi, & palpebrae eius in alta surrecta. 14. Generatio, quae pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, ut commedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. 15. Sanguisugae duae sunt filiae, dicentes: Affer. Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod numquam dicit: Sufficit. 16. Infernus, & os vuluae & terra, quae non satiatur aqua: ignis verò numquam dicit: Sufficit. 17. Oculum, quae subsannat patrem, & qui despicit partum matris suae, effodiant eum corui de torrentibus & comedant eum filij aquilae. 18. Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. 19. Viam aquilae in caelo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia. 20. Talis est & via mulieris adultera, quae comedit, & tergens os suum dicit: Non sum operata malum. 21. Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere. 22. Per seruum cum regnauerit: per stultum cum saturatus fuerit cibo. 23. Per odiosam mulierem cum in matrimonio fuerit assumpta: & per ancillam cum fuerit heres dominae suae. 24. Quatuor sunt minima terrae, & ipsa sunt sapientiora sapientibus: 25. Formica populus infirmus, qui preparat in messe cibum sibi: 26. Lepusculus, plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum: 27. Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas: 28. Stellio manibus nititur, & moratur in adibus regis. 29. Tria sunt, quae benè gradiuntur, & quartum, quod incedit feliciter: 30. Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum: 31 Gallus succinctus lumbos, & aries: nec est rex, qui resistat ei. 32. Est qui stultus apparuit postquam eleuatus est in sublime: si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum. 33. Qui autem fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit sanguinem: & qui prouocat iras, producit discordias.



CAPVT XXX.

SALOMONIS.

I. Verba congregantis filij vomentis, Visio, quam loquutus est vir. cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus ait.



DRÆMITTAM ea, quæ ad varias lectiones, & ad Grammaticam spectant. Et quidem integras translationes dabo, deinde in mēbra distribuam. *Verba congregantis, &c.* Hebræi ferè omnes nostram lectionem carpunt, quod propria quorundam vitorum nomina dissoluerit, & in nomina, aut dictiones appellatiuas conciderit: Ipsi ergo ad hunc modum conuertunt. *Verba Agur Filij LaKeh, Visio quam dixit vir ad Ithiel, ad Ithiel, & Vehal.* Vnus ille quisquis est apud Caietanum, soluit præmissa nomina ad hunc modum. *Verba collecti filij vomentis propheta dictū viri per me cum el, mecū el potero.* Locus. n. si verbū ex verbo exprimas sic planè efferendus videtur. Septuaginta in hoc versu concisi admodum, & singulares sunt, sic. n. transcribunt. *Mea verba, fili, timeto, & suscipiens ea penitentiam age hæc dicit vir credentibus Deo, & quiesco.* Vtramque partem huic loco respondere existimo, quapropter immemò Complutens. & Regia Biblia, quæ textum Septuaginta ita ordinarunt, vt Vulgatus, & Hebræicis sic responderet, & vt versus cum versu concineret, locum istum ex ea 24. mutilum protulerunt, ab illis verbis. *Hæc dicit vir credentibus Deo, &c.* adhæc extremam istam partem Aquila paulò aliter extulit. *Hæc dicit vir ad Ithiel, & persice, Theodot. Ad Ithiel, & potero,* Hæc interpretes.

Sed tamen vt Vulgati nostri lectio facta tectaque sit libet singula verba ad amissim vocare. *Verba congregantis.* Hebr. אגור *Agur.* fluit à radice אגור *Agar.* i. congregauit, collegit, colligauit. Huius verò vocis vim postea enucleabo, illud tantum hîc obseruandum duxi, nomen illud *Agur* esse Paul prædicti verbi, atque ad eò vtrique voci deferuire posse tam actiua, quam passiuæ, sic. *Verba congregantis, aut verba congregati, seu collecti.* Itaque verbum Originale capit etiam lectionem Caiet. quod id eò animaduerti, quia ad lectionem Sept. edisserendam, gradum itermit, vt deinde constabit. Aliqui reuocant ad radicem

גור *Gur,* quæ significat peregrinari, ita vt *Agur* perinde sit, ac peregrinus, aduena, sed tamen hæc significatio in locum istum non quadat.

Fily vomentis Hebr. בן לקח *Ben-laKeh,* manat hæc vox à radice קח *Ku,* ex quiescentibus Lamed, Aleph, significat autem vomere. Testatissimum verò est apud Heb. verti posse *Fily vomentis* aut *Fily vomitus,* vt obseruauit Oforius; sed hæc diuersitas sensum non euariat. Addit Oforius transcribi posse. *Filij obedientis,* vel *Filij obedientie,* quia nimirum vocem illam, *laKeh,* deriuari posse existimauit ab alio themate, s. ab יקח *Iakah.* i. audiuit, seu obaudiuit, obtemperauit.

Visio, quam locutus est ei, pro visione subest, חמשה *Hamasah.* Alij assumptionem, alij onus, alij prophetiam reddunt, radix est נשא *Nasah,* i. portauit, leuauit, sed tamen de hoc nomine aliàs dixi.

Vir, Hebr. pro viro est גבר *Geber,* fortem adsignificat & robustum, & quidem aptè eo nomine vsus est, nam cum præmississet vocem *Hamasah.* i. onus, appositè subiecit virum fortem, & robustum ad onus illud leuandum latera habentem. Aliqui etiam huic loco adaptare conati sunt aliam significationem nominis *Geber,* quod aliàs in scriptura *Gallum* sonat; apud Isai. cap. 22. *Ecce Dominus asportarite faciet, sicut asportatur Gallus gallinaceus,* quia. s. gallus est auis præfaga horas noctis cantu denuntians & proclamans.

Cum quo est Deus, Hebr. איתיאל *Ithiel,* ex præpositione את, quæ significat ad, & cum, & ex nomine אל *El.* i. Deus. Itaque duplici sensu donari potest, s. *mecum Deus,* vel *ad me Deus.* Noster ergo interpretes sensum tenens, & hæc cum superioribus neccens transtulit. *Vir cum quo est Deus.*

Et qui Deo secum commorante. In Originibus redit iterum vox *Ithiel,* iuxta morem scripturæ, quæ ad sensum augendum nomina iterare solet. Itaque *Ithiel, Ithiel,* bis dictum, hoc est *mecum Deus, mecum Deus,* ipsum concepto Deo plenum, vel à Deo potentissimè afflatum, atque percussum significat, quod accommodatissimo dicendi modo expressit noster interpretes, cum ait, *Et qui Deo secum commorante.*

Confortatus Hebr. *Vehal,* fluit à radicibus אכל *Achal,* vel יכל *Iachal,* est autem *Iachal,* potuit, praualeuit, cui respondet Vulgati nostri lectio. *Confortatus.* i. potens, praualeus. Quia verò *Vehal* est futurum coniugationis Hophal, Theo. tot & Caiet. ad verbum extulerunt, *potero,* seu *praualebo.* Quod si referatur ad prius illud thema *Achal,* aliter dicendum: nam *Achal,* perinde est, ac *comedis, mā-*

Isaias.

ducit, consumpsit: hæc autem significatio manducandi optimè confertur cum illis verbis, *Filius uomens*, aut *Filius uomens*, quasi id euomat quod Deo ingerente, hausit, comedit, deuorauit. Denique vox *Vehal*, trahi potest à radice *לחל* *Chalal*, duplicante secundam. i. *confecit, & absoluit*: hùc spectauit lectio Aquilæ supra scripta, *Hæc dicit vir ad Ithiel, & perfice*, & translatio Sept. & *quiesco*, q. d. absoluto opere conquiesco. Sed de sensu huius lectionis postea dicam.

His prælibatis explodenda omnino est sententia Heb. qui docent, hæc verba non à Salomone, sed ab alio quopiam viro Agur nomine proflata, & dictata ad duos illos *Ithiel* & *Vehal*. Vel, vt alius placet, partim quidem ab Agur, partim ab vno *Ithiele*, ad alium *Ithielem*, & *Vehalem* destinata: explodenda, inquam, est, tanquam Rabinicum commentum.

Miror autem viros alioqui doctos, & pios, Iansen. & Rodol. hanc expositionem cum Vulgata lectione pugnantem obuuis manibus amplexatos fuisse. Ratio autem, quæ Iansen. in hanc sententiã impulit, infirma est. Quomodo n. (inquit) Salomon seipsum virorum stultissimum in sequenti versu appellauit, qui planè nouerat, se præ omnibus hominibus sapientia & prophetico spiritu donatum? Certè si hoc absurdum est; absolum quoque erit Agur, qui caput hoc doctissimum conscripsit, sibi etiam hoc stultitiæ tantæ probum in urere. Sanè hæc verba, quemadmodum alia, Salomonis propria sunt, & non minimam iniuriam tanto Vati infert, qui huius libri præcipua & maxime illustria verba illi adimit, vt alteri adscribat. Ergo hæc verba Salomonis esse communis totius Eccles. conspiratio tenet, quæ integrum librum sub illius nomine, & inscriptione legit: & ex patribus quàm plures, qui huius capituli pleraque testimonia nomine Salomonis recitant, imprimis illud *Diuitias & paupertatem*, &c. Denique ex interpretibus ita sentiunt Beda, Lyra, Hugo, Dionys. Arboreus, Olorius, Sa, Peltanus, & Caietanus, qui hac in re ab Hebraizantibus desciuit.

Sed inter præfatos interpretes, qui caput hoc Salomoni dedunt, quod ad sensum attinet, magna discordia est. Sed tamen in vniuersum duplex est illorum factio. Prior quidem sic verba isthæc de prophetia ipsius Salomonis accipit, vt pleraque ad ipsius pœnitentiam, & resipiscentiam pertinere autumat: Posterior verò omnia de prophetia edisserit, & pœnitentiæ nullam mentionem interferi putat. Ergo qui cuncta ad prophetiam referunt, non sibi similes sunt. Pergam per singula *Verba congregantis*. Alij existimant id nominis non distingui à nomine *Cobelet*. i. *Ecclesiast.* quo aliàs insignitur Salomon, nam *Ecclesia* Græcè *Congregatio* dicitur Latine. Itaque *Verba congregantis* sunt verba eius, qui euocat concionem, & ad multitudinem verba facit. Sic Hugo Cardin. Arboreus, & alij. Sed tamen difficile ad hunc sensum aptari potest proprietates verbi Heb. *Agur*, ex quo *Agur*, est. n. propriè *frumentum purum, & excussis in horrea inferre*, & in vniuersum, fructus omnes in apothecas congregare. Prou. 6. de formica, *Quæ congregat in messe cibum suum*, &c. 10. *Qui congregat in estate filius sapiens*, & alibi. Nisi fortè dicat aream esse Ecclesiam, vel concionem, & auditores grana; quæ doctor obiurgando exterit, aliquando etiam laudando eleuat, & euentilat, ac sic denique excussis vitiorum paleis purgata & munda, in horrea pietatis condit, hæc. n. sunt doctoris optimi

officia ex August. cuius verba alibi dedimus. Sed tamen hæc prior interpretatio mihi non aridet.

Secundam alij offerunt ad hunc modum. *Verba congregantis*, eius. s. qui sapientia sua regni sui subditos fœderauit & in vnitatem collegit. Itaque his verbis præcipuum Regis munus notari volunt, s. *congregare & confederare subditos*. Sic Lyra, & ex illo alij. Et quidem huic expositioni inseruit etiam vis verbi Originalis, quæ à fructibus colligendis, & in horrea inducendis trahitur. Nam Agapetus Diaconus in libr. de officio Regis sic scribit. *Vnum Regis & agricola studium, vna cura est, congregare: hic quidem serit frumentum, & frumenta congregat: ille verò beneficia serit, & ciues conducit*. Et quidem Salomon Rex planè congregans fuit, nam subditos tantoperè beneficiis, & gratia sibi deuinxit, vt nulla sedicio, aut ciuium motus Imperium eius vnquam in turbaret. Sed tamen hæc etiam interpretatio ad institutum sermonem accommodata non est.

Tertiam igitur exhibet Caiet. *Verba congregantis*. s. semetipsum, vel, vt ipse lectitat, *Verba collecti*, videlicet in seipsum. Nam cum propheta, inquit, corripitur, ac percellitur diuino afflatu, collectis animi viribus, ac potentiis, in semetipsum quasi compellitur, & ab vsu exteriorum sensuum abstrahitur. Nec abit hoc longè à vi, & significatione verbi Originalis, quod non modò significat, *frumenta in horreum inducere*, sed etiam *musto in dolia condere*. Deut. 28. *Vineam plantabis & fodies, & vinum non bibes, nec congregabis ex ea quidpiam*, supple vini, aut musti in dolia nihil inferes; & hanc esse germanam verbi significationem aliqui autumant. Ergo *Verba congregantis, filij uomens*, eo sensu, perinde erunt, ac verba eius, qui ceu dolium aliquod illato diuini Spiritus musto feruet, & exæstuat, atque ex feruore, æstuque conceptas animo sententias, dolij etiam in morem, eructat, & euomit. Sed tamen hoc etiam, vt credo, plurimum abest à mente Salomonis.

Quarta expositio propiùs accedit. Sic. n. habet. *Verba congregantis*. i. eius, qui plurimam in semetipso sapientiam & prudentiam tum ex Dei infusione, tum etiam vsu, atque periculo rerum congregauit. Facit etiam ad hoc verbi Heb. significatum. Sapiens. n. doctrinam in mentis suæ aream audiendo comportat, meditando triturat, & disceptando euentilat, ac tunc demùm puras veritates excussas, & mundas in animi sui horreum infert. Congregans igitur hoc sensu dicitur Salomon, quæ post studium, meditationem, experientiam, & vsu, purgatas iam & mundas veritates excussis difficultatibus, tanquam grana pura, & munda in animo suo coëgit, & conflauit. Potest etiam iuxta hanc quartam expositionem nomen *congregantis*, & similitudo ipsa peti ab his, qui annonæ collectores sunt, & horrea publica administrant, à qua significatione non abit nomen *Agur*, nam quod vulgò nos dicimus *Albori*, Arabicè dicitur *Agori*, ita vt nomen nostrum ab eo nomine deflexum videatur per aliqualem vocis corruptionem. At quid magis ad simile viro cuiusdam doctissimo, & ad publicè docendum comparato, quam Agur, siue collector annonæ publicæ? qui nimirum ita in se doctrinam & sapientiam collegit, & cumulauit, vt eam non sibi obseret, & occludat, sed velut publica alimenta cunctis fideliter distribuatur, iuxta illud Euang. *Quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram*.

9

Ergo Salomon se ad eum modum Agur appellat, quia coactam sapientiam non cohibebat, sed ad vsum publicum conscribent, & euulgabat. Denique si *Agur*, in vniuersum pro frumenti collectore accipiatur, non ineptè ad hanc sententiam asciscere licet Platonis dictum in Protagora, qui de his, qui sapientiam studiosè comparant agens ait. *Doctrina, ceu frumentum accessiones habet.* vulgò dicitur, *siene erues*, hoc. n. frumenti propriū est inter alia grana, vt quoties ad modium vānit, & denuò mensuratur, incrementum aliquod capiat. Suadet ergo Plato haustam doctrinam aliis tradere, repetere, & admetiri, quia frumento adsimilis est, & quoties iteratò dicitur, & pro mensura captus aliis traditur, aliquid illi accrescit, quia vel res amplius intelligitur, vel iam intellecta menti altius sedet. Propterea Christus Dominus suadet doctoribus doctrinam ad eum modum, veluti frumentum auditoribus suis admetiri, quia ex mēsurā crescit. *Fidelis seruus, & prudens*, &c. Licet etiam referre ad fructum auditorum, qui terræ ad instar aratur, & occatur, vberes fructus reddit, quos fructus doctor ipse demerere, atque congregare accommodatè dicitur: ex quo euadit.

10

Quinta interpretatio. *Verba congregantis.* i. eius, qui eruditus sententiis auditorum suorum aures conferit, & fructum inde vberem se demessurum, & congregaturum sperat. Appositè ad hanc sententiam loquitur. D. Ioan. Chrysof. de semetipso in Orat. de Paral. tom. 5. circa finem. *Videō*, inquit, *propotentis Dei munere singulis nostris concionibus aruum hoc nostrum accessiones non paruas facere, segetes florere, arcus abundare, manipulos augeti, horrea impleri, & licet dies non adeò multi praterierint, ex quo sementem hanc fecimus, ecce spica obedientia longè vberimè confestim decocta, & maturè prouenerunt.* Et postquàm spiritualis, & naturalis agricolæ aliqualem differentiam adscripsit, sic tandem subscribit. *Quemadmodum agricola agrum comparatum, & aprum excolit, quia ex eo aream, & horrea saepe complet: sic etiam nobis magna cura hæc agricultura suscipienda est, quia speramus aream, & horrea Christi breuissimo interuallo complenda.* Ergo non ineptè Salomon eandem messem sperans se annonæ congregatorem appellat.

Chrysof.

11

Agur. 1.

Sexta denique & extrema interpretatio sic habet. *Verba congregantis.* i. Verba eius qui sententias, & documenta optima cogit, & compilat. Nec putes Salomonem aliàs vulgò consueta, & familiaria prouerbia conflasse, id. n. fallum est, vt iam inde docui c. 1. v. 1. sed dicitur conflator, aut compilator, qui optimas quasque sententias instillante sibi Spiritu sancto, in librum vnum retulit, non ex aliquo ordine, sed per aggregationem & cumulum conscriptas quod propriè est congregare, & compilare; & quidem hanc expositionem non parum commēdat verbum Originale *Agur*, quod per translationem ad hanc sententiarum compilationem optimè asciscitur. Sunt. n. eiusmodi sententiæ exploratæ, certæ, & vt ita dicam, euentilatæ, quas tanquam grana pura, & munda excussis dubitationum, & controuersiarum paleis in librum istum, tanquàm in horreum Salomon contulit, quod vulgò diceremus, *to doos grano, y noay paja* Et quidem simili translatione ab eodem verbo dicitur. *תרגום Igereth.* i. *Epistola.* Nehem. 6. v. 5. Esther. 9. v. 26. 2. Para. 30. v. 6. Appellatur autem eo nomine Epist. quod in eam multa negotia, ac dissimiles valdè res colligi & contrahi consueuerunt.

Nehem. Hester. 9. 2. Paral. 30

12

Filij vomentis, huius etiam nominis interpreta-

tio distrahit expositores. Alij ergo eo nomine David censerī putant, quod tantam prophetici spiritus vim hauserit, vt prophetias non more aliorum eloqui, aut efflare, sed veluti euomere videretur. Sic Hugo Card. Itaque secundum hanc expositionem, Salomon semetipsum cum parente David componit, & addit se (si fas est filium cum patre conferre) *collectorem* merum esse, qui ascitas hinc inde sententias congerit. Patrem verò *vomentem* dici posse, qui pleno ore & gutture prophetias reddere videretur. Subdit præfatus Cardinalis, 2. expositionem de matre Bethsabæe, ita vt Salomon *Filius vomentis* dici poterit. i. filius Bethsabæe, hæc. n. interpretatur, *domus*, vel *filia satietatis*, teste Hier. de nominibus Hebr. vt perinde sit *filius vomentis*, ac filius ex satietate & saturate. Sed quorsum hic filius saturate matris dicatur Salomon? silet Hugo, Tamen dici posset, filium saturum ex saturate matre dici, quem. si iam voluptates & deliciae ad nauseam vsque exsatiassent. Q. d. non sine omine mater filia satietatis. i. saturata dicta est, quia filium editura erat voluptatibus, & deliciis saturum, ex saturitate tandem fastidientem, nauseantem, vomentem. Sed tamen expositio hæc planè coacta est, & contra textum, nam *lakch*, est masculini, & non fœminini generis.

Sed iterum redit Hugo, & superioribus tertiam expositionem adnectit hoc modo. *Filius vomentis.* i. filius David qui saluæ quodam indecoro vomitu stultitiam & insaniam simulauit coram Achis Rege Geth. Neque id abit à contextus serie, nam statim stultitiam suam fatetur in auspicio capitis cum ait. *Sulcissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum*, q. d. Homo sum verè stultus ex patre stultitiam simulante, nam simulatio illius stultitiæ. meæ veræ, & non simulatæ omen fuit. Cæterum hoc quidquid est ad David, seu ad Bethsabæe spectans ex ignoratione Hebr. sermonis profectum fuit: nota. n. est sacre Scripturæ phrasis, iuxta quam hoc nomen *filius* multis affigitur rebus, augendæ significationis gratia; *filius mortis* dicitur reus mortis, *filius nuptiarum*, sponsus, *filius iniquitatis*, valdè iniquus. Itaque iuxta hunc loquendi modum, *Filius vomentis*, seu vomitus appellatur vj abundans vomitu, vel, vt obseruat Caiet. vir, cui perseverat adhuc vomitus. i. qui cœptum sistere, aut inhibere non potest vomitum. Ergo hæc significatio ad Salomonis prophetiam accommodata non vno modo accipi potest. Aliquis dixit similitudinem hanc vomitus eò spectare, vt significetur huius libri sententias non esse connexas, & in seriem aliquam redactas, sed permixtas omninò, & solutas, vt-pote quas Salomon, veluti ex vomitu quodam effuderit: sicut. n. vomens cibos permixtos, & indiscretos reddit, sic Salomon huius libri sententias ad eum modum permixtas sine ordine, ac serie aliqua proflavit. Cæterum hæc interpretatio non elaborata, & decocta, sed quasi ex vomitione reddita videtur. Posset etiam alius aliquis similitudinem vomitus ad ipsius prophetiæ seueritatem referre, vt pote quæ sit inuectiua & satyrica. Notus est ille dicendi modus. *Euomere aliquid in aliquem.*

Cicero. 5. Phil. *In me absentem orationem euomuit.* i. inuectus est oratione sua. Terent. in Adelph. *Ibo & requiram fratrem, vt in eum hæc euomam.* Mitto alia. Ergo Salomon iuxta hunc sensum appellari potest in hoc libro *filius vomentis*, quia in eiusdem libri sententiis plerisque carpit seuerius vitia, & in vitiosos inuehitur, ita vt multa ex his in illos stomachabundus euomuisse videat;

13 Hugo.

1. Reg. 27.

14

Cicero. Terent.

tur, sed maximè in hoc cap. vers. 11. tamen hoc etiam coactum videtur.

Illud proclivius, quod tradit Cælius lib. 21. cap. 8. Vomentes appellari solitos eos, qui ex tempore nec preparata, aut præmeditata loquuntur, citatque illud Aristidis, qui ab Imperatore quaesitus, ut aliquid ipso audiente diceret, subiecit. *Hodie proponas, cras vero audias*, ἡ γὰρ ἐστὶν τοῦ ἐπιβιῶντος, ἀλλὰ τῶν ἀκελεύτων. Non sumus quidem ex vomentibus, sed ex accurate dicentibus, id est, non sumus ex his, qui ex tempore imperati dicunt ad rem. Prophetæ quidem non à se præmeditata, & comparata, sed à Deo ipso instillata, & infusa ex tempore dicebant. Ergo Salomon ut significet se non suas ex antiqua præmeditatione sententias dicere, sed ex tempore diuino afflatum spiritu eloqui, non ineptè dixerit, *Verba congregantis filij vomentis*. i. extemporaria, repentina ex diuini spiritus percussu dicta, non ex studio & præmeditatione coacta, & collecta promentis. Melius verò atque aptius ad quandam prophetici spiritus redundante plenitudinem significandam similitudinem vomitionis adhibitam fuisse dicemus. Sicut. n. homo pleno & emoto stomacho vomitionem sistere, aut inhibere non potest, donec exhausto ventriculo conquiescit, sic etiam Salomon propheticus plenus spiritu vomenti se similem esse dicit, quia ea, quæ diuino afflatus spiritu exasperat, & iam inde euomere cœperat, à libri huius initio cohibere non poterat; sed adhuc effundere cogebatur. Eodem sensu in Psalm. 44. quem plerique Salomoni tribuunt; vsus est verbo eructandi. *Eructauit cor meum verbum bonum*. & sæpè aliàs, quod perinde est, ac si dicat, Verbum bonum animo conceptum suppressere non possam. Sed velut cibus indecoctus in stomacho ructus ciet, & odore suo ipse sese prodit: Sic etiam ea, quæ à diuino hausti spiritu opprimi se, atque celari non permittunt, sed pro ructibus verba mouent, atque inuitum fari cogunt.

Visio, quam loquutus est vir, cum quo est Deus,

&c. Reliqua ad hunc prophetiæ sensum facillè accommodantur. *Visio*. Hebr. *onus*: aliqui putant eo nomine notari seuertorem admonitionem, qua Salomon vitur in hoc capite. Tamen illud fortasse accommodatius dici posset, prophetiam tum hîc, tum aliàs passim in sacra Scriptura, *Generis* nomine censerî, quia prophetæ, ut ait Dionys. Areopag. *Diuina patiebantur*, qui modus dicendi ipsi admodum familiaris est, ut significaret ipsos non tam agere, quàm sustinere, pati & portare spiritus vim. Subdit. *Quam loquutus est vir, cum quo est Deus*. i. à Deo afflatus & percussus. *Et qui deo secum morante confortatus ait*. Iteratio quædam est ad significandam spiritus prophetici vim. à qui Deo diutius, & acrius impellente demum audacter fari cœpit: vel significat semel, atque iterùm sibi hæc à Deo instillata & reuelata. Hoc etiam sibi vult lectio Originalis, si verbum ex verbo reddas, *Visio dicta à viro per mecum Deus, mecum Deus & potero*, quod facillè ad superiores sensus acciri potest. Libet etiam hîc alteram suspicionem attexere, quæ verba expendenti satis verosimilis apparebit. Constat. n. Salomonem in sequentibus pluralitatem personarum in Deo insinuasse, & docuisse: duas. n. personas, Patrem atque Filium numerauit. *Quod, inquit, nomen eius, aut quod nomen filij eius se nosti?* ergo quia duas illas personas propheticus spiritu patefacere, & insinuare volebat, ideo bis dicit. *Mecum el, mecum*

el, & potero, q. d. adfit mihi pater, adfit filius vnus Deus, & sic filio, atque patre digna eloqui potero. Hactenus de prima expositione, quæ tota ad Salomonis prophetiam pertinet.

Secunda, locum integrum ad ipsius penitentiam accommodat, quæ mihi non minus placet, quàm prima: numerat autem locupletes patronos ex Heb. Leui Ben, Gerson, & Rabi Salomon: ex nostris Lyram, Arboreum, & Ioan de Pine-da in suo præuio Salomone li. 8. ca. 1. sect. 6. quibus etiam subscribit Cardinalis, hanc. n. reliquis interpretationibus postremo loco annexuit. Ergo secundum hanc expositionem (ut alia minus idonea omittam) sic verba conformanda sunt.

Verba congregantis filij vomentis. Verba. s. eius, qui multas sibi opes, delicias, & voluptates accumulauit, sic. n. ipse ait. Eccl. 2. *Coaceruauit mihi argentum & aurum, & substantias Regum & provinciarum*, &c. vbi nullum deliciarum genus à se prætermisum fuisse dicit. *Et omnia, qua desiderauerunt oculi mei non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate fruere tur*. Sed tamen postea damna plurima expertus, vbi resipiscere cœpi, opum, atque voluptatum tantum fastidium me cœpit, ut nauseabundus illas euomere cœperim.

Ita ipsemet subdit. *Idcirco taduuit me vita mea, &c.* Hæc expositio, quam supra delibauit, accommodatior videtur, quia vim vocum Originalium melius exprimit, & totius capituli scopum collimat: vbi multa Salomon de diuitiis, de concupiscentia, & auaritate deliciarum, de potentia & maiestate Regia, quasi nauseabundus dicit, horum omnium contemptum suadens. Huic loco

ad similes est alius Iob 2. *Cum. n. dulce fueris in ore eius malum, abscondet illud in lingua sua, pareet illi, & non derelinquet, & celabit in gutture suo*, sed quid inde; *Panis eius in vtero illius vertetur in fæb aspidum intrinsecus*. i. quidquid opum, & deliciarum auide liguerit tandem acescet, atque in fella amarissima abibit, ac sic demum. *Dimittas, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet illas Deus*. Non aliter Salomoni opes & delitiæ

initio prædulces visæ sunt; at postea his in amaritudinem conuersis, per summum fastidium, & nauseam ingenti dolore, ac pœnitudine animi easdem euomere, & ante actæ vitæ molitiem retractare, ac deplorare cœpit, acciditque iuxta suum ipsius proloquium supra ca. 25. *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatas euomas illud*, nam præceptum hoc transgressus deliciarum mel ad satietatem vsque sumpsit, ac demum illud ex nausea ingenti labore, & animi dolore euomuit.

Succedat memoriæ id, quod alibi ex Nazianz. obseruauit ad præmissa verba Iob 2. s. vomitum tepenti aqua, aut cieri, aut iuuari, qui hanc vim lacrimis tribuit. Sic. n. suadet ne iniuste opes cum alienis lacrymis exforbeamus: nam citius emoto stomacho, & lacrymis vomitum cientibus has effundere cogemur. Hæc ille. Orat. 9. contra Iulianum. Haud aliter dixerim Deum Opt. Max. Salomonem ex fastidio, & tædio deliciarum ad vomitum adducere volentem, eidem ad extremum non alienas, sed proprias pœnitentiæ lacrymas immisisse, ut hæc, tepentis adinstar aquæ, vomitionem iuuarent, (sentio. n. cum pluribus illum tandem aliquando pœnituisse, & ex pœnitentia deliciis vltimum vale dixisse.) Has verò Salomonis vberiores lacrymas confirmat testimonium illud, quod ex peruetusto illo exemplari. Mixtarabico in monte Eliberitano inuento

15
Cælius.
Rhodig.

17

Eccl. 2.

Iob. 20.

16

Dionys.
Areopag.

18

Pineda.

producit noster Ioan. de Pineda ad hunc modum. *Et fleuit scelus suum vehementi fletu, & condonatum est ei, &c.* Ad rem ergo nostram: ait Salomon, *Verba congregantis filij vomentis, &c.* quasi dicat, verba hominis congestas, cumulatæque iamdiu diuitias: atque degustatas iam olim delicias per nauseam respicientis. Et sanè quicumque sequentia verba perlegerit planè agnoscat illa esse fastidientis, & nauseantis opes, voluptates, maiestatem, regnum, &c. Sed licet duæ interpretationes præmissæ mihi ante alias probentur, tamen alias etiam subscribam, quæ locum istum de Salomonis pœnitentia edifferentes aliter, atque aliter aiunt.

19

Verba congregantis filij vomentis. Sermones scilicet eius, qui multam sapientiam partim à Deo ipso hausit, partim usu, & rerum periculo partim congeffit; sed tandem quidquid ea ratione hauserat, & expresserat (licet sic dicere) per vomitum effudit, inexpiabile idololatriæ piaculum admittens: sic habent ex hebraizantibus non pauci, quæ interpretatio non caret energia. Satis n. aptè vir sapiens, atque diuinarum rerum cognitione præditus cum peccatum aliquod grauius perpetrat, suam ipsius sapientiam, & partam iam notitiam euomere dicitur. Vomitus. n. his accidit, qui ad eas epulas nec decoquunt, nec fecerunt, nec digerunt. Ergo hi eum hausit rerum diuinarum cognitionem decoquere, digerere, & in mores suos transferre non possint, ipsam demum per nauseam euomentes grauioribus sceleribus se contaminant, quos contrario quodam sensu serpentibus similes esse docet Casarius Are-

Casarius.

latensis in Orat. de pœnitentia, *Nam serpens, ait, virus euomit, ut salubres aquas ebibat; hi autem salubres sapientia ac doctrina escas euomunt, ut peccati virus exhauriant, iuxta illud, Omnis peccator est ignorans.* Rursus alij alio sensu præmissa verba donantur ad hunc modum. *Verba congregantis,* Verba scilicet Salomonis olim quidem disperdentis, ac dissipantis, sed iam nunc congregantis, & perditam colligentis. Adludit hæc expositio ad illa Christi Domini verba. *Qui non colligit mecum, dispergu, &c.* ad pœnitentiam ipsius pertinet. Itaque con-

Luc. 11.
20

gregans dicitur, quia videlicet perditam salutem & gratiam recuperare, & quæ prodigè prius disperferat congregare, & colligere iam tunc meliora sapiens studiosè curabat. *Filij vomentis,* scilicet peccatum suum: Nam qui peccatum suum per pœnitentiam eluit, ipsum quodammodo euomere dicitur. Hinc D. Petrus cum qui deplorata iam olim scelera repetit, *canem* appellat *ad vomitum* identidem *redeuntem.* Est ergo pœnitentia quædam culpæ vomitio: *Et sicut stomachus, ex vomitu crudi alimentis, aut concepti, vel accidi humoris,* (verba sunt Chrysostomi, libro de pœnitentia) *deposita nausea conquiescit, sic animus & conscientia post vomitum peccatorum, bene se habet, & salutaria alimenta deinceps appetit.* Ergo Salomon vomens dicitur, quia postquam admissa peccata euomuit, iam inde velut sedato stomacho conquieuerat & interruptas prophetias, aut bonos mores, velut escas salubres iterum appetere cœperat. Ad hanc interpretationem alicui potest translatio Septuaginta extrema clausula, *& quiesco,* nimirum deposito fastidio, sedato stomacho, expleto vomitu, conscientia videlicet ex pœnitentia & retractione sceleris confidente. Ad hæc Pacianus nauigantium nauseam ad pœnitentiam scelerum pulchrè conuertit, in Parænesi de pœnitentia. Eos enim, qui post

Christost.

Pacianus

A diuturnam probitatem, & bene actam vitam flagitiosæ vitæ sese commiserunt, his similes esse dicunt, qui ex portu in altum soluerunt: nam sicut hi initio nauseam, & fastidium experiuntur, sed si ulterius progrediantur, & portum non repetant, deposita nausea benè se habent; Ad eundem modum, qui è vita honesta, velut ex portu, in flagitiosam ruunt, initio quidem ad fluctuantis conscientia leuiore motus nauseant, & eos cuiuslibet admissi criminis fastidium capit; quod si ne tunc quidem ad probos mores, & frugi vitam remeent, breui interuallo fastidium deponunt, abiiciunt nauseam, & validissimas conscientia succussiones, & mutationes non sentiunt, hæc ille. Ex quibus constat pœnitentiam cum vomitu aptissimè componi. Ac merito *filium vomentis* i. vomentem, & nauseantem Salomonem pœnitentem appellari, qui videlicet perpetrato idololatriæ scelere ad primos fluctuantis conscientia motus nauseabundus & vomens antiquam probitatem repetiuit.

Reliqua autem verba ad hanc sententiam vocare facile est. *Visio, quam loquutus est vir, cum quo est Deus, &c.* vir scilicet, qui peccato suo per pœnitentiam diluto iam rursus Deum pectore excepit, & ab ipso incalescens fatidicas voces reddit. Cum multis. n. sentio Salomonem, qui diu in peccato idololatriæ perstitit, prophetico spiritu ductum vaticinia sua intercepisse, ac rursus post resipiscentiam concepto iterum Deo vaticinia inchoasse. Quod si verum est, satis accommodatè, ut amissum fatidicum spiritum per pœnitentiam ante acti sceleris se recepisse significaret, tunc serio adiecit (expende vim Originalium verborum) *Ishiel, Ishiel.* i. mecum Deus, mecum Deus, & *potero.* i. cum mihi adsit, imò insit Deus ipse, onus prophetia leuare potero, aut verba prophetica profari, hæc est optima horum verborum accommodatio. Quapropter alias minùs appositas expositiones præteruolans ad tertiam integri loci interpretationem contendo, quam cæteris facile præferendam esse statuo ac decerno.

D Præter duas adscriptas interpretationes de prophetia, & de pœnitentia Salomonis subest, tertia, quæ mihi magis germana videtur. Præmittenda autem sunt, quæ supra diximus tom. 1. in Isagoge huius commentarij & cap. 9. vers. 1. vbi sapientia conuiuium describitur. Mens enim Salomonis eò loci est, sapientiam inducere inter epulas suos conuiuas alloquentem, & huius libri tam varias, & dissimiles sententias dictantem iuxta veterum morem, qui præclaras sententias, problemata, ænigmata & gryphos in conuiuiis exponere, & disceptare solebant, atque ibidem multis tum sacris, tum prophanis testimonijs probauit. Nihil enim aptius, & rebus ipsis accommodatius excogitari poterat. Nam omnes huius libri sententia ex his sunt, quæ in conuiuiis recitari solebant, ut in eo capite latius dixi.

E Ergo Salomon, qui superiores omnes filius libri sententias sapientia hætenus tribuerat, ex quo illam loquentem induxerat, ut iuxta morem etiam conuiuiorum non vna tantum persona verba faceret, in hoc capite, & in sequenti duos viros ex conuiuiis, quos ad mensam sapientia inuitatos fingit sapientia producit, qui ipso silente, simili ratione eloqui, & sententias excogitatas promerè cœperunt. Hi sunt *Agur,* seu *congregans,* in hoc capite *verba congregantis, &c.* & *Lamuel* in sequenti, quod simili modo auspica-

21

22

plato.
plutarch.

tur, *verba Lamuelis Regis*. Itaque verba hæc non sunt aliena; sed quemadmodum Plato in suo conuiuio Socratem, Apollodorum, Glaucum, Agathonem, Aristodemum, & alios inducit loquentes, & singulis orationem suam, & amoris elogia tribuit, & Plutarchus septem Græciæ sapientes, & alij alios: sic etiam Salomon sapientiam ipsam, seu conuiuij Reginam, & Sympofiarum, Agur verò & Lamulem tanquam conuiuas proponit, & singulis verba dat. Ergo sic ait, *verba congregantis*, non alienum à nostro interprete nomina propria Hebraica Latinitate donare, præsertim cum Emphasim habent. Frustra huius rei exempla producam. Perinde igitur est, ac si dicat, *verba Agur*. Et quidem aptissime Salomon id nominis illi dedit, qui silente sapientia verba facturus erat: significat virum, qui multam sapientiam, & plurimas quoque sententias partim studio, partim vsu, & experientia collegerat, vt supra vim vocis primitiue expendens docui. Vel si maui *verba ligantis*, aut *colligantis*. (hæc enim omnia originali verbo respondent vt initio dixi) sic accipe, id est, verba non clarè, & apertè dicentis, sed sententias suas quibusdam similitudinibus & ænigmatibus inuoluentis. Nec abit hoc ab antiquæ scripturæ phrasi, de qua nos supra cap. 6. vers. 21. vbi expendimus verba illa Isaia c. 8. *Liga testimonium, signa legem*. i. ne apertas & claras nimium res dicas, sed eas ænigmatibus, & similitudinibus tege. Iam intelligis quam aptè hæc significatio in hunc locum cadat: Nam in conuiujs problemata, & gryphos difficiles obicere solemne erat, & caput istud eiusmodi gryphis scatet. Itaque ait verba *ligantis*, aut *colligantis*. i. verba eius, qui sententias suas ænigmatibus condit, similitudinibus tegit. Subdit.

23

Fili vomentis, seu vomitus. i. vir vomens himum satur, & affatim epulis expletus: nam ferè problemata sub epulis proponi consueuerunt. *Vomens* autem pro saturo non ineptè sumitur. Vel aliter. Moris erat in conuiuio, vt is, qui copiosè, & eleganter, & acutè fari volebat, è conuiuio surgeret, & ad eas epulas hauitumque vinum euomeret, vt mens liberior, & paratior ad dicendum foret. Sane id non crederem, nisi mihi subesset duplex satis locuples testimonium, alterum quidem Plutarchi in Symposio, vbi docens in conuiuio philosophandum, suadet vomitum ei, qui peritè dicere vult, siquidem vinum caput tentare cœperit. Alterum supra c. 23. vbi docens Salomon apud hominem liuidum non esse cœnandum, sic demum inquit. *Cibos, quos comederas enomes, & perdes pulchros sermones tuos*. Nimirum vt peritè, & copiosè dicas, cibos per vomitum extrudes. Sed nihilominus sermones tuos pulchros, & elegantes perditum iri, quia vix ille liuidus ex inuidencia nihil probabit, nihil laudabit, sed omnia potius extenuabit, contemnet, arguet. Ergo fortasse iuxta hunc morem Salomon in hoc sapientiæ conuiuio Agur loquentem inducens, propterea illum *filium vomitus*. i. vomentem appellat, quia ex vomitu leuato capite, & expeditis sensibus ad dicendum profilierat. Reliqua verò: *visio, quam loquutus est vir, eum qua est Deus*, &c. cum his pulchrè concinunt, est enim sensus, Prophetia, quam protulit vir non vino obrutus, sed Deo plenius, non ex mero concidens, sed concepto Deo confortatus, & erectus. An verò hæc nostra coniectura reliquis interpretationibus anteponenda sit, lecto-

rem arbitrum constituo. Vide plura in præcitata Ifagoge istius commentarij.

De translatione Septuaginta aliquid etiam ad extremum dicendum est. *Mea verba fili timeto, & suscipiens ea pœnitentiam age*. hæc quidem respondent illis, *verba congregantis filij vomentis*, ex quibus Sept. verba vt solent missa facientes prædictum sensum eruerunt. Et quidem nomen illud *אגור* Agur, non actiue, sed passiuè acceperunt. Quasi dicant, *verba collecti, & congregati*, vt nuper ex Caietano obseruauit. Verba autem *collecti* intelligunt verba ad virum collectum directa, ad eum scilicet, quem timor adstringit, & colligit. Nam quemadmodum lætitia soluit, & animum laxat: sic etiam metus adstringit, & comprimit. Rursus per vomentem enim notari existimantes, qui præterita peccata per pœnitentiam delet, & quasi per vomitum extrudit, sic denique sententiam extulerunt. *Mea verba fili timeto*. i. cum ad verba mea intendes metus animum adstringat tuum. *Et ea suscipiens pœnitentiam age*, nimirum his (liceat sic dicere) vomitum peccatorum tuorum moue, & ante actæ vitæ scelera his ahius extrude; quasi dicat, verba mea perinde suscipe, ac cathartica quædam medicamenta peccatorum omnium vomitum procliuem efficientia. Subdit, *Hæc dicit vir credentibus Deo & quiesco*. Illud ergo *Ithiel, Ithiel, mecum Deus, mecum Deus*, repetitum ad multitudinis numerum referendum putarunt, (sicut illud, *Homo, & homo natus est in ea*. i. plures homines in ea nati sunt.) Per eos autem cum quibus Deus esse dicitur, credentes ipsos intelligunt. Ergo ait. *Hæc dicit vir credentibus Deo*. Ego scilicet hæc demum ad eos pronuntio, qui Deo credentes mihi etiam prophetanti facilè fidem habebunt. *Et quiesco*. i. sic tandem libro absoluto & perfecto, à suscepto labore feriarior. Itaque secundum hanc lectionem Salomon præmonet, & comparat auditorem, vt extrema hæc verba studiosius hauriat, quia his prolatis finem, & vltimam manum orationi suæ imponere parat. Omnis autem qui eloquenter, & artificiosè dicit, venustiora schemata, & magis acres sententias in extremam orationis suæ partem differt. Extrema enim auditorum animis tenaciùs hærent.

II. *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum.*

III. *Non didici sapientiam, & non noui scientiam Sanctorum.*

Stultissimus sum, &c. Hebraicè ad verbum *Stolidus sum præ viro, & hominum intelligentia non est mihi*. Sensus idem. Septuaginta etiam à nostro leuiter dissident. *Insipientissimus enim sum omnium hominum, & prudentia hominum non est in me*. In quibusdam est. *Et sapientia hominis non est in me*. Sic Hieronymus contra Pelag. 2.

Non didici sapientiam, &c. In his maius diffidium. Hebræa vtique sic efferenda sunt, *& non didici sapientiam, & scientiam sanctorum nesciam*. Antiqui etiam codices vulgati sic habebant. *Et scientiam sanctorum noni*, sublatâ negatione: inuehuntur quidam in eos, qui negationem addunt; & rursus alij eos inculant, qui negationem adimunt, & imperitiam sacrarum littera-

Hieronymus

25

rum illis exprobrant, quibus solemne admodum est præpositam negationem ad subsequentem clausulam trahere. Sed tamen item istam composuit iam Clementis correctio quæ negationem expressit. Septuaginta utramque particulam negantem adimunt, & locum integrum sic edisserunt. *Deus docuit me sapientiam, & scientiam sanctorum cognoui.* Maior hæc lis, sed denique componenda.

Horum verborum sensus alioqui apertus, & facilis, ex nexu cū antecedentibus difficilis quodammodo redditur & diuersis interpretationibus locum facit. Prima est eorum, qui caput hoc ad Salomonis pœnitentiam referentes verba ista sic exponunt. *Stultissimus sum virorum,* &c. non quidem speculatiuè, & theoreticè, sed practicè, quia etsi supra omnes mortales sapientia & diuinarum rerum cognitione Salomon insignitus fuerat à Deo; nihilominus stolidissimè egit, & crimen admittit, quod ne in stolidissimum quidem hominem cadere posse videbatur. *Et scientia hominum non est mecum.* simili sensu, id est, ea scientia, quam quilibet è vulgo homo assequitur, expertem me esse sentio. *Non didici sapientiam, & non noui scientiam sanctorum.* Vt maior sit energia orationis, puta argumentationem factam à minori ad maius, quasi dicat, *Scientia hominum non est mecum,* ne dum sapientia & cognitio illa illustrior, qua sancti, & iusti præditi sunt. Itaque verba sunt Salomonis suam ipsius ignorationem incusantis, quod cum plus omnibus sapere debuisset, plusquam omnes desipuit, cum tam graue idololatriæ piaculum perpetravit. Hæc tamen expositio non placet.

Secunda ergo explicatio non ad pœnitentiam, sed ad prophetiam Salomonis spectat. Nam cum in hoc capite siue Salomon, siue alius aliquis ab ipso Salomone subinductus, pleraque difficilia, & hominis captum superantia subnectat, difficultate rerum pressus suam ipsius ignorationem initio profiteretur dicens. *Stultissimus sum virorum,* id est, cum hæc mente intueor, & illa me assequi non posse video, ad agnitionem imperitiæ meæ conuertor, adedò vt me virorum omnium stolidissimum appellare ausum. Nam etsi sapiens vulgò dicar, quantula tamen est illa sapientia, quæ ad res eiusmodi pertinere non potest? *Et scientia hominum non est mecum,* id est, scientiâ illâ careo, quam homines studio suo parare solent, nec non scientia illa, quâ Deus sanctorum mentes diuinitus illustrare, & irradiare consuevit: Hoc sibi volunt illa verba, *Et non didici sapientiam, nec noui scientiam sanctorum,* quæ omnia ad hunc modum capienda existimo. *Stultissimum* utique *virorum* me esse fateor, quia ad hæc, quæ statim dicturus sum assequenda, nec satis studij more humano posui, nec satis luminis ex diuina illustratione hæctenus hausi, atque adedò imperitiæ meam agnoscere cogor.

Tertia interpretatio, quam aliis libenter antepono, sic habet. *Stultissimus sum virorum,* ex humilitate, & animi quadam demissione hoc dicit, vt acceptam sapientiam non sibi ex studio, sed ex diuina infusione euenisse fateatur: quasi dicat, quod ad me attinet, stolidissimus sum virorum omnium, quia nihil scientiæ studio meo, atque industria more aliorum hominum mihi parauit (hoc sibi vult illud, *Et scientia hominum non est mecum;*) & si quid scientiæ nactus sum, tam eius, quæ ad aliarum rerum agnitionem spectat, quam eius, quæ prophetis sanctis à Deo instillatur, id

A quidem non didici, sed à Deo infusum accepi: atque adedò, quod ad me attinet, omnium hominum insipientissimus sum. Hanc verò interpretationem idedò reliquis anteponendam censui, quia in Salomonem alioqui mortalium omnium sapientissimum optimè quadrat, & sensu nihil differt à translatione Septuaginta, quæ primo aspectu cum nostra pugnare omnino videbatur. Aiunt enim. *Insipientissimus sum virorum omnium, & prudentia hominum non est in me. Deus docuit me sapientiam, & scientiam sanctorum cognoui,* quæ verba ad superiorem sensum vocanda sunt, quasi dicat; quod me spectat, ego reliquos mortales insipientiâ supero. Nam si eisdem idem tam sapientia, & rerum cognitione, quam propheticò spiritu vinco, id quidem mihi arrogare non possum, nihil enim laboris, aut studij in hac reposui, sed Deus ipse docuit me, & illustrem hanc sapientiam indidit, quâ nunc polleo.

Alias expositiones parum vtilis tradunt Iansenius, Rodolphus, Hugo, Caietanus, & alij, quas hîc suppressere decreui: illam solùm piam magis, quam solitam expositionem subnectam, *Beda.* quam Beda tradit; ex ipso verò Hugo, Arbo-reus, Caietanus, & alij. Hic ergo, vt Salomonem, qui se hominum stolidissimum esse dicit, à mendacio vindicet, ad hunc modum verba expendit. *Stultissimus sum virorum,* vel *stultus præ viro* (sic enim ipse ex Primitiuus elicit.) præfert, inquit, se reliquis hominibus stoliditate, & insipientiâ, nec tamen idedò mentitur; loquitur enim de ea stultitia, quæ aduersatur sapientiæ humanæ, & ipsa est apud Deum perfectissima sapientia, de qua Paulus 1. ad Corinth. *1. Cor. 2.*

2. Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam verò non huius sæculi, neque Principum huius sæculi, sed loquimur Dei sapientiam. Et iterum cap. 3. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens.* Hac ergo laudabili stultitia, quæ mundanam & prophanam sapientiam arcet, se stultissimum Salomon asserit. Propterea subdit. *Et scientia hominum non est mecum.* Hebr. *דבר אדם,* id est, *terreni.* sapientia scilicet terrestris, & eorum, qui terrena sapiunt. *Non didici sapientiam, & noui sanctorum scientiam,* sic ipse legit negationem alteram suppressens, id est, prædictam sæculi sapientiam nunquam vestigauit, sed contra ad vestigandam sanctorum scientiam animum adieci, hoc est, diuiniorum illam & solis sanctis peruiam Dei notitiam. Sed tamen hæc interpretatio multa peccat, in primis abhorret à textu Correctiori, qui in posteriori versu negationem repetit, deinde cum Salomonis persona, ac moribus parum aptè congruit.

Denique adscribenda sunt Hieronymi verba lib. 2. contra Pelagium vbi locum istum de Christo sic exponit. *Dominus, atque Saluator sub persona assumpti hominis loquitur, Insipientissimus omnium hominum sum, & non est hominis prudentia in me.* Et in Psalm. 68. *Deus tu scis insipientiam meam, sed quod fatuum est Dei, sapientius est hominibus.* Quæ quidem in Christum non aliter quadrare possunt, nisi quia omnium hominum insipientias expiandas, & luendas sibi arrogauit, vel quia hominum iudicio talis rebatur, cui scilicet iuxta Paulum, *Per stultitiam placuit saluos facere credentes,* &c. Cum Hieronym. sensit August. in epist. 49. vbi Christo similiter tradit posteriora illa verba, *Deus docuit me sapientiam, &c.* *Hierom. Psal. 68. Rom. August.*

IV. *Quis ascendit in calum, atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? Quis colligauit aquas, quasi in vestimento? quis suscitauit omnes terminos terrae? Quod nomen eius, aut quod nomen filij eius si nosti?*

A viuis migrasse dicas, atque nomen illius obliuioni datum, *Quod nomen filij eius si nosti?* i. quænam ipsius genealogia, & nepotum series, per quam illius ad nos fama transmissa est?

Alij rursus ex Hebræis, vt pluralitatem personarum in Deo, quam verba ipsa personant, eludere possint, aliam expositionem commentum sunt, sic nimirum, vt extrema illa verba, *Quod nomen eius? aut quod nomen filij eius si nosti?* non accipiantur de Deo, hæc omnia patrante, sed de sapiente illo tantarum rerum cognitione instructo, Quasi dicat. *Quis ille tam sapiens est, qui hæc omnia calluerit, & quod nomen illius?* quod si ipse deceffit, *quod nomen filij eius?* Vbi nam filius, aut generatio illius? tantæ enim sapientiæ in filiis vestigium aliquod adhuc extabit. Cæterum quis non videat has meras nugas esse, ad manifestam scripturarum vim eludendam excogitatas, atque aded his prætermiſſis ad nostra contendo.

Hæc verba cum superioribus facili nexu contendunt contexere interpretes nostri. Salomon enim inquit, supra planè insipientem se esse affirmauerat, *Stultissimus sum virorum*, &c. Nunc ergo, vt suam comprobet insipientiam hæc omnia profert, quæ mentis humanæ captam facillè superant. Hoc enim satis familiare est Scripturæ sacræ ad humanæ sapientiæ imbecillitatem notandam, vel potius obruendam, multa difficilia cumulare. Ecclesi. 1. ad hunc modum querit Iesus Syrach. *Arenam maris & pluuie guttas, & dies sæculi quis dinumerauit? altitudinem celi, latitudinem terra, & profundum abyssi quis dimensus est? sapientiam Dei præcedentem omnia quis inuestigauit? radix sapientiæ cui reuelata est, & astutias eius quis cognouit?* Item Iob 28. *Isaia 40.* & aliàs simili omnino occurrunt.

Cæterum quia, vt nuper dixi v. 1. in hoc capite Agur, seu *Congregans*, à Salomone inducitur in conuiuio verba faciens, & gryphos suos, seu ænigmata proponens, verosimilius existimo hoc esse vnum ex problematis, quæ præfatus Agur inter epulas dictasse fingitur, atque aded eâ verborum formâ fuisse conceptum, qua solent ænigmata iactari. *Quis ascendit in calum, atque descendit? Quis continuit ventum in manibus suis?* &c. Quod nomen eius, & quod nomen filij eius si nosti! iuxta id quod vulgò dicitur, *Quæscuescosa*: & quidem sanctissimæ Trinitatis mysterium hoc problemate, seu ænigmate venultè admodum condiuit. Singula expendamus.

Quis ascendit in calum, atque descendit, &c. Rodol. Iansen. & alij noui interpretes, huius loci sententiam sic conformant. Quis est ille, qui supra celos aliquando euectus, & inde ad nos reduce gradu veniens, homines de his, qui in celo aguntur edocere possit? An est quispiam qui ventos manibus suis premere, & aquas nubibus, ceu vestimento, inuoluere & fines terræ concutere potuerit? nemo scilicet: solius Dei est hæc gloria, cuius nomen nemo satis allequi potest, nec nomen filij eius, &c. Sed tamen hæc sententiæ constructio mihi nunquam arrisit. Sanè locum istum ad eum modum exponendum existimo, quo ænigmata edisseri & explicari consueuerunt; est enim ænigmati similis, vt nuper dixi. Itaque ait. *Quis ascendit in calum, atque descendit?* Beda, Hugo, Dionys. & alij, hæc propheticè de Christo pronuntiata fuisse dicunt, de quo Paul. ad Eph. 4. *Qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes calos.* Et rursus. *Quod autem ascendit quid est, nisi quia descendit, prius*

30

Quis ascendit in calum, atque descendit? In plerisque omnes lectiones consonant. Ea tamen attingam, in quibus dissidium aliquod est. *Quis continuit spiritum in manibus suis.* Heb. *Quis colligit spiritum in pugillis suis.* Est enim vox *פגיל* Chophan, in vola Pag. in volis suis. Sept. *In sinu suo.* Aug. vbi supra. *Aquila. In palmis suis.* Symmach. *In pugillis.*

Quis colligauit aquas, quasi vestimento. Hebræa non dissonant. Chald. *In pallio.* Septuag. *Quis conuertit aquas in vestimento?* sic August.

Quis suscitauit omnes terminos terræ? Hebr. *Quis statuit omnes fines terræ?* Sept. *Quis tenuit omnia extrema terræ.* Aquila ad Origines accedens. *Quis constituit, vel offermauit fines terræ?*

Quod nomen eius? &c. Hebræa non dissonant. Septuag. supprimunt extremum illud *si nosti*, reliqua concordant.

August.

D. Aug. venultam expositionem coniecit in hunc locum, sed accommodatitiam. Epist. 49. ad Deo gratias q. 3. cuius verba libet attexere. *Quodam, inquit, loco pro verb. dicitur. Quis ascendit in calum, atque descendit? quis colligit ventos in sinu? &c. Horum duorum, quæ in extremo commemoravi vnum reculit ad patrem, scilicet, Quod nomen est ei? propter quid dixerat, Deus docuit me sapientiam: & alterum euidenter ad filium, cum ait. Quod nomen filij eius: propter cetera, quæ de filio magis intelliguntur, hoc est. *Quis ascendit in calum, & descendit? quod Paulus ita commemorat: Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes calos; Quis colligit ventos in sinu. i. animas credentium in occultum, atque secretum, quibus dicitur, Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quis conuertit aquam in vestimento, vt dici pesser quotquot in Christum baptizati estis Christum induistis; Quis tenuit fines terræ? qui dixit discipulis suis, Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque ad fines terræ.* Hactenus August. Proxime ad Aug. accedit Beda, qui mixta ex literalibus, & accommodatitia expositione locum istum donat, de qua infra.*

31

Mitto Hebræorum nugæ, qui locum istum de Moyse capiendum esse docent ad hunc modum. *Quis ascendit in calum, atque descendit?* Quis scilicet Moyse par, vel similis fuit, qui montem celo proximum ascenderit, & Deo viso ad nos redierit? *Quis continuit ventum in manibus suis?* i. in potestate sua, tamquam Moyse, qui ventos virga verberans plurimos culices, atque cyniphe ipsos compleuit? *Quis continuit aquas in vestimento?* Quemadmodum ille, qui aquas identidem rubri maris virga quatiens easdem hinc & inde tamquam in aggeres, aut muros erexit vt populo iter solidum præberet? *Quis denique suscitauit omnes terminos terræ?* Sicut idem Moyse, qui populum per deserta regens miraculorum, ac portentorum famâ omnibus latè nationibus, & gentibus metum immisit; atque omnes in se vnum conciliauit? *Quod nomen eius.* i. si talis quisquam aliquando fuit, nomen illius hinc adscribe; quod si eum iam inde è

Tom. 2. Part. 2.

32

33

Ecclesi. 1.

Iob 28.

Isaia 40.

34

Ephes. 4.

22

quidem in inferiores partes terra, &c. hoc modo. A Longè melius & aptius Salomon, ventorum regnum, & imperium Deo tradidit, affirmans ipsum non cæcis specubus, aut angustis carceribus ventos inclusos tenere, sed pugillis suis obstruere, & obserare, quia nimirum tantâ facilitate eos soluit, aut premit, quâ palma extenditur, aut contrahitur; ita vt contractâ manu eos contrahere, & cohibere, ad aperta verò, & referata, eosdem soluere, & remittere videatur.

35

Displicet verò inelegans Caiet. commentarium de motu cælestium corporum, quod sic habet. *Quis instar ascendentis, & descendens caelestes sphaeras contorquet?* Nam cum hæ ab oriente ad meridiem sursum ferri, & ascendere; à meridie verò ad occasum deorsum premi, & descendere videantur, Deus etiam earum primus motor cum ipsis pariter ascendere atque descendere nobis videtur, &c. Aptius Lyra, & Arboræus hæc verba de providentia Dei sic interpretantur. *Quis ascendit in caelum,* &c. quisnam ille, qui supra cælos euectus, atque ibi cuncta nutu suo regens ad ima etiam providentia sua descendit, atque inferiora ista curat? Quod non ita accipiendum, quasi eat & redeat; sed quia vbique præsens est, & vbique operatur, itaque *ascendere, & descendere* dicitur non loci commutatione, sed providentiæ vicissitudine; quatenus non magnis solum, & excelsis rebus prospicit, sed etiam ad infima quæque prospicientiam suam deponit, ac demittit. Huic ad simile est, quod dixit Moyses in benedictione Aser. Deut. 32. *Ascensor celi auxiliator eius; magnificentia eius discurrunt nubes, habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna.* Nimirum Deus tuus, ô Aser, cælum sublimis incolit, sed tamen (liceat sic dicere) longimanus est, atque adeò inde manus suas ad infima quæque mittit, eaque suæ providentiæ brachiis complectitur, ac f. iet. id est, non solum cælestia illi curæ sunt, sed etiam terrena, & ab illis ad hæc etiam descendit. Subdit.

Deut. 32.

36

Quis continuit spiritum in manibus suis? Beda, & ex hoc alij, per *spiritum* hîc intelligit omnem spirituum dissimilitudinem, ac differentiam. s. Angelos, animas hominum ac dæmones; ita vt sensus sit, *Quis potentia sua Angelos regit? animas moderatur? & dæmones compefcit?* Vel aliter, *Quis prædictos spiritus potentia sua continet ne deficient, & in nihilum recidant? vtrunque mihi videtur coactum.* Ergo cum reliquis sentio, qui nomine spiritus ventum capiendum putant, iuxta lectionem Sept. *Quis collegit ventos in sinu?* & ita postulat contextus. Itaque ait, quis ventum tenuem, fugacem, volucrem, & labilem manibus suis premit, ac silit? non alius, nisi Deus, sed tamen expende vim verborum, *Quis continuit spiritum in manibus suis?* Nota est vis ventorum, quos vastissimæ terræ moles intra viscera sua coërcere & comprimere non possunt, quin succussis, atque impulsis longè latèque maximis regionibus erumpant, & tamen hos diuina manus continet, ac sedat. Hebræa emphasim habent. *Quis collegit spiritum in pugillis suis.* i. *quien recoge de el viento en los puños.* Veteres quidem *Eolum* quendam ventorum Deum aut Regem commentitiè finxerunt, qui ventos antro, vel carcere includebat. Quid. Metamor. 14.

Eolum Hypotadem cohibentem carcere ventos. Et hb. 2. Fastorum.

Protinus Aolis Aquilonem claudit in antris. Statim verò addit saxum immane.

Non aliter modo quam si pater Eolus antro Portam iterum saxo premas.

Lectio Sept. idem imperium eleganter describit. *Quis colligit ventos in sinu suo?* per *sinum* verò intelligo non aliquid externum, sed internos pectoris recessus, quæ significatio non est insolens in Scriptura Iob 14. *Hæc spes mea in sinu meo.* Psalm. 34. *Oratio mea in sinu meo conuertetur.* Eccl. 7. *tra in sinu stulti requiescet.* & sæpè aliàs. Existimo ergo similitudinem ductam fuisse ab humano pectore, qui ventos, seu auras respirat, & expirat: vt sensus sit. Ad eundem modum Deus opt. max. ventos vehementiùs flantes facillè colligit, & coërcet, aut etiam soluit, & remittit, quemadmodum aliquis auras sinu, aut pectore suo, vel haurit atrahens, vel reddit emittens. Nihil sanè elegantius aut dici, aut excogitari potuit ad ventorum imperium adumbrandum. Attegit,

Quis colliganit aquas, quasi in vestimento? huius etiam similitudinis vim aliter atque aliter pendunt interpretes. Caiet. de aquis tam pluuiis, quam è terra scaturientibus accipit, hoc sensu. *Quis est ille, qui aquarum manantium scaturigines, & pluuiarum defluxum sic temperat, vt quemadmodum ex panno aquis infuso, & refuso, sic ex nubibus pluuiæ, & ex fontibus venæ perstillare videantur.* Ita vt non subito pluuiæ è cælo concidant, aut è terra lymphæ vnâ omnes erumpant, sed in stillas mollissimas, & in tenuissimas venas solutæ fluant: hæc ille paulò obscurius. Et quidem hæc Caiet. interpretatio roborari potest ex communi exemplo, quo illi vtuntur, quotquot fontes omnes ex mari regi, & in suas scaturigines venire docent: quamuis tellus mari ipso elatior, & sublimior sit. Quemadmodum enim inquit, linteum ex altera sui parte aquam attingens illam sic trahit, atque ebibit, vt sapiùs ex altera parte quæ altior, & ab aquis remotior est, eandem effundat: sic terra aquas maris haurit, & per quasdam partes ipso mari sublimiores remittit. Cuius similitudinis meminit Aristot. Albert. Magn. & alij. Cæterùm hæc interpretatio mihi non satis accommodata visa est. Plerique ergo omissis fontibus, de nubibus tantum locum istum edisserendum putant, quibus fauet verbum illud, *Colliganit*, quod nubibus aliàs accommodari solet, Iob 28. *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum.* Ad eundem modum hîc Salomon. *Quis, inquit, ille est qui aquas veluti vestimento includit, vt non subito omnes decidant, sed veluti, per pannum excerniculumve percolatæ, & expressæ fluant.* Nubes autem aptissimè cum vestimento conferuntur, quia velut atrum quoddam indumentum per aeris plagas protensum, cælum contegunt, solisque & stellarum splendorem, vel penitus abscondunt, vel hebe-

37

Iob 14.
Psalm. 34.
Eccl. 7.

tant.

Aliter etiam hæc similitudo de aquis pluuiabilibus accipi potest, ita vt verbi *colliganit* vis eruat, cui in Originibus respondet *ἔσφαρι* i. *constrinxit, corse*, nubes quidem vaporibus constant, hi autem dum spissantur & densiores fiunt in pluuias abeunt. Ergo Salomon hanc pluuiarum effectiorem pulchrâ similitudine adum-

38

brauit, panni. s. aquâ irrorati, ac deinde torti & compressi. Quasi dicat, ecquis ille, qui non aliter ex nubibus conspissatis, & stipatis aquas exprimit, quam ex panno aut vestimento aquis infuso, ac deinde contorto, & compresso?

39 Sed licet hæc non ineptè dicta sint, nihilominus tamen secunda expositio mihi præferenda videtur, quæ locum istum de mari interpretatur, sed tamen minimè assentior Iansen. Rodolph. Arboreo, & aliis, qui hæc de limitibus illis, seu cancellis accipiunt, quibus Deus mare vndequaque circumdedit, ne vndis suis terras omnes latè infunderet, ac demergeret. Sed consulendus est vers. 28. c. 8. vbi locum illum Iob hæc per omnia similem latè exposuit. *Quis conclusit ostium mare, quando erumpere, quasi de vulua procedens, cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud, quasi in pannis infanti obvoluerem.* Interpretatus verò sum verba ista de æstu oceani. i. de accessu, & recessu, vide ibi. Similem ad sensum vocari debet locus iste. *Quis colligauit aquas, quasi in vestimento? quis. I. aquas maris præcinxit, ne vltra terminos sibi præscriptos sese attollerent: sed quemadmodum vestimentorum certa est mensura, quæ corpori aptatur, illudq; vndique coercet, ac cohibet: sic etiã Deus marinos ætus præfixis vndequaque limitibus, continuit, ne illarum tumor impositam sibi legem mensuramque euaderet, atque terras iterum demergeret. Eundem sensum reddunt verba Psal. 31. *Congregans sicut in vitro aquas maris.* Elegans valdè est maris intumescens, & detumescens, atque vtris comparatio, quando aquis conceptis tumet, & effusis subsidit. Rationes autem, quibus adductas sum vt hanc expositionem cæteris anteponebam, supra adscripsi cap. 8. vers. 28.*

Psalm. 32.

40

Beda.

Quis suscitauit omnes terminos terræ? Beda per terminos terræ, intelligit ea omnia, quæ terra terminis suis coercet. s. animalia, plantas, gramina, & quidquid vitæ particeps est, hoc sensu, Quis hæc terrestria, & corruptioni obnoxia conseruat, & tuetur, ita vt aliis, & aliis in dies interorientibus alia, & alia excitet, & vita donet? Non alius, nisi Deus. Sed tamen hæc interpretatio coacta videtur. Reliqui hanc clausulam cum superiori consuunt hoc modo. *Quis suscitauit omnes terminos terræ.* i. quis, inquam, ille est, qui vt pelagi vndas coerceret, & subsiditibus aquis tellus extaret, ipsius terminos eleuauit, atque extulit, vt scilicet terra altior esset quam mare, atque adeò aquæ ad ima defluentes latissimas terræ plagas apertas dimitterent. Iuxta illud, *Congregentur aqua in locum unum, & appareat arida.* Itaque iuxta hanc expositionem fines terræ appellat Salomon ipsas oras, seu littora maris; in his. n. terra continens definit, & inde mare initium capit. Hæc interpretatio mihi propterea probatur, quia illius verbi *suscitauit*, quo vltus est Vulgatus, vim exprimit. Cæterum si alias lectiones auscultare libeat, sit locus alteri expositioni Sept. *Quis tenuit fines terræ?* Heb. *Quis constituit?* Aquila *Quis statuit, vel affirmauit?* quæ verba ad stabilitatem, & immobilitatem terræ pertinere videntur, postquam .n. dixit ventorum & aquarum fugaces, & mobiles naturas à Deo regi, & impelli, subdit tellurem etiam ab ipso offiri mari, & immobilitate donari. Hæc autem omnia non ita accipienda sunt, quasi de cælo tantum, & elementis Salomon verba faciat, sed in his omnes alias complectitur creaturas, quæ cælo, atque elementis continentur. Itaque mens Sapientis est Dei prouidentiam describere, quæ non tantum cæle-

stia obseruat, & curat, sed ab his ad infima, & minima sese deponit, & nihil est in tota rerum vniuersitate tam paruum, aut ignobile, quod illius prospicientiam fugiat. Addit.

Quod nomen eius, aut quod nomen filij eius, si nosti?

In his verbis consistit problema, seu ænigma, quod Agur seu Congregans inter epulas ad torquenda conuiuatarum ingenia iactauit, quia nimium in per illa, his, quæ hæctenus præfatus fuerat, tenebras offudit, & totum problema difficile captu reddidit. Nam patrem & filium memorans, & personarum in Deo multiplicitate n. nulli eo tempore factis compertam insinuans, nodum eo tempore explicati difficilem adstrinxit. *Quod nomen eius, &c.* Aliqui existimant Salomonem hîc de nomine Dei quod *πτεροειδου* seu 4. literarum, & *αψευδου*, seu ineffabile dicitur, quæstionem inducere. His verò non assentior, atque adeò frustra hîc de nominis illius vi, ac potestate de quo satis multa diximus Cant. 1. v. 3. Alij Salomonem hîc de nomine Dei in vniuersum interrogasse existimant, vt significaret Deum esse *αψευδου*, qui. s. nullo nomine illum sicuti est significante, ab aliqua creatura censeri possit, quod sanè certo certius est. Lege D. Thom. 1. p. q. 10. art. 2. atque interpretes eius ibi, ab his etiam dissentio.

41

D. Thom.

42

Ego. n. ita reor, nomen in hoc loco, quemadmodum passim aliàs in scriptura, sumi pro ipsamet persona, iuxta canonem D. Aug. Hieron. & aliorum interpretum in Psalmos, vbi valdè obuia sunt huius loquutionis exempla. Psal. 19. *Protegat te nomen Dei Iacob.* i. Deus Iacob. & 71. *Populus insipiens incitauit nomen tuum.* i. te ipsum. & infra. *Latetur cor meum, vt timeat nomen tuum.* i. vt timeat te. Ergo sensus est, *Quod nomen eius, & quod nomen filij eius, si nosti?* i. quis ipse, aut quis filius eius edicto mihi, si fortè id allequi potuisti? Et sanè si nomen capitur pro persona, vt docet August. dum totam patris, & filij diuersitatem ad nomina reuocat Salomon, personas tantummodo discretas esse innuit, substantiam verò eandem, quasi dicat, *Quod nomen eius, &c.* id est, quæ illius persona, & quæ item persona Filij, reliqua enim indifcreta sunt.

Psalm. 19.

Psalm. 71.

At, inquires, cur Spiritus sancti personam suppressit Salomon in hoc loco, nec totam Trinitatem absoluit? Occurrunt aliqui, Primò in Trinitatis mysterio præcipuam difficultatem sitam esse in concordia summæ cuiusdam simplicitatis substantialis, & distinctionis personarum: hæc autem duarum personarum enumeratione perueniebatur. Nam semel si ponas Filium ab intellectu Patris fœcundo gigni, statim fit voluntatem simili fœcunditate præditam esse, atque ex illa personam aliam subsistere. Secundò aliter occurri potest, quia in præmissa paulò ante triplici illa Dei periphrafi totam quodammodo Trinitatem per vmbra quandam complexus fuerat Salomon, & Spiritus sancti cum duabus aliis personis etiam meminerat conuerso ordine: cum enim ait, *Quis continuit spiritum in manibus suis,* vel, vt habent Septuaginta *in sinu suo?* similitudine aëris Spiritum sanctum, atque eius processionem adumbravit, præsertim si accedat tertia illa expositio de aëre expirato, & respirato, quam supra tertio loco adscripsi expendens lectionem Septuaginta. Nihil enim est, quod Spiritus sancti emanationem, vim & munera ad intra in ipsa Trinitate, & missionem, communicationemque eiusdem ad extra in creaturas meliùs exprimat, quàm hæc similitudo respirationis &

43

Cyprian.

flatus. Lege Cyprianum in sermone de Spiritu sancto, & alios patres cum agunt de insufflatione Christi Domini, per quam Apostolis Spiritum sanctum post resurrectionem immisit. Rursus cum dicit. *Quis colligauit aquas, quasi in vestimento?* Filium quodammodo exprimere videtur: præsertim si tertiam expositionem teneamus de mari, atque illius æstu. Nam ut supra dixi cap. 8. vers. 28. Filius ex fœcunda parentis æterni mente velut exundans, haud dissimilis est æstui, quod mare ex suis quodammodo visceribus parturire atque eniti videtur, iuxta illa verba Iob. *Quando erumpebat, quasi de vulua procedens*, quæ similitudo satis aptè adumbrat duarum personarum diuersitatem cum omnimoda identitate substantiæ. Nam æstus seu fluxus intumescens maris à mari quidem fluit, & procedit, sed tamen ab ipso mari non est diuersus.

106 38.

64

Quod autem addit æstuantis maris aquas, quasi in vestimento colligatis, vel fasciis inuolutas, iuxta illud, *Et caligine illud quasi fasciis infantia obuoluerem*, ad susceptam humanitatem referri potest. Denique id quod ait, *Quis suscitauit terminos terra*, Patri accommodari potest, qui, sicut terra inter elementa (liceat sic dicere) est primum subsistens, cui aqua & aër incumbunt; sic etiam Pater est prima Trinitatis persona, ex qua aliæ procedunt, & in qua sunt. Tertio etiam responderi posset Salomonem hîc solius Filij meminisse, quia cum multas prauæ generationis differentias subiicere vellet in hoc capite æternam Filij generationem optimam nobilissimamque præmisit: si quid autem tibi altiùs & accommodatiùs in mentem venerit hîc adscribe.

V. *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se.*

VI. *Ne addas quidquam verbis illius; ne arguaris, inueniarisque mendax.*

Omnis sermo Dei ignitus. Hebr. *Omnis sermo Dei צרפפה Tserupha*. i. purgatus, defacatus, à radice צרפ צרפ Tseraph. i. incendit, decoxit. Septuag. *Omnia verba Dei ignita*. Chald. *Omnes sermones Dei sunt conflati*.

Clypeus est sperantibus in se. Hebr. *Clypeus ipse fidentibus in eo*. Septuag. *Protegit autem eos, qui reuerentur ipsum*. Shol. *Qui timent ipsum*. Chald. Etiam soluit metaphoram. *Et auxiliatur confidentibus in se*.

Ne addas quicquam, &c. Hebræa non dissonant. Septuaginta etiam consonant.

45

Hunc versum cum superiori innodare contendunt interpretes, & alij quidem alia ferunt. Mihi autem non alius nodus arctior occurrit, quàm si dicamus Salomonem postquam de filio Dei egit, quod est Verbum à patre genitum, iam nunc Verbi exterius ab ipso Deo dictati, & prolati conditiones aliquas exprimere. Nam ut alibi docuimus ex August. hoc Verbum Dei vocale, & denuntiatum exterius vices gerit substantialis æterni, & interni Verbi Dei, atque aded plurimas ex illo conditiones trahit, vide supra cap. I. vers. 24. Ergo ait. *Omnis sermo Dei ignitus*. Duplex occurrit huius prioris Hemistichij interpretatio, altera accipit verba, ut sonant. s. omnis Dei sermo flammæ ad instar ignit, accendit, vrit. Huius verò expositionis vnus & alter sen-

A sus esse potest. Prior est, sermo Dei cum auribus excipitur animum inflammat charitate, zelo, aut alio bono affectu. Sic exposuit D. Ambros. illa verba Psalm. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer*, subiicito pauca illius verba ex multis. *Quem ergo Dominus ignem in nouo sparsit testamento? Qui secretos mentium diuina ardore cognitionis inflammaret, qui vaporem fidei, ac deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet*. Et breui interuallo. *Bonus, inquit, ignis, qui calefacere nouit, nescit exurere, nisi sola peccata: hoc igne Apostolicum illud aurum probatur; hoc igne illud morum, vel operum examinatur argentum: hoc igne pretiosi illi lapides illuminantur, fœnum autem, & stipula consumitur*. Mundat ergo hic ignis animum, consumit errorem. Et rursus infra. *Hoc igne crebatur rubus, & non consumebatur; vrit enim sermo diuinus, ut corrigat conscientiam peccatoris, non exurit, ut perdat*. Denique ex his absoluit triplicem esse huius ignis vim, scilicet purgandi, illuminandi & vrendi. Vide ibi plura.

Psalm. 118.
Ambros.**B**

Posterior sensus est. *Sermo Dei ignitus*, id est, sermo Dei eos, qui non obtemperant, vel acquiescunt, ignis ad instar vrit, angit scilicet, atque molestiam illis infert: Ex aduerso *Clypeus est sperantibus in eo*, id est, his qui obaudiunt Dei verba, atque ipsa facessunt, clypei loco sunt, ad omnes ictus prohibendos: imò ad ignem extinguendum,

46

C iuxta illud. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia nequissimi tela ignea extinguere*. Existimo enim Paulum in hoc loco ad Ephes. 6. scuti quoddam genus innuere voluisse, cuius meminit Polybius de militia Romana, Vegetius, & alij, hoc enim crudo, & madido bouis corio tegebatur, atque aded ignes ab hoste vibratos facile excutiebat, atque eludebat, igneorum autem telorum non vnum genus olim in vsu fuisse comperit. Vide Lipsium in Polybium, & Godeschalcum in Vegetium. Vel aliter dicemus Salomonem duplicem sermonis Dei vsu obseruasse (liceat sic dicere) ad defendendum, & offendendum. Nam, ut iam dixi, apud veteres in vsu fuerunt ignita tela, quorum meminit Vates

Lipsius

D

in Psalm. 7. *Sagittas suas ardentibus effecit*, id est, ardentibus effecit. Et Psalm. 119. *Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoriis*. Ergo ait Salomon. *Sermo Dei ignitus clypeus est*, &c. nimirum sagitta, seu telum ignitum est ad offendendum, & clypeus ad tutelam, & munimen. Et quidem sermones Dei cum sagittis contulit Origen. in Psalm. 37. ad illa verba. *Quoniam sagitta tua infixæ sunt mihi, qui ergo, inquit, loquitur sermones Domini, sagittas iaculatur, & cum loquitur corripit, & castigans, correptionis iaculo cor penetrat audientis*. Sed ignitas sagittas elegantissimè cum verbis Dei composuit Diuus Augustinus ad illa verba Psalm. 7. *Arcum suum tetendit, & parauit illum, & in ipso parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit*. Arcum, inquit, istum scripturas sanctas libenter acceperim, ubi fortitudine noui testamenti, quasi neruo quodam duritia veteris flexa, & edomita est. Hinc tanquam sagittæ emittuntur verba Dei, quas sagittas ardentibus operatus est, ut percussæ diuino amore flagrant, &c. Rursus ad illa verba, *Sagitta potentis acuta cum carbonibus*, &c. sic fatatur. *Sagitta potentis acuta verba Dei sunt. Ecce iaciuntur, & transficiunt corda, sed cum transfixa fuerint corda sagittis verbi Dei, amor excitasur, non interitus comparatur, nouit Dominus sagittare ad amorem, & nemo pulchrius sagittat ad amorem, quam qui verbo sagittat, &c.* Ergo appo-

Psalm. 7.
Psalm. 119.Psalm. 37.
Origen.August.
Psalm. 7.

sitè ad ea quæ diximus, sermo Dei sagitta ignita & clypeus est: nam vel in alios verba Dei intendimus, vel nobis eadem accommodamus. Si igitur in alios intendamus, sagittæ sunt ignitæ, non mortem inferentes, sed amoris ardorem cordi imprimentes, & animos Deo debellantes: Si verò eadem nobis accommodemus, pro clypeo sunt ad omnia Diaboli ignea tela extinguenda, & retundenda. Cæterum hæc prior expositio, etsi cuiuspiam probabilis videri possit, ego verò illam ab Originali textu abhorreere existimo. nam verbum קצר *Tsaraph*, ex quo finit *Tseruphab*, vt nuper dixi, propriè significat, *metalla conflare, & excoquere.*

Secunda igitur interpretatio sic habet. *Sermo Dei ignitus*, id est, sermo Dei ad purum excoctus & defæcatus, passiuè, vel ad purum excoquens & defæcans, actiuè (vterque enim sensus subesse potest tum Hebræicæ, tum etiam Latine lectioni.) Ergo si actiuè sumas, sensus est perspicuus; Sermo Dei est purificatiuus, iustos scilicet, ignis ad instar, conflans, & sordes eorum consumens. In hoc sensu actiuè dicitur Psalm. 104. de Ioseph Patriarcha. *Eloquium Domini inflammauit eum*, id est, decoxit, & efflatis sordibus purum reddidit: quod quidem ad Prophetiam aliqui referunt, quasi dicat; Eloquium Dei ipsum ad vaticinandum impaluit; & purificauit. Sed verius est hæc verba ad labores pertinere, quibus Deus illum exercuit, & probauit. Chaldaus legit. *Eloquium Domini repurgauit eum*, quod ita capiendum est, id est, observatio mandatorum Dei exacta in causa fuit, vt laboribus, quasi igne, examinaretur, & ad purum excoqueretur, vel ipsamet Dei eloquia assidua eorum meditatione ipsum repurgauerant, & omnem libidinis scoriæ excoxerant. Eo sensu dixit Dauid Psalm. 26. *Vre venes meos, & cor meum.* Hieronymus. *Confla venes meos*, id est, purifica, & omnes libidinis sordes consume. Nimirum innuit sacer textus Iosephum non fuisse adulterij reum, cuius suspicione in carcerem trusus fuerat, sed purum, castum, & ab omni libidinis scoria valde mundum.

Posiunt etiam hæc verba alium ad sensum actiuè sumpta detorqueri. *Sermo Dei ignitus*, scilicet conflans, & expurgans aurum à sordibus, & scoriis, nimirum iustos, auri in morem, ab improbis, tanquam ab scoria, secernens, & separans: in Psalm. 118. qui de sermonibus, ac præceptis Dei totus est, pro illis verbis. *Præuaricantes repurauit, &c.* in Originibus sic est. *Tollit vt scoriæ omnes impios à terra, propterea diligo iustificationes tuas.* Sensus verò est eiusmodi, propterea sermones, & præcepta tua impensè diligo, quia his facillè ostendis quantum inter pios, atque impios interfit: hos enim præcepta tua violantes, velut scoriæ amoues, & abiicis, illos verò eadem feridè seruantes, tanquam aurum defæcatum, & purum ad te sumis. Simili sensu Iudicum 7. Deus Gedeonem populi sui ducem affatus ait. *Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos.* Hebræicè. *Et ibi conflabo illos*, id est, ibi scoriæ ab auro, nimirum fortes, atque robustos, ab ignauis separabo. Rabi Dauid in locum istum eiusmodi Scholium coniicit. *Ibi fundam, & purificabo illos, quemadmodum argentum ab scorijs, vt non sint ibi nisi iusti, quia dum incuruant se ad bibendum, est signum quod genua sua curuauerunt Baal.* Ego verò non inter iustos, & improbos, sed inter robustos, & imbelles discrimen à Deo quæsitum puto eo exemplo, ex his verò ignauos scoriæ nomine censer.

Quod si roges, scoriæ ne, an aurum ad bellum conficiendum elegerit Gedeon. Placet coniectura Augustini, scoriæ, hoc est, ignauissimos omnium in eo delectu à Deo fuisse præclaros, vt tota victoriæ gloria ad ipsum rediret. Ergo secundum hanc acceptionem sensus erit. *Sermo Dei ignitus*, probos ab improbis secernens, *Clypeus est fidentibus in eo*, id est, eos qui illi acquieuerunt, protegit ac tuetur. Cæterum modus iste exponendi actiuè præmissa verba, etsi aliquibus fortasse non displiceat, mihi tamen non arridet.

Quapropter aptius secundo modo passiuè effertur hæc clausula. *Sermo Dei ignitus*, id est, sermo Dei repurgatus, & defæcatus, iuxta illud Psalm. 9. *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terra purgatum septuplum.* Sed huius allegoriæ vis non eodem modo expendi potest. Diuus Augustinus in eum Psalmum, sermonem Dei tunc examinati, probari, atque purgari dicit, cum iusti tribulationibus vexantur. *Psalm. 9. Eloquia Domini tribulationibus probantur.* Et D. Gregor. ipsissima verba exponens lib. 4. Moral. cap. 28. sic addit. *Eloquium Domini argentum igne examinatum dicitur, quia sermo Dei si in corde figitur tribulationibus probatur*, id est, statim atque quis Dei verba excepit, & ea sedulus exquirat an hæc animo ipsius altius refixa sint. Illud verò *probatum septuplum* ad septem dona Spiritus sancti refert Augustinus ad septem priores beatitudinis gradus, quos enumerat Matthæus cap. 5. *Nam octaua, inquit, ubi dictum est, Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, ipsum ignem significat, quo septupliciter probatur argentum.* quasi dicat, Persecutio ignis est septuplici examine probans, & examinans, verba Dei (an scilicet in animis piorum rectè infederint) eadem ab omni sordè repurgantia: nimirum paupertate, luctu, mansuetudine, atque aliis beatitudinibus.

Secundo alij prædictam allegoriam sic exponunt. *Sermo Dei ignitus*, id est, sermo Dei purgatus, & excoctus ab omni falsitatis scoria, auri ad instar defæcatissimi obtinet, nihil scilicet falsi tanquam deterioris, & alieni metalli cohibet, sed vera omnia, & germana. Et sanè mendacia, & falsa veris permixta, valde similia sunt auri, vel alteri ignobili metallo auro immixto: Nam sicut æs auro infusum auri colorem refert, sic etiam falsa quando veris immiscentur, veritatis colorem mentiuntur. Vel aliter. Sicut æs auro infusum ipsius auri splendorem non patum hebetat, & imminuit; sic etiam falsa cum veris confusa his fidem adimunt. Et quidem vtrumque satis verum est: nam mendacium ex veritatis societate, & commercio splendorem trahit; veritatis autem splendor ex mendacij consortio plurimum hebescit, hoc verò alienum valde est à Dei sermonibus.

Cæterum ego omissis aliis, per hoc deterioris notæ metallum, vulgò *liga*: quodlibet additamentum in vniuersum capiendum esse existimo ex proprio sensu dictum. Quasi dicat, *Sermo Dei ignitus*, excoctus scilicet, atque repurgatus, nihil alieni recipiens, sed aliena omnia tanquam adulterina repudians. Hæc verò interpretatio mihi ante alias probatur, quia aptius nequitur cum sequentibus; subdit enim. *Ne addas quidquam verbis illius, ne arguaris, inueniariisque mendax.* id est, cum sermo Dei, purgatissimi ad instar auri, totus verissimus, & germanissimus sit, nihil illi ex tuo

cerebro adicere audeas; nam quidquid aliquis ex semetipso dicit, id falsitati obnoxium est. Quapropter existimo in hoc loco admoneri Prophetas, ne suas coniecturas diuinis reuelationibus interferant, ne fortè euentu rerum mentiente fides vatis periclitetur. Itaque totius loci sententia sic confirmanda est.

52

Sermo Dei ignitus, id est, sermo, quem ex Dei afflatu vates fundunt, ad purum excoctus, totus verus, & constans, Clypeus est sperantibus, vel fidentibus in eo. nimirum Prophetis ipsis eius adimpletionem expectantibus pro clypeo est aduersus omnes calumnias obloquentium, nam tandem aliquando perficitur, & fidem Prophetæ liberat. Quapropter, Ne addas, inquit, quidquam verbis illius, ne arguaris, &c. id est, ne quid ex tua coniectura, & cerebro diuinis promissis, & vaticiniis interponas, ne fortè id, vt fieri potest, frustra sit, & tua fides insimulari incipiat, & falsi Prophetæ nomen tibi accersas. Quibus verbis obiter insinuat Salomon omnia quæ dicit in hoc libro ex Dei afflatu effundi, & nihil ab ipso excogitatum, aut inuentum immisceri. In illa verò extrema verba incidit

Chrysof.

Chrysofostomus Hom. 20. in Matthæum, atque ad hunc modum expendit. Sic enim Salomon ait. Non addas verbis Dei, &c. Qui autem hoc ausus fuerit facere se sapienterem putat esse, quàm Deum, & incipit esse falsus testis, quia illud dicit, quod nec auris audiuit, nec oculus vidit. Denique illud, Clypeus est sperantibus in eo, aliqui de sacra Scriptura, & verbo Dei in vniuersum accipiendum putant, quia videlicet eius testimoniis ad eludendos omnes aduersarij ictus vti licet. Nam, & Christus Dominus hoc clypeo seipsum aduersus tentatoris iacula contexit Matth. 4. Diabolo enim præcipitium suadente produxit testimonium scripturæ. Non tentabis Dominum Deum tuum, & duas alias tentationes duobus aliis scripturæ testimoniis elusit. Sed hæc accommodatitia sunt, illa germana.

Matth. 4.

VII. Duo rogauite, ne deneges mihi antequam moriar.

53

Duo rogauite, &c. Hebr. ad verbum. Duo postulauite a te, ne prohibeas a me antequam moriar. Septuaginta. Duo peto a te, ne auferas a me gratiam antequam ego moriar.

Sententia huius carminis est perspicua. Si enim verborum sonum sequamur, hunc sensum reddit. Duo fufis a te precibus flagitauit, fac vt ea impetrem antequam moriar. Sic nonnulli. Cæterum si vim sententiæ calleamus aliter exponi debet; duo scilicet assiduis precibus a te contendi hæctenus, illa igitur quoad vixero, & superstes ero, ne mihi deneges, id est, hæc duo donec inter viuos egerim ex tua beneficentia mihi nunquam desint, sed semper adsint. Hoc sibi vult lectio Originalis, Ne prohibeas a me antequam moriar, id est, hæc mihi per te absint, donec vixero. Clarius Septuaginta. Ne auferas a me gratiam, antequam moriar. Itaque sententia totius carminis sic conformanda est. Duo a te supplex obsecraui, fac vt ea impetrem, & vbi semel exorauerim, ne vnquam deferaut me. Iansenius hinc disceptat, cur duo tantum a se postulata dicat, cum statim quatuor subiiciat. alij aliter respondent. Cæterum quæstio est leuioris momenti, & solutiones Iansenij mihi non admodum probantur. Vera solutio ex dicendis constabit.

VIII. Vanitatem, & verba mendacij longe fac a me: mendacitatem, & diuitias ne dederis mihi: sed tantum tribue victui meo necessaria.

Vanitatem, & verba mendacij, &c. Hebræa non dissonant. Septuaginta. Vanum verbum, & mendax longe fac a me Aquila. Vanitatem, sicut nostra Chald. Detractionem, & verbum mendacij elonga a me.

54

Mendacitatem, & diuitias, &c. Heb. Paupertatem & opulentiam ne dederis mihi; prædam da mihi panem statui mei: pro illis verbis, prædam da mihi, &c. subest in primitiuis חטריפני Hateripheni, a verbo חרף Taraph, quod est dilacerare, discerpere proptium ferarum. quidam sic legunt. Fac vt carnam a feris abimentum. Alij, Fac vt ferarum more vixitem. Denique plures simpliciter vertendum putant. Ale me cibo congruentia mea. Sed de vi huius lectionis postea dicam. Chaldæus. Enutri me pane sufficienti mihi. Septuaginta. Constitue mihi quæ necessaria, & sufficientia. Diuus Ambrosius in Psalmum 108. Sed ordina mihi, quæ opus sunt, & quæ abundant. Aquila. Institue mihi victum sufficientem Sy mmachus. Panem statutorum meorum. Diuus Hieronymus in Ezechielem, & in Isaiam sapius adscribit hæc verba: extrema autem sic extulit. Constitue mihi necessaria quæ sufficiant. Sanctus Sixtus in libello de diuitiis, Constitue mihi necessaria sufficienter. Omnia in idem recidunt.

Prioris Hemistichij sensus trifariam conformari solet Vanitatem, & verba mendacii longe fac a me. Aliqui existimant vanitatem, & verba mendacij esse synonyma, ita vt vanitatis nomine notentur verba vana, & casta, nimirum fallacia, seu falsa. Nam sermo verus rem ipsam, quam significat, quodammodo continet, ac coercet; at sermo mendax, vanus, vacuus, & inanis est, nihil continet: in Hebræo est vox נאוו saue, quæ sæpius mendacium adsignificat in scriptura. Exod. 23. Non suscipies vocem mendacii. Deuteron. 5. vers. 20. Et non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Mitto alia. Aliqui dicunt hanc vocem fluere a radice נאוו sauah, quæ significat adæquare, componere, ita vt sit compositio, figmentum. Alij rursus petunt a radice נאוו Saah, quæ significat aliquid subitum, & præceps, ita vt temeritatem, & precipitantiam sonet: nam mendacia subita plerumque sunt, & repentina. Denique alij, quibus libentius assentior, deriuant a radice נאוו Sava, id est, clamauit, ita vt saue sit merus clamor, cui nihil subiicitur, vacuus videlicet atque inanis. Sed tamen ea vox non mendacium solum, sed etiam Vanitatem, nihil, gratis, frustra, & alia quædam significare consuevit, quorum exempla ex lexicis petere integrum est: hinc natum fuit interpretum dissidium.

Exod. 23. Deut. 5. v. 20.

Caietanus, & Iansenius non de verbis, sed de factis vocem illam capiendam esse existimant. Caietanus quidem existimat Salomonem id obnixè a Deo postulare, vt omne seu facti, seu verbi mendacium ab ipso prohibeat. Itaque per vanitatem mendacium facti notari existimat: Nam, vt docet Augustinus, non in verbis tantum, sed etiam in operibus ac factis mendacia contingunt, quoties facta rem aliter se habere demonstrant quam sit. Iansenius ad elationem refert, & externam quandam gloriæ venditionem innui putat,

56

August.

quam à se longius remoueri postulat Salomon. Cæterùm aptius, & cum voce originali congruentius sentiunt, qui vanitatem hanc in verbis ponunt, sic Septuag. *Vanum verbum, & mendax longè fac à me.* Nec verò verbi vani, atque mendacis eandem significationem esse existimo, sed diuersam. Chaldaus ad detractionem reuocat, sic enim habet *Detractionem, & verbum mendax longè fac à me.* Et quidem detraçtio non ineptè dicitur sermo vanus, inanis videlicet, atque vacuus, vel quia plerumque detractioni hæret mendacium, cuius inanitatẽ supra expendimus, vel quia verba detractorum à viro probò, & constanti tanquàm vana, irridenda, & refellenda sunt. Quod bona similitudine Echo voces retorquentis imuit Plutarchus in Moral. quasi non aliter vir constans in anibus obloquentium detractionibus oblitere, atque illas in dicentes remittere debeat, quam prædura, & sinuosa cautes, in mora, & inconcussa Echo reddit. Aut denique detraçtio sermo vanus appellatur, quia ex vano, & inani corde fluit, iuxta illud. *Quia non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.* Et quidem olim in vltu fuerunt sepulchra quædam vacua, & inania, quæ Cænotaphia appellabantur, hæc autem erant moles sepulchrorum in morem erectæ, & inscriptæ, sed tamen cadaveri ibi nullum erat. Eiusmodi aliquod sepulchrum inane prius ac vacuum expingere videtur Vates in eo loco. *Sepulchrum, inquit, patens est guttur eorum,* nimirum n guttur eorum sepulchri quandam similitudinem exterius præ se fert, sed tamen *cor eorum vanum est,* inane videlicet, ac vacuum. Sed quorsum hæc ad detractionem? sanè hoc significat detractorem sapius mentiri, & aliter dicere, quàm in mente, & animo sentiat. Mirum sane est quanta architectetur, quantas moles verbis suis construat, credet aliquis re verbis subesse, atque ita se habere, quem admodum ab ipso serio affirmatur; sed tamen. Cænotaphium est sermo illius, & sub illo nihil omnino illius rei latet, quam exterius præsentat. *Cor eorum vanum est.* Ergo cum audis detractorem ne statim iudices famam proximi demortuam esse, & sub illius verbis delitescere, verius est illam viuere, & superstitem esse, atque sermonem eius Cænotaphij in morem vacuum esse, & vanum.

Sed licet hæc non ineptè dicantur, tamen plures sunt qui nomine *verbi inanis, & vani,* verbum nihili, id est, otiosum, & superuacaneum significari existimant. Cæterùm cum Salomontam serio hæc petat à Deo, aliquid maius verbo otioso notari crediderim. Quapropter sentio per *vanitatem,* seu *verbum vanum,* promissionem violatam notari, quasi dicat, verbi dati, aut oblata fidei violationem, & mendacium amoue longè à me. Vtrumque enim Principe indignum crimen est, atque adeò ab illo procul esse debet, ita vt ne remotissima quidem eius suspicio in illum cadat. Quid certius? Hinc Cassiodorus in Variis, Principis sermonem oraculi ad instar futurum esse dixit. *Marestras regis numinis autoritatem sortiri, & vox illius oraculi locum habere oportet.* Loquitur autem de promissis à Principe verbo ipso oblatis, quæ non aliter certa, & rata esse debent, quàm si oracula quædam, seu responsa forent à numine aliquo pronuntiata, quibus nihil falsi, aut irriti subesse potest Hinc spectat illud. *Diminatio in labiis Regis,* de qua supra non pauca cap. 16. vers. 10. Sed de Principibus qui promissis non stant, aut fidem fallunt, iam inde diximus supra cap. 25. ad illa

verba. *Nubes, & ventus, & pluuia non sequentes vir gloriosus, & promissa non complens,* & cap. 29. vers. 12 & 14 & quidem promissio irrita, accommodatè satis dicitur *vanitas,* aut *verbum vanum,* verbum cassum, & inane: Cui optimè etiam accommodari potest similitudo illa vacui sepulchri, aut Cænotaphij: nam cum exterius magnum aliquid promittat, & portentat, deintus omninò vacuum est. At, inquires, cum ad loca inania, & vacua replenda aliud aliquid semper accurrat, est ne aliquid etiam replens id, quod irrita promissio fecit vacuum? Subiicio libens, odium profectò quod sibi merito consciscit, quisquis gratis promittit, & deinde promissis non stant. Petrus Chrysol. in quadam Epistola, cuius verba retulit Dominicus Nanius in *maxima*, sic habet. *Magna esse debet in pollicitatione discretio, quia inanis promissio multorum odium sibi accersit.* eorum scilicet, quos tandem expectatio refellit. Glossa in cap. 22. Eccl. *Sunt, qui plura promittunt, & pauca reddunt. Et eos, quibus mentiendo promittunt, inimicos sibi faciunt.* Denique Stobæus in lib. de mor. *Priusquam promittas delibera, & cum promiseris facies, prius si negaueris non fecisse postea fallere est, id ergo agas, ne quis merito tuo te oderit.* Subdit Salomon.

Mendacitatem, & diuitias ne dederis mihi, sed tantum vitæ meo tribue necessaria. Hæc est altera deprecationis pars, per quam Salomon flagitat à Deo, ne sibi aut ingentes diuitias, aut magnas census angustias donet, sed ea tantum, quæ vitæ alenda sussectata esse videantur. Aliqui hæc verba à Salomone pœnitentè dicta fuisse volunt, qui opulentia, & copiarum damna expertus, meliora, & saniora sapiens, hæc sibi adimi, aut plurimum extenuari postulat: Cæterum id non curo an Salomon hæc verba suo ipsius nomine, an alius aliquis à Salomone inductas in hoc libro, *Agur* videlicet, aut *congregans* dixerit hoc enim leuius est. Sententia quidem est valdè aperta. D. Bernard. in Cant. serm. 68. & Hieronym. in Eccles. 2. Salomonem de semetipso fari existimantes hæc verba non de terrenis diuitiis, quibus Salomon supra omnes Principes affluebat, sed de spiritualibus copiis accipienda esse censuerunt. Itaque ex his Bernardus sic habet. *Perniciosa paupertas penuria meritorum, presumptio autem spiritus propter merita fallaces diuitias, & idè diuitias, & paupertates ne dederis mihi, ait sapiens.* Itaque ex hac sententia Bernardi duo hæc à se moueri postulat Salomon meritorum penuriam, aut eorundem abundantiam, quæ superbiam, & fastum gignat. Diuus Hieronymus diuitiarum nomine spiritualium lætitiarum capit, ait enim. *Non solum temporalis lætitia, sed etiam spiritualis, est tentatio possidentis: ita vt aliquando indigeam Angelo corripiente, & Angelo Satana, qui me colaphiset, ne hinc eleuer. Vnde & Salomon ait, Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi, &c.*

Cæterùm idem Bernardus sermone 2. in Dominicam Palmarum, & Hieronymus in caput 17. Ezech. & in 48. & 55. Isaia. Ambros. in Psalm. 118. Octon. 8. & libr. 6. Hexam. cap. 8. Pseudo-Sixtus in libello de diuitiis tom. 5. Bibliotheca Patrum, Bedæ, & reliqui interpretes hic de diuitiis temporalibus, & caducis hæc verba accipiunt, sed vt alios dimittam, subiicio verba Diui Ambrosij in præmissum Psalmum: neque enim aliud elegantius commentarium desiderabis; expendens quippe illa verba Apostoli. *Quis nos separabit à Charitate Christi,* &c. ac demum incidens in illa,

Plutarch.

Psalm. 5.

97

B

C

D

E

39

Chrysol.

Eccl. 22.

Stobæus.

60

Bernard.

Hieronym.

61

Ambrosij

38
Cassiod.

- Rom. 8.** Neque altitudo, neque profundum. sic atexit. Il-
lud etiam quod videtur obscurius non prætermittimus, quia ait, Neque altitudo, neque profundum: quæ sunt grana tentamenta: propterea habes in
- Isai. 7.** Isaiâ scriptum ad Regem Achaz, Pete tibi signum à Domino in profundum, aut in altum. Respondit ille: Non petam, & non tentabo Dominum. Mysticum illi propositum est, sed non intellexit. Virtus est, ne tentaret Dominum, si signum peteret in altum, aut in profundum. Dominus autem volens grana tentamenta remedio supplantare diuino ait. Ecce virgo concipiet in utero, &c. Hoc est, magnum signum; quod aliitudinis, & profundi tentamenta destruxit. Dominus enim Iesus non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, neque qua sua sunt requisivit, sed formam serui accepit, humiliavit se usque ad mortem. Itaque neque elatus est potestate, neque mortis quadam deiectione turbatus. Hoc ergo signum proponitur Regi, ut petat sibi remedium, per quod nec regia potestatis extolleretur supercilio, nec ærumne alicuius exceptione perturbaretur, ut erat corde turbat^o, cum videret bellum sibi ab Assyriis imminere. Ad hæc prophetico sermone facile est docere sarcinam quandam horum tentamentorum. Hæc enim tentamenta duo maxima Salo non oratione propria declarauit, & rogauit, ut posset excludere dicens. Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi &c. Nempe Salomon qui sapiens erat, timuit per diuitias extolli, & pauper fieri formidauit; ne paupertatis necessitate abstinentia gratiam non teneret. Hæc tamen Ambrosius, qui elegantiori oratione sententiam Salomonis exposuit, & rationem obtulit, propter quam Rex ille sapiens tam ferid hæc duo à Domino postulauit. Cui accinit etiam Bernardus vbi supra. Quia vtrouique, inquit, in sinistris videlicet, ac dextris, in prosperis atque aduersis, periculum est, idè Sapiens dicit, Diuitias, & paupertates ne dederis mihi, ne forte aut diuitia extollerent in superbiam, aut paupertas deiceret in impatientiam.
- Bernard.**
- 62.** Non prætermittenda est lectio isthæc non semel à Bernardo vsurpata, qui non paupertatem, sed paupertates de numero multitudinis legit. Postulat ergo Salomon à se excludi paupertates, quia paupertas hæc noxia, & detestabilis non est vnica, sed multiplex; sola enim opum penuria per se nequaquam est detestatione atque odio digna: imò, vt ait D. Chrysostomus iam inde à me supra adscriptus, multarum virtutum administra, & c. vna existit, atque aded ingentibus diuitiis præferri debet. Tunc solum refutanda est, cū hæret illi alia indigentia, scilicet auiditas, & cupiditas; hæc enim omnium indigentiarum maxima, imò multiplex alia ex alia maior ex minori indigentia est. Nam da mihi aliquem pauperem, & tenuissimi census hominem, hic satis diuitem, & beatum se futurum existimat, si census illius duo millia. v. g. aureorum attingat. Fac ergo illum attigisse, noua inde, ac maior illi oboritur paupertas, nam sex millium cupiditate stimulat, & sic deinceps auctis opibus augetur simul cupiditas, & paupertas: nam cum hominem his tantummodo indigere, quæ auidè cupit, exploratum sit, quoties noua, & maior cupiditas inardescit, noua simul atque maior paupertas scuit. Audi Aug. serm. 15. de diuersis cap. 4. *Iste quidem iniuste diuitia dicuntur, non quia iniustum est aurum, & argentum, sed quia iniustum est eas diuitias putare qua non auferunt egestatem. Tanto enim quisque magis ardebit egestate, quanto magis eas diligens maiores habuerit. Quomodo ergo sunt diuitia*
- Chrysof.**
- 63.** quibus crescentibus crescit inopia, qua amatoribus suis, quanto fuerint ampliores, non auferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem? diuitiam tu putas, qui minus egeret, si minus haberet? Nam vidimus quosdam cum haberent paruam pecuniam paruis lucris fuisse contentos: sed postquam cepit eis abundare verum quidem corpus auri, & argenti, sed tamen falsa diuitia, cum parua obtuleris iam recusant, credis iam eos esse satiatos, sed falsum est. Nam maior pecunia fauces auaritie non claudit, sed extendit, non irrigat, sed accendit, poculum respuunt, quia fluiuium sitiunt, &c. Hæc ille. Atque aded accommodatè Salomon paupertates à se arceri precibus contendit, nimirum illas, quæ alia ex aliis dicto modo progerminant. Cum his facit quorundam interpretatio qui verba hæc Salomonis ex sono tantum pensantes sic illa edisserunt; Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria. Vel, vt habent Septuag. Constitue mihi sufficientia. i. ne mihi opes cum paupertate copulatæ contingant, quales sunt illæ, quæ licet ingentes sint maius sui desiderium immittunt, & auiditatem assiduo stimulant, eiusmodi enim opes sociam semper habent paupertatem: tot enim nec paucioribus indiget quis, quot impensius exoptat: sed statue, aut decerne mihi necessarias, & sufficientes facultates, quæ videlicet satis sint, & exiguæ licet ac tenues auiditatem tamen omnino expleant. Ad hanc interpretationem proximè accedit Pseudo
- 64.** Sixtus loco citato. Postulat, inquit, sufficientia nature, non autem auaritia, auaritia enim nunquam sufficere aliquid potest, etiam si totum mundum, vt est luxuriosa, possidat. Sed hæc interpretatio à reliquo textu abhorret, atque aded expendenda sunt extrema verba.
- Ps. Six.**
- Sed tantum victui meo tribue necessaria.* Nostra lectio luculenta est. Originalis in consilium vocanda, quæ sic habet. Da mihi prædam panem statui mei. Kimhi existimat similitudinem duci à feris quæ in diem victitant, & non plura quærunt. aut diripiunt, quàm quæ ipsis ad victum opportuna aut necessaria sunt: & vbi famem expleuerint, venationem intermittunt. Quasi dicat; Constitue mihi alimenta non aliter, quàm feris (præstat enim hac in re rationis expertia animantia imitari, quàm homines) nimirum id fac, vt necessariis alimentis contentus (vti feris solemne est) non plura conquiram. Vel aliter. Decerne mihi victum ex præda, hoc est, labore meo sic partum, & quæsitum, quemadmodum feræ prædas suas captare solent. Illa profors incepta lectio. Fac vt capiam à feris victum. Translatio Septuag. est perspicua. Statue mihi necessaria, & sufficientia. Vel, necessaria sufficienter, vt habet Hieronymus, id est, necessarias ad vitam tuendam facultates mihi impende: necessarias, inquam, non parcè, & angustè, sed sufficienter, ita vt potius aliquid redundet, quàm deficiat. Atque id sibi vult Ambrosius cum legit. Ordina mihi necessaria quæ abundant. hoc est, decerne mihi necessaria largiùs, & copiosius. Denique illud, panem statui mei, vel statutorum meorum, quod est in Primitiuis, ad statum, & conditionem vitæ referendum esse docet Caietanus; ita vt Salomon petat facultates suæ conditioni statui, ac moribus accommodatas. Atque ita fit satis cuidam leuiusculæ difficultati; quæ à quibusdam hîc excitatur: nam hæc verba in Salomonem cadere non posse rati ea ipsi adimunt. Dico ergo diuitias, & paupertatem hîc relatè ad personam, & eius conditionem esse
- 65.**
- 66.**
- 67.** Ambros.
- 64.** August.

accipiendas. Rex enim aliquis potentissimus si conditioni suæ impares opes habeat pauper dicitur: & rursus idem si copias conditioni maiores possideat, diues, & opulentus appellatur: denique si facultates suæ conditioni pares nactus est, is quidem sufficientia, & necessaria obtinere censendus est. Quapropter id non vetat quominus hæc Salomon ex sua persona pronuntiet, quamuis poterit etiam aliam inducere, vt supra dixi, vel ipse communi aliorum nomine eloqui.

IX. Ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus? aut necessitate compulsus furer, & periurum nomen Dei mei.

NE forte satiatus illiciar ad negandum. Heb. *Ne forte satiet & mentiar & dicam, &c.* A. llii, *Et negem, & dicam*, Septuaginta. *Ne saturatus mendax fiam, & dicam.* Aquila & Symm. *Negem, & dicam.* queis hæret Chald.

Et periurum nomen Dei mei. Hebr. *Et apprehendam nomen Dei mei.* Pagninus. *Et assumam in vanum.* Chald. *Violem nomen Dei mei.* Sept. *Peierem*, sicut nostra.

Exploratum est Salomonem in hoc loco de coacta, & inuoluntaria paupertate loqui, & de abusu diuitiarum: si enim paupertas sit spontanea, sufficientiæ anteposenda est, & diuitiæ iustè partæ, & bene locatæ non malæ sunt. Ergo Salomon diuitiarum incommoda enumerans ait. *Ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Deus?* Non vna huius hemisty chii expositio. Hugo hac paraphrasi superbiam notari vult, id est, ne in superbiam impellar; hoc enim est negare Deum, ac debitum ipsi honorem sibi arrogare. Quid enim aliud superbia, nisi quædam sui ipsius idololatria ac Dei abnegatio? Sic D. Ioannes in superbum quendam Ecclesiæ perturbatorem in 3. Canonica sic habet. *Et qui amat primatum gere-re inter vos Diotrefhes non recipit nos.* Sunt qui virum aliquem eo nomine Diotrefhem appellatum hîc induci putant; sed Vatablus curiosius asserit, eo nomine cenferi solitos viros nimio fastu turgentes; nam Diotrefhes, inquit, *Dei aut Iouis nutritiû* sonat, superbi autem se diuinos Heroas, ac semideos putant, atque Dei honores sibi sumunt. Hinc obiter lux paratur verbis. *Si osculatus sum manum meam ore meo, quod est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Nam, vt docet Gyraldus de Diis Gentium, Ioui, Saturno, Marti, atque aliis Diis veteres adoraturi pedibus oscula libabant; at verò Deorum filii, aut semidiis, scilicet Herculi, Polluci, Castori, & aliis, manuum oscula offerebant, vt dispar adoratio inæqualitatem diuinitatis innueret. Hîc fortasse spectauit Psal. in secundo Psal. nam pro illis verbis, *apprehendite disciplinam*, in Originibus est, *Osculamini filium*, ipsi scilicet tamquam vero filio Dei manuum oscula date. Ergo Iob ait, *Dispeream tandem, si quâdo ex superbia diuinos spiritus mihi fumens, tamquam Dei filio, semideo, aut Heroj, mihi met ipsi manuum oscula impressi, hoc n. est arrogantia, & elationis fastigium: & negatio contra Deum altissimum, quidquid gloria enim sibi superbus arrogat, Deo detrahit.*

Secunda expositio est aliorum, qui obseruantes eam vocem, *ne satiatus*, ad gulam referunt,

quasi dicat; Ne mihi diuitiæ ingentes contingant, precor: nam diuitiæ suauiores epulas, & delicatiores mensas, hæc autem idololatriam suadent. Et quidem idololatriæ, atque multarum hæreson præcipua causa gula, & intemperantia semper fuit. Deut. 32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitranit, incrassatus, impinguitus, dilatatus, id est, cessit retrò à Deo ad idola.* Hierem. 5. *Saturauit eos, & machati sunt*, id est, idola coluerunt. & iterum, *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Et quidem post mensas, & vina, obtenebrata mens nihil Deo dignum sentire potest. Aliter etiam intemperantia ipsa idololatriæ quædam species existit, quatenus intemperantes ventrem ipsum Dei loco ponunt, teste Apostolo ad Philippen. 3. *Quorum finis interitus, quorum Deus venter est, qui terrena sapiunt.* Quibus verbis aliqua adusum existimât ad Idolum Philistinorum nomine Dagon: nam Dagon Hebraicè *ventrem sonat*, quasi dicat, hi sunt Philistæis similes, qui sui ventris Dagon diuinis honoribus prosequuntur, in quos optimè cadit Philistinorum nomen. Nam vt docet Hieronymus de nominibus Hebraicis, Philistini interpretantur, *cadentes poculo*, id est, ebrii, ac vino madidi. Quod si roges de cultu, quem intemperantes gulosi huic immundissimo Deo tribuunt, addit Tertullian. contra Pŷchicos. *Deus illis venter est, & palmo templum, aqualiculus altare, sacerdos coquus.* Ac rursus de virtutibus, quibus illi deo inferuntur, sic attexit, *Cuius tota charitas in cacabus feruet, tota fides in culinis calet, tota spes in ferculis iacet.* At, inquit, in idolis olim dæmonem aliquem præesse solitum, qui oracula, & responsa funderet, fateor; latet etiam hic in ventre. Clemens Alexandrin. in Pædagog. *His autem qui ad luxum mensarum sunt propensi præest demon belluo maximus, quem non verebor ventris dæmonem appellare, dæmonium omnium pessimum, ac perniciosissimum.* Huius verò dæmonis oracula, & responsa non sunt bellorum euentus, sed belliorum nouæ in dies adinventiones, non ad rempublicam, sed ad culinam spectantia.

Tertia interpretatio verba hæc ad auaritiam refert hoc modo. *Ne satiatus illiciar ad negandum, &c.* ne scilicet opib' multis locuples auaritiæ locum faciam, quæ ex Pauli merte est, *idolorum seruitus*, atque ad Dei denegatio, & contemptus: ad Ephel. 5. *Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus.* Et Christus in Euangelio ait. *Nemo potest seruire Deo, & mammonæ.* Vtique Mammonam lingua Syriaca, *nummum* significare docet Tertul. lib. 1. contra Marcionem. Augustinus non semel Phœnicem vocem esse dicit, & lucrum notare asserit; nam in sermone 35. de Verbis Domini sic habet. *Quod Phœnices dicunt Mammon, Latine lucrum vocatur;* sed ibi etiam fatetur Hebraicam esse dictionem. Clemens Alexandr. *Mammona ex Mammon*, per inflexionem, pecuniæ amorem signare affirmat. S. autem Iraneus lib. 3. aduersus hæreses cap. 8. sic scribit. *Mammona autem secundum Iudaicam loquelam, qua & Samaritæ vruntur, est cupidus, & plusquam oportet habere volens: secundum autem Hebraicam adiuuè dicitur Mam, & significat gulosum, id est, qui non possit se à gula continere.* Cuius verba explicare non est facile; docet enim duo, scilicet Mammona vocem esse Syriacam, & ad Hebraicos etiam Origines reuocari posse. Vtrumque libens admitto: est enim apud Syros, vel Phœnices מַמְוֹן

Deut. 32.

Hier. 5.

Ad Phil. 3.

Hieron.

70
Tertul.

Cl. Alex.

71

Ad Eph. 5.

Mat. 6.

Tertul.

August.

Iranens.

68

Hugo.

3. Ioan. E-pist.

Vatab.

Iob. 31.

Gyrat.

Psal. 2.

69

vox Primitiua, diuitias, vel *nu mos* significans, A quod nemini ambiguum esse potest. Caterum eadem vox ab Hebraeis deriuari potest, tunc uero ait Irenaeus, *Vel adiunctiue dicitur Mam, & significat gulosum, &c.* Itaque non una illius uocis deriuationem, sed duplicem esse dicit. Feuardentius eius Scholiast. doctè satis suspicatus est. *Mammō* aut *mammōnam*, ex mente Irenaei ex duplici uocabulo Hebraico conflare posse. Scilicet ex *Mam* *מ* uel *Mum*, quod *matulam* sonat, & *ן* *ן* *Hon*, quod *potentia*, siue *diuitias* innuit, abiecto *ן* *he* euphoniae gratia, & secundo *ן* *Daghes* forti onerato; tunc uero *Mammon* peiinde erit ac fordidæ diuitiæ: auaros autem fordidos, & auaritiā sordes dici compertum est. Ergo sic accipiendus est Irenaeus. *Mammon*, uel *adiunctiue dicitur ex Mam, & Hon*, una scilicet uoce ex duabus conflata, & tunc auaritiā significat, uel diuitias auarè fordidèque retentas: uel simpliciter *Mam mam*, dicitur repetitione facta, scilicet *macula, macula*, tunc uero *gulosum* notabit, constat enim gulosos conuiuatores maculas appellari solitos. Hinc illud Iudæ in Epistola Canonica: *Hi sunt in epulis uestris macula conuiuantes sine timore, &c.* Adde etiam eam uocem deduci posse ex radice *ן* *Mon*, simul cum *ן* *Mam*, est autem *Mon* species, imago, simulachrum, Idololum, quasi dicas. *Idolum fordidum, uel fordidum*, quæ significatio aptè satis in diuitias cadit.

Sed ut ad rem nostram ueniamus, D. Hieronymus in cap. 6. Matthæi, & quæstione 6. ad Algasim asserit *Mammona* idem esse uoce Syriaca, quod Græcis *πλετο* quem Poëta Deum finxerunt. Et quidem apud Syros sub eo nomine Plutonem, aut Ditem adoratum fuisse reor, sicut etiam apud Moabit. nomine Chamos. Sic scribit Diuus Gregor. Nazianz. in Iambico aduersus opum amatores.

*Multi licet sint, & uocentur improbi,
Idololatra dictus est solus tamen,
(Quo nullum in euo grauius est usquam scelus)
Qui præter aurum nihil scit, aut nil cogitat:
Facilurus ut qui hoc facile sit, morbum ob suum,
Si tempus adstet quidpiam lucri afferens,
Vel execrandum quod Chamos Plutum colat.*

Hinc ergo spectauit Christus Dominus cum ait, *Nemo potest seruire Deo & Mammona*, id est, nemo potest utrumque diuino cultu prosequi, & utrumque; numinis loco habere: sic exponit Chrysostomus in Epistolam ad Ephesios cap. 5. & alii non pauci.

Quomodo autem auarus diuitiarum idololatra sit, non eodem modo exponunt Patres. primo Augustinus auari idololatriam in eo ponit, quod ordine rerum perturbato Deo quidem utitur, ac nullo fruitur: Nam lib. 11. de ciuitate cap. 25. sic habet. *Non sicut peruersi, qui frui uolunt nummo, uti autem Deo, quia non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt.* Itaque Augustinus tunc auarum pecuniis honores diuinos tribuere dicit, cum propterea Deum colit, & obseruat, ut ab illo nummos impetret. Similis omnino sibi est idem Doctores in Psalm. 30. ubi sic scribit. *Dico breuiter homini auaro, Inuocas Deum: quare inuocas Deum? ut det tibi lucrum: lucrum ergo inuocas, non Deum: quia hoc lucrum quod concupiscis non potes habere per seruum tuum non potes habere per colonum tuum, per clientem tuum, per amicum tuum, per satellitem tuum: ideo inuocas Deum: ministrum ergo lucri tui facis Deum, uel uis tibi Deus. Vis inuocare Deum? gratis inuoca.*

Ambros. hanc idololatriam acutè admodum expendit in Epistolam ad Colossen. cap. 3. ubi sic ferit. *Aliud crimen est auaritia non dispar malitia (scilicet ab idolorum seruitute) sed diuersum nomine, semper bibens, & semper iucens: non immeritò ergo sub uno idololatria nomine utrumque; malum comprehendendi ostendit: penè enim uno expletur opere: Quia sicut idololatria uni Dei auferre nititur gloriam, ne, quod eius peculiare est, solus habeat nomen diuinitatis sibi soli condignum: Ita & auaritia in Dei res se extendit, ut, si fieri potest, unus & solus creaturam Dei sibi usurpet, quam Deus comunem omnibus fecit. Vnde dicit Propheta Aggai. 2. Meum est aurum & meum est argentum. Vtraque igitur Deo inimica est, amba. n. Deo abnegant, qua illius sunt.* Itaque mens Ambrosii est illum, qui sibi arrogat uel usurpat ea, quæ Deus omnibus communia esse iussit, non tam ab aliis quam ab ipso Deo illa eripere: Quem admodum qui eam fortem, quam Principes aliquis seruis suis distribuendam dedit, sibi sumeret, non tam seruis, quam Principi iniurius esset. Ergo auarus propterea idololatra appellatur, quia sicut idolorum cultor Deo gloriam ipsi propriam aufert: ita etiam auarus bona alia eidem eripit.

Basil. in cap. 1. Isaia hanc idololatriam aliunde petit. *Auidus (inquit) congerendarum opum, ubi thesaurus est ibi intedit cor, ut latrariam exhibeat idololatriam in explebilis auaritia praesidi.* Sensus est, quod quemadmodum in Gentium idolis praerat semper daemone aliquis oracula fundens, in quem adoratio intendebatur: Ita etiam malè partis pecuniis, opibusque, daemone aliquis praestitit auiditatem assidue stimulans, cui potius, quam ipsis pecuniis auari inseruiunt, & obsequuntur. Vnde cum diabolus Christum ad auaritiā impelleret, ostendens illi omnia regna mundi, *Hac (inquit) omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.*

Quarto, Aliter Nicetas, in orat. 19. Nazianz. de hac idololatria decernit. *Auaritiā, inquit, idololatriam Paulus uocat fortasse, quod eos solos diuitiarum amor deceat, qui Deum nesciunt: uel quia sicut Ethnicus confertis manibus simulachrum amplectitur, ita & auarus aurum ianuis & repagulis committit: atque illud quasi sacrum quoddam donarium attrètare minime audet. Quod si quando ad id necessitate compulsus fuerit, haud aliter animo afficitur, quam si nefarii aliquid perpetrasset.* Quibus uerbis tres rationes assignat, quas eoluere necesse est. Prima sic habet, *Quod eos solos diuitiarum amor deceat, qui Deum nesciunt.* quasi propterea idololatria dici debeat, quia aut omnino nullam esse, aut idololatriæ cōiunctam esse oporteat. Nam ab his, qui uerum Deum agnoscunt & colunt, pecuniarum amor plurimum abhorreere debet. Ratio in promptu est, quia alii Dii falsi socios diuinitatis & adorationis consortes admittunt, atque ad eum his, qui illos adorant pecunias etiam adorandi locum faciunt: at uero Deus optimus maximus solus sibi diuinitatem arrogat & alterius Dei consortium minime patitur.

Secunda uero ratio clauditur illis uerbis. *Vel quia sicut Ethnicus simulacrum confertis manibus adorat (sic lego, non amplectitur, ut habent nuperi codices repurgati) Sic auarus pecunias ianuis & repagulis committit.* Adhuc quidem ad ueterem adorationis ritum (qui hodie etiam Mauris solemnissimus est) quo gentiles confertis, complicatis, & contractis manibus Deos uenerari & adorare sole-

bant. Manus autem ad eum modum confertæ & contractæ, avaritiæ & parcitatis symbolum exhibent. Quid certius? Ergo sic ait: Similis est avarus idololatræ, quia sicut hic simulacrum confertis, contractis & obferatis manibus adorat, sic ille pecunias adorabundus colit & manus contrahit, clauditque præ sordibus & avaritia.

Tertia denique ratio subest illis verbis. *Atque illud tamquam sacrum quoddam donarium atrectare minimè audeat*, &c. quæ satis perspicua est, id est, Quemadmodum idola colentes donaria & in uniuersum res sacras manibus contingere nefarium, atque prophanum existimant: sic etiam avari nummos inclusos contrectare, nedum insumere, & effundere, nefas & piaculum inexpiable rentur.

Quinto S. Nilus Abbas hanc avaritiæ idololatriam satis aptè exposuit orat. 3. de avaritia his verbis. *Execrabilis est, qui facit idolum, & in abscondito ponit, huic similis est, qui avaritia vitio laborat: ut enim cultor idoli numen adulterinum & inutile veneratur: sic avarus vanam diuitiarum imaginem anima complectitur & colit.* Quasi dicat, idoli cultor in simulacro, vel statua, numen non verum, sed falsum, & commentitium adorat: sic etiam avarus in auro & argento non veras diuitias, sed falsam quamdam & adumbratam diuitiarum imaginem & similitudinem colit: Nam verè & minimè falsa diuitia non alia sunt, inquit Nilus, nisi gratia, virtutes & alia quæ animum potius quàm corpus ditant: alia adumbratæ sunt, & fallaces. Concinit D. Anselm. ad eum locum Pauli, ubi sic habet. *Nam sicut qui idolis seruit, cultum debitum creatori, imaginatæ creature attribuit, sic & avarus impendit cultum effigiata pecunia: ideoque pecunia facta est illi idolum, quia spem suam in illa ponit, & à Dei cultu pro ea recedit. Dum enim deberet adire Ecclesiam custodire arcam, dum deberet rogare Deum, petit forum, ut augeat lucrum, &c.*

Sexto D. Chrysofom. Homil. 6. in Epist. ad Romanos: *Ne, inquit, dixeris, te aureum idolum non adorare, quin potius illud mihi probato te ea non facere, quæ ipsum aurum faciendæ iubet. At non sacrificas boues, quemadmodum gentiles: sed quod multo pestilentius est: tuam ipsius animam pro vitima illi offers. At genua non flectis, non adoras: sed magis audiens dicto es, si quid præceperit aurum, venter, & concupiscentia id genus alterius tyrannis. Si enim gentiles hoc nomine execrabiles sunt, quod hominum affectus Deos effecerunt, concupiscentiam Venerem, iram Martem, ebrietatem Bacchum, avaritiam Plutum appellantes, quanto magis tu execrabilis es, qui & si illorum exemplo idola non sculpis, maiori animi studio eisdem animi affectionibus te summittis, & eadem adoras. Vel (liceat sic dicere) illi earum affectionum idola in ligno sculpunt, tu autem execrandus magis, qui eadem in animo exprimis tuo. Hæc ille, quæ interpretatione non egent. Sed rursus hom. 18. in Epistolam ad Ephes. illam Pauli sententiam longâ oratione edidit: & postquàm aliqua præscripsit ex suprascriptis, ad hunc modum subiicit. *Quanam est Mammona? avaritia, & tu eam adoras? non adoro, inquis, quare? quia non te ipsi inflectis, & incuruas? Multo magis adoras per facta & res ipsas: hæc enim est maior adoratio: & ut dicas, vide in Deo quinam eum magis adorant, hi ne, qui stant in precibus, an qui faciunt eius voluntatem? Ita etiã in Mammona & avaritia, qui faciunt eius voluntatem, magis eam adorant. Atque illi, qui predictas animi affectiones sub**

illis nominibus Martis, Veneris, Pluti, & aliorum, sæpe ab illis sunt remoti. Videre enim licet cultorem Martis iram reprimere & cohibere: at in te non ita accidit, sed ipsismet affectionibus seruis & obtemperas. Quasi dicat, si illi ex eo solùm, quia earum affectionum imagines colunt, etiam si ab ipsis affectionibus liberi sint, execratione digni sunt, tu potiori iure detestandus, qui eademmet affectiones colis & obferas. Addit, gentiles tunc cum immanius agere solebant hominũ corpora idolis mactare solitos: Avarus autem suam atque illius cuius facultates diripit, animam avaritiæ ante aras perimit. Hæc (inquit) animarum cædes maxima sunt, ante aram avaritia non satiantur, neque se sistunt usque ad sanguinem hominum: sed nisi etiam ipsam sacrificaueris animam non impletur ara avaritiæ, & nisi utriusque acceperit animas, nempe eius, qui sacrificat, & eius, qui sacrificatur: eum enim qui sacrificat oportet primum esse sacrificatum & ita sacrificare: & mortuus (horrendum dictu) sacrificat enim, qui tunc vivit.

Sed ulterius Chrysofomus aliam offert rationem, quæ præmissam avaritiæ idololatriam extollit, *Idololatra, inquit, adorant Dei creaturas: & coluerunt, inquit Apostolus, & seruiuerunt creatura magis quàm creatori: tu autem tuam adoras creaturam: Deus non creauit avaritiam, sed eam inuenit immoderatio tua inexplebilis.* Et alia ibid. attexit Chrysofomus satis eleganter, quæ ab eodem excipi possunt. Illud minimè omittendum est, quod tradit hom. 18. in Epistolam ad Corinthios, ubi venustè admodum auaros cum his contulit, qui auream Nabuchodonosoris imaginem supplices adorarunt. *Hoc fit etiam nostro tempore, ait Chryso. & nunc Rex est fornacis Babylonice, & nunc accendit flammam illâ sauiorem: est nunc quoque, qui iubet illam adorare imaginem, & multi admirantur hanc imaginem auream, nec auream solùm, sed variam & magnam: est enim res huiusmodi avaritia: qualis illa imago, ne ferrum quidem excludens, sed ex rebus composita dissimilibus, iubens omnia admirari, non aurum solum & argentum, sed etiam as & ferrum, & his multo viliora. Sed tamen cum tot sint eius imaginis admiratores, non desunt etiam trium puerorum amulatores, qui dicunt: Imaginem auream, quam erexisti non adoramus, sed paupertatis fornacem libenter sustinemus: sed quid inuile? Qui imaginem adorant multa habentes, & multa possidentes, hi exuruntur & paupertatem acrius sentiunt, nam quò plura habent plura appetunt, atque ad eò pluribus indigent: qui autem nihil possident, tribus pueris similes, cum sint in paupertate, rore asperguntur, sicut etiam & tunc qui pueros in ignem iniecerunt, conflagrarunt: illi autem in medio fornacis erant tamquam in rore, & aqua. &c. Hactenus Chrysofom. cuius nonnumquam verba omisi, & sensum tenui. Ex dictis constat opulentiam ad idololatriam quandam satis impiam avaros impellere, à qua Salom. sibi ipsi timuit cum ait. *Ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam quis est Deus? ne scilicet dubitare incipiam quis dignus ampliori cultu, & obseruantia, Deus ne, an Mammona.**

Quarta deniq; interpretatio & (ni fallor) accommodatior, de vera idololatria accipit præmissa verba. Itaq; Salom. diuitias ingentes sibi à Deo nequaquam dari flagitat: ne ab his dementatus ad idola colenda animum adiciat. Et quidem ope ad idolorum cultum diuitum animos transf-

Nilus.

Anselm.

79
Chrysof.

80

Rom. 1.

Daniel.

82

Osea. 2.
& 12.

ferre solitas multa suadent. Oseas cap. 2. Ego, inquit, dedi eis frumentum, vinum, & oleum, & argentum multiplicavi eis, & aurum, & ipsi fecerunt Baal. & capite 12. Veruntamen diues effectus sum, inveni idolum mihi, omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem quam peccavi. Quibus verbis Propheta rationem assignat, propter quam opes ad simulachrorum cultum permouere consueuerunt: quia scilicet diuitiæ ad cuncta scelera perpetranda administræ sunt, & auxiliares. Cùm autem Deus optimus maximus hæc scelera legibus suis seuerius vetet, diues statim Deum aliquem sibi effingere vult, qui nihil ipsi prohibeat, sed quilibet admittendi copiâ faciat. Hoc sibi vult Ephraim cùm ait, *inveni idolum mihi*. i. effinxi mihi simulachrum sed quid inde? *Omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem, quam peccavi*: quasi dicat, Hinc accidit, vt ex indulgentia huius numinis quod egomet mihi effinxi, in omni opere & labore meo nullius criminis aut peccati mihi conscius videar, quia Deus iste nullis legibus me adstringit, &c. Vnde

Ambros.
Aug.

D. Ambros. lib. 2. Officiorum cap. 7. *Auaritia*, inquit, *perfidia vicina est.* & Aug. de Ciuitate l. 5. docet homines ab idolorum cultu ad Dei fidem paupertate priuam traductos, & fidem à paupertate acceptam paupertate augeri: diuitiis autem & opibus exteri & in perfidiam relabi. Ergo Salomon opulentiam timere se affirmat, ne hæc (vt affollet) illi perfidiam suadeat. Subdit.

83
Seneca.

Aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei: hæc coacta & inuoluntaria paupertatis damna furtum & periurium, vtrumque satis certum. Primum ergo coacta paupertas suadet furta, vnde illam *farti matrem* dixit Seneca, non ex partu, sed ex abortu infælici. Ita enim reor paupertatem spontaneam cùm vltro & absque vi, expletis (vt ita dicam) mensibus parit, non vnam tantum, sed omnes virtutes parere solitam. Chryso-

Chrysof.

stomus homilia in Psalmu 4. *Sciatis*, inquit, *sciatis aperte quod diuitia quidem his, qui non attendunt, sunt vitiorum omnium ministra, paupertas autem Philosophiæ parens*, &c. Philosophiæ inquam, id est morum secundum virtutem & honestatem. Itaque paupertas cùm spontanea est, atque ad eò sponte parit, optimos mores edit, cùm verò coacta est, atque ad eò per vim & abortum parturit, furtum & maleficia omnia ex illa nascuntur. Hinc Arist. libr. 1. Ethicorum cap. 5. *Ea*, inquit, *quæ pecuniis incumbit violenta quaedam est vita*. In Græcis quidem subest vox violentiam & nixum ad significans, quæ in partu immaturo accidere solet: atque ad eò duplici sensu donari potest, *Violenta quaedam est vita* id est, aliis vim parans & facultates eorum inuadens, vel ita doloribus & laboribus multis obnoxia, mulieris intempestiue parturientis nixum & dolores quodammodo imitans. Opes enim iniuste partæ ingenti dolore constant. Audiendus insuper Aristotel. in problem. sect. 29. c. 4. vbi paupertatis veriusque discrimen venuste attingit, coactæ scilicet, quæ improbis euenit, & spontaneæ quæ apud viros probos est: sic enim querit, *Cur paupertas apud homines probos, & bonos potius, quam apud prauos esse solet? occurrit.* *An quia ab omnibus odio habetur & expellitur, ideo ad probos perfugit, rata maximè apud eos salutem, permanendique locum se posse assequi.* Econtrario verò si ad improbos venerit, nunquam eos fortuna ista contentos fore, sed vel furta, vel latrocinia adiuturos, deinde aliam offert prioris quæ sit non in-

84

Arist.

A iucundam rationem. *An quia viros probos optime se vsuros existimat, nec sibi putulant ex contumeliosè que quidquam facturos? Itaque vt nos pecuniarum deposita tunc hominibus probis credimus, sic etiam hæc sibi dispensat & statuit: & post pauca sic infit.* *An quia mala est numquam se malis iungere velit? nam si ita maluerit omnino malum irremediabile ipsa videtur.* Ergo ab his omnibus cauet sibi Salomon & obseruat, ne sibi ingrata illa, inuisaque paupertas accadat, quæ tot mala gignere conuenit.

Addit secundò periurium ex hac nefaria paupertate suboriri, *Et periurem nomē Dei mei.* Nam vir inopia laborans, vt qualicumque sorte subleuetur, non solum facile iurat, sed etiam peierat: Vnde aptè admodum suadet D. Greg. Nazian. in Iambico de iuramento, ne super lucro, aut pecuniis iuretur, nam tunc maximè periurii discrimen imminet, sic. n. ait.

Iurare quæstus absit at causa mihi.

Est quippe turpe facinus hoc supra modum,

Quinimo promptum crimen est periurii:

Plures. n. sunt improbi in pecuniis.

Et quidem tantum est periurii periculum cùm de pecuniis, & quæstu agitur apud viros tenues, vt sapius oboli vni⁹ causâ peierare ausing. Chrysof. in acta Apostol. Hom. 9. *Proh Deum*, inquit, *de obolis iuramenta fiunt, & periuria. An quia fulmen supernè non descendit, & non omnia subuertuntur propterea stas obstringens Deum? quamobrem, vt olera accipias, aut calceos pro paruo argento, &c.* Pro his autem leuissimis rebus Deum etiã cum veritate adiurandum non esse comprobat.

Qui iurat, inquit, *Deum, aut fideiussorem, aut testem facit, dic oro mihi, si seruis inter se contententibus, dixerit quispiam ex illis fidem se nequaquam alteri habiturum, nisi communis Dominus fideiussor, & testis accedat, nonne illi irrogarentur merito plaga multa, vt discat, quod domino in aliis grauioribus, & non in hisce vii oporteat, Deū ergo eiusmodi contumeliâ afficine sustineas, quam alius quilibet homo in se committi agere ferret.*

Et quidem obseruanda est lectio originalis, quæ tantummodo habet, & apprehendā nomen Dei mei, pro quibus Pagninus, *Et assumam in vanum nomen Dei mei.* Itaque secundum hanc lectionem non tantum peierandi, sed etiam frustra, & sine causa iurandi causam à se remoueri postulat Salomon: non solum periuria, sed etiam iuramenta exofus. Absit, inquit, à me paupertas, ne ob angustias rei familiaris cogar assumere nomen Dei in vanum: ne scilicet cogar pro pecuniis, ac quæstu etiã cum veritate, iurare, hoc. n. semper vanū est. Nimirum rebatur Salomon iuramenta pro quæstu etiam cum veritate nuncupata, nisi iste maximus sit, vt minimū esse vana & inania. Nam iuramenta de leuioribus & nihil rebus edita proculdubid vana sunt: quæstus autem & pecunia à viris probis pro nihilo haberi debet. Videas hoc à Chrysof. passim enuntiatum, qui cùm quæreret, an alicuius quæstus gratiâ iurare liceret, subdit virum iustum quamlibet iacturam libentiùs subire oportere, quàm Dei testimonio pro quæstu abuti. Nam Hom. 12. in Matth. sic habet. *Quid faciam? non mihi credit, nec vult credere, nisi iurauero. Acquiesce magis pecuniam perdere, quam saluè: præciosior est animatua, quàm res tua: Viliior est res tua, quam vt testimonio Dei contutari debeat.* Sed tamè id eo loco Chrysofomus iuramenti malitiam per hyperbolein extollit: aut certè perfectionem suadet, non id, quod in præceptis est. Licet enim aliquando

85

Nazian.

Chrysof.

86

Pagnin.

Chrysof.

quando pro pecuniis Deum adiurare, sed tamen non debet esse quælibet pecuniæ summa, aut leue iacturæ periculum, vt iuramentum vanitatis crimen effugiat. Ad alia.

X. *Ne accuses seruum ad Dominum suum: ne fortè maledicat tibi, & corruas.*

87 **N**E accuses, &c. Hebr. *Ne crimineris lingua, aut crimen imponas seruo apud Dominum suum, ne forte maledixerit tibi, & delinquas.* Chal. *Ne maledixerit tibi, & reus peragaris.* Sep. *Ne tradas seruum in manus Domini, nequando maledicat te, & delearis.* Illa verò extrema: *Ne delearis:* Aquila, Symm. & Theodot. sic extulerunt. *Ne pecces, ne delinquas.*

Prima expositio est Hebræorum, qui existimant hac sententia interdici Iudæis ne seruos gentilium (quos cum ad legem se receperant ex infidelitate iam deinceps liberos esse, & iugum seruitutis excussisse putabant) dominis suis deferrent, aut traderent. Iuxta illud Deuter. 23. *Ne tradas seruum domino suo, qui ad te confugerit, habitabis tecum in loco, qui ei placuerit, & in una urbium tuarum quiescet, ne constripes eum.* Huic expositioni fauet lectio Sept. quæ sic habet. *Ne tradas seruum in manus domini sui.* Eandem etiam lectionem sequutus est Beda, quam spiritali quodam sensu donat hoc modo. *Omnis qui facit peccatum seruus est peccati. Hunc ergo ille domino suo tradat, qui quemlibet delinquentem, & respicere volentem sua exhortatione, aut exemplo præterita delicta repetere suadet.* Cæterum prior expositio est Rabinnica ac textui parum accommodata, atque adeò non est audienda. Reliqui fermè interpretes per *seruum* virum quemlibet humilem, & infirmum in vniuersum capiendum esse existimant: per *dominum* autem eum, qui potentia & opibus pollet: ita vt dominus, & seruus propriè sint superior, atque inferior, non seruitio, sed dignitate & potentia: sensum autem sic conformant: *Ne inferiori calumniam aliquam obiicias apud eum, qui superior illo est, atque illum vi, & potentia sua facile opprimere potest, ne fortè ab eo afflictus ex animi sui angore tibi mala precetur, & preces illius Deus ratas esse iubeat.* Ita enim fieri solet, vt maledicta pauperum, ac miserorum irrita non sint. Hanc expositionem amplectuntur Hugo, Lyra, Iansenius, Rodolphus, Arboreus, & alij, & in textum nostrum apprimè quadrat.

88 Cæterum quia, vt initio præmissi, extrema illi voci, *ne corruas* in originibus respondet. *אלחלש* *El Thalsen.* i. *ne delinquas*, vel, *ne reus agaris* vt habet Chaldaeus, alium sensum subodoratus sum ad hunc modum. *Ne accuses seruum apud dominum suum.* i. ne crimen aliquod imponas subdito apud superiorem & potentio-rem, vel etiam iudicem (hæc. n. omnia *dominus* significare potest) ne ipse vicissim *maledicat tibi* i. de te malum aliquid dicat, nimirum crimen aliud tibi obiiciat, ac demum reus esse comprobis: quod quidem ita accipiendum est: Suadet Salomon auditori, ne criminofus & delator sit: nemo. n. est qui culpa prorsus vacet: quod si aliquis hodie ab omni crimine immunis est crastina die illud admittet, atque adeò delatus, seu denunciatus, poterit illum vicissim reconuincere & criminis alterius insimulare. Concinit hoc cum illo apud nostrates vulgato problemate. *El que tiene*

Tom. 2. Part. 2.

A *el texado de vidrio, norice piedras al del vecino.* Ad hunc sensum vocari debet extrema illa pars nostræ lectionis, *ne maledicat tibi & corruas.* i. labaris, aut delinquas, ne scilicet postmodum & tu labaris, atque delicti reus ipsius testimonio comprobis ab eo quem accusas. Translatio etiam Sept. huic sensui potest inferuire. *Ne tradas seruum in manu Domini sui.* Ne scilicet ob delictum aliquod te autore subditus in superioris manus veniat, vt ab ipso pœnæ debitæ exigantur. *Nequando maledicat & delearis.* Fiet enim, ait, vt aliquando mores & vitam tuam curiosè vestigans crimen aliquod æquale, aut maius tibi obiiciat, propter quod grauissimæ pœnæ subiaceas: hoc sibi vult illud, & *delearis.* i. ne euertaris. Hoc verò de his delictis accipiendum est, ad quæ deferenda non est aliunde obligatio, aut consilium. Ad alia.

XI. *Generatio, quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit.*

XII. *Generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis.*

C XIII. *Generatio, cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrectæ.*

XIV. *Generatio, quæ pro dentibus habet gladios, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.*

A Ntequam de singulis dicā, harum quatuor sententiarum inter se, aut etiam cum superioribus nexum aperire oportet. Et quidem generatio Hebr. est *דור* *Dor.* atatem sonans vel *generationem* per successionem ad posteros deriuatam, vel *prolem*, vel etiam speciale aliquod genus, seu conditionem hominum. Prima igitur concatenatio sententiarum illarum per *generations*, diuersas hominis ætates accipit, pueritiam, iuuentutem, & virilem ætatem, sed tamen præmissa verba difficilè admodum & coactè ad eum sensum trahuntur.

89 Secundò, alij præfatas quatuor sententias sic ordināt, vt diuersas ipsius mundi ætates notēt, in quibus dissimilia vitia viguerunt. Prima ætas Idololatrias tulit. 2. Iudæos, 3. Hæreticos, 4. impios Christianos. Vel, si ingratum est tibi mudi sæcula in eas ætates concidere, per *quatuor generationes* totidē illas hominum condiciones suprascriptas significari dicunt. Nam 1. generatio, inquit, Idololatrias signat, hi. n. patrem suum. i. Deum, & matrem suam, hoc est Ecclesiam maledictis proscindunt, 2. generatio Iudæos notat, qui propterea quod carnem de foris externis quibusdam lauacris, & baptismatibus eluunt, sibi munditiem arrogant, cum tamen sordes animi minimè deponant. 3. generatio Hæreticos adumbrat, quos fastus, superbia, & elatio animi vera fide deficientes in tam dissimiles sectas cōpulis. 4. generatio malos Christianos innuit, qui ab omni misericordia & mansuetudine alieni viscera induunt ferrea, & in pro-

ximos sœuitiam exercent. Cæterùm hæc quoque A
expositio mihi parum accommodata videtur.

90

Tertius igitur sententiarum illarum ordo cum
per *generationes* diuersas hominum condiciones
accipiat, quatuor vitia significari docet, quæ vi-
tam hominum potissimum infestare solent: impie-
tatem erga parentes, hypocrisim, superbiam, & sæ-
uientem in proximos iram, quæ præmissis illis ver-
sibus ad amissim respondet: sic Beda, Hugo,
Arboreus, Ianfenius & alij plures quibus libenter
subscriberem, nisi digniorem aliquem sensum de-
litefcere existimarem.

91

Igitur præfatus generationum ordo duplici alia
ratione conformari potest. Prior quatuor illas
sententias cum superiori versu necit. Posterior
cum duobus sequentibus consuit. Prior sic habet
præceperat Salomon, ne quis per calumniam cri-
minosus, aut delator esset, quia nemo est tam in-
sons & culpa vacans, vt non vicissim deferri, &
delicti alicuius appellari apud superiorem possit,
Iam nunc subdit hominum ad crimina, & calum-
nias imponendas maximè procliuum conditio-
nes. *Generatio, ait, quæ patri suo maledicit, &c.* quæ
sententia cum non intercedat verbum aliquod,
per appositionem exponi potest. Quasi dicat: Ex
his qui criminosi sunt, quidam ad effundenda
maledicta ita procliuus inueniuntur, vt ne parenti-
bus suis parcant: verùm etiam illis crimina obii-
cere audeant. *Generatio, quæ sibi munda videtur.* Ni-
mirùm alij sunt, qui iactandis in alios criminibus
assueuerunt, ac omni culpa, aut scelere vacuos,
ac perimundos se esse existimant, & tamen non
paucos culparum nauos, ne dicam scelerum im-
purissimas maculas sibi adusserunt, de quibus
argui, & insimulari similiter ipsi possunt.
Generatio cuius excelsi sunt oculi, &c. Hi scilicet,
qui delicta aliorum accusant vel produnt, tumidi
sunt, & præ nimio factu, & supercilio alios con-
temnunt, incusant, laceffunt. Deniq; addit, *Ge-
neratio, quæ pro dentibus habet gladios, &c.* Nimi-
rum hoc criminosum & cunctis infensum homi-
num genus adeò petulans & mordax est, vt pro
dentibus gladios, & cultros pro molaribus habere
dixerim, quibus pauperes, ac misellos homines
proscindunt, molunt, conficiunt. Hæc de priori
sensu, qui deinde enucleatius edisserendus mihi
est, sed tamen huic expositioni non assentior.

92

Posterior interpretatio eandem quatuor senten-
tias ad subsequentiũ sensum reuocat: hæc au-
tem nomine *דור, seu generationis*, prolem vel
filium intelligit, hæc enim est altera non insolens
eius vocis significatio (vt iam præmisi.) Ani-
maduertere autem oportet Salomon, plerasque
huius capituli sententias sic contexere, vt quas-
dam res inter se componat, & ex collatione reli-
quis alteram anteponat: Nam paulò post subne-
ctit. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus
ignoro* Et iterùm. *Tria sunt, quæ bene gradiuntur, &
quartum incedit feliciter, & rursus, Tria sunt, in sa-
turabilia, & quartum numquam dicit sufficit.*
quæ postmodum enumerat, & inter se confert, &
præfert. Ergo ad eundem modum hîc Salomon
quatuor generationes, vel prolis differentias re-
centet, & in seriem redigit, vt eas inter se conferat,
& ex collatione alteram præferat, scilicet quartã,
Intelligit autem quatuor filiorum differentias, qui
vitia quædam ex sua natiuitate trahere solent. Ita-
que per *generationes* filios accipit prauos, malitiam
ex genere & origine petentes. Huius interpreta-
tionis autores mihi sunt Sep. qui loco *generationis
filium malum* vtique reddunt. Quomodo autem

hæc intelligi oporteat ex dicendis constabit. Sin-
gula iam expendo.

Generatio quæ patri suo maledicit, &c. In He-
braicis deest relatiuum *quæ*, sic. n. habet. *Generatio
patri suo maledicit, & matri suæ non benedicit.* Sept.
Filius malus patrẽ suũ maledicit, &c. Hæc verba,
si iuxta priorem illam seriem accipiuntur, quæ sc̄n-
tentias istas cum antecedenti clausula necit, du-
plicem ad sensum vocari possunt. Præmittit. n.
Salomon *seruum*. i. humilem, abiectum & de sæ-
ce hominem, apud superiorem, aut iudicem non
esse accusandum, ac subdit, *Ne maledicat tibi, &c.*

B

hinc duplex sensus sequentis clausulæ, *Generatio,
quæ patri suo maledicit, & matri suæ non benedicit.*

93

Nam referri possunt vel ad accusatorem, vel ad
seruum: si de accusatore, & delatore capiantur,
sensus conformandus est, vt supra, *Generatio, quæ
patri suo maledicit, &c.* quasi dicat, aliqui sunt ad
maledicta iactanda, & crimina aliis imponenda ita
procliuus, vt non modo in alios sibi inferiores,
aut æquales maledici sint, sed etiam in parentes
suos maledicam linguam exerere soleant: ipsisque
contra omnia naturæ iura crimina, & calumnias
affigere non vereantur, cum ex aduerso qui parcût
iniuriis & maledictis etiam erga inferiores longis-
simè absint, ne superiores quomodolibet lingua

C

sua violent aut saucient. Vnde eleganter Plato in
dialogo 6. de legibus agens de seruorum educa-
tione sic scribit *Est autem recta horum educatio, vt
nulla illis contumelia inferatur, iniuriaque his multo
minus, quàm equalibus inferenda: liquidò. n. colligitur
qui ex natura, & non fide iustitiam colit, oditque
reuera iniquitatem, cum cauet ne his iniuriam faciat
quibus facile potest. Qui ergo circa mores, actionesque
seruorum nihil vnquam facit impiè, nihil iniqui-
que adeò in his se seruat immaculatum ad producen-
das virtutis fruges erit aptissimus.* Et quia hîc Salo-

Plato.

mon non presè de seruo agit, sed in vniuersum de
omni viro superiori, & potentiori erga inferio-
rem & inualidum (vt supra animaduerti) sub-
dit Plato. *Idemque de Domino, & Rege, omnique*

D

potentiori erga imbecilliores rectè dici potest. Hæc il-
le, quibus verbis argumentum quorundam infer-
uit à minori ad maius, sic. n. disertè ratiocinatur.
Qui seruum humilem & imbecillem cui facilè &
impunè iniuriam inferre potest, non lædit, facilius
& promptius adduci poterit, vt in æquales vel su-
periores & potentiores iniurius non sit. Nimirum
suadet Salomon auditori ne vnquam infirmiores
lædat, sed ipsos potius obseruet & colat, ne inde
assuefactus parentibus suis parum deferat. Huic
sententiæ ex aduerso respondet id quod dixit
Telecrus apud Plutarchum in Laconicis, qui
percontatus cur mos esset apud Spartanos, vt iu-
uenes quantumuis nobiles assurgant senioribus
etiam sordidis, & ignobilibus, sic occurrit. *Vt as-
sueti honorem redere senibus nulla propinquitate iu-
ctis, magis honorent suos parentes senio confectos.* Er-
go simili oratione suadet Salomon non esse infe-
rendas iniurias infirmioribus etiam sordidis, ne in-

94

E

de iuuenes assuecant parentibus suis senio con-
fectis iniurias dare. Cæterum hæc interpretatio,
quam recentiores aliqui tradunt, in eo peccat,
quia non satis firmum argumentum conficit, dum
à seruorum calumniis, ad parentum iniurias trãsit.
Nisi dicas argumentationem ad iniuriis, quæ infe-
runtur seruis hoc est infirmioribus & imbecilliori-
bus, ad parentes senio iam confectos, infirmos, at-
que imbecilles transferri, quasi dicat. Quisquis
ex eo alios iniuriis & calumniis appetit, quia in-
firmi sunt, atque inualidi, is sanè si parentes tan-

Plutarch.

dem habuerit senectute ingrauescente viribus effætos, & imbecillitate simili præditos, eos etiam iniuriis & probris laceßere audebit. Sed tamen hæc minus accurata sunt.

Satius est prædicta verba ipsimet seruo vel humili, aut ignobili viro affigere, sic enim luculentior euadit sensus ad hunc modum. Ne seruum. i. sordidum & degenerem hominem per calumniam accuses, is. n. cum læsus erit, probra & iniurias in te reget. *Generatio, qua maledicis patri suo, & matri, &c. i.* Hoc genus hominum, sordidum, vile, & ignobile, per summam petulantiam etiam parentes suos probris & maledictis appetere solet. Et quidem ita docet Aristotel. in Ethicis libr. 3. capite 5. & experientia ipsa fidem facit, ignobiles, sordidos, & plebeios homines patriæ potestatis tameratores & pietatis erga parentes violatores faciles esse. Itaque mens Salomonis hæc est, Ne virum sordidum & infamem calumniis, aut accusationibus laceßas, nam vitiosis appetens maledicta & probra in te retorquet. At, inquit, Princeps, ac Dominus, aut hæres sum, atque adeo sordidus ac vilis homo verebitur me? Non ita, inquit Salomon, *Generatio. n. hæc maledicis patri suo, & matri sua non benedicit. i. hæc hominum vilis conditio probris aut calumniis laceßita mirum in modum læuire solet, adeo vt ne parentibus suis parcat.*

Quod si posteriori modo, atque ordine: prædictæ sententiæ conformentur, ita vt quatuor prauorum filiorum species ab ortu suo vitia noxasque trahentium enumerentur, & quarta reliquis præferatur, sensus erit. *Generatio (vel, vt habent Sept.) malus filius patri suo maledicis, & matri suam non benedicit. i. liberorum quoddam genus est impium, ac ferum, quod parætum suorum amorem, & timorem exuens, eos probris, ac maledictis dehonestare solet: eiusmodi autem filij vitium hoc ex suismet natalibus quodammodo haurire consueuerunt, nam fere sic accidit, vt filij sæui, ac crudeles in parentes, liberos generent, qui eadem sæuitiam & crudelitatem in ipsos exercent. Itaque hæc sententia suadet filiis, vt parentes suos colant, & reuerentur, ne liberos ipsi gignant contumaces, & proteruos: sed de hac sententia infra versu 17. non pauca dicam. Subdit Salomon.*

Generatio, qua sibi munda videtur, & non est lota à sordibus suis, Heb. ad verbum. Generatio munda in oculis suis, & à sordibus suis non est lota. Sept. Filius malus iustum se iudicat, exitum vero secum non lauit. Diuus Hieronymus libro 1. contra Pelag. Filius malus iustum se facit, & non lauat exitum suum.

Si in prima serie hæreamus, verba ista ad superiorem illam clausulam reuocantes. *Ne accuses seruum, &c.* sententia hæc duas capit expositiones: duabus respondentibus, quibus antecedentem donauit. Nam si quidem de illo intelligamus, qui seruum, vel inferioris notæ virum accusat, & lædit: sensus erit cum priori consentiens, *Generatio qua sibi munda videtur, &c.* Nimirum quod hoc genus hominum ad accusationes & calumnias in seruos & infimos quosque iactandas procliuè sit, fallax quædam existimatio in causa est, nam semetipsos vitæ integros & sceleris omnino puros falsò ducunt, & hinc temerè ad alios accusandos & carpandos veniunt, & tamen non paucis scelerum sordibus infecti sunt, propter quas seruorum & abiectissimorum hominum accusationibus &

calumniis obnoxij sunt. Vel aliter ad infamiam referre licet hoc sensu. *Generatio, qua sibi munda videtur, &c. i.* illi, qui ad calumnias ingetendas proni sunt, & seruis aliisque infimis hominibus noxas & sordes affigere non dubitant, ex his sunt qui se puros, mundosque ab omni decoris & infamiæ labe falsò putant: qui si sapiant, & suam originem perscrutentur, planè inuenient nequam se ab omni sordis infamiæ perpuratos esse, atque adeo maledicentiæ, ac mordacitati sordidissimorum etiam hominum subiacerent. Cuius. n. tam pura mundaque conditio, & genus, qui auos suos atavosque memoria repetens omnem infamiæ labem fugit? nullus profecto. Quod si de ipsimet seruis & sordidis hominibus intelligantur præfata verba, sensus erit, Ne seruum illiberalem & sordidum hominem illatis contumeliis tibi infensum reddas, quia tibi ipse contumeliarum vicè reddet. At, inquit, sordidus est, atque adeo contumelias, & iniurias leuiore ducit. Minimè verò, imò potius nemo est tot sordibus infectus, qui non sibi purus, & ab omni labe immunis videatur, atque iniurias & probra non detrectet. Id sibi volunt illa verba. *Generatio, qua sibi munda videtur, & non est lota à sordibus suis, &c. i.* cum sit pluribus infecta sordibus, puram nihilominus, atque illibatam sese iactat & putat. Ita. n. fert vana hominum existimatio, vt nemo, quantumuis humilis, de semetipso tam demissè sentiat, vt sordidum planè, & abiectum sese putet, atque iniurias & probra non auertat, & si liceat, in exprobratorem suum non conuertat. Itaque secundum hanc sententiam suadet Salomon auditori, ne sordidissimorum etiam hominum famam lædat: omnes enim mundos se putant, atque adeo infamiam agrè ferentes, eam in suos exprobratores retorquent.

Cæterum, si cum Sept. interpretibus de filiis accipiamus, qui ab ortu suo vitium aliquod trahunt, locus hic de spuris, ac nothis liberis exponendus erit. Lecto Sept. sic habet. *Filius malus iustum se facit, & non lauit exitum suum, exitus autè accipitur pro natiuitate atque ortu. Itaque sensus est, filius nothus & degener, etiam si nonnumquam frugem bonam inchoet, & iustitiam; ac bonos mores simulet. sed tamen suæ natiuitatis originisque labe numquam prorsus detergit: imò læpius in ea vitia recidit, que spurios, & degeneres addecent. De quibus idem Salomon Sap. 6. Ex iniquis. n. sonans filij qui nascuntur, testes sunt nequicia aduersus parentes suos in interrogazione sua. Filij videlicet ex illicito concubitu suscepti, si exquirantur eorum mores, & vita excutiatur (sic accipio illa verba in interrogazione sua) sepius parentum suorum intemperantiam, & libidinem malignis suis moribus produnt ac testantur. Itaque Salomon secundam prauæ & degeneris sobolis speciem hinc recenset, quæ scilicet parentum, vt ita dicam, sapit vitia, & intemperantiam moribus suis exprimit. Loquitur verò de spuris, ac nothis liberis. Eiusmodi autem liberos non modo sordidos, sed ipsissimas sordes appellat L. humilem Codic. de incestis nupt.*

Quia sordes, inquit, non merentur nominari inter precipuos, & Bald. in ca. Inuenerit. col. vlt. ver. Nota quod nobilitas, sic habet, Bataris nobilitatem non sunt nobiles, quia non decidunt ab aliquo fonte puro, & nobili: sed, liceat sic dicere, ex sanguine putrido. Ergo Salomon appositè ad hæc ait (sententiam hanc nouâ expositione dono) Et non lauit exitum suum. i. Filius nothus, cum ex fonte satis impuro manet,

fieri non potest, vt deinde iustè, ac piè viuens fordes in decursu vitæ suæ omnino deponat, quinimò fontem semper riuulus imitatur. Hùc spectat eiusdem Iurifconsulti verba in cap. de translatione Epif. circa med. *Spurius*, inquit, *legitimus*, aut aliqua alia ratione nobilitatus, similis est agro curato à vulnere, cuius aliqua semper remanet cicatrix. Ex qua sententia alius etiam Salomoni sensus affigi potest hoc modo. Filius spurius, ac nothus, quamlibet iustè viuat, & piè conuersatur, numquam omnino eluit labem natalium suorù. Quia tam degener, & sordida est spuriorum conditio, vt nota ignobilitatis, quæ inde trahitur, nullis medicamentis extergi queat: Semper. n. ex curato vulnere superest adhuc cicatrix & fordes ex fôte fluentes nunquam penitus subsident. Hunc ad sensum vocanda est lectio Vulgata, *Generatio, quæ sibi munda videtur, & non est loca à sordibus suis*. Hæc nimirum prolis nothæ, ac degeneris species quantumlibet puritatem affectet, nunquam tamen suorum natalium defectum instaurare, ac reficere omnino potest: numquam mores sic instituit, vt vitia natiuitatis non referat, & parentum suorum intemperantiam non prodat. Subnequit.

Generatio, cuius excelsi sunt oculi, & palpebra eius in alta surrecta. Hebr. *Et palpebra eius eleuata sunt*. Sept. *Filius malus sublimes oculos habens & palpebras suis extollitur*, &c.

100

Hic locus secundum duos modos innodandi sententias istas, duas quoque expositiones subit. Si enim cum superiori illa sententia consuatur *Ne accuses seruum*, &c. & de eo sermo sit, qui seruo, id est, homini infirmo & impotenti calumnias imponit, sensus sic conformari debet. *Generatio, cuius excelsi sunt oculi*, &c. id est, eiusmodi homines calumniatores, & exprobratores humilium hominum, fastuosi sunt, & tumidi, qui fastum, & tumorem elatione oculorum, & supercilio præ se ferunt, & reliquos homines præ se nihil æstimantes ex despicientia, & contemptu, tenues præcipuè, imbecilles, & plebeios iniuriis contumeliisque lacessunt. Et quidem superbiam, & fastum superciliorum elatione, & motu imprimis prodi, alibi diximus. Subscribenda hæc sunt verba Plinij lib. II. cap. 37. *Supercilia homini, & pariter, & alsernè mobilia, & in his pars animi: his negamus, annuimus: hæc maximè indicant fastum. Superbia alieubi conceptaculum, sed hic sedem habet, in corde nascitur, hic subdit, hic pendet: nihil altius simulque abruptius inuenit in corpore vbi solitaria esset*. Sanè superbia, & tumor perpetuus nobiliù affectator, & comes, & ex tumore aliorum despectus. Salustius in Iugurtino sic in Metellum. *Metello*, inquit, *quamquam virtus, gloria, & alia optanda bonis superabant, tamen inerat illi contemptor animus, & superbia commune nobilitatis malum*. Sed nobilium in populares, & tenues homines maior despectio, atque odium. Baldus in l. per adoptionem. ff. de adoptione. *Nobiles*, inquit, *sunt maxima ex parte superbi, popularium ocores & contemptores*. Sed tùm maximè in populares ardent, cùm quisquam illorum nobilitari denuò, & honestari incipit: hinc Tullius, qui nobilitati suæ initium dederat 7. in Verrem adtione sic fatuit *Hominum nobilium non ferè quisquam nostra industria fauet: nullis nostris officiis benevolentiam illorum allicere possumus: quasi natura, & genere disiuncti sunt: ita dissident à nobis animo & voluntate, quemadmodum sanguine*. Et quidem hanc nobilioris, & parum generosi sanguinis discor-

Plin.

101

Salust.

Bald.

Cicero.

A diam optima similitudine duarum auicularum, Spini videlicet, atque Hori, adumbravit Plutarchus in Moral. Inter *Agathallos*, inquit, & *Achanalides* (sic vocat præfatas auiculas) tantum est odium, ut si sanguis earum visceatur continuo secernat se, ac disiliat: sic inter *Patritios*, & *plebem*, si quando pro rerum usu coniungantur, & conspiciant, durat tamen usque odium naturale. Hinc est vt mutuo alias maledictis, probrisque profcindant. Fitque locus alteri expositioni, quæ verba præmissa non proceribus aduersus humiles, sed humilibus, ac sordidis, aduersus proceres tribuit. Ne seruum, hoc est hoc sensu sordidum, & degenerem hominem incules, aut contumeliis quibusuis lædas, nam hoc genus hominum sapius inolefcit, & iugi impatiens implacabiliter contra primarios, & optimaces erigitur. Hoc sibi vult illud, *Generatio cuius excelsi sunt oculi, & palpebra eius in alta surrecta*. Quasi dicat, ne putes eiusmodi homines abiectos, & humiles facile edomari, & sublimiorum iniurias, & probra perpeti: sapius enim nobiliorum iugum insolenter detrectat. Appositè ad hanc sententiam Plato in Dialog. 6. de legibus. *Difficile*, inquit, *domatur homo, & necessariam distinctionem serui à liberis, & domino, humilisque ab ingenio, & nobili agrè patitur*.

Plutarch.

102

Plato.

103

Caterum iuxta posteriorem illam seriem, quam supra reliquis prætulimus, de filiis prauis vitia quædam ex genere habentibus præfata verba talem sensum reddunt. *Generatio* (vel, vt habet Septuaginta) *Filius malus, cuius excelsi sunt oculi*, &c. quasi dicat, alia est filiorum praua, atque detestanda species, eorum, qui ob natalium splendorem, & gloriam superbè tument. Itaque cùm præmississet spuriorum conditionem facis malam, qui suorum natalium vitia & sordes labelsque; nunquam profus eluunt, iam nunc aliam fortasse deteriore inducit, eorum scilicet, qui gloriosis orti parentibus propterea extolluntur, & superbiunt. Et quidem superbiam nobilitati agnatam esse, & fastum genuinum esse patritiorum vitium supra diximus. Sed præmissis testimoniis aliud subnecto ex Plutarcho in libro de liberis educandis circa initium, vbi cuiuspiam veteris Poëtæ sententiam adducit in hunc fermè sensum. *Sceleris parentum conscia mens fortissimam quemque captiuum trahit vinum, quemadmodum iactantia simul, & fastu repleti sunt, quibus claris nasci pariter obicit*. Atqui ob generis claritatem, & progenitorum splendorem nimium extolli non leue filiorum vitium est. Vnde pulchrè satis Plato in Charinide, seu de temperantia. Cum. n. adolescens obiecisset se capite dolere, addit Socrates, capitis morbum maximum in iuvene ingenio esse iactantiam & superbiam, atque adèd morbum hunc ante alios curari oportere, sed difficultatè huius curationis extollens ait. *Caput*, inquit, *solum curari nequit, quemadmodum ex peritis sape medicis audiui: isti, qui quoties aliquis dolore oculorum affectus eos consulit, aiunt non posse oculis mederi, nisi prius capiti medeatur, neque caput absque totius corporis medicina posse curari: hæc de causa regulis quibusdam toti conferentibus vsuntur, & à toto ad partem transeunt restituendam*. Ad eum igitur modum (inquit Plato) quicumque superbiam, quæ ingenuorum adolescentium capita vexare solet, succurrere voluerit, reliquos eorum morbos & prauas affectiones per temperantiam curare, debet ac tunc demum caput benè valere incipit. Itaque mens illius Philosophi est, fastum & superbiam in iunioribus in-

Plutarch.

Plato.

104

105
 ter alios animi morbos tanquam capitis dolorem & grauedinem extremam sanari: sed remedium aliquod praesentissimum disquirens ad eam grauedinem leuandam, sic scribit. *Ego vero percontante illo verum capitis aliquam medelam scirem, vix tandem me scire respondi. Quenam ista inquit? solum quoddam aio. At insuper addenda est incantatio, quam si quis adhibeat, solioque utatur, sanitas restituitur, absque incantatione solum nihil confert.* Et infra, huius excantationis formam subscribens asserit eam esse, *vera nobilitas, & pulchritudo in virtute sola ponenda est.* Et quidem nullum praesentius remedium excogitari poterat, ad arrogantiam, quae nobilium adolescentum capita tentare solet, sanandam, quam haec vna persuasio, scilicet nobilitatem in vna virtute, & honestate consistere. Vnde optimè D. Gregor. Nazianz. in tetrasticho. 36.

*Malum vocari turpe, non ignobilem.
 Sunt namque pridem putrida carnis genus.*

Subditque optimam rationem, quia qui malus est, soluit genus suum, qui autem bonus, & honestus eidem initium praebet: hoc autem praestantius est, quam illud. Itaque sic ait.

*Genus auspiciari praestat, id quam solvere,
 Vt esse pulcrum, quam satum pulcro patre.*

Secundi autem carminis sententiam luculentius tradit infra in Iambic. de Virtute, huic enim nobilitatem postponens sic addit.

*Stirps clara generis est mihi Princeps bono.
 Quo sum ortus, ad quod subueho viam meam,
 At nobile illud carrei, vocant, genus
 A labe, nexu, & corporum quod profluit
 Clarisque quondam mortuis, & putridis
 Fluente fimo, neutiquam putandum est nobile.*

Sed redeo ad Salomonem, qui docet satis malum, & turpem esse filium, qui ob generis nobilitatem tumens, & iactabundus, oculis & superciliis elatis despectum, & contemptum aliorum praese fert: est quippe vitium hoc morbus capitis periculosus, cui aliter mederi non licet, nisi curatis, ac medicatis reliquis prauis animi affectionibus, quia nimirum morbus hic extremo loco pellitur. Subdit.

106
Generatio, qua pro dentibus habet gladios, & commandis molaribus suis, ut comedit inopes de terra, & pauperes ex hominibus. Hebr. *Generatio gladii dentes eius, & cultri molares eius ad comedendum afflictos ex terra, & egenos ex hominibus.* Pro gladiis Hebr. est הרבות Charaboth, pro cultris מאכלות Maachaloth. Est autem Charaboth vox nota gladios sonans, aliquando etiam malleos ad caedendos, & poliendos lapides. Et, ut docet R. David, significat in vniuersum omnia instrumenta ferrea ad caedendum apta, scilicet securim, falcem, malleum, & in vniuersum arma omnia: Cuius significationis latitudo oportuna est hoc loco, ut statim dicemus. At verò vox illa Maachaloth fuit à radice אכל Achal. i. comedit consumpsit. Duplici autem modo accipi potest: vel ita ut sit Benoni in coniugatione Piel: tunc verò sic reddi debet. *Comedentes, aut, mandentes molares eius.* Hanc significationem praefereus interpret noster transtulit, *Et commandens molaribus suis.* Vel ita ut sit pluralis numerus ex voce מאכלות Maacheleth, quae cultrum,

A seu gladium adsignificat. huic significationi adhererunt Septuag., qui locum integrum sic conuertunt. *Filius malus gladios dentes habet, & cultros malos, ut consumat, & comedat humiles de terra, & pauperes eorum ex hominibus.* S. Hieronymus vbi supra, leuiter dissidet. *Et malos cultros comedentes infimos de terra,* reliqua consonant.

Similem admodum loci istius dissimilis est sensus iuxta duos illos nodos, quibus quatuor sententias deuinximus, si. n. cum verbis illis nequamus. *Ne accuses seruum,* &c. duplex interpretatio subest Altera ad eum pertinet, qui seruum. i. humilem virum opprimit calumnias illi imponens. hoc modo. *Generatio, qua pro dentibus habet gladios,* &c. nimirum procerum, diuitum, atque sublimium hominum in rebus publicis ingens erga plebeios, & infimos odium est: atque adeo verbis suis, probriis, & contumeliis eos assiduo commordent, & lacerant. Itaque haec interpretatio morsus, & laniationis, quam isti in pauperes, atque egenos edere dicuntur, ad linguam & verba refert, iuxta scripturam phrasim. *Filij hominum dentes eorum arma, & sagittae, & lingua eorum gladius acutus.* Psal. 56. Cui expositioni optimè inseruit vox illa Charaboth.

107
 quae, ut nuper obseruavi, omnem ferrei instrumenti speciem sonat, habilem ad caedendum lapides, ligna, messes, homines, &c. ut constet linguam maledicam nemini vnquam parcere, atque omnia armorum genera imitari. Secunda expositio praefata verba seruo, seu humili & abiecto homini dat, qui laesus ad vlciscendam iniuriam sibi illatam excitatur: sed tamen difficile admodum huic sententiae adaptatur. Aliqui sic exponunt. *Generatio, qua pro dentibus habet gladios,* &c. i. haec seruilis humilis & degener hominum conditio, quando vlciscendarum iniuriarum desiderio impellitur, mirum in modum seruit in suos calumniatores, adeo ut pro dentibus habeat gladios (quod sic commutandum censent) cum exarmati sunt, dentibus ipsis vtuntur pro gladiis & molaribus pro cultris. i. cum non possint contra proceres armis uti, & gladiis, dentes aduersus illos exacuunt, iniurias. s. & contumelias in illos iactant. Extrema autem illa verba. *ut comedit inopes de terra, & pauperes ex hominibus,* quae ab illa expositione abhorreere videntur, sic accommodant, quasi dicat. Haec vilis conditio hominum imprimis cauenda est: tantam, n. solet insaniam furere, ut non modo in proceres sibi aduersos, sed etiam in pauperes, & viles alios homines sibi aequales, aut etiam inferiores insanire soleat, quod perinde est, ac si dicat: praesens insaniam in obuios quosque furit siue magnos, siue paruos. Caeterum in his omnibus coactio non parua est.

108
 Longè accommodatior sensus elicitur iuxta posteriorem huius ordinis pangendi rationem. Sed duo imprimis notanda sunt. Prius est quartum hoc pessimae prolis genus reliquis malitia praefendum esse, ut praemissus ille ordo constet. Posterius est eam deuorandi, & dentibus lacerandi allegoriam de maledicentia accipi posse, aut de auaritia: prioris significationis exemplum nuper dedi: posterioris autem occurrit in Psal. 9. *Insi-* 109
diatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua: insidiatur, ut rapiat pauperem (scilicet ad laniationem) *rapiat pauperem dum astrahit eum.* Habac. 2. *Exultatio eorum, sicut eius qui denorat pauperem in abscondito.* Et Psal. 37. *Qui deuorant plebem meam, ut cibum panis.* & passim alias. His praemissis si de maledicentia sermo sit, sensus erit. *Generatio, seu, filius malus,* secundum Sep. qui *pro dentibus habet gladios,* &c. (praefatam illam verborum commu-

Hierom.

107

Ps. 56.

108

109

Ps. 9.

Habac. 2.

Psal. 37.

tationem hinc admittendam puto) quasi dicat: quæ pro gladiis dentes habet. i. cum gladio ut non possit, vel non audeat, dentes exeret. Cui expositioni fauet lectio Originalis, quæ sic planè ad verbum efferenda est. *Generatio gladii dentes eius, &c.* quæ utrumque sensum capere potest: nimirum & dentes pro gladiis, & gladios illi pro dentibus esse. Ergo sententiam hanc ad imbelles homines, & meticulosos, vulgò *Cobardes*, spectare existimo, quasi dicat, inter alias prauæ sobolis species est denique alia: quænam hæc? *In his cobarde*, à maiorum suorum fortitudine, ac robore deciscens: hic ergo cum armis nihil possit, nec valeat, nec ausit, omnium armorum loco linguam, & dentes ducit, quibus graues admodum, atque immedicabiles plagas infligit, hoc sibi vult illud, & *gladii dentes eius, & cultri molares eius.* dentes pro gladiis, & molares pro cultris, exacuit ad demordendam, & laniandam proximorum famam. Et quia metus illum aliquando à potentiorum iniuriis continet, propterea in humiles & pauperes potissimum lingua & maledicentia sua furit. Hæc omnia ignauæ, & timiditatis sunt, quid enim magis proprium ignauis, quam *verbigerari* (vtor verbo ab Apuleio festiuiter nouato aduersus timidum quendam & imbellem, sed dicacem militem) quem non belligerari, sed verbigerari potius solitum affirmat. Hinc Virgil. minacem linguam ignauæ dat.

An tibi Mauros.

*Ventosa in lingua, pedibusq; fugacibus istis
Semper eris, &c.*

Et Hector apud Homerum.

Sane ego vel diuis ausim contendere lingua.

Homer.

Sed verè audacia ad dicendum in timidis & ignavis non aliunde sanè. vt ait Seneca, nisi quia lingua eminus ferit, propterea ad conuitia prompti. Non iniucundum est illud Memnonis factum apud Plutarch. in Apophthe. qui militem quendam multa conuitia petulanter contra Alexand. iactantem hasta confodit dicens. *Ego te alo, vt pugnes contra Alexandrum.* Ita. n. putabat eum qui linguam in hostem strinxerat, gladium nequaquam nudaturum. Porro fortitudo non maledica neque minax, sed cum facto opus est tacitam rem exequitur.

109

Quod si dicamus Salomon. hinc in diuites inuehi, sensus erit. *Generatio, qua pro dentibus habet gladios.* (Ixx. *Filius malus*) quasi dicat. Est alia soboles præ cæteris perniciofa, filius. s. qui diuitias, amplumque patrimonium à parentibus hæreditario iure capiens his abutitur ad pauperes opprimendos, & laniandos. Ego. n. ita existimo Salomon. qui iam inde supra summis precibus à Deo contenderat, ne sibi diuitias, & opulentiam multam donaret, præter rationes iam inde adscriptas, hanc etiam reliquis adiungere, quia. s. diuites immites valde, atque feroces sunt in pauperes & egenos. Istam verò truculentiam ori tribuit, ac dentibus Salomon venusto schemate: *qua pro dentibus habet gladios, &c.* s. dentibus ipsis pro gladiis utitur, quibus pauperes ac tenues homines comminuit, aut comminutos deuorat. *Et comedit inopes de terra, & pauperes ex hominibus.* Concinit n. hæc sententia cum his quæ de scæuitia diuitum in pauperes nuper adscripsimus. Subest autem pro gladiis vox illa *Caraboth*, quæ omnem ferrei instrumenti ad cædendum idonei speciem adfi-

gnificat, quod omnimodam diuitum in tenues scæuitiam innuit. Diuitum ora describit Chrysost. Homilia 9. in primam ad Corinth. *Quid ore illius* (i. diuitis) *truncatur? quid seruius, quod omnia deuorat, & non saturatur?* ac infra subnectit. *Ora quoque illorum sunt ora ferarum, imò verò ora illorum sunt feriora: non solum. n. mordent, sed etiam verba dicunt, quæ magis quàm ferarum dentes vitus emittunt, & eadem faciunt.* Gregor. Nazianz. eorum ora cum rictu, ac dentibus leonum confert in Iambic. 22. aduersus opum amatores, vbi sic ait.

Chrysost.

Nazianz.

*Voratque post hunc ut leo, qui à bestia
Feras cruentas submouet, non ducitur
Benignitate, sed parat prædam sibi.*

110

Sic etiam diuites aliquando pauperes ab aliis item diuitibus defendunt, vt eos paulò post aptius deuorent. Basil. hanc diuitum ingluuiem similitudine piscium adumbrat, inter quos minores semper maioribus in escas cedunt: nam Homil. 7. in Hexam sic habet. *In mari piscis minor esca maioris est, & si vsquam euenierit, vt is, qui minorem superauerat, alterus præda fiat, ambo simul deglutiuntur, & in vnum ultimi piscis ventrem deuoluuntur.* *Quid quæso nos homines aliud agimus cum vim afferimus inferioribus? quid interest inter eum & vltimum piscem, qui sua intemperati cupiditate diuitias consequendi, in suos inexplebiles auaritia sinus imbeciles ingerit homines, atque condit?* Et breui interstitio sic attextit. *Prouidete ne finis idem tibi, qui piscibus euenire crebrò solet, occurrat, hamus forsitan, nassa, aut rete.* Hanc verò posteriorem interpretationem velidè reliquis anteponendam puto, quia illi cum subsequenti mira concordia. Subdit enim Salomon multa de auaritia.

Basil.

XV. Sanguisuga dua sunt filia dicentes; affer, affer.

Sanguisuga, Hebræa *קוקלוק* *Ghalukok*, cuius vocis significationem germanam aucupari necesse est. Ex Hebr. Rabi Sahadgah, *privatorem* notari affirmat, quasi dicat. *Privationis dua filia sunt*, exponit autem de morte: quasi duplex sit mortis genus, aliud est, eorum, qui postquam nati sunt decedunt, aliud eorum, qui in vulua, & matrice parentis suæ ante natiuitatem immoriuntur vt utrumque autem mortis genus assiduò instat, & homines quàm plures, tam ex his, quàm ex illis conficit, ac consumit. Et quidem hæc verba cum sequentibus neclere conatur hic Hebr. sed perperam. Sunt etiam ex Rabinis alij, qui voce illâ *lacertam* significari docent, alij *cocodrillum*, ac per hæc mortem, & obitum, hoc sensu. *Cocodrila filia dua sunt.* i. mortis oppetendæ non vna, sed duplex ratio: Alios. n. mors deuorat subitò, illos aggrediens, ac deglutiens, alios veluti mandit, & dentibus conterit, quos. s. longis morbis, ac diuturnis febribus tabefacit, ac consumit quemadmodum etiã cocodrila alia deuorat, alia mandit. Sunt qui duas lacertæ filias, duos dentium ordines intelligunt. qui inter se commissi quidquid demorderint arctius tenent. Hæc & alia minus apta Hebræi comminiscuntur, sed illud minimè silentio præmèdum quosdam vocem istam ad *הפך* *ghiqueb* reducentes per metathesin, aut litterarum quandam commutationem. *gehennam* conuertisse, hoc modo. *Gehenna filia dua sunt dicentes, affer, &c.* nimirum duo

111

112

ora, aut rictus, quibus homines ad se pertrahit, A
luxuriam. s. & auaritiam. sed de his postea. Cæterum his omisso, Sept. linguam sanctā apprimē cal-
lentes *sanguisugam* conuerterunt, quibus hæret Thargum: merito ergo noster interpres hanc translationem reliquis prætulit. Subiucio verba Sept. quæ non parum abeunt à lectione Vulgatæ. *Sanguisuga tres filia erant dilectione dilecta, & tres ipsa non saturauerunt eam, & quarta non sufficit dicere satis est*, qui planè verba hæc cum sequentibus illis contexerunt. *Tria sunt insaturabilia, & quartum nunquam dicit sufficit*, &c. Sed cur non duas, sed tres filias numerant non satis assequor, nisi dicamus vocem illam *duo*, aut *duæ*, in scriptura pro paucis accipi solitam. 3 Reg. 17. *En colligo duo ligna, & ingredior*, &c. i. pauca ligna, nescio an alibi. Ergo Sept. cum *duas* non germanè pro duabus, sed pro paucis acciperent, vt prior hæc sententia cum sequenti congrueret, augentes numerum *tres filias* extulerunt, At cur etiam, in-
quies, addunt, *vice dilecta*, vel *dilectione dilecta*? coniectura est in promptu, quia Origines ad verbum sic habent. *Sanguisuga duæ filiae da da*. Hebr. *הבכה hab, hab*. Ergo qui has voces trahunt à radice *הבכה* i. *hab, hab*, aptè transferunt *da da*. vnde Vulgatus suam hausit lectionem, *dicentes Affer, affer*, verba scilicet omittens, ac sensum tenens. Cæterum si voces illæ fluant ex radice illa quadrata *הבכה*, ita vt in vnam coalescant dictionem, locus sit translationi Septuaginta, nam verbum illud tantummodò occurrit Osee 8. vers. 13. vbi noster sic habet. *Hostias offerent, immolabunt carnes*. Hebr. pro *hostias* *הבכה* *Habbabai*, id est, *donorum meorum*, alij verò meliùs, *Pro hostiis mihi gratis, & acceptis immolauerunt carnes*, &c. Ergo Septuaginta illud *hab, hab*, ad hanc significationem & radicem referentes appositè conuertunt, *Sanguisuga filia tres vice grata*, aut, *dilecta*. Symmachus etiam concinit cum nostra.

113
Athanas. Hæc sane verba ænigmatica sunt, atque ad eò interpretes per diuinationem quandam eorum sensum aucupantur. Sic docet D. Atha. in Synopsi ad Prouerbia Salomonis. *Ænigmata & obscuri sermones, ita*, inquit, *caute sunt positi vt mœrore afficiant, si quis in illos incidat: propterea quod nihil manifesti habeant, & ne suspicionem quicquid aliquam sensus præbent: vbi verò diligenter inquisiti sint, sensum, quem claudebant, indicant. quales sunt illi. Sanguisuga tres filia sunt dilectione dilecta, & quarta non dicunt satis est*, &c. Sic ille extulit translationem Septuaginta. Quid ergo patres, atque interpretes ex hoc ænigmatate sensus eruerint iam aperio, & expendo. Illud autem præmittendum duxi *duas sanguisuga filias* ex multorum interpretum consensu ad literam significare duo ora quibus hircines sanguinem trahunt. Plinius lib. 32. cap. 10. nō vno tantum ore præditas esse dicit, sic enim ait. *Ergo sugentia ora forcipibus præciunt*. Berchorius testimonium D. Isidori producit, vbi os triangulum sanguisugæ accommodat. i. tribus quasi angulis distinctum, cui numero respondet lectio Sept. qui tres filias huic sanguisugæ tribuit. Galenus infra vnum tantum os eiusdem dat. Cum ergo de hoc numero non satis constet, disquirere oportet an sanguisugæ alias pariant, quod nullus naturalis historiarum autor attigit. Plinius tantum docet eas verno tempore nasci. Et quidem ego ita reor sanguisugas, sicut multa animalia aquatilia parua, & infecta, ex aquarum aliqua corruptione generari: alia .n. ex aliis nasci non constat, sicut limaces,

Plin.

Berchor.

& id genus alia. Quapropter cum Salomon hircini filias dat, non tam ad naturam huius vermis, quam ad sententiam respexit, vt postea subiuciam.

Prior ergo interpretatio peti potest ex Chryf. in homil. 49. de maledicentia hoc sensu, *sanguisuga*. i. maledicentia *duæ sunt filia*, duæ videlicet species detractio, & contumelia, vtraque verò sanguinem auidius ebibit. Atunt. n. hircinē corruptum sanguinem hauitu suo effugere. incolūm parceret: propterea ægris adhibentur, quorum sanguis intabuit: sic Saluatus in hircine. Ad eundem modum malefici alienis malis enutrientur, proximorum crimina, & culpas expriment, res autem benè gestas opprimunt, atque conticent. Audi Chrysostomum. *Omnes auersantur maledicum, vt eum, qui lutum redieat, vt hircinē, qui tetro sanguine, & scarabeum, qui stercore, id est, alienis malis aluntur*. Itaque maledicus hircudo est, qui ore suo bifido, hoc est detractio, & contumeliâ aliena mala velut tabidum sanguinem exprimit. Illud etiam Berchorij ex Isidoro ad hanc expositionem facit, sic enim scribit. *Sanguisuga venenosis saepe insidet, vt eorum humorem sugat*.

Chrysof.

Isidor.

Quid ergo maledicis magis ad simile, quam sanguisuga venenosis adherens: nam quemadmodum hæc virus ore suo emungit, sic etiam maledici defectus & culpas fontium ore suo expriment. Quid plura? Plinius vbi supra, *Aliquando*, inquit, *sanguisuga ex morfu affixa reliquunt ora, quæ causa vulnera insanabilia facit, sicut, Messalinum è consularibus Patriciis cum ad genua admississet*. Hæc sanguisugæ proprietates superioribus, vel doctioribus à quibusdam accommodatur, cum vitia asperius & acerbis accipiunt, quam par est, qui ex morfu suo verba quædam virulenta, & venenata in animis altissimè defixa relinquere solent, quæ interitum audientibus certò afferunt, quemadmodum virulentissimarum hircinū venenatissima vulnera. Quapropter sicut medici sanguisugæ virus vt emendent, & corrigant, eas dulci aqua immergere, & diutiùs includere, & asseruare iubent, & tunc demum deposito veneno ægris admouent, vt tra. lit Galenus tom. 5. clas. 6. cap. 1. *Galen.* de hircinibus: ad eundem modum superioris amarulenti & acerbioris linguam emendari oportet: vt correptionis acerbioris virus deferat: charitatis, & mansuetudinis prædulci liquore tingenda, & immergenda est, & insuper diutiùs includenda, & asseruanda. Lingua n. eiusmodi, quam charitatis dulcedo imbuit, & diuturna custodia continuit, iam tunc ægris admoueri, & sine damno, aut iniuria, proximorum vitia carpere potest.

115
Plin.

Secundam expositionem tradit Bernard. in ser. ad illa verba Euang. *Dixit Simon Petrus ad Iesum*, Bernard. vbi per *sanguisugam* voluntatem propriam, per *duas filias* auaritiam, & ambitionem accipit. *Auaritia*, inquit, *& appetitus laudis sibi inuicem aduersantur: nam quod illa congregat, hic dispergit: hæc autem tam dissimilia mala ex vna radice pullularunt, proprie scilicet voluntatis, huius. n. sanguisuga duæ sunt insatiabiles filia clamantes affer, affer: si quidem nec animus vanitate, nec corpus voluptate satiat: vt scriptum est. Non satiatur oculus visu, nec auris auditu: fuge sanguisugam hanc & omnia reliquisti*. Hæc ille. Sed quam aptè auaritia, & ambitio cum sanguisuga conferatur postea explicabo. Illud peculiare, ac proprium habet expositio Bernardi, quod sanguisugam illam primam aliarum parentem, voluntatem propriam esse dixit, cui sanè optimè aptantur

116

E

illæ sanguisugæ proprietates, quas nuper maledicentia accommodauit: Sanguisuga. n. tetrum. ac tabidum sanguinem trahit, incolumi parcat, venenatis libentius insidet, & ab eisdem venenum exprimit: non aliter propria voluntas vitiosa omnia, & corrupta sponte appetit, & venenatis libentius, hirudinis in morem, adhærescit: sapiusque eorum, venenum, & corruptionem tantummodò exprimit, reliqua omittit, sed tunc maximè cum malum appetit, nec tamen exequitur, quia exequendi copia non est, tunc. n. solum voluntas mala absque opere est, solam malitiam ab operibus trahens. Lege Bernard. in ser. Quomodo voluntas nostra diuinæ voluntati subiici debeat. Nec solum voluntas propria vitiis hæret, & vitiorum omnium virus exlugit, sed etiam cum bonis operibus insidet, eadem insicit, ac corrumpit, sanguisugæ in mortem, quæ morfû suo virus aspergit. Sic idè Bernar. serm. 71. in Cant. *Grande malum propria voluntas, qua fit, ut bona tua tibi bona non sint*, hæc ille, expendens verba Isa. 58. *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra*. Pergo ad alia.

Isa. 58.

117
Beda.

Nicet.

Petr. de
Parog.Galen.
Plin.

118

Tertiam expositionem tradit Beda in hunc modum. *Sanguisuga diabolus est, qui siti peccandi, ac peccata suscipiendi semper accenditur; huic dua sunt filia, dua scilicet speciales humani generis illecebra, luxuria videlicet, & philargyria*. Cum Beda concinit Nicetas in 20. orationem Nazian. qui sequitur translationem Septuagint. tres illi filias dat, libidinem, auaritiam, ambitionem: sed de luxuria & philargyria seu auaritia, postea dicam: id. n. huic cum aliis interpretationibus commune est. Illud proprium, sanguisugam illam duarum parentem esse diabolum, in quem satis aptè quadrat hæc similitudo: vt pote quianimarû, quæ sanguinis nomine censentur in sacra Scriptura, perpetua siti vritur, aut etiam vitæ hominibus auferendæ desiderio semper ardet: homicida enim est ab initio. Accipe etiam non iniucundam locupletis auctoris allegoriam, qui cum præmississet sanguisugas aut calido tempore, aut in aqua calida carnes tenaciùs mordere, sic scribit. *Dic quod diabolus quando insidet alicui membro, i. alicui peccatori, sugit sanguinem, i. compassionem memoriam passionis Christi, & sanguinis eius, & hoc potissimum in calido tempore, i. in tempore prosperitatis, quia tunc libentius sugit, & tentat*. Rursus quidquid attingit veneno suæ suggestionis insidit, & morfus eius totus læthalis est, quoties aliquid suo vulnere affixum demisit, ex incuria eius, qui illi obsistit. Denique ex sanguisugis quædam sunt præ cæteris virulentæ, quæ nulla arte emendari & corrigi possunt, de quibus Galenus vbi supra, & Plin. l. 32. c. 10. sic scribit *Inuehunt virus remedijs verso, maxime quæ ruse, atque ita formidantur*. His ergo assimilis est diabolus, qui iam inde in malitia obfirmatus, nullâ arte commutari potest, propterea morfus illius semper cauendus.

Quartam expositionem sequuntur vulgò alij interpretes, qui per sanguisugam concupiscentiam in vniuersum notari existimant, & duas eius filias luxuriâ & auaritiam esse affirmant. Hæc etiam expositio illud peculiare, ac proprium sibi vendicat, quod asserit concupiscentiam sanguisugæ mores imitari: quemadmodum. n. hæc duplici ore instructa est, vel duas filias numerat: sic etiam concupiscentia in vniuersum duas sibi subiectas affectiones habet. s. concupiscentiam carnis & concupiscentiam oculorum. Saluianus, & medicorum vulgus sanguisugam propterea auidius sanguinem exorbere, & à cute, cui adhæsit, difficiliter diuelli affirmant, quia duplici gustu instructa est, atque, ad eò

A sanguis illi mirum in modum dulcescit: sicut. n. Arist. ex eo, quod serpens bifidam linguam habet, duplicem illi gustum inesse conficit: sic etiam medici ex duplici ore, aut fistula, quæ hirudo sanguinem emungit, geminum quoque illius gustum colligunt. Quid inde? subiicio libens: sicut sanguisugam difficilè à carne diuelli geminatus gustus facit: sic etiam de concupiscentia decernendum est, quæ propterea carni, & carnalibus rebus tenacius adhærescit, quia duplici illa gustadi vi prædita est, libidine, atque auaritiâ. Itaque illius cupiditas propriè sanguisuga est, quæ vtramque illam affectionem, auaritiam nempe, atque libidinem, continet, Quotiescumque autem istæ duæ conspirant malitiæ (vt ita dicam, gustum, & voluptatem conduplicant, cum verò per duplicem istam delectationem voluntas, seu cupiditas carni adhæsit, vix vnquam inde reuelli potest. Difficile quidem est avarum, aut etiam libidinosum emendare, eum verò qui avarus simul, ac libidinosus existit, & concupiscentiam sanguisugæ similem duplici turpitudinis gustu præditam habet, à malitia abstrahere, difficillimum, imo vix possibile est.

Quintam expositionem addit Caietan. qui per illam sanguisugam duarum parentem auaritiam, aut philargyriam capiendam esse dicit, ac per duas eius filias, vim atq; fraudem: his. n. auaritia alienas opes quasi alienum sanguinem exorbet. Et quidem satis aptè duo sanguisugæ ora vim & fraudem adumbrant. Nam quod cutem, carnemque prærumperere adnituntur, & dolorem inferunt; vis est: quod autem sanguinem non subito, sed paulatim exprimunt, & nullum fere vulneris vestigium relinquunt, fraus magna est.

Cæterum in his expositionibus quas hætenus præmissi, id animaduertere licet, quod omnes hunc versum seorsum accipiunt, & sententiam quandam à sequentibus discretam, & disunctam absolunt. Item per duas sanguisugæ filias, duo vitia intelligunt, quæ illius mores referunt, ac per sanguisugam ipsam aliquid aliud, siue dæmonem, siue voluntatem, siue concupiscentiam, siue auaritiam captant. Sed tamen ipsa contextus ratio, & translatio Septuag. cui ego semper plurimum defero, suadent vt versum istum cum sequenti coagmentemus. In primis contextus ita postulat, cum. n. Salomon de cætero per totum caput res per ternaria, & quaternaria partiatur, atque hanc partitionem à quadruplici generatione orsus sit, parùm accommodatè hîc binarium quaternariis infereret. Rursus in Primitiuis Hebr. hæc clausula non est absoluta, & perfecta, sed ad sequentia spectat, de translatione verò Sept. postea dicam. Iansen. igitur, qui solus in hanc sententiam pendet, nexum istum satis acutè conformauit: obseruat autem ex Hebræo non ita legendum in sequenti versu, *Tria sunt insaturabilia, & quartum nunquam dicit sufficit*. sed sic. *Et quatuor nunquam dicunt sufficit*. Ergo hæc sic contextenda esse dicit, *Sanguisuga dua sunt filia dicentes: affer, affer, .i. duo sunt omnino insaturabilia, quæ videlicet sanguisugæ in morem semper sitiunt, & nunquam expleantur: sequens autem versus est correctio istius, tria sunt insaturabilia, .i. imò potius tria sunt, quæ nunquam satiantur. Rursus præscriptum numerum corrigit & auget. Et quatuor nunquam dicunt sufficit*. quasi dicat, quinimò quatuor sunt, quæ nunquam exsaturantur & expleantur, hæc sunt, *Infernus, & os vuluæ, terra qua non saturatur aqua, ignis verò nunquam dicit sufficit*. Et quidem eiusmodi numerorum correctiones alias in scriptura occur-

Arist.

119

Amos. 2.

runt. Amos 2. *Super tribus sceleribus Moab, & super quatuor non conuertam illum*, pro eo quod est, tria sunt scelera Moabitarum, quinimò quatuor sunt. Sic etiam supra, c. 6. dicitur. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius*. in Hebr. est, *& sept detestatur anima eius*. & sensus est, sex Deus odio habet, imò potius septem. Hæc Ianfen. cui libenter subscriberem, si eius interpretatio cum Vulgata lectione omnino congrueret.

120 Vt igitur nostra lectio facta tectaque sit, locum istum cum sequentibus hunc admodum innodandum esse existimo. *Sanguisuga filia dua sunt dicentes, affer, affer*, his autem verbis non duo, sed tria infaturabilia recenset. scilicet sanguisugam, & duas illius filias, quæ omnino tria sunt, dicentia: *affer, affer*, & iram, luxuriam, & auaritiam significant: per sanguisugam. n. iram innuit, quæ vindictam & sanguinem impensè appetit, & nunquam expletur: auaritiam verò, & libidinem duas eiusdem filias appellat. i. illi per omnia infatiabilitate similes, de quibus statim dicam. De hi ergo tribus, quasi sensum colligens illicò attextit, *tria sunt infaturabilia*, &c. deinde affuit, *& quartum nunquam dicit Sufficit*, quasi dicat, præter hæc tria, est rursus quartum quid deterius, quod reliqua infatiabilitate & appetentia facillè superat. scilicet ambitio: hæc autem quatuor statim totidem similitudinibus inferni, vuluæ, terræ, atque ignis inuoluit, vt cœptū ænigma condiret. Huic nostræ interpretationi fauēt contextus, nam iuxta illam idem est tenor huius sententiæ, & sequentium. Ad hæc commendat illam translatio Sept. quæ sic edisserenda est. *Sanguisuga tres filia erant, dilectione dilecta*, hæc respondēt illis, *Sanguisuga filia dua sunt*, &c. nam Sept. sensum callentes, ne quem falleret illa partitio duorum, ac trium, tres sanguisugæ filias numerarunt, quod tantundem valet, ac si dicerent *tres sanguisugas*, atq; adeò, quod ad sensum attinet, non abeunt à nostro Vulgato, reliqua verò, quæ addunt, *Et tres ipsa non saturauerunt eam, & quarta non sufficit dicere Satis est*, facillè ad superiorem sententiã referuntur, sed de his infra aliquid subiiciam.

121 Ex dictis liquet iram, & vindictæ appetitum sanguisugæ nomine censerī, & eius filias infatiabiles, atque illi per omnia similes esse, auaritiam, & libidinem: de singulis aliquid dicamus. Sanè iracundia sanguisuga est: Primo quia, vt ait Arist. l. 1. de anima. *Ira est accensio sanguinis circa cor*, nam vehemens iræ motus sanguinem in cor euocat, qui coactus feruet, & exæstuat. Hinc Diuu. Ioan. Damas. iram sic describit. *Ira est feruor eius, qui circa cor est sanguinis, vaporacione fellis perturbacione factus*. Accinit D. Greg. Nazianz. in Iambic. 21. de iracundia, vbi sic ait.

Nazianz. *Par æstuantem sanguinem pectus propè subitum esse dixit impetum iracundia.*

Et infra.

Æstum cruoris diſſitant, sed cui tamen Cupido causam præbeat, & oratio simul.

Basil.

Sed elegantissimè D. Basilius in Homilia de ira. *Nam his qui ad vindictam ambulant, ita quidem circum præcordia sanguis feruet, quasi vi ignis ebulliat, & exæstuet*. Itaque iram ob hanc vnã causam sanguisugam appellare integrum est, quia cor impellens sanguisugæ ad instar vndiq; ex omnibus membris cruorem allicit, & calore suo accendit: propterea iratis membra sanguine suffurato pallere

A solent. Sic idem Gregor. iratum describens.

*Crines aprini, barbara madida, & pallida
Gena (esse quales morte confectis solent)
Sunt quibus plumbe pares.*

122 Vel aliter. Iræ sanguisugæ nomē indere propterea licet, quia est homicidij mater, & sanguinis bibax. Verba sunt Chrysof. in cap. 6. Matth. vnde vulgò iratis, & vindictæ libidini peritis dicimus. *Quæ de se anhebet la sanguem aſus enemigos*. Hinc Mimus quidam iratus apud Plautum in Epid. *Iam ego, inquit, me verſam in hirudinem. atq; horum exugam sanguinem*. Adde Euripidem apud Philonem, qui Herculem inducit sic loquentem. *Combure, carnem hanc concrema, repleto te meo cruore.*

Rursus libidinem, ac luxum aptè cum sanguisuga conferri quis abnuat. Subest Theocrit. testimonium, apud quem Limæta non aliter ab amore mulierum sibi sanguinem exuctum expilatūque dolet, quàm si limosa hirudo ipsi diutiùs admota fuisset: cuius verba ex Græco reddita sic habent.

*Heu crudelis amor nostro saturare cruore
Summa affixa cuti, velut hunc ſuxiſſes hirudo.*

123 Et quidem ex amore, & Venere homines exangues reddi alibi docuimus. Itaque venus, seu libido, iuxta hunc sensum hirudo est libidinofa cruorem fuctu affiduo exprimens. Alio tamen sensu Venus sanguisuga dicitur, quatenus voluptates carnis infatiabili appetentia sic deperit, quemadmodum sanguisuga cruorem auidissimè bibit. Et quidem voluptates venereas sanguines appellari comprobatur testimonium. Ioan. 1. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluſtate carnis. Lege Aug. & Bedam ad illa verba Psalm. 50. Libera me ſanguinibus, &c.* Horum ergo sanguinum appetentissima hircinis in morem libido est, his nunquam saturatur, nunquam expletur. Et quemadmodum sanguisugæ verno tempore sanguinè impensius appetūt, vt nuper ex Plinio adnotauī, (quæ res suadet miram maturem prouidentiam admirari, nam cum eo tempore sanguis immodicè augeri solet cruoris appetentiam in sanguisugis maiorem natura excitauit, vt medicinæ opportunius inferuissent:) sic etiam libido in vernante iuuenta feruet, & maiori voluptatum appetentia exæstuat; in senecta tamquam in hyeme deferuet, ac remittitur, atque adeò iuuenibus in primis cauenda.

Denique auaritiam sanguisugam esse interpretes vulgo edocent, audiendus est Nazianz. in iambico de auaritia.

*Amore lucri turpe ne quidquam gerat,
Auidam cruoris emulans hirudinem,
Quadam tenens iam, mente quadam cogitans,
Oculisque rursus non bonis quadam intuens,
Quadamque inani spe leni fingens sibi.*

E

Sed obseruanda sunt alia verba eiusdem Nazianzeni Orat. 19. quæ est consolatoria ad matrem Nonnam, vbi Nonnæ parentis suæ liberales largitiones extollens sic scribit. *Quam autem, qualem mulierem dico, cui ne Atlanticum quidem pelagus, aut si quid aliud maximum est, ad exhauriendum sufficere potuisset, (tanto tamque immodico largiendi amore flagrabas.) Quæ Salomonis sanguisugam in cõtrarium emulata est, per inexplebilem largiendi cupiditatem, inexplebilem atque inuidiam*

122 Chrysof.

Plaut.

Philo.

123 Theocri

Ioan. 1.

Psalm. 50.

124

Nazianz

sem vincens, sanguine ad bene merendum alacritate prædita, ut ea saturari non posses: qua denique non opes solum omnes, quas vel arbitrio habuit, vel postea consecuta est, cupiditate sua minores existimavit, sed seipsam quoque, si fieri posset, & liberam (ut ex ea sapere audiam,) promptè ac libenter vendidisset, ut in pauperum usus expenderetur. Hæc ille, quibus satis eleganter sanguisugam unam aduersus alteram producit, scilicet, auiditatem donandi, & distrahendi, contra acquirendi retinendique libidinem, hoc est liberalitatem contra avaritiam. Et sanè præclarum quoddam liberalitatis symbolum in sanguisuga contemplari licet: nam ut docet Galenus loco supracitato, & medici communi usu celebrant, sanguisugis ubi cuti adhæserit, & cruorem ebibere cœperunt, caudæ excindendæ, aut vulnerandæ sunt, hinc autem fit, ut quidquid sanguinis ore hauserunt, per vulnus emittant. Est igitur præclarum liberalitatis symbolum sanguisuga excisa cauda, quidquid enim opum, & diuitiarum hinc vel inde conquirunt, aliunde effundit. Et quidem hæc tam liberalis & profusa largitio nunquam fit sine vulnere, nemo enim tam sponte bona sua donat, ut his priuari omnino non doleat.

Cæterum quemadmodum sanguisuga ad eum modum vulnerata liberalitatis similitudinem exhibet, ita etiam eadem tam integra, quam vulnerata avaritiæ symbolum præbet. Primum, quia sicut sanguisuga cruorem alienum, sic etiam avaritia alienas diuitias impensè deperit, & utraque inexplebilis est: sanguisuga quidem hæret cuti (quid magis amicum, & coniunctum?) sed dum hæret sanguinem suffuratur: sic etiam diuites avari cum pauperibus, & cum his, qui necessitate aliqua premuntur concordiam simulant, ipsis familiariter adhærent, ut eorum miseriam ad tempus leuent: sed per rapinam, & usuram, hoc est, per vim, aut fraudem eorum bona paulatim emungunt, donec ipsis turgentibus alij marcent, & rigescunt, sed tamen avari diuites miram appetentiam, qua sanguisuga cruorem exprimit, non modo adæquant, sed etiam superant: nam hæc tandem aliquando cruore impletur, ac tunc suctum intermittit. Sic Plinius ubi supra. *Decidunt satietate, & pondere ipso sanguinis detracta.* Hinc est illud Horatij.

Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

Avarus autem nunquam expletur, & sua augendarum opum auiditate nunquam excidit, sed pluribus hauistis, & exuctis maior hauriendi, surgendique libido illam incessit. Sed aliquid rursus omnino ad simile habent, quod sicut sanguisugis cruoreturgentibus medicus extremam caudam excindit, ac vulnerat, ut effuratus paulatim sanguis per vulnus effluat; sic etiam avaris euenire solet. Nam spirituales medici, id est, sacerdotes, conscientiam ipsorum vulnerantes malè partas longo tempore diuitias restituere cogunt. His autem qui alienis bonis turgentibus ea ratione non leuantur, id accidit quod præfatus Plinius libr. 11. cap. 34 de quodam alio animanti sanguinis bibaci prodit his verbis. *Est animal infixum semper sanguini capite viuens, atque ita intumescens, unum animalium, cui cibi non fit exitus, dohiscitque nimia sacietate alimento ipso immorians.* Nam cum diuitiis iniuste quæsitis per restitutionem, & compensationem nullus sit exitus, mors imminet præsentissima, alia quidem, ac alia, nimirum ex

A temporali æterna. Sed expendo paucis reliqua verba quæ cum his cohærent, ut supra adnotavi.

XV. Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod nunquam dicit Sufficit.

Tria sunt, &c. Hebraicè. *Tria ista non saturantur, & quatuor non dixerunt abundantia.* Licet etiam aliter reddere, sic scilicet, *tres ista non saturantur*, ita ut clausula hæc omnino referenda sit ad superiora modo supradicta. Sic Septuaginta. *Et tres ipsa non saturauerunt eam, & quarta non sufficit dicere satis est.* Aquila, Symmachus, & Theodot. *Et quatuor non dixerunt sufficit.*

Aliquid etiam de hac clausula nuper in superiori versu diximus. Nostra quidem lectio anceps est, ita ut independenter à superiori versu possit ad sequentem reuocari, nec non etiam cum superiori construi. Ego verò cum superiori etiam contexendam duxi hoc modo. *Tria sunt insaturabilia, &c.* quasi dicat. Sanguisuga, & duæ illius filiarum, quæ tres omnino sanguisugæ dici debent, hæc utique tria insatiabilia sunt. *Et quartum nunquam dicit sufficit.* i. præ cæteris inexplebile est. Sed quæres an etiam quartum hoc sanguisuga sit? sanè ego ita reor, quartum hoc de sanguisugarum numero esse. Ita senserunt Septuag. quorum lectionem denuò sic interpretor, existimo. n. illos hic de more suo verba non curare, & sensum tenere, nam sic aiunt. *Et tres ipsa non saturauerunt eam, & quarta non sufficit dicere satis est.* Iam intelligis quartam etiam sanguisugæ nomine censerit, quandoquidem inter sanguisugæ filias computatur. Mens ergo Septuag. hæc est, Per *Sanguisugam* in vniuersum cupiditatem intelligunt, huic autem quatuor filias adscribunt, ex quibus tres insaturabiles sunt, sed quarta præ cæteris inexplebilis; tres quidem sunt, ira, luxuria, avaritia, de quibus supra; quarta verò est ambitio. Et quidam has quatuor vnius cupiditatis aut filias, aut membra esse eleganter docuit D. Aug. de Ciuit. Dei lib. 14. cap. 15. *Libido*, inquit, *generale vocabulum est omnis cupiditatis. Est. v. libido vlescendi, quæ ira dicitur, est libido habèdi, quæ avaritia nominatur est libido seu appetentia delectabilium, quæ luxuria dicitur, est libido gloriandi, & dominandi, quæ iactantia, seu ambitio appellatur, hæc fermè Aug. Appositè autem ad hæc Sept. dicunt. *Et tres ipsa non saturauerunt eam*, quasi dicant, sanguisuga cupiditas est tres sibi subiectas filias numerans, iram, luxuriam, & avaritiam, quæ ipsius sitim, & appetentiam explere nequaquam possunt, his autem accedit alia filia quarta, quæ præ cæteris saturari nescit. *Et quarta non sufficit dicere satis est*, quæ verba ambitionis naturam optimè exprimunt: nam partis honoribus nunquam contenta ad alios, atque alios magna contentione anhelat: tamen n. illi obicias pristinam vilitatem, & nactos iam honores satis magnos esse, nunquam id sua-*

E *deas. Ambitio. n. (verba sunt Senecæ) non vnde venerit respicit, sed quotendat* Vel aliter. Solet quidem sibi ambitio terminos quosdam honoris præscribere, nimirum, cum ad tale, aut tale honoris fastigium peruenero, tunc quidem contenta ero, nec ulterius aliquid cupiam. *Sed tamen huic non sufficit dicere satis est:* nam ubi quis ad eum, honoris cumulum peruenit, quem ipse sibi tanquam

Galenus.

125

Plinius.

Horat.

126

Plinius.

127

August.

128

Seneca.

sufficientem indixerat, tunc quidem adeptam A
gloriam aspernari, & denuò maiorem, & amplio-
rem gloriam sitire incipit. Perinde. n. ambitioni
accidit, ac sanguifugæ, de qua sic D. Isidor. lib. 12.
origin. cap. 5. *Sanguifuga ubi vspiam adhaest
sanguinem haurit, & cum nimio cruore maauerit,
id enomit, quod hausit, vt recentiore denuò sugat.*
Ad eundem modum ambitio amplam aliquam
gloriam sitit, sed cum eam adepta est, & satis iam
turgere videtur, nactum iam honorem ex despi-
cientia quadam, in ò ex nausea respuit, vomit, ex-
trudit, ac denuò amplioris alicuius gloriæ sibi ac-
tenditur, quid certius Seneca ad Lucilium. Epist.
86. *Relinque ambitiosum tumida res est, vana, vento-
sa, nullum habens terminum.* Et alibi. *Nemo agit de
tribunatu gratias, sed cõqueritur quod non est ad præ-
fecturam vsque perductus, & si desit consulatus nec
hoc quidem sufficit, cupiditas. n. non vnde venerit res-
picit, sed quo tendit.*

Nonnemo etiam ambitioni sanguifugæ motum
accommodauit, quæ vt author est Aristot. in lib.
de gressu animalium, cum repit posteriorem par-
tem ad anteriorem trahens tumet quodammodo,
ac gliscit: sed rursus anteriorem vterius impellens
porrigitur, extenuatur, & gracilis admodum fit.
Ad eundem modum ambitiosus cum honorem
aliquem capessit superbia, & fastu tumet, at cum
vterius ad ampliorem dignitatem anhelat sangui-
fugæ in morem detumescit, ac semetipsum exte-
nuat hoc est, humiliat, ac deiicit. Ambros. in cap.
3. Lucæ. *Ambitio vt dominetur aliis prius seruit;
curuatur obsequio, vt honore donetur: & dum vult
esse sublimis, fit demissus, ac tenuis:* Et Innocentius
Pontifex de vilitate conditionis humanæ sic scri-
bit. *Ambitiosus semper est pauidus, humilitatem si-
mulat, subsequitur, & obsequitur; cunctos honorat,
vniuersis inclinatur, assurgit, applaudit, adulatur, ni-
mirum vt vterius ascendat sanguifugæ in morem
sefe extenuantis.*

Ex his constat quatuor illa, iram, luxuriam,
auaritiam, & ambitionem satis aptè à Salomone
cum sanguifugis fuisse composita ob inexplabi-
lem earum auaritiam, & appetentiam. Ad extre-
mum libet obseruare id quod docet Galenus lo-
co citato. *Sanguifugas quidem cum tenaciùs ad-
hæserunt, & sanguinis voluptate inescatæ reuelli
non possunt, insperato sale, aut cinere sponte deci-
dere, sic. n. ait, Ab astrahendo quidem non desistunt,
donec cinere, aut sale os earum aspergatur.* Salis etiam
meminit Plinius, supra lib. 32. cap. 10. Quorsum
hæc? vt constet nihil aptiùs, aut potentius ad qua-
tuor illa, iram, libidinem, auaritiam, & ambitionem
cohibenda, & maximam illorum appetentiã he-
betandam, quàm cinerem, hoc est mortis recor-
dationem, hæc. n. illas facillè deiicit, & inexplabile
illarum sitim restinguit, quid certius? Addo etiam
salem. i. sapientiam, & rationem, huius. n. est cupi-
ditatum, ac libidinum contentissimam vim cohi-
bere, omnis enim passio ratione intercedente ruit.
Vel, si libet, per cinerem passionis Christi memoriã
cum Bernardo intellige. Sicut. n. cinis ex igne,
ceu monumentum quoddam relinquitur, sic etiam
ex illo igne amoris, quo Christus in passione sua
arsit, recordatio eiusdem in mentibus nostris, ve-
lut cinis reliqua est. Passio autem Christi memo-
ria retenta cupiditates omnes sistit. Per *salem*
etiam sanctos doctores accipere licet, ad quos
spectat verbis suis, & salubri doctrina cupiditates
hominum, ceu sanguifugas ad cruorem semper
anhelantes coercere, & si quid aliud aptum oc-
currit hîc adscribe.

XVI. *Infernus, & os vuluæ, & terra, quæ
non satiatur aqua: ignis verò numquam
dicit, Sufficit.*

Infernus, &c. Hebr. ad verbum, *Infernus*, vel
Sepulchrum, (nam vox *האש* *Seol*, vtrumque
sonat, vt alibi diximus,) & *constrictio vuluæ*, terra
non est satiata aquis, & ignis non dixit abundantiã.
Chald. priora verba sic transtulit. *Infernus, & con-
strictio vuluæ*: videtur autem *vuluam constrictam*, ste-
rilem appellasse, seu infœcundam, nec omnino
ineptè, nam in his quæ pariunt, quamdiu grauidæ
sunt, vneris appetentia aut restringitur, aut he-
betatur, in sterilibus autem numquam intermittit-
tur, semper ardet. Sept. paulò aliter. *Infernus, &
amor mulieris, & terra, quæ non satiatur aqua. &
aqua, & ignis, quæ non dicunt satis est.* Caiet. & ex
ipso alii conuertunt. *Fouea, & stringens vuluæ* (ac
denique,) & *ignis non dixit diuitia*, sed non au-
diendus. Aquil. & Symmach. *constrictio vuluæ.*

Sensus horum verborum ex superioribus pen-
det. Sed antequàm singula expendamus, & no-
stram adscribamus sententiam, libet aliorum con-
silia recensere. Valeant primùm Hebr. qui in his
quatuor infaturabilibus quatuor elementorum
inexplebilem naturam perperam meditati sunt,
nihil non coactè asseuerantes. Displicet etiam
Rodolph. qui in his quatuor totidem suppliciorum
genera notari voluit, quæ quatuor illas degene-
res, prauasque generationes denique excipiunt,
quã dum singula singulis accommodat non pauca
peccat. Possit autem accommodatio ad hunc
modum conformari. Prima generatio filiorum
contumacium, *inferno*. i. morti, & *sepulchro* addi-
citur, hoc est breuioris vitæ pœna mulcatur: nam
qui negligit eos, per quos vitæ donatus est, pro-
pter huius beneficii contemptum debet ipso pri-
uari. Et rursus Secundæ generationi illi immun-
dæ, hoc est, filiis spuris, atque nothis, *constrictio
vuluæ*. i. sterilitas interminatur. Ita enim decet, vt
degener. plantatio sterilitate, & infœcunditate
arefcatur. Sap. 4. *Spuria vitulammina non dabunt radi-
ces altas, &c.* Tertia verò generatio filiorum qui
natalium suorum gloria insolescunt, & reliquos
homines præ se despectui ducunt, paupertate ple-
ctitur: hoc sibi vult illud. *Et terra, quæ non satiatur
aqua*, nimirum terra arida, & sitiens, atque adeò
fructus nullos reddens. Itaque hi fructuum pe-
nuria. i. paupertate multantur; paupertas. n. præ
cæteris rebus superborum fastum superciliumque
demittit. Quarta denique generatio auarorum
pauperes, atque humiles deuorantium igni adiu-
dicatur, nimirum gehennæ (vt ait Rodolphus) vt
hi, quibus egeni in pabulum cedunt, ipsi quoque
æterni incendij pabulum fiant. Sed tamen nisi
vtrumque liniatur, atque expoliatur, hæc exposi-
tio parum aptè in reliquum textum cadit.

Ergo recentiores aliqui interpretes de sententia
huius loci aliter decernunt, existimant. n. supra per
duas sanguifugæ filias duas res notari giguendi,
& producendi appetentissimas, nimirum scemi-
næ vuluam, & terram, quæ præ cæteris elementis
ferax est plantarum, & herbarum: deinde verò ad-
uersus has duas, alias item duas res à Salomone
produci, quæ simili corrumpendi, & destruendi
appetentia prædita sunt, ita vt ea quæ priores mo-
liuntur, aut generant, posteriores ocyùs corrup-

Isidor.

Seneca.

129
Berchorius

Ambros.

Innoc. Põ.

130

Galenus.

Plinius.

131

Sap. 4.

132

panem, & evertant. Quidquid. n. vulua parturit, & in lucem edit, id paulò post sepulchrum exedit, atque consumit. Quidquid terra arbustorum, & plantarum assiduò profert, tandem aliquando vel arefcit, vel excinditur, & igni in pabulum cedit. Itaque Salomon quatuor res produxit, vnam contra vnam, sepulchrum scilicet contra vuluam, & ignem contra terram; quæ omnes inexplebili quadam appetentia præditæ sunt: aliæ quidem gignendi, & producendi, aliæ verò absumendi, & conficiendi ea, quæ à duobus genita, & producta sunt. At, inquires, quorsùm hæc Salomon: subiticio; Mens vtique Salomonis secundùm hanc interpretationem eò fertur, vt suadeat hominibus, ne quid auidius, & intemperantiùs appetant; quia nulla est res quæ aliquid ardentius appetat, cui ex aduerso non respondeat alia opposita omnino, atque contraria impensè cupiens: hoc sibi voluit Eccles. cap. 33. cum ait. *Contra malum bonum est, & contra mortem vita. Sic è contra virum iustum peccator; sic intueri omnia opera. Altissimi, duo & duo, & vnum contra vnum.* Salomon igitur duo tantùm contrariorum paria hinc adscribens inductioni viam præmuniit, ac de reliquis rebus eodè modo discernendum esse indixit. Itaque sub hoc verborum integumento, aut ænigmate, suadet iram, hoc est, vindictæ libidinem, & cupiditatem temperare, nam subest aduersarius referendæ iniuriæ non minori cupiditate ardens: suadet auaritiam, i. rerum alienarum appetentiam cohibere, quia si quis alieni appetens aliquid ab alio auferre adnititur, adest statim alius maiori appetentia stimulat, qui hoc ipsi vi, aut fraude adimere contendit, vt supra ex Basilio adscripsimus vers. 14. qui ad hanc rem piscium exemplum elegantissimè conuertit, quorum alij alios deuorant, & maior minori in prædam cedit. Vel aliter, aptius dico auaritiam duorum contrariorum exemplo insimulari à Salomone, quia ita ferè euenire solet, vt quidquid auarè aliquis diu cumulauit, illius hæres ocyus profundat. Ad hæc præcipit Salomon ambitionem, i. dominandi cupiditatem coercere, quia nullum quis honorem, aut magistratum petere potest, cui non illico competitores, & candidati alij ex aduerso sese obiciant, vel si quem tandem honorem adeptus est, adfunt etiam alij, qui ad illum euchi cupientes ipsum deturbare contendunt: hæc ambitionum certamina eorum ora dum eruit Tullius 1. officiorum his verbis. *Quidquid est eiusmodi, in quo non possunt plures excellere, in eo plerumque fit contentio tanta, vt difficillimum sit sanctam seruare societatem: difficile. n. est cum præstare concupieris, seruare æquitatem.* Et rursus in Lælio. *Pestis, inquit, maior in amicitiis nulla esse potest, quàm honoris certamen, & gloria, ex quo inimicitia maxime inter amicissimos extiterunt.* Vel si ad filios id referas, sæpè accidit, vt quidquid honoris, & gloriæ ambitiosus pater in filios transmissit, ipsi degeneres nefariis sceleribus deturpent. Denique iubet Salomon libidinem, hoc est venenis, & voluptatum cupiditatem continere, quia nullus est mæchus sine rivali, nullus adulter, cui maritus acquiescat, nulla denique voluptas tanta, quam non mæror aut præeat, aut excipiat. Ergo iuxta præfatam expositionem, Salomon ab omni nos cupiditate deterret propter bella, & contentiones quibus ea parantur, quæ impensè cupimus, & propter aduersarios, à quibus postquam parta sunt ocyus evertuntur.

Reliqui interpretes his quatuor rebus totidem vitia à Salomone notari affirmant quæ numquam

penitus expleantur. His ego assentior. Quomodo autem hæc verba cum superioribus consuenda sint supra adscripsi. Atqui dum singulas res singulis vitiis accommodant non leuiter dissident expostores, eorum dissidia nostrumque iudiciũ subiiciemus. *Infernus.* Beda, Hugo, Lyra, & ex his alij nomine *inferni* diabolum significari volunt, qui hominibus ad malum permouendis, & ad tartara deportandis nunquam satiatur. Itaque continens accipitur, inquit, pro re contenta, *infernus* pro diabolo, Regia pro suo Principe. Interim autem innuitur immensa illius auiditas deferendi homines ad orcum. Nam si quis eius cupiditatis (liceat sic dicere) latissima spatia metiri velit, quilibet dæmon inferno ipso amplior est, citius. n. inferni immensæ intercapedines damnatorum multitudine implebuntur, & redundabunt, quàm vniuscuiusque dæmonis nefaria illa nostræ damnationis cupiditas expleatur. Subdit verò aliam non illepidam rationem. Hugo, propter quam diabolus insatiabilis est, quia nimirum peccatis, ac culpis nostris pascitur, hæc autem cum nihil sint ipsum minimè expleri possunt.

Caietanus, cui etiam alij subscribunt, per *infernum* mortem accipiendam esse dicit, nec verò *inferni* nomine orcum intelligit, sed *sepulchrum*. Itaque signum accipitur pro re significata, *sepulchrum* pro morte, cuius monumentum est. Interim etiam mortis inexplebilis auiditas notatur quia eos, quos mors perimit sepulcris conficiendos tradit. Optimè. n. Plato tellurem omnem *mortis stomachum* appellauit, quia quos vna mors deuorat, tellus, stomachi in morem, conceptos, tumulatosque decoquit, & vt ita dicam, digerit. Quanta ergo, & quàm insatiabilis erit eius fames, cui tam latus, tam edax contigit stomachus?

Pseudo-Aug. in lib. de salutaribus docum. ca. 30. per *infernum* quidem *gehennam*, per hanc verò *auaritiam* intelligit, sic. n. habet. *Auarus vir inferno est similis: infernus. n. quanto scumque deuorauerit, numquam dicit satis est; est omnes thesauri confluxerint in auarum numquam satiabitur.* His

similia verba habet Chrysof. hom. 29. in Matth. *Auarus, inquit, in omnes, vt mors, insiliens, omnes, vt infernus, deglutiens, communis generis humani hostis, quippe qui nullum hominem esse vellet, vt omnia possideret.* Nec solùm eo nomine *inferni*, insatiabilis eius cupiditas notatur, sed etiam cruciatus, & tormenta, quibus assiduò auari animus sauciatur. Audiendus est iterum Chryf. in cap. 15. Lucæ de diuite illo auaro, vbi probat auaritiam esse cruciatum gehennalem, quia alia vitia quibusdam aliis tormentis apud inferos expiantur, auaritia verò ad inferos penetrat, & sibi ipsi tormentum est. Hanc. n. *oculorum concupiscentiam* appellat. Ioannes. Lucas verò diuitis illius cruciatus memorans ait. *Eleuans oculos suos cum esset in tormentis vidit Lazarum, &c. In tormentis erat* (inquit Chrysof.) *& oculos solos liberos habebat, vt alterius diuitias posses aspiceret: propterea dimittuntur oculi liberi, vt magis torqueatur, qui non habebat, quod alius tenebat: aliorum diuitia eorum qui in paupertate sunt tormenta sunt.* Itaque auarum diuitem auaritia apud inferos cruciabat, haud dissimilis ei, quæ, cum apud viuos ageret, animum illius torfit. Hinc autem conficit Chrysof. auaritiam esse damnatis cum viuis communem, atque adeo auaros in hac vitam inde gehennæ pœnas experiri. Quod si nomine *inferni*, sepulchrum accipias, id quoque in auaritiam quadrabit. Subest testimonium Christi Domini Matth. 23. cuius verba expendens

Chrysof.

133

Eccles. 33.

134

Cicero.

135

136

137

Pseudo-August.

Chrysof.

Luc. 15.

138

Matth. 23. Chrysof.